Georgii Baglivi ... Opera omnia medico-practica et anatomica. Editio inter quamplurimas emendatissima; in quá praeter dissertationes, & alios tractatus ultimis editionibus adjunctos; quae sunt ejusdem Baglivi Canones de medicina solidorum; dissertatio de progressione Romani terraemotus; de systemate, & usu motus solidorum in corpore animato; de vegetatione lapidum, & analogismo circulationis maris ad circulationem sanguinis. I, De catameniis &c.; Accedunt. Index rerum verborumque ... / necnon opuscula quatuor J.D. Santorini.

Contributors

Baglivi, Giorgio, 1668-1707.
Santorini, Giovanni Domenico, 1681-1737.

Publication/Creation

Venetiis : Typis Remondinianis, 1754.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fdxqv645

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

1909/B

OSPEDALE CIVILE
BIBLIOTECA
VENEZIA

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30532279

GEORGIUS
BAGLI
SUUS
ÆTAT 34

GEORGII
BAGLIVI

Medic. Theoric. in Romano Archilyc. Prof. Societatis Regiæ Londinensis, Acad. Imp. Leop. &c. Collegæ

OPERA OMNIA
MEDICO-PRACTICA, ET ANATOMICA.

EDITIO INTER QUAMPLURIMAS EMENDATISSIMA,

In qua præter Dissertationes, & alios Tractatus ultimis Editionibus adjunctos,

Quæ sunt ejusdem BAGLIVI *Canones de Medicina Solidorum; Dissertatio de Progressione Romani Terræmotus; de Systemate, & usu motus Solidorum in corpore animato; de Vegetatione Lapidum, & Analogismo circulationis maris ad circulationem Sanguinis; necnon Opuscula quatuor* J. D. SANTORINI. *I. de Structura, & motu Fibræ; II. De Nutritione animali; III. de Hæmorrhoidibus; IV. De Catameniis &c.*

ACCEDUNT

Index rerum verborumque a Viro in Theorica, practicaque Medicina peritissimo multo labore confectus; in quo aurei vere Operis velut quoddam Enchiridion, & Compendiolum in communem Ægrotantium utilitatem Medici habere possunt; præterea ipsiusmet BAGLIVI Vita ex ejusdem Operibus excerpta; & aliqua Doctissimi Auctoris additamenta.

OSPEDALE CIVILE
BIBLIOTECA
VENEZIA

VENETIIS.
MDCCLIV.

TYPIS REMONDINIANIS.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

304175

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TYPOGRAPHUS LECTORI.

FREQUENTER illud, & quidem recte usurpatum, Medicinæ Tyrones, ad hujus cognitionem rite comparandam, paucorum, eorumque optimorum, qui de illa scripserunt, Auctorum lectione assidua maxime juvari; usu vero compertum habetur, nisi apta concinnaque methodo dirigantur, vix fieri ut studiorum fructus percipiant uberrimos, ut eruditi tandem & sint & habeantur.

Equidem, quorsum indefessa tot voluminum petractatio, quorsum inexplebilis legendi cognoscendique cupiditas, qua fit ut novitii Medici dies solidos in evolvendis libris transigant, iis intabescant, & velut immori videantur? quin potius alieno aut certe suo mature sapientes periculo didicerint, plerumque evenire, ut, quæ continenter, prout in libris jacent, helluari magis quam gustare soliti sunt, e memoria continuo diffluant, nisi intra legendum, varia quæ notatu utcumque digna offenderint, ea sedulo collecta & apto ordine digesta, in certa quædam capita distribuerint, unde suppetat ditissimus præceptorum observationum que penus, cujus sane præcipua, non modo ad promovendam theoriam, verum adeo ad praxim juvandam utilitas.

Huc collineare videntur affixi libris indices, quando quidem multa, quæ sparsim in prolixo opere & inordinate jacentia deliteſcunt, undique collecta, dispositа, & in classes distributa, oculis uno intuitu spectanda objiciunt.

Porro, quæ sit hujusmodi indiculorum, non utilitas dixerimus imo interdum necessitas, si quis neget, adeat, per nos licet, præclaras & nunquam satis celebratas viri Clarissimi GEORGII BAGLIVI lucubrationes; in his quippe Vir doctissimus Medicinæ illustrandæ unice intentus dum varia, quæ ex selectis quibusque Medicis scriptoribus hauserat, quæve inter praxim plurima observaverat, larga manu profundit ordinis plerumque negligens, sæpiusque occasione data late digressus, innumera propemodum præcepta, aureos canones, rariores denique circa morbos observationes, & magni momenti cautelas promiscue adeo inspergit, intexitque, ut attentiori licet mente percepta, tenaciorique ut videbatur memoriæ tradita, cito tamen aliis aliisque supervenientibus novis speciebus loco cedant, & memoria prorsus elabantur, quæ si in legendo digesta sepositaque forent, recentibus certe Medicis praxeos aleam subeuntibus maximo usui esse potuerint.

Nec enim sibi satis esse putent, si palmaria aliqua BAGLIVI, de morbo, ipso cui curando insudant, observationem apprime ipso, calleant, nisi simul in BAGLIVO adjuncta omnia attento animo perpenderint, nisi cautelas a sagacissimo, sapientissimoque scriptore ipsi loco appositas, sed & alieno, quandoque sparsim toto opere, disjectas memoria tenuerint, & ut res postulat prudenter adhibuerint.

Neque eſt quod illud tandem aſſequi obſtinata paginarum evolutione queant; nam præterquam quod præceps occaſio, temporis anguſtiæ, morbus urgens moram vix admittant, accedit & illud incommodi, quos perquiſieris modo canones, brevioribus quidem ſententiis contractos, variarum, quas Auctor collegerat, ex aliis audierat, ipſe obſervaverat, rerum oceano velut immerſos examen diligentiſſimum ſubterfugere.

Cui incommodo ut pro virili obviam iremus, cum de adornanda nova *Bagliviani Operis* editione cogitaſſemus, digniſſimi imprimis quod nocturna diurnaque Medicorum manu verſetur, id ſedulo curavimus, ne ſtudioſorum votis hac in parte deeſſemus: ideoque ab ingenuo quodam Viro plurimis nobis nominibus colendo, Theoricæ Practicæque Medicinæ operam danti aſſiduam, ſed & publicæ utilitatis in paucis ſtudioſo precibus expreſſimus, ut copioſiſſimum in BAGLIVUM indicem, dudum a ſe in proprios uſus multo labore digeſtum, huic editioni ad nectendum tranſmitteret: in quo, præter alia, illud non aſpernandum profecto commodum, quod omnia notatu digna, & ab Auctore multifarie obſervata ad aphoriſmorum ſpeciem, utpote luculentiorem, & promptioris uſus, in indice, quantum licuit redacta fuerint; hinc nimirum futurum eſt, ut ſic deſcripta legentium altius infigantur, tenaciuſque inhæreant, & inde velut quoddam aurei vere Operis in communem tum ægrotantium, tum Medicorum utilitatem enchiridion compendiolumque emergat.

Id etiam curavimus, ut errores typographici, quibus antecedentes Editiones ſcatebant, accuratiſſime emendarentur: his Lector utere, fruere, & nobiſcum Viro de re Medica, Publicaque bene merito meritas grates repende. Venetiis MDCCLIV.

INNOCENTIO XII.
PONTIFICI MAXIMO

GEORGIUS BAGLIVUS Felicitatem:

OBLATURUS Tibi, SUMME PONTIFEX, meum hoc novi hominis, & quam maxime tenuitatis ſuæ conſcii, Opuſculum, plane diffiderem, niſi apud quoſcumque Litterarum, bonarumque Artium Cultores invaluiſſe morem animadverterem, ut vigiliarum, Laborumque ſuorum Tibi fœtus conſecrarent. Id autem quam merito ab illis fiat, nil attinet dicere. Quicquid enim, ut ceteras Orbis partes taceam, in hac tua Urbe, omnium Principe, egregium, præclarumque prodit, id certe Tibi, tanquam præcipuo Auctori acceptum referri debet. Enim vero eccui potius, quam ei, qui non ſolum Dominus Fundi eſt, ſed ſementem quoque ſuggerit, & Agricolarum induſtriam hortationibus, præmiiſque excitat, agrorum primitias Colonus offerat? Unde mirabilis ille, & ad harmoniam, ut ita loquar, Mundi cantus exiſtit, cum ſcilicet in Principis gloriam doctorum Virorum monumenta cedunt, & viciſſim ex Principis approbatione, hi laborum ſuorum præmia conſequuntur. At hæc cauſa, quæ ad alios æque omnes pertinet, meam deputo præcipuam; quippe quem de reditu in Patriam jam cogitantem, non ſolum conſilii auctoritate, ſed liberali (quæ tua humanitas eſt) invitamento retinuiſti. Quo factum eſt, ut non ſolum in hac, quam profiteor Arte, doctorum complurium Virorum exempla ad imitandum habuerim; ſed etiam ex tua in Litteratos munificentia, & in qualicumque Studioſorum conatu adjuvando, benignitate, ad oblatum mihi munus perſequendum, novum ardorem mentis conciperem. Et certe fidentis animi ſpes minime fefellit. Tuo quippe fretus patrocinio, Anatomicæ Cathedram in Almæ Urbis Archilycæo nuper obtinui. Qua quidem in re, eo majores tibi gratias, & agere, & habere debeo, quod neque favori, neque tuæ, qua Parentes mei aliquando dignati ſunt, familiaritati datum quippiam volueris, ſed totum per ſanctiſſimas, atque incorruptas Juſtitiæ leges tranſigi negotium juſſeris. Ita enim non modo, quo me ornaſti beneficium, ſed etiam ſi quid laudis, atque exiſtimationis inter Æquales ex publica concertatione Anatomica nuper collegerim, id omne me tibi debere profiteor. His omnibus, iiſque juſtiſſimis de cauſis, SUMME PONTIFEX,

hoc mihi ſumſi, ut Tibi dicatas, ac inſcriptas emitterem has meas de re medica Lucubrationes, quas ſi minus ob Scriptoris meritum, at certe propter Artis præſtantiſſimæ dignitatem, Tibi probatum iri confido: quæ quidem Ars quamvis apud Mortales magni ſemper æſtimata fuerit, majori utique in pretio haberetur, ſi per eam conſequi liceret, ut nunquam deteriori loco eſſet, ſed ſemper conſtaret ſibi, qua hucuſque in publicum Urbs, & Orbis commodum uſus es, firma, vegetaque corporis valetudo, & excelſæ mentis vi perpetuo reſponderet. Quod tantum beneficium, ſi nobis Deus conceſſerit, quid amplius ſperari poſſit, non video: ſiquidem nihil vel animo fingi poteſt felicius ea Republica, in qua, ut jam videmus, revocatis a gratia, & pretio, ad meritum, virtutemque dignitatibus, Legum reverentia, & æquitatis Religio revireſcunt. Communis Pauperum res per te fundata, opibus juxta, ac pietatis legibus feliciter inſtituitur; Eccleſiaſtica diſciplina emendatur, & priſtino ſplendori redditur; ac Evangelii Præconum in omnes terrarum Orbis partes, inque abditum uſque Orientem miſſiones, magno pecuniæ numero ſuſtentantur: Quæ quoniam ingentia beneficia a te uno in univerſum genus humanum proficiſcuntur: cum diuturnam Tibi, SUMME PONTIFEX, a Deo Opt. Max. incolumitatem deprecamur, vereor profecto, ne noſtram rem agere, & ad fructum noſtrum potius, quam ad ejus, quem diligimus commoda, preces nos referre, quis exiſtimet. Vale.

DE

DE VITA
GEORGII BAGLIVI,
MEDICI PRÆCLARISSIMI
NONNULLA

Ex ejuſdem Operibus, & ex Act. Acad. Defunct. excerpta.

RAGUSII, quæ Urbs eſt Dalmatiæ nobiliſſima, ad oram Adriatici Maris ſuper veteris Epidauri ruinas conſtructa, ubi olim Æſculapii celeberrimum templum fuit Georgius natus eſt, anno S. MDCLXVI. Non. Septembr. oriente Sole, ex non ignobili Armeniorum Familia ita nuncupata, quod longe antea ex Armenia in Illyricum migraſſet. Hunc adhuc puerum una cum Jacobo fratre Eccleſiaſticæ militiæ poſtea addicto Parentes variis fortunæ tempeſtatibus jactati Ragufio Lycium in Apulia duxerunt, ubi ſedem ponere coacti fuerant; ibique ſtudiorum cauſa Michaeli Mondegajo Epidaurenſi Soc. I. Sacerdoti integerrimo commendavere. In ea Urbe nobilis, ac omnino amabilis Georgii indoles cito ei lares alios nacta eſt, alioſve Parentes, illuſtres nimirum Baglivos Lycienſes Cives, a quibus peramanter excepti, & liberaliter educati Armenii adoleſcentes, in ea domo, veluti in tranquillitatis portu quieverunt, atque humanioribus litteris egregiam ſtatim navarunt operam. Hi vero adeo hoſpitum ſuorum corda ſuaviſſimis moribus, perpetuiſque grati & obſequentis animi officiis ſibi devinxerunt, ut ante mortem Baglivi Armenios hæredes ex aſſe inſtituerint, hac tantummodo lege ut nomen Familiæ aſſumerent, & Baglivi in poſterum perpetuo dicerentur. Neque ſpes, quam eximiam de Georgio potiſſimum conceperant, ſuos fefellit educatores; etenim abſolutis Græcæ, ac Latinæ linguæ, Rhetoriceſque ſtudiis, nedum Lycii, atque Salerni (qua in Academia Philoſophiæ, & Medicinæ lauream ſuſcepit) ſed Patavii, & Bononiæ nobilioribus ſcientiis ſe totum tradidit, in primis Medicæ Arti, in qua clariſs. Malpighium audivit, eoque uſus eſt familiariſſime. Ceteris poſtea Urbibus Italiæ veluti litterario itinere peragratis, Doctrinæ qua præſtabat ea ſpecimina exhibuit, ut brevi, & adhuc adoleſcens ad illam pervenerit nominis celebritatem, ad quam vix longo annorum decurſu vel præſtantiſſimis ingeniis datum eſt pervenire. Annum quintum & viceſimum nondum attingens Romæ domicilium ſibi conſtituit, in qua terrarum Urbe Regina, optima optimorum hominum æſtimatrice, tum ob ſingularem Medicæ Praxeos peritiam, tum ob aliarum Diſciplinarum ornamenta, illico Principum, Procerum, Eruditorum omnium oculos in ſe converit; ita ut nullus foret Litteratorum cœtus, ubi non ſuorum doctiſſimorum ſermonum condimentum, nullus morbus periculum præſeferens, in quo non ejus cura diligentiſſima exoptarentur. Interim ad Anatomicam Cathedram in Romano evectus Archilycæo, id muneris incredibile eſt quanta cum laude, & omnium gentium plauſu ſuſtinuerit. Inde enim quotidie novas, eaſque perutiles demonſtrationes Phyſico-Medicas exhibens, nova, eaque pulcherrima experimenta in medium afferens, varii quoque argumenti opera ſplendidiſſimis doctrinæ luminibus, ac jucundiſſimis eruditionum floribus referta in lucem emittens, non Italiam ſolummodo noſtram, ſed pene univerſam Europam in ſui admirationem excitavit. Quapropter eodem fere tempore & inter Imperiales Auguſtæ Vindelicorum, & inter Regios Londini ſocios honorificentiſſime eſt cooptatus. Illud autem quod mea quidem opinione, cedit in tanti Viri haud vulgare decus, ſunt epiſtolæ, quas frequentiſſimas habuit a quampluribus, ne dum Chriſtianorum, ſed Arabum, & Turcarum Principum Medicis, officii, altiſſimæque exiſtimationis plenas, quibus quanti Baglivum facerent oſtendere non dubitarunt. Præterea cui unquam (ſi Livium excipias Romanæ Hiſtoriæ Principem) contigit, ut inter admiranda Urbis Romæ prodigia nomen ſuum conſcriptum videret? Verum nemo neſcius eſt eos, qui ex Galliis, ex Anglia, ex Hiſpania, ex Germania Romam proficiſcebantur inter alia, quæ ſecum ferebant in Commentariolis monita, illud habuiſſe ut plurimum adnotatum Baglivum inviſendi & agnoſcendi, ejuſque ſive operam, ſive conſilium, ſi forte ægrotarent, præ ceteris adhibendi. Ad hujuſmodi vero gloriæ apicem Georgius noſter cum perveniſſet, cave putes eum vel puſillum de ſuo tam defatigatæ vitæ genere remiſiſſe; quinimmo omnia ſuperius recenſita

Viro huic ſtudiis, laboribuſque perpetuis jam prope conſumto novos addebant ſtimulos; non ad ſuperbiendum, ut paſſim, ſed ad ſeſe acrius & impenſius optimis Diſciplinis, Philoſophicis experimentis, Anatomicis exercitationibus devovendum. Nec defuere tam laudati nominis, tamque ſingularis ſapientiæ adverſarii, cum, ut ille ait, nulla ſit magna virtus ſine contradicente, quemadmodum nulla inſignis fatuitas ſine propugnatore. At licet non adeo natura patiens videretur, ubi ſe laceſſiri aut provocari ſentiret, moderatiſſime nihilominus ſemper reſpondit, neque unquam in hoſtes ſpicula niſi melle oblinita contorſit. Quæ morum honeſtas animique ingenui moderatio cum ingenita quadam hilarique comitate conjunctæ effecere ut pluribus S. R. E. Cardinalibus, Noriſio in primis, Imperiali, Caſanate, aliiſque majoris Auctoritatis Aulicis, quos ſemper coluit, perquam carus extiterit, inter ceteros autem Viro memoriæ nunquam interituræ Marcello Severolio, quem graviſſima, ac pene deſperata infirmitate laborantem non ſine ingenti Urbis ſtupore vitæ, & ſanitati reſtituit. Ad hunc modo, modo ad doctiſſimum Ciampinum, alterum tunc temporis Italiæ ſydus, una cum Eruditorum Romanæ Urbis flore ad veſperam quotidie ſe conferre conſuevit, in iiſque excellentiſſimorum Virorum conventibus, ſive pulcherrima ſua adinventa proponendo, ſive arcana naturæ myſteria interpretando, ſive implicatiſſimas penitioris Philoſophiæ quæſtiones ſolvendo Auditorum veluti rapiebat animos, nec inde unquam digrediebatur, quin omnia, invitus quamquam, ſuis audire cogeretur reſonare præconiis. Tandem inter Paſtores Arcades, qui tunc ad hortos Farneſianos in Palatino colle, ubi olim Evander Arcadiæ Rex cum matre Palantia habitaverat, canere incipiebant connumeratus, aſſumto nomine *Epidauri Pirgenſis*, & ſi ob nunquam intermiſſas occupationes poetice ludere non poſſet, ab eorum tamen cantus dulcedine tractus, quoties datum fuit, ad Parrhaſii Nemoris umbras convolavit. Illius vero celeberrimi Paſtorum cœtus per univerſam Europam jam dilatati tanti judicium faciebat, ut cum de aliquo edendo opere cogitaret, eorum delecta manu in ſuam villulam Tamburidem, quam non longe ab Urbe ſibi exornavit, & litterariam dicere placuit advocata, non prius aureas ſuas lucubrationes publici juris faceret, quam tantorum Virorum de iiſdem audiviſſet ſententiam. Hac ratione plura edidit Philoſophica, Medica, Anatomica, quibus ſibi, tam citra, quam ultra montes, gloriam peperit immortalem, atque Medicam Praxim a nebulonibus miſere deturpatam defendit, ornavit, reſtituit. Hæc VII. Lugduni, VIII. Pariſiis impreſſa, & ſæpius deinde, nunc demum pro altera & viceſima vice in lucem prodeunt in unum collecta, meliori ordine diſpoſita, & quod caput eſt, ab innumeris, quibus anteactæ editiones, præſertim Italicæ (proh fatum) ſcatebant erroribus, vindicata: additis quoque quampluribus ad hiſtoriam ſui temporis, ac vetuſtiorum Urbis Romæ monumentorum ſpectantibus; quæ ſparſim Baglivus ſuis Operibus, ceu gemmas, inſeruerat, & in noviſſimis editionibus, qua cauſa ignoramus, deſiderantur. At quod æternum erit lugendum, cum tam aſſidue, tam impenſe, tam feliciter novus hic Æſculapius mortalibus mederetur, invida mors, ne forte ſuas ſibi amplius prædas in dies, veluti ex faucibus abriperentur, eum e medio ſuſtulit vix ætatis vere exacto poſt diuturnam infirmitatem, cum qua duo de viginti menſes conflictatus eſt anno a Chriſto nato MDCCVII. Idib. Martiis cum ineffabili Urbis Romæ, ac totius Reipub. Litterariæ luctu, quæ quidem, ut ajunt Religioſi Viri Eruditorum Acta Trevoltii in Galliis ſcribentes, Menſe Aprilis 1708. *In Georgio Baglivo amiſit unum ex Medicæ Artis Inſtauratoribus, qui veſtigia magni Hippocratis Coi, quem ſemper in manibus & in delitiis habuit calcans eam ad altiſſimum perfectionis gradum perducere potuiſſet.*

PRÆ-

PRÆFATIO*

TOTIUS OPERIS NATURAM, HUJUSQUE Editionis additamenta exponens,

Ubi de Syſtematum uſu, differentiis, delectu; in primis, de Bagliviani Syſtematis utilitate, commodis; & præſtantia diſſeritur.

Ibidem habes reſponſa ad quorumdam ſcripta, dicta, ſuſurros.

ECCE quod omnibus in votis erat auctum prodit in lucem Baglivianum opus. Hic enim habes inedita non ſolum, quæ bene multa ſunt & apprime utilia, ſed quæ edita quoque fuerant, appendicibus variis noviſque argumentis, obſervationibus, & experimentis munita. Itaque novum hodie non minus illud opus videbitur, quam cum novum erat, utpote additamentis novis iterum factum recens. Præterquam quod enim novis ſemper blanditur illecebris quicquid Baglivum ſapit, multa habent ultimo recuſa hæc illius opera, quæ ut in aliis auctoribus, ita in aliis editionibus deſiderantur. Pullulant quidem undique recentium ſcripta, ſed ex iis plurima animos ineſcant, non paſcunt; Bagliviana vero placent, & inſtruunt, adeo ut ex iis nunquam recedas niſi melior factus, doctior, peritior. Diſcriminis hujus ratio eſt, quod non pauci phantaſiæ laſcivientis ludibria offerant, Baglivus naturæ imitamina. Hoc ut exequeretur, ſtatim ac e primo limine medicinam ſalutavit, in ipſomet mediatricis naturæ ſinu educandum ſe commiſit, ut illius mores, ingenium, agendi rationes quaſi cum lacte hauriret. Hanc ob rem non opinionum commenta, non hominum opiniones ſectatus, ſed morborum hiſtorias, diagnoſin, prognoſin, curationes, morbos inter & ægros verſando, didicit; quod ipſiſſimum eſſe ac Creatoris digito duci, is facile agnoſcet, quem non fugerit eaſdem eſſe Creatoris ac naturæ leges. Talis uſus magiſterio, morborum, & remediorum arcana improbo labore, propriiſque quaſi ſtipendiis aſſecutus eſt, veram ideſt methodum practicis obſervationibus ſuffultam, inconcuſſiſque munitam legibus, quam in hoc ſtudio tenuit viam, quæ expertus eſt pericula, difficultates, commoda, incommoda notavit. Tum remediorum ſudoriferorum, *refermentantium*, purgantium in primis deſcripſit ſcandala; inſuper quæ a melioris notæ Medicis obſervata fuêrant ne quid prætermittere videretur, uſu proprio confirmavit; qua ratione, quibus auctoribus adhibenda fides, quibuſve renuenda facto periculo didicit. Tandem remoras congeſſit & impedimenta quæ artis medendi progreſſus hucuſque retardarunt. Talia ſunt ex quibus conflavit auctor clariſſimus ſuos de praxi medica tractatus. Sed ne poſteris periret illius labor, laboriſque ratio; verius, ut eodem in poſterum collimarent omnium ſtudia atque conatus, quibus ad ultimum, quantum fert humana imbecillitas, artis faſtigium pervenirent, non vanam, aut poſſibilem nuſquam (quod de republica Platonis commentum fuit) ſed utiliſſimarum academiarum diſciplinam, leges, inſtituta, mira ſua ſapientia ibidem proponit, ad quorum normam ad medicinæ ſtudium ingenia formarentur. Ex his omnibus facile intelliget æquus rerum æſtimator ultimam fere manum recentiorum inventis impoſuiſſe Baglivum, complementum ſaltem quoddam & coronidem addidiſſe, concupitam diu, ſed deſideratam ſemper, medendi nempe methodum, quæ cum practicis veterum obſervationibus concordans novis non repugnaret. Hæc quidem non omnino ad ſcholarum methodos concinnata videbitur, ſed, quod rei caput eſt, naturæ legibus & experientiæ accommodatam eam comperient artis prudentes. Novam medendi methodum aggreſſus erat meritiſſimus vir Sylvius de le Boe, varia quoque ad hoc argumentum ſpectantia invenias apud Villiſium, Etmullerum, Vvaldeſchmit, Sydenhamium in primis omnes artis proceres digniſſimos; ſed hanc ſpartam nemo Baglivo noſtro, plenius ornavit. Latius adhuc patet librorum illius de praxi utilitas. Anxie, & diu conquieſierant artis ſapientes, veram ſtudii medici normam, quam hic paſſim inculcat Baglivus noſter, legitimum librorum uſum & ſelectum deſcribendo, adeo ut quod naucleris nautica pyxis, id ipſum erit medentibus Baglivianum opus.

Tot bona, quæ ex prima Bagliviana editione ſperanda erant, augere, non in promtu videbatur; præſtitit tamen clariſſimus auctor, quod quaſi ex ungue leonem recogno-

ſces

* Hujus Præfationis auctor eſt Dom. Hecquet celeberrimus medicinæ Doctor Pariſienſis; præmiſſa fuit primo Editioni Lugdunenſi anno 1704.

ſces ex appendicibus ad pleuritidem, & de febribus malignis & meſentericis. Noverat (quod peritioribus datum eſt) quaſdam eſſe pleuritides & febres, quæ catharſin præcociorem poſtulant. Talium ergo ætiologias, caracteres, ingenia deſcribit, nè (quod * Baglivi epiſt. non paucorum conterraneorum ipſius, cum ad Medicinam animum appullit vitium * erat) omnibus idem cothurnus aptaretur, ad omnes febres præcocem trahendo catharſin, quæ quibuſdam tantum concedenda erat. Hanc autem in ſcribendo curam eo magis ſibi injunxit, quod inſurrexerat ubique in ſuis de praxi libris in præconem & præpoſterum uſum purgationis: ne igitur palinodiam canere putaretur, propriis ſignat notulis quænam ſint morborum acutorum genera, quæ in purgationis negotio feſtinam medentis manum requirebant prudenti hac cautione audentioribus inexercitatorum conſiliis occurrit, qui ſaburram primarum viarum ubique ſupponendo, maxime cum ad manum magis ſit, & ad vulgi captum ejuſmodi ſyſtema, purgant aſſidue atque repurgant dioriſmo, criſi, coctione ceteriſque curationum legibus ſuis de habitis. Hos ut antevertat, aut emendet abuſus, febri meſentericæ tantum & lymphaticæ feſtinatam convenire catharſin admonet, tuncque ſolum ubi fomes eſt *in primis viis*, *lymphæ*, nempe *ſyderatio*, *& concretio*, ideſt iners quidam humor mora lenteſcens, abſque ulla inflammationis ſuſpicione: pro clauſula addendo ſymptomatum remiſſionem, ut tutior ſit purgatio. Quæ omnia ne pauca viderentur, & ut temperaret uſum purgationis in acutis, clamat ſe *Romæ* ſcribere & in *aere Romano*, ubi, ait, ejuſmodi morborum apparatus ſunt in primis viis, non in ſanguine. Similiter pleuritidem * quæ purgatione indiget, non eſſe vult, ſed aliquam tantum eamque inferam, modo inflammatio non ſit in pulmone, vel, ut ait, modo dolor non ſit inflammationis comes, ſed congeſtionis cujuſdam humoris & a ſale ſcorbutico oriundus. Hac autem in purgatione jubenda pleuritidis initio, ut cautius procedatur, & ne illico naſcente morbo, ſæpe nondum cognito, in purgationem irrumperetur, primis diebus frequentioribus enematis alvum molliri ſuadet, ut ſenſim ad purgantionem aditus pateat, a qua abſtinendum eſſe monet ſi ſint inflammati pulmonis ſigna, tum ſi urina accenſa ſit, calor acris lingua reſiccata &c. Tandem hoc purgandi conſilium ne audentius videatur, aut inauditum, nobiliorum practicorum auctoritatibus, quas ibidem cumulavit, voluit ſtabiliri. Tantæ molis erat a medentium mentibus, juniorum in primis, feſtinatæ purgationis offendicula removere. Quæ omnia ex Baglivo confirmant, & raram eſſe (quod Hippocratis monitum eſt) purgationis neceſſitatem ineuntibus acutis, nec eam terendam eſſe omnium manibus, nec promiſcue tentandam, nec denique trahendam in morem. Præcox ergo & itineranda purgatio ſcitæ manus & induſtriæ opus erit, concedendum iis, quos æquus amavit Jupiter, quibus e meliore luto finxit præcordia; opus inquam, quod in arte recocti ſagacitatem commendare poterit & ſapientiam, nuſquam juniorum acuere temeritatem. Quot enim & quanta in artis heroibus mirari decet quæ pumiliones dedecet imitari! Porro purgationem tot cautionibus circumſeptam indulgere, illius pericula narrare eſt, morborumque, aut circumſtantiarum aliquot, non omnium, nec omnis loci, aut temporis remedium deſcribere, ut patet ex clariſſimi auctoris reſponſo ad elegantiſſimam epiſtolam D. Andry medici Pariſienſis, ubi mentem ſuam de purgatione initio morborum expreſſius & plenius aperit Baglivus.

* Idem appendice ad pleuritidem paſſum &c.

Multa alia, quæ huic editioni propria ſunt, reperies quæ prius inedita erant, ſed exquiſita, ubique Baglivo digna, iis enim methodi medendi pars maxima, aut optima continetur. Aliunde multa adhuc occurrent inter legendum, eaque nec pauca nec contemnenda, quæ dum ſapientiſſimi auctoris produnt peritiam, ſalivam omnibus movebunt, ut quos ille fecit in arte progreſſus attingere tentent, aut æmulari.

Duos de praxi libros ſequitur de fibra motrice ſpecimen variis, multis, ac neceſſariis, præ ceteris editionibus, hic auctum, in primis epiſtolica diſſertatione de meningum vi, tum ampliſſimis additamentis, quorum hic illic reperies exempla quamplurima, & ea quidem luculentiſſima ſuis in locis. Hoc autem ſpecimen, quod vocat humaniſſimus auctor, phyſiologiæ loco venire poteſt. Revera enim medicinalem theoriam exponit, ſeu vitæ, & ſanitatis cauſas. Nec eſt unde aliquis perperam aut temere factum putet, quod hic phiſiologica pars alteri, quæ de praxi eſt, præmiſſa non fuerit, poſt inventam enim Medicinam quærenda eſt ratio, non poſt rationem quærenda Medicina. Porro rationem illam nuſquam melius reperies quam in hoc Bagliviano opere. Hic enim non hypotheſes e cerebro natas, non caduca principia, non comminiſcentis ingenii ludos, ſed ipſammet operantem offert naturam: quo enim alio nomine deſignabis ſolidorum illud cum fluidis æquilibrium, proportionem, æquabilitatem a jugi ſolidorum niſu in fluida, ideſt oſcillationibus pendentem, naturæque majeſtati tam digne reſpondentem? ſupremum vero Creatoris opificium

cium nihil refert magis, quam ſimplex & nobilis ea tradita hic a clariſſimo auctore ſanitatis ac vitæ cauſarum deſcriptio. Ceterum cum opera Bagliviana, commendamus, procul a nobis ſit hoc facinus indignum ut ceterorum ſyſtemata, ut inutilia aut damnoſa rejiciamus omnino, indecorum enim, nec ingenui animi eſt ea deſpicere per quæ profecimus. Suam igitur unumquodque laudem manere volumus, omniumque conatus laudari; in ea enim, qua laborat humana mens brevitate; non pauca primum lucro apponenda habet, quæ poſtmodom repudianda ſunt. Interim errori, aut inconſtantiæ non id imputandum eſt, ſingula enim ſuis ſerviere temporibus & locis, ſaltem erunt utiliter congeſta, e quibus ad altiora, & meliora gradus fit. Id autem ſi cuipiam certe Medicinæ indulgendum erit. Corporis enim œconomia quam tractat ſublimibus, & exquiſitis iis rebus ſimillima eſt, de quibus meditatis quantumlibet facilius aſſeras quid non ſint, quam quid ſint. In hac rerum caligine, ſi aliquid a rei veritate alienum effutierint ſyſtematum conditores, tolerandi tamen audiendique; cum enim Illorum labore jam compertum ſit quid non ſint ſanitatis aut morborum cauſæ, in id quod ſint brevius, & facilius inquiretur. Salvo tamen ceterorum honore, de Bagliviano ſyſtemate affirmare fas erit, illud eſſe quod multiplici titulo cetera vincit. Id vitii ceteris fuit, quod res & inſtrumenta uſurpaverit extranea humano corpori & peregrina. Triplicem hic materiam, atomos ille, acida alii & alcalia admiſere, ſed quæ tot ſunt mentis aut ingeniorum fœtus, torque incongrua hominis vitæ. Talia enim amabo quis unquam humano in corpore pervidit; atomos præcipue, & varios illos materiæ modos? Fidem forte facilius obtinebunt acida & alcalia, quæ e ſanguine ceteriſque ſuccis extorquentur; ſed præterquam quod nativa hæc vix reperies, quem huc uſque dioriſmum ſtatuerunt eorum auctores, quo acidorum & alcalium caracteres, varietates, diſcrimina medentibus patefaciant? Illis quidem in promtu fuit ſuis in officinis tuto experiri, quibus acidis hæc vel illa alcalia ſaturarent; quibus alcalibus hæc vel illa infrænarent acida, id enim vilium aliquot metallorum & menſtruorum jactura & diſpendio facile obtinetur. Verum ſimilem nobis prodant artem, qua ſpecifica variorum morborum acida propriis alcalibus tuto obtundantur. Si regerant multis certo congruere morbis mercurium, corticem peruvianum, multaſque herbas alcalinas, amarorumque ingentes copias; audient hæc omnia uſu, meditatione, obſervatione, caſu non infrequenter, prodita fuiſſe, iis etiam temporibus, quibus inculta adhuc jacebat chymia, aut ab arte medendi arcebatur. Hinc igitur medicaminum, quæ jam experientia oſtenderat rationes & ætiologias elucidaſſe chymiam unice evincetur, quæ illius laus eſt, quam non invidemus. Sed alterum eſt quod ſuſpicioſum maxime reddit Chymicorum ſyſtema, quod eorum operibus minus cohæreant eorumdem ſermones. Ii ipſi ſi audiantur, ad ravim uſque clamant non ignem aut calidum eſſe, quod in corpore magnam vim habet, nihilominus tamen (quod diſſoni inconditique eorum ſyſtematis non contemnendum argumentum eſt) dum calori in edendis functionibus tribuunt nihil, in iiſdem reſtituendis caloris imperium omne concedunt, calidis nempe, aromaticis, ſulphureis, volatilibus. Ultimum reſtat, quod ut in ceteros quoque ſyſtematum auctores cadit, pariter chymicis objicitur. Omnes veritatis æmulatores ſe profitentes, veritatem tamen minus quam alienum quid a veritate tractant & meditantur, puram nempe putamque materiam aut materiæ modos, circa quos mire cavillantes, totos ſeſe exercent. Inveniendæ tamen veritatis dux optima eſt & magiſtra inventa veritas, quam unice meditari, inſpici, & a philoſophis expingi decet. Hac autem ex parte (quæ omnium caput eſt) tantum cetera ſuperat Baglivi ſyſtema, quantum viburna cupreſſi. Medicæ veritatis avidus auctor noſter ſapientiſſimus, primo quicquid, non de rebus extraneis, ſed de medendi arte & corporis œconomia verum proditum eſt atque compertum ſibi ſumit, hinc obſervationum ſerie tanquam filo Ariadneo ductus, alias occupat attingitque veritates. A veritate autem ad veritatem progrediendo, ipſius veritatis veſtigia calcare eſt. Sic plures aſſecutus veritates ſingulares, aut veritatum circumſtantias, ad id tandem pervenit aſſeverandum, quod univerſim de ſanando corpore humano verum eſt. Syſtema ideſt medicinale aſſequitur ipſi innixum veritati: tutum certe ad veritatem iter, certamque dubio procul hujus inquirendæ methodum: ex veritate enim quid aliud ſperandum niſi veritas? Hanc ut certius obtineat, non alienam ut vides ſuſcipit exorandam materiam, unde analogiſmo ducto aliquid veriſimile de corporis œconomia aut arte medendi concludat, ſed ipſas meditari aggreditur corporis humani partes, eaſque non fluidas tantum, quod omnium hactenus erratum fuit, ſed fluidas ſimul & ſolidas, quas non ignium tormentis, quæ fucant & adulterant, ſed aut ſcalpelli acie & mentis oculis, aut manuum dexteritate, quæ inviolatam partium ſtructuram repræſentat. Tandem in inſtituendo rerum mediçarum analogiſmo, non ex dubiis rebus & incertis veritatem

ritatem expiſcatur, ſed ex rebus compertis, & quæ in confeſſo ſunt; non enim ex materia, aut materiæ modis eam mutuatur, ſed ex ordine, proportionibus, æquilibrio inditis a Creatore corporis partibus, iiſque non elementaribus, quæ latent, ſed organicis, quæ patent, utpote quæ iis, quas præſeferunt ſymmetria, concentu, & harmonia: quam condunt veritatem, produnt ac manifeſtant; adeo ut quæ aſtruit auctor ex ipſa veritate dimanaſſe videantur. Ne autem imponat, aut impedimento ſit multiplex nimis compoſitarum partium apparatus, ſimpliciſſimas organicas examini ſubjicit, quod clariſſimorum Virorum conſilium fuit, ut ad detegendam earum naturam, quæ magis compoſitæ ſunt, fiat iter. Ejuſmodi ſunt fibræ, a quibus auſpicatur, quarum fabricam, & vim in cadaveribus explorare cum ambiguum ſit, in vivis animalibus earum undulationes, criſpaturas, ſpaſmos intuetur, ipſam ideſt operantem naturam. Sed cum ex fibris factas eſſe conſtet corporis partes, ex ſingularum viribus, & elatere non temere infert corporis univerſi robur. Amplius fibrarum veſtigat origines, quas cum a meningibus maxima ex parte duci comperit, meninges inſtituit membranarum matres, & fibrillarum, quæ ab illis reſtituendi ſe & oſcillandi vim mutuantur. Tandem ex eo, quod ubique adſint fibræ & membranæ, ex quibus partes conflatæ ſunt, concludit ſuum quibuſque particulis dari elaterem ſeu niſum, quo fluida exprimunt, eorumque motus moderantur & perpetuant. Fluida aliunde, reſiſtendo fibrarum (quæ ſolidorum titulo gaudent) compreſſionibus, partium alunt oſcillatorium motum, qui a meningibus deſcendens ad ultimas uſque vaſorum & partium propagines undulatur. Arcanas ejuſmodi, & inſenſibiles oſcillationes, ne quis accipiat pro commentis ingenii induſtre delirantis, argumenta mutuatur auctor ſapientiſſimus ex iis partibus, in quibus fatentur omnes manifeſtam conſpici oſcillationem, ſeu vim ſyſtalticam, quæ ad ultimas partes atteſtante ſenſu propagatur. Itaque in meningibus manifeſtam ſyſtolem obſervari jubet, quam ad ultimos fines membranarum propagari, præterquam quod evincunt in animalibus inſtitutæ obſervationes, oſtendit quoque periſtalticus inteſtinorum motus. Cum enim in inteſtinis deſinant nervorum mille propagines, in quibus manifeſtæ vigent a cerebro impreſſæ oſcillationes, argumento erunt, in aliis partibus ſimile quid contingere. Nec debilius exhibet argumentum cordis ſyſtole ad ultimos arteriarum exitus omnium conſenſu propagata, ex quibus omnibus ſenſibus obvium ducitur teſtimonium in extremis partium finibus perſeverare oſcillationes, quæ in meningibus inceperunt.

Interrogant cauſarum curioſi, undenam tanta hæc meningum vis? an propria iis? an precaria ſeu mutuatitia? ulterius quærunt, qua ratione a cerebro manans undulatio tot inter reſiſtentias & ſcopulos progrediendo, in ultimis partium finibus adhuc durare poſſit. Sors eadem, ſubridendo concludunt, meninges manebit, quæ glandulam pinealem, ambæ enim ex æquo, ideſt nullatenus, undulationes emittere valent, aut accipere. Inevitabiles quidem ſed otioſas quæſtiones & inutiles. Has OEdipus quidam ſolverit, quid inde ad medendi peritiam utilitatis redundabit & commodi? Enim vero a ſe, aut ab alio oſcillent meninges, ad praxim perinde erit, modo comperta ſit earum vis ſyſtaltica, jugiſque nec interrupta ad extremas partes earum undulatio. Aliunde medentibus, ſatis ſuperque erunt, quæ horum in confirmationem paſſim tradit clariſſimus auctor, ſed in primis capite V. & in epiſtolica diſſertatione pag. 149. de novo huic editioni addita.

Melius certe, cum illis aſſiduis cauſarum indagatoribus ab auctore noſtro actum eſſet; ſi fermentationem quandam, certam exploſionem, vel quandam ſubtilis materiæ energiam fingere voluiſſet, quibus explicaſſet fibrarum elaterem. Talibus enim ſimiolis duci adhuc amant perplures ac ludificari. Sed in exploranda phyſiologia iis tantum didicit auſcultare, quorum in humano corpore notavit exempla. Porro corporis partes cum ſtatim a conceptu ſalire obſervantur, hinc vim ſyſtalticam (quæ reſilitionis ſpecies eſt) fibris propriam eſſe, & a natura inditam pronuntiat. Et revera, ſi a mechaniſmo quodam, & ad poportionum leges, data partium ordinatione, repeti poteſt ad contrahendum ſe villorum proclivitas, quidni ratione non abſimili explicaretur fibræ vis ſyſtaltica? Dices, non talem oculis apprehendi fibræ ſtructuram qualis ſupponitur? equidem non abs re hæc dubitandi ratio: ſed ea eſt geometricarum ſuppoſitionum conditio, ut veritatis ſemper imagines repræſentent & exempla. *Exemplum dico non ipſarum rerum compoſitionem, primas enim compoſitiones* (inquit, illuſtriſſimi Bellini verba uſurpando, Baglivus noſter) *ſicuti ipſarum figuras, & figuras primorum componentium, neque ſcio, neque me poſſe confido; cum ſatis certus mihi videar compoſitiones ejuſmodi, & ejuſmodi figuras ſe habere poſſe quomodocumque velis, dummodo adſint motus quidam certi, vel quidam certi nixus in motum, vel certi motus & certi nixus ſimul.*

Similiter ergo quodcumque ſit de meningum ſyſtoles natura, interim Bagliviani ſyſtematis

matis de ſolidorum & fibrarum vi conſtabit veritas, utpote elicita ex fibrarum textura non impoſſibili, ſaltem juxta *motus certi, certique nixus* regulas ſupponenda. Sicque non falſo concluditur a ſolidis repetendam eſſe vim, quæ fluidis imperet, regatque corporis functiones, & proinde, quæ medentium animo & conſilia potiſſimum occupare debeat.

Sunt qui altis vocibus intonant, vidiſſe ſe cadaver, in quo cerebrum cum meningibus ferme occalluerat. Cumque dum erat in vivis ægrotans; vitii ejuſmodi ſuſpicionis nihil ſenſerat aut dederat, arguunt commentum eſſe, ac ludibrium oſcillatorium motum a meningibus ad inferas partes deſcendentem. Narrant alii, interdum ſe inter ſecandum reperiſſe meninges undique cranio tam arcte agglutinatas, ut viderentur adunari: illud addentes, quod omnibus notum eſt anatomicorum experimentum, de avibus nempe (columbis v. g.) quæ exempto licet e cranii latebris cerebro, tamen nihilo ſecius ad horas aliquot vivunt non modo, ſed cæco incertoque volatu cerebro deſtitutæ per aera feruntur.

Verum expendant primo, an iis, quæ ſemel obſervantur, ſyſtematis cujuſdam veritas diruatur tam efficaciter, quam ſolide aſtruitur perpluribus aliis, quæ quotidie, & perpetuo vera obſervantur. Ut ergo rarum eſt, quod de indurato, aut aliter labefactato cerebro & meningibus afferunt, neque vim legis, nec auctoritatem merebitur: parum ergo, aut nihil tam multis aliunde ſtabilito ſyſtemati officere poterit.

Secundo meminerint pro nihilo a dialecticis haberi, id argumenti genus, quod nimium eſt, quod nempe plus quam quærebatur, concedit. Porro ex indurato cum meningibus cerebro, probarent non ſolum, ad partes undulari non poſſe meningum oſcillationes, ſed & a cerebro utpote ſpirituum fonte, reſiccato gigni non poſſe ſpiritus nec excurrere ad vitam conſervandam. Interim cum proſtent exempla cerebri indurati, aut quovis modo maxime vitiati cum vita ſuperſtite, imo cum ſcriptum reperiatur recens natos ad dies aliquot vixiſſe cerebro defectos, an captu difficilius erit dari poſſe meninges induratas, adhærentes, aut quavis ratione otiantes perſeverante ceterarum partium oſcillatione? Talium cauſas altius ſcrutari nihil juvat: mirari ſat eſt, in humano corpore tot inter ruinarum minas, mille dari perfugia vitæ.

Ad ſummum ergo inde ſequitur (quod 3. notandum eſt) non ſic indigere meningum elateris præſenti influxu ceteras corporis partes ut oſcillent, ſanitatemque tueantur quin illo pereunte aut multum imminuto, cum vita perſeverent adhuc partium oſcillationes. Quod ut mente aſſequantur in ſuam memoriam revocent partes eſſe cerebri, quæ fœcundatione facta primæ evolvi incipiunt, & ex his præcipuas eſſe meninges, quæ primæ micare conſpiciuntur atque ſalire. Concludendum ergo a meningum ſyſtaltica vi motum omnem, & energiam mutuatas fuiſſe, quotque poſtea evolutæ ſunt creveruntque partes: hanc autem vim ad motum ſemel imbibitam ſervare diu, integramque adeo, ut in adultis eam quaſi propriam ſibi vindicarint. Abſoluta enim in adultis fibrillarum omnium evolutione idonea, & ſufficienti extenſione, ſuus cuique parti proprius cuditur elater, unde niſus & ſyſtaltica vis. Poſito autem hoc partium ſtatu, a ſuapte ſtructura habent unde ultro perſeveret earum ſyſtaltica vis ad vitam tuendam, & oſcillationes; ſaltem mirum eſt quam perpaucis indigeat. Oſtendunt varia animalium genera, quæ impaſta totas hyemes mortuis ſimilia tranſigunt, in quibus tamen ſic perſeverant vitæ oſcillationes, ut adventante vere derepente reviviſcant. Oſtendit quoque nemini non notus quidam hyſtericarum ſtatus, ſub quo interdum integris diebus pro mortuis habentur vita tamen cum oſcillationibus ſuperſtite. Nec deſunt rationes; demonſtratur * enim reſciſſis novem partibus quantitatis rei illius, qualis eſt aer, quæ ſanorum functionibus obeundis omnino neceſſaria eſt, decimam quantitatis illius partem ſufficere poſſe ſi unice a morte vindicanda ſit vita. Unde, cui ad reſpirationem, inſpiratione ſingula trahendi erant 31. digiti * cubici aeris inſpirati, ut ſuam conſervaret ſanitatem, eidem res tantum digiti cubici aeris inſpirati ſufficient ſi vita unice ſit conſervanda. Quæ cum ita ſint mirum non erit ſi imminuta in cerebro indurato, meningibuſque cranio adunatis, ſyſtaltica vi, ceteris in partibus ad vitam ſufficienter vigeant oſcillationes. Id innuunt ſalicum rami, plantarum vivæ radices, arborum ſurculi, florum bulbi, gemmæ, calices; quæ omnia excerpta truncis, terrarumque viduata ſucco ſolo vel aquæ madore, vel aeris ſpiritu turgida, germinant, virent, ſurgunt in caulem, tandem in florem erumpunt. Si movent magis petita ex animalibus exempla, exhibent ranarum, viperarum, &c. corda, quæ a corporibus reſecta non paucis poſt horis palpitant non modo, ſed ſaliunt adhuc: ſuppeditant denique inſectorum piſciumque varia genera, quorum partes cultro ſeparatæ longo poſt tempore adhuc moventur. Animantur ergo, ideſt aguntur ſingulæ partes propria ſua ſyſtole, quæ ſi a meningibus unde oriunda eſt aſſidue foveatur, vegetior erit, & ad plura paratior; non inutilis tamen ſi meninges labefactentur, neque tunc deo

* Vide Picar. in diſſert.

* Ibidem p. 57.

iners

iners futura, ut ſaltem trahendæ vitæ ſit impar. Itaque palinodiam dicant oſcillationum detrectatores, quarum e meningibus ſi radicem avulſerint, in ipſiſmet partibus altera non deficiet.

Sed ex Bagliviano ſyſtemate intelliget adhuc artis prudens totam in æquabili nixu, proportione, æquilibrio tandem poſitam eſſe univerſam corporis œconomiam, ideoque in hoc impendendam eſſe artis, ac Medici ſollicitudinem, non ut ſolida fluidorum vitia emendet (quod quidem medicorum turbæ error hucuſque fuit, medendi tamen ſæpe pars minima) neque ut glutinoſas, bilioſas, ſeroſas materies maxima copia educat, quod alterum eorum hactenus conſilium fuit, altera intentio. Hæc etenim, ut plurimum ſecundariæ eſſe deberent curæ, cum illa omnia morborum ſæpius ſint effecta, quam cauſæ. Sed primarum futurum erit Medici munus amiſſum ſolidorum cum fluidis æquilibrium, intermiſſam eorum æquabilitatem reſtituendi, ſolidorum mulcendo criſpaturas, inverſas revocando oſcillationes, reſilientes eaſdem redigendo; ſic enim fluidorum frangentur impetus, deferveſcent ſucci, facta ſolidis ſubjecta fluida obtemperabunt, omnium tandem fiet concordia, conſenſus unus, quo uno ſanitas continetur. Ut enim a fluidis non ſolum, ſed & a ſolidis pendent ſanitatis cauſæ, ultro ſequitur ab hiis quoque a ſuo ſtatu dejectis eliciendas eſſe medendi indicationes. Sed aliunde creſcet hinc non mediocriter artis dignitas. Hæc enim, quæ in avertendis avi ſordibus unice fere collocabatur, tota in poſterum in induſtria, & meditatione poſita, æquilibrii, proportionum, ac ordinis legibus ſevandis, reſtituendiſve inſerviet. Adeo ut non temeritatis, aut audentiæ futurum ſit medicinæ opus, ſed dexteritatis, & prudentiæ. Emendatæ ſic Medicinæ fructum quoque ſentient ægrotantes, qui ſtimulantibus, acrioribus, *refermentantibuſque* remediis vexati minus amicabilibus, anodynis, lenientibus *ſedativiſque* remediis ſæpius recreabuntur.

Deinceps enim conſcius factus Medicus tam facilem eſſe affici ſolidorum compagem, & ab æquilibrio diſjici, ab iis timebit omnibus, quæ acriorem eorum ſenſum importune feriunt. Poſthac qualem putare eſt mentem aut frontem eorum, quos agitat purgandi dira libido, qui meliori arte animatum Baglivum, ad ſuas tamen partes pertrahere vellent. Eo certe non inclinant mens illius, ſyſtema, conſilium: purgantia enim in acutis ad Hippocratis mentem rara eſſe neceſſitatis præſidia agnoſcit, ſolumque ubi materia turget mitiora admittit, quanto minus diagrydiata, & mercurialia, quæ nunc in inflammatoriis affectibus exhibere non verentur præmaturæ purgationi patroni? Sed hi diſcent ſuo, & ægrorum periculo, ſæpe inutiles eſſe, fruſtraneas, lethales imo in inflammatoriis affectibus purgationes, niſi fluxilia facta ſint corpora, ideſt niſi ſufficienter emollitæ fuerint partium fibræ, a criſpaturis, ſpaſmis, & corrugationibus liberæ; tunc enim non vi via fit, ſed purgantium ſtimulis cedendo ſolida laxantur, ſubſequente facili, & cocti humoris vacuatione. Coctio enim illa (quod obiter obſervandum) quam tam frequenter in morbis deſperant, ſuccederet ſæpe, ſi ſedandis potius quam importune vellicandis ſolidis ſtuderent; unde non raro methodi magis, quam morbi malignitati imputanda erit coctionum tarditas. Rationes aperit Baglivianum ſyſtema, quo patet a ſolidorum mollitudine, & flexibilitate coctiones accelerari. Innuit adhuc Baglivianum ſyſtema, purgantium, enematum, ſimiliumque ſtimulantium naturas, & operandi modos. Inteſtina enim ut membranis, & nervis tota contexta ſunt, ſic nuſquam plures oſcillationes concipere eſt; illuc enim ſpirituum affluxus major. Cum igitur ruptum fuerit, aut perverſum (quod in morbis contingit) fluidorum cum ſolidis æquilibrium, ad medelam efficacius certe nihil, quam ſtimulos illic admovere quo oſcillationum concurſus fit major. Sic enim mille modis ac locis vellicatum nervoſum genus, plenius concutietur. Hac arte ad naturales ſedes, priſtinoſque tramites inferas nempe verſus partes reinvitatis ſpiritibus, uberrime, aut utiliter ſaltem prorumpet alvus (niſi omnino deviaverint ſuperas verſus partes oſcillationes, aut curta nimis providentia ad regrediendum faciles eas facere omiſerit Medicus) eademque opera, quæ aut vi morbi ſpaſmoſque tonico otiabantur, aut quæ corrugabantur partes, laxantur, ſolida intermiſſas repetunt oſcillationes, tandem nativis ſedibus, ſolitoque circuitui redditis liquoribus, æquilibrium cum ſanitate redibit. Porro quod felicius reſpondeat in inteſtinis, quam alibi facta ſtimulatio, efficit numeroſa illa glandularum multitudo, quæ tot excretiora ſunt organa, quæ dextere laceſſita, refluos undique, vellicationeque revocatos plorant liquores, & evacuant, qua vacuatione erumpentibus humoribus veluti aperto emiſſario præcaventur purgantium pericula. Si enim partibus, quæ minus perviæ ſunt, utpote aperto emiſſario deſtitutæ applicita fuerint ſtimulantia (quod *veſicatoriis*, *ſinapiſmis*, *rubificantibus*, contingere ſolet) eryſipelatum, inflammationum, eroſionum, ulcerum

ulcerum varia genera accerſunt ; liquores enim ad partes quas trajicere non poſſunt evocati in iis ſtagnant, hærent, coercentur, moraque ſua eaſdem labefactant. Inde patet, cur dexteram adeo poſtulet manum purgantium uſus, niſi enim (quod medici munus eſt) tot illa inteſtinorum excretoria vaſcula ad excretionem parata fuerint, & emollita, confluentibus, ac derivatis undique ſuccis obices ponunt, & repagula, ſicque moti non promoti humores, tympanitidem, inflammationem, ſphacelum committunt. Unde intelligitur, quæ alvo laburratæ, & humorum craſſitiei imputabatur purgationis difficultatem, melius ſolidis ſpaſmodice affectis tribuendam venire, Baglivianique ſyſtematis beneficio fiet, ut catharticorum iterandorum loco, quæ ſuaſerat de ſordibus alvinis opinio vetus, diluentia, fotus, lenientia *ſedativaque* ſubſtituantur, quibus ad Catharſim facilem aut liberalem ſternatur iter. Ejuſdem ſyſtematis opera, quæ bene multa mentibus inſederant præjudicia exuentes in poſterum Medici, a rudibus, & plebeiis viſcorum, & mucaginum primis hærentium viis notionibus reconvaleſcent, ut ad mechaniſmi leges, proportionem, induſtriam, ſuam (quam ſublimen homini dedit Deus) mentem accommodent. Verbo, ſolidorum cum fluidis æquilibrio reſtituendo magis ſtudebunt, quam ſordibus exhauriendis, quæ ſæpe aut nullæ ſunt, aut a ſolidorum criſpaturis intermiſſoque ſanguinis circuitu natæ.

Eſt interim, quod concedendum, ubi ab alvina regione incipit ægritudo, quod experientiſſimi Baglivi obſervatio quoque eſt, ſed parum inde juvabitur vulgi præjudicium ſi res, ut decet, exponatur. Tunc enim in cauſa eſt non ſordium congeries ſed chyli, aut male, aut præcipitantius ſubacti peſſimum gas, aut infenſa fracedo, qua imbutæ abdominis partes corrugantur, ac convelluntur. Inde poſitis ſpirituum undulationi obicibus reſiliunt oſcillationes, quæ retrogradæ factæ ſcotomias, vertigines, non inſolita morborum proludia, vaporeſque, ut ajunt ad cerebrum, oſcillationum nempe originem ferunt. Verum his ad inteſtina revocandis eccoptrica, enemata, potus ubertas ſatis erunt; arte non abſimili, qua præmeditati cauſarii a morbis ſe tueri norunt, leniora nempe purgantia identidem ſumendo, quibus morbi fomites ſuſſurari ſe credunt, ſed revera quibus oſcillationum inverſioni proſpicitur. Laudanda enim hæc induſtria eſt, qua ſolida molliter identidem vellicata, nativos ſpirituum a cerebro ad inteſtina excurſus tuentur; ſolidorumque undulationes ad inferas partes ſollicitando ſuam ſecretionibus facilitatem ſervant, & ſanitatem. Purgationis ergo laus maxima venit, non tam ex immenſa, quam exoptant adeo vacuatione, quæ oculos ludit, & mentes, quam ex mutato ſuccorum, & oſcillationum, quæ altroverſum ferebantur impetu. Hincque patet purgantium fraus. Ex purgationibus enim invenias, quæ educunt nihil, & exaſperant, alias quæ multum nec ſublevant, tertias quæ mediocriter, & ſanant; omnium rationes revelat Baglivianum ſyſtema. In primis abalienati nimium, & intractabiles humores admoto purgantis ſtimulo efferantur magis, tenſæque adhuc nimium fibræ non cedunt, imo criſpantur fortius, & reſiſtunt; in ſecundis colliquantur ſucci, & extorquentur, recalcitrantibus fibris, ſtrictiuſque corrugatis, in ultimis fluxiles facti liquores, & flexibiles fibræ victas dant manus, & obtemperant. Sola hæc optima ab iis qui artifices ſunt, exoptatur purgatio, vacuat enim (quod cœpti vix dimidium eſt) ſimulque aliorſum abreptos liquorum, & oſcillationum impetus frangendo vincit, quod curationis votum eſt, & ſumma. Itaque curationis nomine concipienda venit contactuum * & impetuum facta opportune mutatio, derivatio liquorum e ſedibus affectis, *determinationum*, ut ajunt, converſio facta, mutataque inclinatio: ut liquidorum, & ſolidorum fiat æqualitas, harmonia, concentus, æquilibrii tandem proportio.

* Vide Bellin. de ſang. miſ. paſſim.

Sed eſt adhuc ubi in abdomine latent graviores morborum cauſæ. In confeſſo eſt, tardeſcente in quodam viſcere ſanguinis circuitu, aut inibi peſſumdato liquorum æquilibrio, inflammationes naſci, quæ ſui generis febres, aut morbos accerſunt. Iterum palam eſt etiam ex Chronicis morbos dari, qui a ſingulari partis alicujus vitio ortum trahunt, quod de epilepſia notum eſt, quod aura quadam a remotiſſimis partibus ad caput reflexa ſe prodit. Quidni ergo ſui generis febres non naſcerentur lymphaticorum vitiato æquilibrio in meſentericis ſedibus, ubi præcipuum eſt earum promptuarium? Febrium ejuſmodi diſcernendarum Baglivi ars eſt, ac præcipua cura, utpote quibus ſi nonnullis (rite prius harum facto diſcrimine) congruet purgatio. Lymphaticorum enim liquores cum ad ſtagnationem, & concretionem magis quam inflammationem proclives ſint, purgantium ſtimulis urgeri ſe tolerantius forent & utiljus. Hoc titulo laudem non mediocrem merebitur Baglivianum ſyſtema, quod purgantium ætiologiam, locum, uſum, pericula, quaſi digito, moſtrans, purgationem ignaris, præcipitibus, elatis animo, temerariis, non ſecus ac furioſis enſem interdicet; maxime cum illius operandi

modum

modum non tam ad ſaburræ opinionem, quam ad mechanices, & obſervationis normam doceat accommodandam. Sed finem facere cogit ubertas materiæ, & facilitas, quæ inde enim deducuntur utilitates tam ultroneæ ſunt, ut ſponte fluant, hæcque in palæſtra excitatorum ſe inſerant menti.

Circum interea fremunt ſyſtematum conditores, ii in primis quorum animos invaſit fermentorum furor. Suis hi metuentes idolis (quæ nuperi ſæculi deliciæ erant) verentur ne mechanices, geometricique ſyſtematis veritate, rationum momentis, ac dignitate capta medicina fermentorum ſimulacris carere diſcat, talium amores dediſcat, & cultum. Sed meminerint tunc ubi renovanda fuit, ac reparanda medicina non male pro temporum conditione, in ſubſidium vocatos fuiſſe chymicorum ignes, qui veteres medicinæ ſcorias purgarent. Ratione non abſimili fermentis locus concedendus fuit, quorum beneficio veteris philoſophiæ recrementis ſordeſcens adhuc medicina, deſpumaret. Nunc autem melioribus inventis, omnia hæc exuenda ſunt * fermentorum veteramenta; azyma enim medicina, levior progreditur nec infelicior, curta ſed munda, & neceſſaria contenta ſupellectili. Quod cum ii viderint adlatrare, deſinent, parcentque invidiæ, cum illam ſumtu parciori, & apparatu incedentem, eadem aut majora exequi intellexerint. Jam, ſi unum demas * ventriculum, cui fermenti jus volunt reſervari, ceterorum viſcerum fermentis repudium dici concedunt, plenioris certe reſipiſcentiæ teſſeram, & arrabonem! Revera nuſquam felicior erit medendi ars, quam cum fuerit ſimilior factæ naturæ, ſimplicitatis amans, turbarumque, & luxuriæ averſatrix.

* Vide Bellin. opuſc. de ferment. p. 298. vide Pitcar. diſſert. de circul. ſang. paſſim.

Sed cavillando regerunt: en Baglivus inter ſyſtematum conditores, ille ipſe, qui ſyſtematum erat infenſiſſimus hoſtis. Hi autem riſum teneant, & in verbo deſinant ludere. Opinionum commenta repudiat clariſſimus auctor, obſervationum e ſinu naturæ depromtarum ſeriem amplexurus, unde ſanitatis eruat, & morborum cauſas. In unum collectam ejuſmodi obſervationum ſeriem modeſto ſpeciminis nomine inſcriptam offert, quam hic ſyſtematis nomine (brevitatis, ac commodi cauſa) indigitamus; id nominis ſi reſpuerint cavillatores, perinde erit modo Baglivianum opus, ut apographum naturæ ad illius mores, non phantaſiæ exemplar expreſſum eſſe expictumve fateantur.

* Vide Conrad. Barchuſen actroam. p. 148.

Opponunt alii inauditum eſſe novumque, ſuſpicioſum proinde, hoc de fibra motrice ſyſtema. Sed multum illi antiquitatis erit, ſi multum veritatis. Hi autem animo luſtrent, an quæ huc uſque in medicina detexerunt anatomici, geometræ, phyſici, in illam fibræ motricis ſyſtalticam vim quadrent, quod attendenti, & examinanti facile patebit. Omnium enim, quæ in medicina floruere ſyſtematum vocabula minus quam ſenſum perpende, ſub horum quaſi ænigmate Bagliviani ſyſtematis, fin verba, rem ſaltem, & ideas velari animadvertes. Conveniunt omnes in colluctatione quadam poni vitæ cauſas. Alii in primarum quas vocant qualitatum certamine, alii in acidorum fermentatione, & alcalium, poſtremi in ſpirituum lucta: ſed quem niſum in unis liquidis, ſanguine aut ſpiritibus, quærebant omnes, in liquidis ſimul, & ſolidis inveniri oſtendit Baglivus. Nihil ergo in medicina dabitur, cujus plura apud auctores reperias veſtigia, & argumenta, quam ſyſtematis de fibra motrice. Aliunde vim fibrarum ſyſtalticam, aut expreſſis verbis obſervarunt, aut ſubolfecerunt fere omnes anatomiæ heroes, hos inter DD. Steno, Villiſius, Suvamerdam, Louverus, Borellus, viri omnes litteris & orbi venerandi; tamdem hanc tanti facere videtur D. Pitcarnius apud Scotos, & omnes hodie celeberrimus, ut trituram, quæ fibrarum opus eſt, omnem pagina in corporis œconomia implere evincat, ad coctiones, & ſecretiones abſolvendas, explicandaſve. Sed pro Bagliviano ſyſtemate nihil fortius militat, quam accuratum, & exquiſitum oculatiſſimi viri D. Pacchioni opus de dura meninge, cujus opinio Baglivianæ germana, omnium ſi qui ſuperſint ſcrupulos delet, & omnem eximit dubitandi anſam. Quæ ergo hactenus prodidit accuratior anatome, ea aut præluſiſſe videntur Bagliviano ſyſtemati, aut illud confirmare. Pronunciandum ergo reſtat de iis cavillatoribus nodum eos in ſcripto quærere, niſi meliora prodant, aut veriſimilia magis.

Sed hic facta mentione operis D. Pacchioni, ad rem facere credidimus huc referre celeberrimi Baglivi epiſtolam, quæ dum hæc hujus opera ſub prælo ſudant, incidit in manus D. Aniſſonii. Grunniebant quidam neſcio quid natum eſſe diſſidii Pacchionum inter, & Baglivum, quaſi Baglivus non pauca quæ Pacchiono propria erant ſibi vindicaſſet. Horum, & ſimilium mendacia ſic diſſolvit Auctor clariſſimus.

GEOR-

GEORGIUS BAGLIVUS Amico.

LITTERIS tuis hodie mihi traditis breviter, & candide ſcriptis, hodie breviter, & candide riſpondeo. Mones primum nonnullos eſſe apud vos, qui aſſerant factis infinitis circa meningem duram experimentis, obſervationes de ſtructura ejuſdem, ejuſque adhæſione cranio, preſſioneque in cerebri molem minus fidas, & accuratas deprehendiſſe, ac proinde cenſores ſupercilio quamprimum eas labefactaturos. Ad qua quod attinet, Dom. Pacchionus amicus noſter in opuſculo peculiari tibi ſatis noto, ſatis abunde ejus rei veritatem demonſtravit, probavitque, ut non facile mihi videatur redarguere ipſum falſitatis, maxime ſi experimenta ad rectam methodum, & accurate tractaverint adverſarii: quod, ſi hi contrarium quid habeant circa id, idem auctor eiſdem reſpondebit. Siquid vero contra meum de fibra motrice, & morboſa, ſive de ſolidis ſyſtema, & inde ad praxim deductis theſibus, corollariis, & poſtulatis, ipſe reſpondeam. Mones ſecundo Roma ſcriptum eſſe, me in libris meis de fibra motrice, &c. plura de meningis ſtructura a Dom. Pacchioni opuſculo de ſtructura meningis excepſiſſe, ac pro meis venditaſſe. Cujus rei cum nullum unquam audiverim publicum, & manifeſtum rumorem per urbem, nec unquam mecum de hoc conqueſtus ſit Dom. Pacchionus, quem frequenter in ædibus meis, aut in Archilycæo, aut per urbem video; neſcio quis tam perdite maledicus ſit, ut haſce impudentiſſimas falſitates auſus ſit diſſeminare, meamque famam tam inſolenter laceſſere. Quod ſi quis eſt adhuc, qui non ceſſet talia imprudenter effutire, foras prodeat; & an aliquod novum de ſtructura meningis inventum ipſi ſubripuerim, ac pro meo venditaverim, aperte patefaciat; tuncque me dicat uſurpatorem; contra ſi veritatem non fateatur, me vindicem injuriarum habebit acerrimum.

A primis annis quibus medicinæ operam dedi, quibuſque ſedulo ſemper evolvi ſcripta Harvei, Bellini, Berelli, Louver, Cole &c. plura meditari cœpi de ſolidis corporis animati, ſive de fibra motrice, & morboſa, & cum amicis per Italiam communicare; eaque de re me aliquando tractaturum promiſi in fine diſſertationum operis de praxi medica novem abhinc annis Romæ primum evulgata. Hoc temporis intervallo, & publice in ſcholis, & in theatro anatomico Romanæ ſapientiæ nihil mihi frequentius erat in ore, quam tractatio de ſolidis, & nomen atque obſervatio fibræ motricis, ut teſtis eſt in Roma, & noſtrum Archilycæum: unde cum plura de hiſce placerent hic, ac doctis per Italiam viris; & rogatus ab amiciſſimo Dom. Paſcoli in breve ſpecimen redigi, & Peruſiam ad ipſum miſi, ubi cum libris ſuis de re anatomica typis illud vulgavit. Hoc ſpecimen cum Bibliopola Romanus recudere ſtatim vellet a me petiit, ut novis obſervationibus, ac meditationibus augerem quo poſſet juſta mole libelli foras prodire. Per id temporis cum D. Pacchionus per epiſtolam monuiſſet amicum Venetias ſe brevi tractaturum de ſtructura dura meningis, & uſu, adhibitis experimentis circa eamdem meningem factis a Dom. Joppio Medico eruditiſſimo in oppido Arſularum trigeſimo circiter ab urbe lapide & de hoc certiorem me redderet, laudavi conſilium, & rogavi ut urgeret incepta, ac ad finem perduceret. Cumque eidem ſatis notum eſſet a multis ante annis, me plura meditari de ſolidis, ac de fibra, fibramque ipſe jam diviſerim in carneam, & membraneam, & inde duplex ſyſtema ſtatuerim in corpore animato, ſæpe apud nos domeſticis ſermonibus amice ſtatutum fuit, ut ipſe incumbat cum Dom. Joppio ſtructuræ, & obſervationibus meningis, & variis ejuſdem effectibus: me interim incumbente mea methodo ſyſtemati ſolidorum, fibraque motrici, ac morboſa. Cœpitque igitur Bibliopola noſter editionem librorum de fibra motrice menſe Octobris 1701. perfecitque menſe Aprilis 1702. cum interea D. Pacchionus Menſe Martii 1702. circiter ſuum edidit opuſculum de dura matris ſtructura

Hæc eſt veritas facti. Nunc ad rem. Dicis Roma ad vos ſcriptum eſſe me ſubripuiſſe inventa Dom. Pacchioni circa ſtructuram meningis. Hæc falſiſſima eſſe, tu ipſe certior fies, ſi compares librum meum cum ejuſdem libello. Videbis enim de ſtructura me, vel minimum loqui, & qua de illa breviter dixi lib. 1. fib. motr. cap. 5. *citaſſe auctorem de eo quod mihi oretenus dixerat, cum opuſculum ſuum nondum typis datum eſſet, ſed ferme eodem tempore cum meis libris exivit in lucem: eique, aut Dom. Joppio gloriam accuratioris indaginis, & ſtructuræ, nec ſuſtuliſſe, nec invidiſſe. Unde concipere nequeam quis detractor talia apud vos auſus ſit diſſeminare: multo magis quod plura eius opuſcula in Germaniam, Gallias, & Angliam ad amicos miſerim, ut veritas facti pateſiat: imo in præfatione mea, &* cap. 5. lib. 1. fib. motr. *hæc de re nominaverim. Quod ad reliqua ratiocinia in libris meis expreſſa, quæque ad ſtructuram meningis non ſpectant attinet, communia ea ſunt, & cuilibet nota anatomico: imo ſatis obvia in accurato, & admirabili tractatu Dom. Villiſii de nervis meningis, & de cerebro: In tractatu Dom. Mayovu de ſpiritibus, in quo duram matrem ob perennem ſuum motum, motuſque va-*

rias

rias leges ; plurium motuum, sive sanorum ; sive morbosorum originem, & causam agnovit, ac determinavit, ac diaphragma (sive potius dixeris cor) cerebri appellavit. Ipseque Vvillisius duræ matris lacertos, telas, & usus obiter descripsit.

Quæ vero pertinent ad motum, æquilibrationem, cursusque variorum liquidorum in Bellini, Borelli, aliorumque opusculis satis sunt obvia: unde neque hac ratione ab aliis potui aliqua insolenter subripere.

Sed quod rei caput est, quæ spectant ad fibræ sanæ, aut morbosæ anatomiam, vim, tonum, elaterem, variosque ejus effectus in motu solidorum, divisionum ejus, divisionique originem, structuram minimam, ejusdemque actionem in fluida, fluidorumque in ipsam, horumque omnium ad diagnosim, curationemque morborum accommodatiorem, Medicosque a garrulitate perenni liquidorum, acidi, & alcali, similiumque nugarum ad solidam curandorum morborum veritatem (quod quidem mihi præ ceteris semper in mente fuit) invitandi, ac perducendi rationem, omnia sunt mea, nec puto quemdam etiamsi foret perstrictæ frontis pro suis orbi litterario venditurum. Nam multi sunt anni, quibus amicos ore, ac litteris de hisce rebus monui: & in Anglia, Germania, Italia plena sunt epistolæ hujus veritatis amicis communicatæ. Quatuor abhinc annis cum eruditissimo Sylvestrio Gallo in Anglia nunc commorante, frequentissime de solidis, meoque systemate fibræ motricis, ac morbosæ locutus sum. Cum doctissimo Osterchampio Medico Germano viro ingenuo, Viennæ nunc degente, per quatuor annos Romæ plura quotidie feci experimenta circa fibras animalium, & solida, & circa membranarum difficilem, arduam atque occultam compagem, & usum. Dom. Pallidius noster amicus suavissimus Romæ mihi operam tulit in secandis animalibus, fibrisque investigandis, & inde deducendis conclusionibus ad diagnosim, prognosim, curationemque morborum: Quod si subtilitates anatomicæ ad curationem morborum (quod me in meis libris præstitisse fateor & fateri debet qui eos leget) non applicentur, tanquam inutiles, & vana regerendæ ac flocci faciendæ: quod quidem in quotidianis ægrorum consultationibus cum Medicis Collegis, & in theatro anatomico, in cathedra, & passim apud ægros per urbem mihi semper est in ore. Figmentum est anatome, nisi reducatur ad usum, curationemque morborum, & utilitatem publicam.

Fibrarum systema, & publice in scholis, & privatim cum amicis semper divisi in carneas, & membraneas, carnearumque originem, & motus instinctum diversum esse ac origine membranearum probavi. Membranæ enim sunt productiones meninguum, tum nervorum, tum cerebri, ut cuilibet notum est, & ex membranis viscera, & vasa, & glandulæ sunt fabrefactæ. Quare fibræ membranæ a cerebro, & meningibus, jure originis, tum etiam similitudine substantiæ, & usu, & instinctu motus pendere debent. Unde sive scripserint alii, sive non de meningibus, ad eas mihi finiendum erat: duræque matris motum nos tribuimus elateri eidem impresso in principio generationis, uti singulis aliis partibus. Perennitatem vero sui motus deducimus a reflexione motuum partium membranosarum a partibus singulis in eam: ea mechanice, qua singulæ partes tam fluidæ, quam solidæ concurrunt, ut cor præter suam peculiarem compagem possit perpetuare motus suos ingentes, & superare ingentem illam, & incredibilem resistentiam omnium fluidorum, & solidorum, prout lib. 1. cap. 8. & 6. notavimus, & quæcumque mihi venerunt in cognitionem virium, toni, elateris, resistentiæ, usque fibrarum, atque solidorum, patienti, ac diuturna morborum observatione, & effectuum medicamentorum notatione ea magis didici, quam subtilioribus vulgarium anatomicorum sectionibus. Quæ cum vera sint, & cuilibet ingenuo satis nota, quid mihi cum aliorum excerptis sit non video, nec concipere possum: & ut veritas singulis pateat, epistolam hanc amicorum ocelle, cures, ut Dom. Anissonius noster publicam faciat, operibusque nostris proxime edendis Lugduni adjungat, ut impudentia coerceatur; in rebus enim talis momenti tacendum non est, & quamvis olim tacuit doctissimus Sylvius le Boe, cum insane lacesseretur ab homine Gallo Dn. le Vasseur, taciturnitate enim hominem insolentissimum coercuit vir sua conscientia gnarus, & a doctis æternum laudatus: tamen post Sylvii mortem clarissimus Florentius Schuyl, Prof. Lugd. Bat. nervose, ac solide Dn. le Vasseur arrogantiam publico libello confregit. O quantum felicior fuisset magnus noster Gallilæus; si singulis suis blateronibus respondendo aureum tempus non perdidisset! Immortalis Harveus nunquam cinistonibus respondit. Sanctorinus magni nominis vir semel staticomasticem suum castigavit: sed ut verbo dicam, licet novitas invidiam pariat, veritas tamen, & tempus homines castigant impudentissimos & illos maxime, qui probos viros ac nemini infestos maledictos proscindere non desinunt.

At hisce missis propediem videbit respublica medica quanta opus mihi fuit patientia, & labore in scrutanda solidorum natura, in libro laboriosissimo, sed valde utili ad praxim, de

inter-

internis, atque occultis viscerum varicibus, hydatidibus, & aneurismatibus, quibus quidem laboribus, & meditationibus, licet valde exhilarem, & recreem naturam meam: alacriorem me tamen sentio, cum de morte, de futura vita statu, atque de æternitate quicquam meditor, lectione sacrorum bibliorum, sanctorum Patrum, Ciceronis mei, meique Stuechi in libro de perenni philosophia, *nam mundus est* vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Et alibi dictum est in sacris libris.* Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. *Vale, amor meus. Romæ Kalendis Aprilis* 1704

Hæc si valeat (addunt alii) de solidis opinio, futurum erit ut nullius aut minimi momenti sint fluida ad functionum, morborumque causas explicandas. Sed hi attendant talis querimoniæ rationem manare a præconcepta antiquitus de fluidis opinione. Dudum in iis extollendis nimii fuere medentes, quasi a liquoribus unice derivarentur mortis ac vitæ fontes, de solidis vix facta mentione. Hanc opinionem forte adjuvit chymicorum ars in medicinam invecta. Chymici cum ex sola liquorum, succorum, & spirituum indole, & mixtura prodire animadverterent quotquot patrabant miracula, nihil non potentiæ fluidis imputarunt, alto de solidis habito silentio; maxime cum ea, usurpabant instrumenta energia omni destituta, nihil iis quos continebant liquoribus affigerent virtutis, Talium annlogia, sodalitio, sermonibus, & exemplo inducti incogitantes medici in eam venere consuetudinem, omissa inobservataque partium continentium seu solidorum virtute, de humoribus, bile pituita, sero unice cogitandi. Eo deinceps collimarunt omnium consilia, indicationes, remedia. Alterantium virtutes totæ emendandis fluidorum acidis, alcalibus, &c. dicatæ sunt; vacuantium vis eliminandæ uni humorum saburre. Hinc cujuslibet nominis, aut speciei nasceretur morbus, in causam vocata fuit humorum dyscrasia, aut eorumdem colluvies primis intercepta viis, purgantibus unis exhaurienda. Quod si morbus remediis, & medentium diligentiæ obsurdescens diutius protrahebatur, refundebant causam in humorem tenaciorem, tartareum viscosiorem, partium rugis, & plicis impactum, aut lubricum adeo ut purgantium falleret vim, & eluderet. Hæc opinio, ut ut plebeja naturæ dignitati impar, corporis mechanismo tam male concinens, solidisque digna fabulosis temporibus, recentium tamen animos, melius licet educatos, nescio qua mala consuetudine, invaserat, medentium enim, ut hominum pars maxima, non it, sed fertur, rapitur non ducitur. Hincque nata mochlycorum, diagrydiatorum, mercurialium, colliquantium, seu, ut loquuntur, *fundentium* tam densa cohors, & familiaris usus, adeo ut in iisdem hominibus subtiles simul sæpe videas philosophos, crassos autem, & pingues medicos. Sic se habente rerum medicarum statu, intervenit tamquam felix sydus, & novum Baglivus noster, qui inter desiderata medicinæ, jacentem advertens solidorum potentiam, modesto speciminis nomine medicos admonet, non omnem esse solidorum vim in creandis morbis, sed horum partem maximam solidorum vitio foveri. Suam ergo vim fluidis non denegat, sed prætermissam alteram, quæ solidorum est restituit. Revera, licet non paucos reperias morbos, qui a fluidorum labe primum oriuntur, vix unum (etiam ex ipsis) reperias, quem non foveant, protrahant, aut exasperent solidorum crispaturæ, spasmi, atoniæ, corrugationes. Verbo, a fluidis ortum forte trahunt morbi, a solidis diuturnitatem contrahunt; quid enim aliud clamant viscerum, & partium obstructiones, durities, schirri, in quos abire solent tot ægritudines, nisi vitiatam fibrarum seu solidorum texturam? Causaberis succorum lentorem, & coagula? hæc quoque admittenda, sed in stagnationem, & moram, quam a solidorum tono vitiato seu crispatura contrahunt refundenda, adeo ut non inepte statuerit plures affectus chronicos, & rebelles, quibus juxta vulgarem hæresim fortiora, & frequentia purgantia unice opponunt, viscosorum, ut ajunt liquandorum causa, non inepte inquam statueris has omnes non infelicius topicis, fotu, balneo, & similibus præsidiis solidorum, vitio debitis, curari, quod pluribus exemplis passim ostendit experientissimus auctor. Confirmat Opiatorum, & Narcoticorum usus, qui frequentior nunquam, & tutior quam in morbis chronicis: argumento sunt hystericæ, phthisici, melancholici, arthritici scributici, diuturni itidem dolores quibus omnibus præsenti auxilio esse solent opiata. Sed inde alterum quoque elicies hoc argumentum, sub morbis chronicis non unice atoniam arguenda, esse, utpote cum in iis sanandis anodyna, quæ laxantium præcipua sunt, primarium teneant locum. Sed Bagliviani systematis utilitatem, & præstantiam sentient non solum qui mente, & consilio, quod medicorum munus, est sed ii quoque, qui manu curant, Chirurgos intellige, qui hinc concipient cur felicius succedere soleat vulnerum deligatio simplicior, officiat

contra turundarum denſior arctaque nimium coacervatio, quæ vulneribus tam ſæpe incommodat: peregrina ſunt enim, gravantia, aut compacta nimis, quæ arcanas partium oſcillationes pervertendo ſiſtendove, ſuccum arcent nutritium, ſuppurationique legitimæ impedimento ſunt, inflammationes hac de cauſa, & ſphacelum accelerando. Ratione non abſimili diſcent cur pinguia, balſama, & traumatica ulcera quædam venenant, quæ inde eryſipelatoſa, depaſcentia, eſthiomena fiunt; hanc nempe ob cauſam, quod fluidorum uni acido, & roſioni ſolum attendentes fibrarum ſeu Solidorum ſpaſmodicum ſtatum prætermittant, cui anodyna, demulcentia ex Solani, ſimiliumque herbarum aquis, aut ſuccis petita melius congruerent; hæc enim partium fibras tenſas nimium, liquorumque circuitui proinde obſiſtentes, ſenſim laxando, ad laudabilem cicatricem ulcera perducerent.

Ceterum Baglivo ſuccenſeat nemo, quod ſtibiatorum, & chinæ chinæ laudes non adeo extollere videatur: ut ſuos quiſque patitur manes, ſic ſuum cuique regioni concedendum ingenium, ſuus cuique morbo caracter, propria indoles, & curandi ratio varianda ſæpe pro perſonarum, climatum, &c. varietate. Itaque, ut noſtris obſervationibus fidem non renuit Baglivus, cum id genus præſidia hegemonica eſſe noſtris ſcribimus; noſtram, & omnium fidem meretur, cum hæc eadem Romanis utilia minus eſſe tradit.

Locus jam eſſet, & tempus, de auctoris noſtri diſſertationibus ſermonem habendi; ſed cum in volumen excreſceret hæc præfatio, ſi omnia quotquot in illis utiliſſima inſeruit, lectori exponere aggrederemur, monuiſſe ſufficiat eas eſſe has omnes, quæ artem medicam non mediocriter augeant, & exornent. Octo ſunt numero, quarum 1. quæ de ſolidorum morbis eſt, ad pathologiam, & praxim maxime ſpectat.

Hinc enim plura invenies, quæ miras fibrarum vires oſtendunt, qua de cauſa ad eas a medentibus ſerio attendendum eſſe ſequitur. Ibidem legere eſt novum de motu muſculorum ſyſtema, totum ad mechanices normam concinnatum, ea, quæ de fibrarum viribus, & elatere ab auctore dicta ſunt, aſtruens & confirmans. Quæ ſequuntur tres aliæ diſſertationes, totæ de fluidorum, quæ in corpore noſtro præcipua ſunt, natura agit.

Hæc autem ſunt ſanguis, ſaliva, bilis quorum energias, analyſes, indolem expiſcatur multigenis obſervationibus, & experimentis, quibus abunde liquet, eum non eſſe Baglivum, qui fluidorum potentias negligat, & ab arte jubeat exulare.

Quæ ſequitur 5. inedita erat, novique prorſus eſt argumenti, agit enim de morborum & naturæ analogiſmo. Hic autem quaſi germen habes, & nucleum naſcituri fructus, ſeu inchoati operis quaſi graphidem, quod in Baglivi manibus imperfectum opus, & exquiſitum creſcet feliciter, & adoleſcet. Hic innuit experientiſſimus auctor, quid eſſe commune in morbis, quo fit, ut ex unius felici curatione, alterius congeneris curationem non male concludas. Sed hic analogiſmus, inquies, obſoletam renovat priſcorum methodicorum communitatem, tam animoſe a Galeno propugnatam, ut omnes, qui poſt nati ſunt poſteri, methodicos deſpicatui habuerint? verum an merito id factitarint omnes, dubitant non infimi ſubſellii auctores, quos inter Contingius, * Proſper Alpinus tractatu proprio, ac noviſſime D. de Moor *: revera non adeo contemptibiles eos eſſe oſtendit eorum hiſtoria, quam erudite, & ſapientiſſime deſcribit in ſua medicinali hiſtoria, quam o utinam abſolveret de arte medendi optime meritus * D. le Clerc. tum & opus Cælii Aurelianii, temporis ac forte medicorum invidiæ ereptum, ſolumque fere ex methodicis ſuperſtes, accuratum adeo in deſcribendis morbis, ut ſæpe naturam ipſam expreſſam diceres. Ut ut ſit, hic fœde impegiſſe Baglivum (Dogmaticorum caſtra deſerendo) ne credas, vanarum enim, & generalium nimis Methodicorum communitatum ne verbo quidem memoriam refricans, cujuſque morbi caractere ſervari jubet, quoſdamque obſervari generales fines, eventus, tramites, agendi modos quibus adjutus medicus quique morbo tutius & melius ſuccurrit. Hanc autem Baglivi de morborum analogiſmo conjecturam firmare videtur non paucorum obſervatio, qui expſoratam ſæpius habere ſe putant communem quamdam morborum cauſam, aut ſaltem commune aliquid omnibus morborum cauſis, quod medentis animum regere debet ac moderari, quia in opinione morborum diſcrimina a variis communis illius cauſæ afficiendi modis repetenda erunt, a labefactato nempe partium tono, ſuccorum impeditorum mora, ſubſequente hic acore, evictione, &c. Interdum a dietæ, regionumque differentiis, non raro a tumultuaria medendi methodo, aut inconcinna, & præmatura remediorum adminiſtratione, verbo a ſymptomatis magis, quam a vulgaribus cauſis, quæ ſæpius in effectibus diverſæ, in radicibus eædem ſunt.

* In ſua introductione.
* Bartholom. de Moor cogit. de inſtauratione med. l. III.
* Daniel le Clerc. hiſtoir. de la medecine p. 2. lib. 4. ſect. 1.

Saltem

Saltem notæ ſunt morborum tranſmutationes, * *metamorphoſes*, ſucceſſiones, *metaſtaſes*, *epigeneſes*, adeo ut videas effectus, qui cum omnino diſſimiles habeantur ratione cauſarum, & indicationum, & ſymptomatum, in ſe invicem tranſmutantur. Sic inflammatorii affectus in Paralyſin, phrenitis in ſoporem, colici dolores ſpaſmodici, epileptici, & hyſterici affectus in ſtupores, tuſſis in arthritidem, hæc in ſoporoſos modo, modo ſpaſmodicos effectus, febres in hydropem, hic in aſcitem tranſit. Idem probant chirurgicæ obſervationes; phlegmonem in chirrum, hic in carcinoma abit, ſchrophulæ phlegmonem, & abſceſſum, hic ædema accerſit. Sed in primis comperta eſt febrium protheiformis * natura: ephemera in hecticam, phthiſis in intermittentes, intermittentes etiam quartanæ in continuas, quæ inſignis cujuſdam ſymptomatis ratione varia induunt nomina, inde enim febris, ἑλώδης, τυφώδης, πεμφιγγώδης, λυγγώδης, φριώδης, &c.

* Vide Tilingium de recidivis, & Rodericum Caſtrenſ. opuſculo ubique.

E converſo continuæ intermittentes redeunt. Sic autumnales * febres, quæ primum de continuarum genere videntur, paucis poſt diebus (modo naturam non pervertat nimia medentis diligentia) in intermittentium caſtra tranſeunt. Sed, quod hanc aſtruit veritatem, vix quemquam aſſignaveris morbum, cujus ſpeciem, & formam non induat febris. Apoplexiæ, colici dolores, diarrhææ, ophtalmiæ ſæpe febrium, quæ graſſantur, tot larvæ * ſunt, & adulterationes, quæ ſic ſub ementita facie medenti fucum faciunt. Similiter obſervarunt artis magiſtri eos morbos, qui ſub quadam epidemica, * varioloſa v. g. conſtitutione contingunt, morbi illius depopulantis, qui conſtitutioni nomen fecit, naturam, & mores referre, adeo ut infeliciter ceſſura ſit comitum morborum curatio, niſi principem illum conſtitutionis morbum in comitibus debellandum * ſuſcipias. Sed non aliunde ducitur luculentius ejuſmodi cauſæ communis morborum argumentum, quam ex ea vi, & potentia, qua morbi naſcuntur diſſimiles ab iis cauſis, quibus attribui ſolent, adeo ut a calidiſſima cauſa frigidi fiant effectus, & viciſſim. Hinc vinum, ut ut calidum, frigidiſſimos parit morbos, volatilibuſque licet, & actuoſis particulis turgidum, chronicos inducit affectus. Hac de cauſa vinolenti arthritides, languores, humorum deliquia, cruditates, catharros, animi ſtupores, cachexias incurrunt. Contra aer frigidiſſimas calidiſſimas inducit ægritudines, pleuritides, anginas rheumatiſmos, hæmorrhagias, &c. ab hac iterum communis cauſæ energia repetendi ſunt diverſi prorſus effectus, qui tamen ab eadem cauſa dimanant. Sic acores modo, & coagula a lacticiniis naſcuntur, amarores, & inflammationes, Stomachi cruditatibus nunc ſuccedent lienteriæ, & choleræ, nunc ileus, & diſenteriæ. Nec raro a diverſis cauſis iidem naſcuntur effectus, a frigore enim, & calore hæmorrhagiæ fiunt, febres, diarrhœæ. Communis illius cauſæ qualiſcumque ſit, omnipotentia adhuc oſtendit, remediorum quorumdam vix concipiendus, felix tamen eventus, illorum nempe, quæ toto diverſa cœlo eoſdem morbos curant. Hinc febres quæ amaris ſanari amant, acidis * quoque curantur. Rheumatiſmo, anginæ, pleuritidi, quibus medetur ſanguinis miſſio, auxilio etiam eſſe perhibent volatilia, diaphoretica, ſudorifera. Denique communis morborum cauſæ præſentiam evincit nihil efficacius, quam diverſa, utilis tamen in iiſdem morbis remediorum operandi ratio. Cortex peruvianus interdum alvum, aut ſudorem movendo curat, ſæpius vacuando nihil. Ipecacuanha ut purgando dyſentericis auxiliatur, eoſdem quoque nihil vacuando curat. Martialia quæ in multis menſes & hæmorrhoides * revocant, comprimunt in aliis. Laudana, & opiata *, quæ in dyſentericis alvum cohibent, in colicis doloribus (ſi ſpaſmodici ſunt) promovent, eadem quæ in calculoſis urinam ſiſtunt, in nephriticis reſtituunt: dum in ceteris menſes, & lochia retinent, in hyſtericis compreſſa revocant. Horum omnium rationes invenias in ea, quam quærimus morborum cauſa communi, quam quidem non previderant medicinæ Patres, ſenſerant tamen. Hanc enim vel indefinitam emendare docet, atque delere morborum indolis, & hiſtoriæ, naturæque tramitum accurata cognitio: propria iis fereque connata, quos non opinio, ſed meditatio, non ſyſtema, ſed obſervatio ad praxim formavit. Illa ipſa eſt, quam innuit experientiſſimus Baglivus hac diſſertatione, qua admonet quemdam latere morbos inter, & naturam analogiſmum, quem ipſe adhuc imo pectore meditatur. Igitur illam exſpiſcari, ac definire communem cauſam hoc opus, hic labor eſt, interim pluſquam dimidium cœpti jam tenet auctor clariſſimus, tenebitque, qui ſcripta illius diurna verſabit, nocturnaque manu. Ex quo enim ille evincit corporis naturam totam in harmonia, concentu, & æquilibrio poſitam eſſe, ſequitur morbos aliud eſſe nihil, quam ab ordine, & æquilibrio receſſus; ſanitatem vero reditum ad ordinem, & æquilibrium. Sed nunquid non in his advertit communes morborum, & ſanitatis cauſas, quas rite aſſequi, mederi eſt? unde medici minus erunt acidorum alcaliumve domitores, quam æmulatores ordinis, & adminiſtri.

* Vide Morton. puretologiæ c. IX.
* Syden-liam. de acutis.
* Morton puretologiæ c. IX.
* Syden-ham. de acutis.
* Idem ibid.
* Vide Felic. Plater. practico. 2. cap. 1. Martin. Ruland. curat. 100. centur. 1.
* Vide Fromanum de hæmorrhoidibus problemate 31. p. 277.
* Vide Ettmullerum de vi opii diaphoretica, & Vvedelii opiologiam.

Nec cauſaberis hoc, vel illud ſanguinis vitium, quod delendum, emendandum,

vacuandumque erit; hoc enim ut prætermitti non debet, in tantum cedet feliciter; in quantum æquilibrium reſtituetur, quod in medentis animo, ut primum eſſe debet, ita curationis legitimæ ſigillum eſt, & argumentum. Si arduum videatur, aut ultra modum ingenii medentium, qui ſenſuales ſunt phyſici, reſtituendum illud æquilibrium, ad phyſices, & mechanices rationem illud ſic accommodare, diſces. Cogita datam eſſe ſolidis vim immenſam, quam, ne ulterius, quam par eſt progrederetur, æquilibrari voluit, & temperari Creator certo liquidorum libramine. Sanitatis ergo tutela in eo erit, ut ſolidorum elater, nec intenſior ſit, nec mollior, adeo ut ſolida vigeant, non rigeant, cedant ultro non flacceſcant. Tum ut fluida nec creſcant aut decreſcant nimium, & in craſi nativa perſeverent. Hæc ſi aliunde nutet, aut periclitetur ſymmetria, medentis officii erit, qua ex parte ruet fulcire eam, aut reparare. Artis ergo dexteritas erit in explorando fibræ motricis ſtatu, tono, facilitate; tum in aſſequenda liquidorum quantitate, motu, integritate. Obſervando inprimis a nihilo metuendum eſſe magis, quam a ſolidis, unde ut virtus maxima, ita periculum majus; in illorum proinde ſervando mulcendove tono occupandam eſſe medentis curam: maxime cum ſanguis, qui ſub ſanitate mitis, benignus, & ductilis erat, ſub morbis tumultu, impetu, acrimonia petulans factus, ſolidis quibus continetur primum inſultat, quorum fibras mille modis & locis ſtimulat, pungit, vellicat, qua de cauſa ab horroribus, rigoribus, vertigine auſpicantur non raro plures affectus. Sic intenſior factus ſolidorum elater fibrarum inducit criſpaturas, ſpaſmos, vaſorumque conſtrictiones, & coarctationes, quæ fluidis obices ponunt, hinc in capillaribus ſanguinis mora, lentor, ſtagnatio, obſtructio tandem, ſi primum labans tantum æquilibrium, alicubi tandem peſſundetur. Sed id mali nihil citius accelerabit, quam liquidorum moles, quæ ſub morbis inſigniter augetur: cohibitæ enim coctiones, ac proinde ſecretiones ſuccos & ſanguinem mire cumulant, qui ſua inſoleſcentes multitudinem rebellant, ſolidorumque detrectant juga, & impetu facto in viſcus quoddam impingendo apoſtaſin committunt.

Talia odorabant medicinæ parentes ſumma illa cura, qua partium laxitatem perveſtigabant, ut remediis ſecuritatem, & prognoſi certitudinem conciliarent. Ii ex cutis tepore, pulſus, & hypocondriorum mollitudine, humida lingua, alvi facilitate ſalutem ægris augurabantur; quæ ſi deſiderarentur venæ ſectione, foru, balneo, litu, enematis, diluentium uſu inducere ſtudebant, ut ad catharſin tutum pateret iter. Hanc autem unice laudabant, ſi non tam copioſa, quam facilis erat, quæ non ſeroſa, crudaque liquamina, ſed *veros*, ut ajebant, *humores* eliminabat. His ſit venia verbis, & nominibus; de cetero ad æquilibrii leges collimaſſe eos diceres, adeo in illas quadrare videtur eorum medendi ratio. Quid enim melius oſtendit laxari, & a ſpaſmo liberari partium fibras, tum purgantis opera ſolvi, qui mora hærebant coagulabanturque morboſos ſuccos, quam denſiorum humorum liberalis egeſtio? quæ ſi ſeroſorum fuerit, avulſi potius, extortive putidi laticis indicium eſt, & per ſtrictiſſimos adhuc, & corrugatos hiatus, quam victi morboſi humoris, ſponteque loco cedentis; perque liberos, patentes, & laxatos oſculorum exitus. Merito igitur analogiſmum agnoſcere convenit cum oculatiſſimo *Baglivo* noſtro, ideſt affinitatem quamdam inter morbos, quæ in hac quam proponimus morborum cauſa communi fundabitur, in labante ſcilicet, vel perdito fluidorum cum ſolidis æquilibrio. Conſtat ſaltem nullum dari morbum, in quem non competat talis hæc communis cauſa. Si enim in viſcus quoddam inciderit morbus, inibi æquilibrium aut infirmari, aut peſſundari convincitur. Si in totum corpus (cujuſmodi ſunt febres) ubique labare æquilibrium, aut ruere augurabere, illico, ni avertat medici ſagacitas, in aliquo viſcere apoſtaſi facta periturum. Hinc quoque rationes eliciuntur quibus fit, ut mutentur, transformentur, ſibi ſuccedant, & in ſeſe invicem habeant morbi, qui toto cœlo diverſi creduntur, quod medentibus *humoriſtis* explicare hactenus fuit inconceſſum. Revera enim quo mechaniſmo, qui hanc partem modo obſidebat humor, certæ qualitatis, partique laboranti proprio circuitu addictus, ad alteram ſubito evolabit, locum, & indolem ſubito mutaturus? Non item ſi ad æquilibrii rationem confugias, qua in opinione metamorphoſes morborum erunt nihil aliud, quam modo in hanc, modo in alteram partem inducta corrugatio aut relaxatio, unde fit, ut dum in parte primum affecta æquilibrium reparatur, in altera illico peſſundetur. Ponas enim impetu facto ſanguinem in viſcus quoddam irruere, inibi æquilibrium rumpi periclitatur. Tunc ſolers Medicus alterando, laxando, ſtimulando, vacuandove imminentem hanc cladem diſſipare tentabit, ſin minus obſeſſam partem pro virili ſublevando, firmando, tuendoque efficiet, obtinebitque, ut in

ignobiliores, aut firmas minus partes morbi impetus feratur, ubi deſpumet rabiemque deponat. Sed cum in avertendis malis arte adhuc potior ſit natura mediatrix, mirari deſines, ſi dum incerto ancipiteque certamine colluctatur, hos vel illos rumpat obices, partium quarumdam tonum laxet, dum aliarum fiet conſtrictio, ſicque ad varias ſedes pellant morbi inſultus, uſque dum in aliquo viſcere quod infirmus offenderit pedem figat morbus. Sic apoplexiam paralyſi, febres bene multas, pleuritides, &c. diarrhæis, ſudoribus &c. finiri vides. Nec admodum laborabis hic in aſſignanda cauſa, qua fit ut humor certæ naturæ, qui modo quemdam morbum fovebat, illico mutatus in alterum, loco, & natura diverſum, generis alterius morbum inferre videatur. Hic enim meminiſſe ſufficiat, ruentis, & labefactati quadam in parte æquilibrii ut primum indicium eſt, ſic primum effectum eſſe ſecernendorum in ea reſtagnationem, & moram, unde humor, qui ſub priori morbo coercitus erat, inducta relaxatione ſolutus quaſi vaneſcit. Sed ſi tunc pulſus tantum non diſſipatus morbi inſultus partis alterius æquilibrio vim inferat, & corrugationem, qui huic alteri parti proprius erit humor intercipietur, morbum facie, & natura diverſum commiſſurus. Porro a corrugatione (quæ præcipua labantis æquilibrii cauſa eſt) maximam morborum partem committi argumentum eſt narcoticorum virtus tam multis morbis, communibus, propriis, chronicis, acutis, lymphaticis, idiophaticis, primigeniis, ſymptomaticis, tamque utiliter ſerviens, omnium remediorum, alterantium, vacuantium, purgantium, ſudoriferorum, cardiacorum operas ſecundans aut adjuvans, nulli non amica parti; * cerebro, ſtomacho, pectori, abdomini: adeo ut ex opio, ſi alicunde, panacea ferme expectaretur. Rem adhuc evincit magis hyſtericorum affectuum natura, qui omnium maxime ſpaſmodici nullius non conſenſu habentur. In his autem quod tam multiformes quotidie eadem in ægrotante ſymptomatum tot quaſi morborum facies animadvertas, unica cauſa eſt alterna nempe partium facta ſpaſmodica currugatio, aut relaxatio. Hinc quæ modo pallida jacebat, ſemiaminis, & vera mortis imago, eodem non multo poſt garrula ſit, in riſum effuſa; altera inſomnes ducebat noctes, quæ poſtea ſopore gravabitur; alterius menſes ſiſtebantur, qui progrediente morbo affatim, & periculoſe prorumpent. Adde in hac laxam eſſe alvum, adſtrictam in altera. Illa vomiturit aſſidue, hæc vomitoria quoque retinet. In aliis membra dolore rigent, in multis ſtupent; dumque plures fœtidis gaudent, non paucæ ſuaveolentibus recreantur. Adeo verum eſt a cauſa communi, nutante ſcilicet plus minus æquilibrio partium, ab earum inducta criſpatura, & relaxatione, ut varia hæc oriuntur ſymptomata, ſic varios quotquot ſunt poſſe committi morbos.

* Vide Tilingium de Laudano.

Rogabis quid in tanta ſyſtematum copia prærogativæ teneat poſtremum illud, quod ex Bagliviano opere innuitur. Meherele admodum in varias partes ſciſſa vides medentium ingenia, quæ ſic conciliabis. Bagliviani enim ſyſtematis commendatio eſt nulli adverſari, nemini non concordare, adeo ut cæterorum ſyſtematum ſit norma, coronis, ac complementum; illorum enim uſus oſtendit, ac moderatur, abuſus emendat. Hic acidum confodiendum eſſe putat, ille ſeri colluviem vacuandam, tertius calorem reſtinguendum, ſedandas quartus ſubtilis materiæ turbas, ultimus ſolvendum, accelerandumque ſanguinis lentorem; omnia hæc, fidelia una, & eadem obtinebis, ſi in æquilibrium reſtituendum incumbas. Ut enim pereunte æquilibrio ſucci morantur, lentore aceſcunt, turbantur, fervent, incaleſcunt; ſic hæc omnia æquilibrio reſtituto illico ceſſabunt. Talis ſyſtematis beneficio fiet adhuc, ut impoſterum eodem colliment medicorum operæ, ſermones, conſilia, in unius nempe æquilibrii reſtitutionem, fietque omnium ſermo idem, intentio communis, loquela una. De concentu enim, proportione, & harmonia partium cogitabunt omnes, acidum, calorem, lentorem, & humorum effervescentiam proferentes minus ut morborum cauſas, quam ut communis cauſæ morborum labefactati nempe æquilibrii effectus, & ſymptomata. Præterea in animo habentes, in harmonia, & proportionibus reddendis ponendam eſſe medici curam, a remediis fortioribus, turbulentis, exaſperantibus metuere diſcent, ea præferentes, quæ pacem ſectantur, ſedantque tumultus. Tandem quid non utilitatis hinc arti redibit, & ægris? ad corporis enim œconomiæ leges, quæ ordinis, rationis, & proportionum ſunt, ſuas formare mentes cogentur medici, vulgaribus de humorum ſaburra, multitudine, & craſſitie, notionibus ad plebeculam ablegatis: ſicque, quod *Baglivi* noſtri laus erit, lucem caligini, pacem diſſidiis, præjudiciis veritatem plauſu omnium ſuccedere videbit medicina.

Cæterum ſi quoſdam offendat, quod Auctoris mentem dilatare videamur, ignoſcet,

cum attenderit ea non esse Bagliviana opera, quæ stipitum instar inanium truncum, & ramos vix concipiunt: melius comparaveris fœcundis iis geminibus, quæ ultro fruticant. Sentias enim in iis recondita totius medendi scientiæ semina, quæ obviorum quorumvis medentium meditatione exculta pullulant ultro, ac soboleſcunt. Interim, cum tantum virum æmulari solum detur, non assequi, præterquamquod ut ea quæ nostra sunt Doctoribus, nec Zoloytis recoquenda proponimus, non eam nobis esse mentem profitemur sensum Baglivianum adulterandi; sed aperiendi illius, & interpretandi, quo in negotio siquid delicti admiserimus, hoc totum nostrum erit, felix tamen nec pœnitendum, si errore nostro invitatus humanissimus Lector, meliora suppeditet ac substituat.

Sequitur ejusdem dissertationis pars altera, quæ de lapidum, &c. vegetatione tractat. Alterum novi argumenti genus, quo analogismus naturæ evincitur. Hinc enim liquet quid esse commune plantarum & inter fossilium naturas, cum pari ratione utraque crescant ac pullulent; argumento, similem ubique esse naturam, quæ simplicissima ex iisdem & paucis mira & dissimilia producit. Hic adhuc mirari subit ex re fluidissima & molli solidissima enasci & durissima; hic enim ostenditur multigenis observationibus aquæ genus esse, unde suos natales ducunt lapides & gemmæ.

Dissertationem claudit appendicis loco terræ motus historia, ubi non pauca reperies, quæ historiam naturalem illustrant & augent.

Sequuntur epistolæ ex præcipuis Europæ locis ad celeberrimum auctorem nostrum undique missæ, luculentissima tot argumenta, quibus Bagivi operum utilitatem & præstantiam non apud nos solum, sed apud dissitas gentes celebrari patet; verius appellabis Baglivianæ veritatis publica testimonia. Si enim *vox Dei sit vox populi*, cœlo terrisque probari Bagliviana opera palam est, quæ non unius populi voce, sed universis populorum suffragiis approbantur. Animæ sunt vulgares, quarum fama sensim ac lente serpendo crescit, magna autem nomina statim adolescunt. Hujus generis sit oportet Bagliviana virtus, quæ privata diu durare non potuit, sed illico publica facta est. Ecce tamen tot inter plausus calumniatoris dentem experitur, adeo ubique serpit Zoilorum gens, quælibet in quemvis opprobria dicere sæva. Is est * D. Le Mort cujus nomini parcere & honori voluntas fuisset, arti enim chymicæ apud Batavos, proindeque medicinæ servit utiliter. Sed isthæc sors est maledicorum; bonorum nomini invident, proprio luunt ac retaliant. Per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur. Vota autem D. Le Mort adversus D. Baglivum querelarum summa est, chymiæ contemtus, de quo cum Baglivo vehementer expostulat. Sed Le Mortium fallit in chymiam cœcus amor, qui cum veros quibus chymia obnoxia est nævos non videt, aliis quos odit imaginarios imputat. Sed injuria hæc a Le Mortio vibrata in Baglivum inulta non abiit. Illum enim incaute locutum acriter refutat, arguitque mendacii D. Goris * apud Batavos optimæ chymiæ decus ac vindex. Tam autem ambitiosa est chymiæ tyrannis: despici se putat si cesses adulari: amatores enim ambit non amicos, mancipia non auditores, solo eorum sodalitio gaudens, qui cultores minus, quam adoratores illius facti, furnos, & chymica crepant mera, quibus cogitata quævis & inventa optima claudicare videntur, nisi chymiam sapiant, aut parentem agnoscant. Sic est vesanus amor, *quisquis* enim (ut ajunt) *amat ranam, ranam putat esse Dianam*. Hæc autem Le Mortii querimonia adversus clarissimum auctorem nostrum argumentum dedit amicissimæ & eruditissimæ Epistolæ D. Pallilii Romani Medici meritissimi, in qua amicum ulciscendo Pallilius, Hippocratis & Baglivi miscet causas, veram medicinæ praxin, & theoriam tuendo adversus Le Mortium & similes chymiæ zelatores. Nec immerito utriusque litem communem facit, Græcorum enim Hippocrati proprius accedit nemo, quam Baglivus Romanorum Hippocrates.

* Jacob. Le Mortii Chymia vendicata p. 30. &c.

*Chymia liberata &c. per Gerardum Goris p. 51. 55. &c.

Epistolarum, ut dissertationum, quæ supersunt argumenta exscribere longius iret; ea tamen prætermittenda non est epistola, qua respondet auctor sapientissimus D. Andry Medico-Parisiensi clarissimo. Hic scita officiique plena epistola Baglivum interrogaverat de purgatione in principio morborum; rescribens Baglivus admonet, quam strictissimis cancellis coerceri debeat purgatio in acutis. Ubi enim, ait, minima apparet suspicio acuti & inflammatorii morbi *a purgatione in principio omnimode abstineo, ut in mea praxi animadverti, nec indiscriminatim morborum omnium curatio, a purgativa inchoanda est*, sicuti plures apud vos faciunt, *nec tales apud nos* desunt. Imo si cum acutis conjunctæ sunt febres earum initio sanguinis missionem semel & plures celebrandam suadet & laudat Baglivus adversus Helmontianos, ideſt ejusmodi homines, qui sanguinis

guinis missionem indesinenter allatrantes illius vellicandæ occasionem passim & ex industria scriptis, & verbo aucupantur: ingens interea medentium, qui dum haberi volunt humani sanguinis avari, ægrorum misere prodigunt vitas: tales enim teste Baglivo a sanguinis missione abstinendo, mille in pericula ægros conjiciunt. Post hæc non erit unde Baglivi & orgasmi nominibus amplius abutantur purgationis æmulatores, aut si quid audeant, id criminis utpote invitis ac reclamantibus medendi magistris commissum, in auctores ipsos redundabit. Plura alia subjungenda restant, quæ opus simul ac auctorem mire commendarent, sed supersedere jubet publica vox, nostrorum non tantum, sed & exterorum, * editionis hujus moræ impatiens, quæque hæc rudi precipitique calamo scripta satis esse clamat. Manum ergo de tabula. Et quidem fortunæ periculo imparatique Lectoris inclementiæ relictum nihil periclitaretur hoc opus, quod blanditias morosis, facilibus delicias parat.

* Vide epistolas ad auctorem scriptas in primis a D. Hatton.



AUCTO-

AUCTORIS PRÆFATIO.

PRUDENTIA judicandi recte de morbis gravissima res est; eademque præsentis operis argumentum. Medicina namque, vel prudentia est, vel prudentiæ species; cui perficiendæ cum nihil æque conducat, ac experientia, propterea nemini mirum videri debet, quod ob eamdem, vel nihil, vel male adhibitam, tantus in Medicina hoc sæculo, & errorum, & Errantium numerus excreverit. Expleto nuperis annis Neapoli studiorum meorum curriculo, & Ora maritima Dalmatiæ peragrata, nil magis in votis erat, quam Italiæ Academias adire, ut, ecquis esset in iis, post tot, tantosque novitatum rumores Praxeos Medicæ status, addiscerem. Unde lustratis diligenter singulis, dici vix potest, quam labefactatam ab opinandi licentia Medicinam, & a prisca sua sapientia desciviſſe Nostrates repererim.

In nonnullis namque Academiis, ita male adversus Veterum opiniones affectos vidi, ut humanæ mentis majestatem imminutam putent, si in legendi Galenicorum libris operæ quid, vel temporis collocetur; ob idque suum misere torquere, vaxareque ingenium, ut novum quid, & hactenus in[illegible]tum comminisci possint, & siquid ejusmodi fuerint assecuti, præclare secum, & cum re[illegible]ea egisse arbitrentur. In aliis contra tam anxie, & religiose theorematis Veterum inhæ[illegible]ere, ut inventa Recentiorum quantumvis præclara, & utilia exagitare non desinant: solisque contenti purgantibus, venæ sectionibus, & vesicantibus, morborum omnium curationem uno, quo ajunt, calceo metiuntur. In omnibus denique perpetuas esse inter medicos contentiones, odia, & imprudentem quamdam, aut ad fingendas novitates, proclivitatem, aut in anticipatis opinionibus perperam retinendis pervicaciam. Et quod his omnibus pejus est, medicinam Parentem suam, & magistram, non clam solummodo, & in privatis colloquiis, sed palam, & sparsis in vulgus libris, tanquam incertam, & præstigiatricem proscindere, tanto certe illius, ejusdemque Professorum detrimento, ut quæ summos apud Viros in pretio semper fuit, habuitque vel ipsos Reges sibi perpetuo obnoxios Scientiarum Princeps, despecta jaceat multis jam locis, & antelatas sibi, vel vilissimas, imo perniciosissimas artes, vehementer doleat.

Ob istam itaque infinitam propemodum opinionum varietatem, cui memet potius addicerem, animi dubius, eo tandem deveni, ut nullius in verba juvare, sed solo præeunte Rationis, & experientiæ lumine acriter, & indefesse veritatem investigare decernerem. Qua ratione, institutis per non exiguum temporis spatium severioribus morborum observationibus in variis Italiæ Xenodochiis, deprehendi me paucioribus mensibus, quam antea annis majores hac in arte progressus habuisse, ac nihil omnino magis verum esse, quam quod olim a Manilio usurpatum legimus: Artem experientia fecit, exemplo monstrante viam. Cum vero istæ meæ observationes primum quidem negligenter, & memoriæ tantum causa scriptæ, postmodum autem in certa quædam genera digestæ, in Amicorum manus pervenissent; isti prorsus a me contendere, multisque verbis agere, ut eas publici juris facerem. At mihi, tum tenuitatis meæ conscio, tum etiam non ignaro despectui vulgo haberi Medicum, cui auctoritatem canities, & longa ætas non conciliaverit, certum omnino erat petentibus, quin, & vim prope facientibus nequaquam cedere, nisi tandem invitum, ac reluctantem a sententia mea discedere coegisset summorum Virorum auctoritas: quorum omnium longo ordine hic nomina recensere nolim, ne in aliquod videar ostentationis, inanisque gloriæ vitium incurrere.

Antequam dicendi finem faciam, librum istum lecturos hoc unum rogo, ut me in ingerenda, ac sæpius inculcanda experientiæ, & naturæ imitandæ necessitate, nec non hypothe-

seon,

ſeon, ac ſyſtematum vanitate explodenda, moleſtum forte, ac fere putidum, excuſatum habere velint. Equidem in lamentanda tanta artis calamitate, exiſtimavi neceſſario mihi eſſe; de unico quod adhiberi poſſit remedio, ſi non ſubtilius (quod præſtare nequeam) diſputandum, ac certe, quod fas eſt, ſapius, ac dolentius deplorandum. Nemo porro dixerit, ubi ſumma res agitur, auribus ſerviendum eſſe, ſed potius ea dici oportere, quæ tempus, quæ rei magnitudo, quæ urgens neceſſitas poſtularent. Enim vero dum tota medicinæ prudentia in eo poſita videatur, ut morbum cum morbo, tempus cum tempore, hominem cum homine compares, quo advenientia, & creſcentia mala ſuis certis ſignis, ac nominibus, ea diſtinguere iiſdemque idonea aptave remedia adhibere queas, nemo certe inficias iverit, nullam prorſus, & Nobiliſſimæ Scientiæ exornandæ, & curandis hominibus utiliorem operam navari poſſe, quam ſi præſtantiſſimæ artis Studioſi, immenſo retro tempore jam factas a Majoribus noſtris obſervationes attenderent, novaſque in dies animadverterent, ac notarent. Quam quidem promovendæ artis rationem, ſi jam inde ab Hippocratis temporibus ad hanc noſtram uſque ætatem conſtanter homines retinuiſſent, dici vix poteſt, quot quantique progreſſus hac hodie parte haberentur. Cur vero rem alioqui adeo neceſſariam, tam præclaram, atque ita feliciter inſtitutam reliquerint, ut ſe infinitis, & (ut Apoſtoli verbis utar) interminatis quæſtionibus, λογομαχιαις implicarent, aliam afferre cauſam non poſſem, quam offenſi, ac ulciſcentis Numinis iram. Hoc ſane, vel invitus fatebitur quiſquis in ætatem hanc noſtram oculos conjecerit; cum enim cetera omnes qua diſciplinæ, qua artes, non ſolum in priſtinum ſplendorem reſtitutæ fuerint, ſed in dies magis magiſque excultæ, noviſque inventis ornatæ floreant; ſola medicinæ praxis, neſcio quo fato, maxima ſui parte jaceat, & quod maxime dolendum, vilior quotidie apud indoctos evadat. Quod cur ita ſit, id unum in cauſa eſſe arbitror, quod obſervationum, unde Ars præſtantiſſima effecta fuerat, ratione contemta, ſyſtematis, & hypotheſibus prorſus indulſerint; non tam de cognoſcendis, curandiſque morbis, quam quo pacto eorum probabilem rationem redderent, ſolliciti. Ex quo fit, ut in maximam humani generis perniciem, & Medicinæ dedecus, non jam tutiſſima artis præſcripta, ſed proprii ingenii commenta conſulant.

Ceterum nolim quis exiſtimet, me huic operi faciundo, accinctum eſſe, ut inanem gloriolam aucuparer, meumque per ora hominum nomen utcumque volitaret; etenim nil mihi antiquius eſt, quam, & æternæ vitæ memoria, & caducarum, fluxarumque rerum conſideratione, me ab hujuſce vitæ blanditiis, atque illecebris revocare.

Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic, cum tranſierint mei,
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebejus moriar ſenex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi. *

Solus veritatis amor, & communis utilitatis ſtudium, ad has partes ſuſcipiendas impulerunt. Quid, quantumque hoc meum ſit, prudentis, ac boni Viri judicium eſto; mihi ſatis ſuperque erit illud, & publicæ utilitati, & præſertim Romanorum Civium incolumitati conſecraſſe.

* Senec. Trag. Thyeſt. act. 1.

Romæ Prid. Kal. Martias, MDCXCVI.

LECTORI.

QUÆ Editioni de novo acceſſerunt, oſtendunt paginæ illæ, in quibus totus eſt BAGLIVUS in aſtruenda, ſtabiliendave ſolidorum medicina &c. hæc forte pauca videbuntur iis qui res ſola ex mole æſtimare norunt; his attamen aſſentiri (alia licet de cauſa) non veremur. Præterquam quod enim maxima litterato orbi periiſſe crederemus, etiamſi pauca tantum ex iis quæ BAGLIVUM ſapiunt, nobis excidiſſent, pauca revera manebunt ſemper et brevia, quæ tanti viri mentem referunt et nomen; utpote cum ſemel et iterum perlecta ſalivam moveant, maximumque linquant deſiderium. Itaque pauca hæc, magno in numero ſapientibus erunt, quibus BAGLIVI genium revocabunt, aut repræſentabunt umbram. Sint ſaltem tanti viri nobiles reliquiæ, uſque dum felicior nobis afflaverit fortuna, quæ cæteras illius lucubrationes tandem aliquando revelet aut proferat. Eſt autem unde vellicet nos ejuſmodi ſpes, quem enim promiſerat tractatum *de morborum ſucceſſionibus*, hunc ad umbillicum perduxiſſe ſe ſcribebat ad amicum, lucique paratum tenere. Tantillum inde ſolatii; ſed quid dolorem noſtrum levare, quid mœrorem mitigare poſſet? fuit BAGLIVUS luctus ingens, exigua ſolatia.

Fecit materiæ affinitas ut exquiſitum SANTORINI, Medici apud Venetos meritiſſimi, opus hic adjunctum videas. Diſſerit enim hic auctor ſapientiſſimus *de fibra motrice*, cujus *texturam*, *elaterem*, *oſcillandi rationem* ſic aperit exponitve, ut dum multa quæ huic doctrinæ deerant, ſupplet, vix pauca poſteris ſupplenda relinquat. Quæ ſequuntur de *Nutritione*, de *Hæmorrhoidibus*, et de *Catameniis*, apta ſunt apprime et valida ad confirmandas fibrarum potentias, vires, energias. Porro ſingula hæc, ut non mediocrem auctoris in meditando ſagacitatem oſtendunt, ſic illius evincunt in medendo peritiam. Faxit Deus Opt. Max. ut nobis naſcens hic novus *Apollo*, artem medicam, quam inventis ornare cœpit, luminibus illuſtrare pergat.

INDEX OPUSCULORUM

In hoc volumine contentorum.

DE PRAXI MEDICA LIBER I.

Caput I. *De maxima observationum in re medica necessitate Monita.* pag. 1
Caput II. *Origo, progressus, & quicquid inest certi medicinæ, observationibus magna ex parte debetur.* 3
Caput III. *De impedimentis, quæ medicorum in observando Diligentiam hucusque retardarunt.* 4
Caput IV. *Impedimentum 1. Derisio veterum medicorum.* 5
Caput V. *Impedimentum 2. Falsa medicorum idola, sive opiniones falso præconcepta.* 6
Caput VI. *Impedimentum 3. Falsum genus analogiarum sive falsæ similitudines.* 9
Caput VII. *Impedimentum 4. Præposterа librorum lectio.* 11
Caput VIII. *Impedimentum 5. Præposterа librorum interpretatio efficiendorumque systematum cacoethes.* 15
Caput IX. *Impedimentum 6. Intermissum studium tractandis de morbis aphoristice.* 17
De Pleuritide. ibid.
Appendix de Pleuritice. 19
De Febribus in genere. 25
De Febribus malignis, & mesentericis. 26
De lumbricis puerorum. 31
De Variolis, & morbillis. ibid.
De Observatione hypochondriorum in acutis. 32
De tumoribus, & suppurationibus in externa parte abdominis. 33
De Crisi & diebus criticis. ibid.
De Sudore in acutis. 35
De Parotidibus, & surditate in acutis. ibid.
De Urina in acutis. 36
De Pulsu in acutis. 37
De Inappetentia. 38
De Capitis affectionibus in acutis. ibid.
De Observatione oculorum in acutis. 39
De Decubitu ægrorum. 40
De Voce & facie in acutis. ibid.
De Abscessu acutorum. ibid.
De Rigore acutorum. 41
De Hydrope sicco. 42
De Ictero flavo. ibid.
De Hæmorrhagia in acutis. 44
De variis affectibus jecoris. ibid.
De respiratione in acutis. 46
De variis pulmonum affectionibus. 47
De Lumborum affectione in acutis. 48
De Lue venerea, & morbis glandularum. 49
De Colica. 51
De Phrenitide. 52
De Asthmate. 53
Appendix de Asthmate. ibid.
De Diarrhœa, & dysenteria. 55
Appendix ad dysenteriam. 56
De Apoplexia. 57
De Dolore in genere, convulsione, & motibus convulsivis. ibid.
De Tussi. 58
De Calculo, & podagra. 59
Caput X. *De Variis Medicinæ ætatibus, ejusdemque progressibus.* 61
Caput XI. *De fontibus theoriæ, & praxeos.* 63
Caput XII. *Methodus ad Tyrones de morborum hypothesi recte construenda.* 65
Caput XIII. *Quanti interfit præcepta, sive certas, constantesque regulas stabilire ad quas judicia sua dirigere queat, in ambiguis morborum eventis hærens, perplexusque medicus.* 69
Caput XIV. *De medendis animi morbis, & instituenda eorumdem historia.* 75
Caput XV. *Paræneſis ad medicos de investiganda, stabilienda medendi methodo popularibus suis præceteris accommodata; ubi obiter de natura aeris Romani, curandisque Romanorum morbis.* 80

LIBER II.

Caput I. *Quod erit instar prolegomenon ad librum præsentem.* 84
Caput II. *Manifestantur causæ nonnullæ præcipuæ, quæ morborum historiam, sive medicinam primam hucusque retardarunt.* 85
Caput III. *Traduntur regulæ instituendi, & promovendi historiam morborum, ab eademque deducendi aphorismos curativos.* 87
Caput IV. *De erigendis academiis promovendæ praxeos gratia.* 90
Caput V. *Solvuntur argumenta, quæ nobis obiter possent.* 92
Caput VI. *Specimen historiæ primæ in describenda podagra, ejusque aphorismis practicis breviter expressum.* 94
§. *Unicus proponens aphorismos practicos, ab historia prima podagræ eductos.* 98
Caput VII. *Schedula monitoria de iis, quæ desiderantur adhuc in arte nostra.* 99
Caput VIII. *De Signis morborum diagnosticis, & fontibus eorumdem.* 100

Caput

Caput IX. *De cauſis morborum.* 101
§. I. *Prolegomena ad hiſtoriam, diviſionemque cauſarum opportuna.* ibid.
§. II. *De cauſa procathartica, & proigumeni, ſeu diſpoſitione corporis.* 103
§. III. *De cauſa proxima morborum, necnon de fontibus præcipuis eandem inveſtigandi.* 106
Caput X. *De indicationibus recte inſtituendis.* 110
Caput XI. *De remediis ſpecificis, eorumque hiſtoria.* 114
Caput XII. *Centaurus. Sive de paradoxis recentium medicorum in deriſione criſium dierum criticorum, &c.* 117

SPECIMEN QUATUOR LIBRORUM DE FIBRA MOTRICE ET MORBOSA. 121

Præfatio in ſpecimen quatuor librorum de fibra motrice, & morboſa. 127
Animadverſion. in practicem novam. 128
Animadverſiones in theoricem veterem. 130
Specimen libri primi de fibra motrice. 135
Caput I. *De fibrarum origine & diviſione.* ibid.
Caput II. *De variis modis fibrarum ſtructuram inveſtigandi.* 137
Caput III. *De partibus, quæ fiunt ex fibra carnea, & iis, quæ fiunt ex membranea.* 138
Caput IV. *De origine motus ſolidorum.* 139
Caput V. *De comparatione motus cordis, & duræ matris. Ubi de duræ matris ſtructura, elatere, reſiſtentia, impulſu, & poteſtate in ſolida, & fluida corporis animati. Item de membranarum motu ſyſtaltico, & reflexivo.* 140
Corollaria, & poſtulata. 148
Experimenta. 149
De motu meningum, & oſcillatione ſolidorum. ibid.
Caput VI. *De æquilibrio ſolidorum cum ſolidis, ſolidorum cum liquidis, & liquidorum inter ſe, hujuſque æquilibrii vi, poteſtate uſu, & cognitione medicis ſummopere neceſſaria ad bene medendum.* 153
Corollaria, & poſtalata. 157
Caput VII. *De variis fibrarum effectibus, & primo de magna vi, elatere, & reſiſtentia ſolidorum.* 154
Corollaria, & poſtullata. 164
Caput VIII. *De motu ſyſtaltico, ſive de oſcillatione; & vi contractili ſolidorum.* 165
Corollaria, & poſtulata. 169
Propoſitio I. *Motus ſanguinis, aut aliorum liquidorum verſus aliquam partem inclinans, in contrariam diverti poteſt, ac vena ſectione, purgatione, vomitu, chlyſtere & ſimilibus.* ibid.
Propoſitio II. *Ad fluidorum debitas ſecretiones, determinatus in iis motus requiritur.* ibid.
Propoſitio III. *Fluida ſupra, & infra neſciunt, ſed undequaque currunt indifferenter, prout hinc inde impelluntur.* 170
Propoſitio IV. *Proprium eſt ſanguinis circulantis, quando tardieri motu procedit, ut ſerum ab ejus ſinu ſecernatur, majori vel minori copia, prout motus erit magis, vel minus retardatus.* ibid
Caput IX. *De mira propagatione oſcillationis fibrarum, ejuſdemque inter ipſas continua permutatione ad remotas quaſque partes.* ibid.
Propoſitio I. *Determinata ſanguinis, & liquidorum quantitas eſſe debet in quolibet temperamento, nec magis, nec minus.* 174
Propoſitio II. *Peccans ſanguis ſuperfluus non eſt ſiſtendus, ſed ſinendus, ut fluat, quo naturæ velit.* ibid.
Propoſitio III. *Strictum, & laxum fluidis æque, ac ſolidis competit in corpore animato.* 195
Propoſitio IV. *Non obſtante continuo liquidorum circulo, dantur tamen revulſiones, & derivationes humorum in curatione morborum.* ibid.
Propoſitio V. *Sanguinis motus impeditus in aliquo ſurculo, vicinis omnem illam liquidi molem excipit, & ad altiora propellit.* ibid.
Caput X. *De conſenſu ſolidorum originis, vicinitatis, uſus, & communicationis officii, &c.* 176
Corollaria, & poſtulata. 179
Propoſitio I. *In juvenibus humores, ut plurimum, faciunt impetum ſuperiora verſus, in ſenibus verſus inferiora.* 180
Propoſitio II. *Fluida, & ſolida ex repetitis actibus, & conſuetudine hominis peculiarem acquirunt naturam.* ibid.
Propoſitiones III. IV. V. VI. VII. *Intercepto motu liquidi in aliqua parte, intercipitur, & vicina, ſoluto, ſolvitur.* ibid.
Propoſitio VIII. *Nonnulla aſſeruntur de mechanica ſecretione liquidorum in corpore animato.* 181
Caput XI. *De irritatione ſolidorum, ſive de ſtimulis, & variis ſtimulorum effectibus.* 182
Caput XII. *De laxitate ſolidorum, & variis ejuſdem effectibus.* 185

SPECIMEN TRIUM RELIQUORUM LIBRORUM, DE FIBRA MOTRICE ET MORBOSA. 188

Caput I. *De morborum ſucceſſionibus.* ibid.
Caput II. *De præſagiorum originibus, uſu, methodo, & certitudine.* 193
Caput III. *De Conſtitutionibus annorum, & temporum, aeriſque influxibus inveſtigandis ac perdiſcendis ad morbos dignoſcendos, & curandos.* ibid.
Caput IV. *De morbis incurabilibus & ignorantiæ medicorum; & ex impoſſibilitate naturæ.* 194
Caput V. *De morborum occaſionibus.* ibid.
Caput VI. *De vita ſalubri ad centum, & plures annos producenda.* 195
Caput VII. *De apparatu, & diſpoſitione humorum ad morbos ſuſcipiendos, ſive de parvis magnorum morborum initiis.* 196
Caput VIII. *De patientia ægroti, & medici ad bene curandum ſummopere neceſſaria.* ibid.
Caput IX. *De morborum delectu, ſive de methodo curandi morbos quamplures per opportunum ciborum genus, ſine ope remediorum.* ibid.
Caput X. *De morbis venereorum.* 197

Caput

Caput XI. *De oculis, & lethalibus viscerum varicibus, aneurismatibus, & hydatidibus.* 198
Caput XII. *De mutando aere in longis, & difficilibus morbis.* ibid.
Caput XIII. *De febribus mesentericis, opus novum, non a lectione librorum, sed ab observatione naturæ petitum.* ibid.
Caput XIV. *De methodo curandi morbos quamplures musica, saltatione, equitatione, navigatione, venatione, rusticatione, debitoque sex rerum nonnaturalium usu, sine inutili remediorum acervo: Ubi etiam de diæta Pythagoreorum.* 199
Caput XV. *De anatome, natura, & usu pinguedinis, & morbis ab eadem pendentibus.* 201
Caput XVI. *De natura, & usu salivæ; ejusdemque morbis.*
Caput XVII. *De usu, & abusu diluentium, & oleosorum, quæ nunc apud nostrates maxime administrantur.* 202

SERIES VARIARUM DISSERTATIONUM.

Dissertatio I. *De anatome fibrarum, de motu musculorum ac de morbis solidorum. Ubi etiam de duræ matris elatere, oscillatione perpetua, & de solidorum supra fluida corporis animati majori vi, majori impetu, & longe majori resistentia.* 203
Dissertatio II. *De experimentis circa salivam, ejusdemque naturæ, usu, & morbis.* 216
Dissertatio III. *De experimentis circa bilem, ejusdemque naturæ, usu, & morbis.* 219
Experimenta. 223
Experimenta varia. 225
Conclusio ab experimentis deducta. ibid.
Dissertatio IV. *De experimentis circa sanguinem, ubi obiter de respiratione, & somno; de statice aeris, & liquidorum per observationes barometricas, & hydrostaticas ad usum respirationis explicata, de circulatione sanguinis in testudine ejusdemque cordis anatome.* 226
Experimenta circa sanguinem. 237
Infusoria in jugularem canis. 238
Canones *De medicina solidorum ad rectum statices usum.* 239
Epilogus de legum medicarum. 247
Dissertatio V. *De morborum, & naturæ analogismo, de Vegetatione lapidum, & de terræmotu romano, ac urbium adjacentium anno 1703.* 248
De morborum, & naturæ analogismo. 249
De Vegetatione lapidum. 251
Observationes. 252
Conclusio. 254
De terræmotu romano, & Urbium adjacentium anno 1703. 165
Historia romani terræmotus, & Urbium adjacentium anno infelicissimo 1703. 270
Exemplar epistolæ Romam missæ Excellentissimo Duci de Uzeda oratori catholico, a ministro Hispano, quem Prorex Neapolis Aquilam dimiserat ad ea mna exploranda terræmotuum præteritorum causa producta, ab italico sermone latine fideliter reddita. 277
Series urbium, oppidorum, & pagorum tam in Samnio Regni Neapolis, quam in locis ditioni Pontificiæ subditis, quæ præteritis terræmotibus damna, & ruinas passa sunt, excerpta ex diario Neapolitano jussu Proregis, typis dato 1703. Neapoli. 279
Series urbium, pagorum, & oppidorum ditionis Ecclesiastica in Umbria, & Sabinis, quæ his terræmotibus aut diruta sunt, aut fere devastata anno 1703. 280
Series magis notabilium observatorum hoc anno 1703. durantibus terræmotibus in Latio, & finitimis Umbriæ regionibus. 284
Observationes de terræmotibus facta sub altitudine polari graduum 42. in Latio & finitimis regionibus, super aere, sole, luna & animantibus. ibid.
Dissertatio I. *varii argumenti, potissimum vero de progressione romani terræmotus ab anno 1703. ad annum 1705. de Systemate, & usu motus solidorum in corpore animato. De Vegetatione lapidum, & analogismo circa circulationis maris ad circulationem sanguinis.* 285
Caput I. *De progressione romani terræmotus cum historia morborum, & epidemica constitutionis, quæ his annis regnavit Romæ, & historia quamplurium naturæ effectuum per id temporis ibidem observatorum.* ibid.
Caput II. *In quo plura proponuntur, quæ spectant ad principem duræmatris oscillationem novis probata observationibus, meditationibusque, & plurima quæ pertinent ad systema de solidis; eorumdemque vim, potestatem, elaterem, æquilibrium, oscillationemque sanam, & morbosam, ad bene medendum, & præsagiendum.* 293
Caput III. *In quo plura examinantur, quæ pertinent ad vegetationem lapidum: & analogismum circulationis maris per viscera terræ ad circulationem sanguinis per viscera microcosmi.* 299
Dissertatio II. *De anatome, & morsu & effectibus tarantulæ.* 303
Caput I. *Etymon nominis, & differentiæ tarantularum.* 305
Caput II. *De natura, & situ Regionum, in quibus nascitur tarantula.* ibid.
Caput III. *Anatome tarantulæ.* 306
Caput IV. *Vasa seminalia, ovum, & generatio tarantulæ exponuntur, ubi obiter nonnulla de ovis ostrearum, & de semine in genere.* 307
Caput V. *De morsu tarantulæ.* 308
Caput VI. *Morbi, & symptomata morsum consequentia describuntur.* 309
Caput VII. *Cetera symptomata ulterius exponuntur, & quam cum aliis morbis analogiam habeant, demonstratur.* 310
Caput VIII. *Curatio morsus tarantulæ, & effectuum ab eo provenientium.* 312

Caput

Caput IX. *Chorea; & muſica ſunt præcipuum hujus veneni antidotum. Ubi obiter modus ſaltandi Apuliæ familiaris deſcribitur.* 313
Caput X. *Nonnulla alia circa choream breviter expenduntur.* 314
Caput XI. *Variæ ægrorum hiſtoriæ proponuntur.* 315
Caput XII. *Nonnulla dubitative proponuntur circa hujus veneni genuinam naturam.* 318
Caput XIII. *Quid agat muſica in tarantatis, & in aliis morbis, breviter examinatur.* 320
Diſſertatio VII. *De uſu, & abuſu veſicantium.* 322
Caput I. *Nonnulla proponuntur experimenta circa effectus cantharidum.* 324
Caput II. *De incommodis ab uſu veſicantium.* 325
Caput III. *De commodis ab uſu veſicantium.* 327
Caput IV. *Veſicantium natura evidenter demonſtratur ex mechanica ſtimulorum doctrina.* 331
Diſſertatio VIII. *De obſervationibus anatomicis, & practicis, varii argumenti.* 334
Sylloge experimentorum per infuſoriam in vivis animalibus. 336
Hiſtoria morbi, & ſectionis cadaveris Marcelli Malpighii archiatri Pontificii. 339
Appendix de apoplexiis fere epidemicis elapſo biennio in Urbe, & per Italiam obſervatis. 340
Epiſtolæ clarorum Virorum, quorum judicio, & auctoritate Georgii Baglivi opera confirmatur. 341
Epiſtola I. *De Lumbricis latis:* ibid.
Epiſtola II. *De purgatione in principio febrium, ac de febribus meſentericis.* 341
Epiſtola III. *De admiranda vi ſolidorum.* 349
Epiſtola IV. *De rara diabetis curatione.* 352
Epiſtola V. *Laudans praxim medicam Baglivi.* 354
Epiſtola VI. *De eodem argumento ac præcedens.* 355
Epiſtola VII. *Laudat, & Baglivum, & ejus opera.* 356
Epiſtola VIII. *Praxim medicam Baglivi commendat.* 357
Epiſtola IX. *Pro impetratione operum Baglivi.* ibid.
Epiſtola X. *Baglivum mirifice laudat, & extollit.* 355
Epiſtola XI. *Baglivum, & ejus praxim medicam laudat.* 359
Epiſtola XII. *Praxim medicam tempore commendat.* ibid.
Epiſtola XIII. *Grates agit ob receptum opus de fibra motrice & morboſa, &c.* 360
Epiſtola XIV. *De Vanitate obtrectatorum Hippocratis, & Galeni.* 361
Joannis Dominici Santorini *Opuſcula quatuor.* 366
Opuſculum I. *De ſtructura, ac motu fibræ.* 371
Opuſculum II. *De nutritione animali.* 390
Opuſculum III. *De hæmorrhoidibus.* 405
Opuſculum IV. *De Catameniis.* 422

GEORGII BAGLIVI

DE

PRAXI MEDICA

LIBER I.

CAPUT I.

De Maxima Observationum in re Medica necessitate.

MONITA.

I. MEdicus naturæ Minister, & Interpres, quicquid meditetur & faciat, si naturæ non obtemperat, naturę non imperat. Origines namque morborum, & causæ longe abstrusiores sunt, quam ut humanæ mentis acies, eo usque penetrare possit, sæpiusque natura novum opus exorditur, ubi conatus nostri desiere.

II. Longarum observationum præsidio instructa mens sagax potissimam curandorum hominum rationem assequitur, præsertim si librorum lectio accesserit: iis tamen evolvendis, nisi maximas adhibeat cautiones, verendum est, ne ibidem novam inveniat errandi causam, unde nova se posse doctrinæ adjumenta petere existimabat.

III. Naturæ non hominis voce loquitur Hippocrates Medicorum Romulus; cui nec ætas prisca vidit parem in re medica, nec videbit futura, nisi demum respiscant Medici, & velut ab alto somno excitati, videant quantum differat historica, & mascula Græcorum medicina speculativa, & penſili novorum Hominum. Et minus imposterum fictis animi sententiis tribuentes decernant medicinam non ad mentis nostræ angustias esse arctandam, sed potius in apertum ex hisce angustiis naturæ campum revocandam.

IV. Quidquid hodiernam theoriam a prisca distinguit ruditate, id omne, debemus Philosophiæ experimentali, nostro hoc sæculo institutæ. Sed quo magis privatorum laboribus utilitas publica augescat, reliquum est, ut eadem ratione ad perfectam praxeos notitiam pervenire (quod totius artis caput est) totis viribus contendat nostrorum hominum industria. Sic enim insitas jamdiu & anticipatas mentibus nostris opiniones, quas maximum nostrorum errorum fontem merito dixerim, non solum deponet, sed efficiet, ut ex infante, & rudi, adulta demum, & sapiens evadat medicina.

V. Novi veteribus non opponendi, sed quoad fieri potest, perpetuo jungendi fœdere. Quid enim insulsius, quam ubi re consentiunt, eos verbis dissidentes facere? Hæc novas fingendi voces libido mirum est, ut Tyronem jam feliciter progredientem retardat, eique tenebras ac diffidentiam ex æquivocis effundit, qua de causa sæpius ubi sit, & quo se ferre debeat in morborum curationibus dubitat, sæpius impingit, & non raro veri, aut verisimilis specie vel fallit, vel fallitur. Quod spectat ad ægrotantes; hi sane nil sua interesse putant, si morborum effectus, & corporis animati principia rudioribus Antiquorum vocabulis appellaveris; dummodo veras curandi rationes perfecte noveris, verbaque tua traseant in facta, atque eventus respondeant promissis.

VI. Nil magis a vera morborum cognitione mentem retrahit, quam effrænis illa ſpeculandi, diſputandique licentia, cui in ipſa praxi adeo indulſere Medici Arabes, & quotquot poſt eos fuere Galenici, prætervectis lætis latiſque naturæ campis, ubi exultare liberius præclara adeo ingenia potuiſſent, ſe in dialeticorum tricas, ac dumeta conjicere maluerunt; quibus diu occupati, atque irretiti, nunquam ad novorum inventorum ſpem animum erexerunt.

VII. Medicina non ingenii humani partus eſt, ſed temporis filia; quam ut de divinatione Veteres quondam crediderunt, ex iis, quæ uſus diuturnus notavit, effectam merito dixeris. Definiri poteſt, Vis cognoſcens, videns, & explicans ex iis, quæ longo tempore, atque ſignificatione eventus obſervavit, atque animadvertit, diverſa morborum genera; hiſque non ex probabili quadam hypoteſi remedia adhibens, ſed ab artis divinæ præſcriptis longo uſu comprobatis, perpetuam medicinam petens. Hæc medendi diſciplina ſi cum hypotheticæ ſplendore, faſtu & magnificentia conferatur, tenuis quidem, imo vilis fortaſſe, ac contemnenda videbitur: at in illa nihil ſalutaris, ac vitalis ineſt, verum mira duntaxat ramorum, foliorumve luxuries, ad aſpectum quidem pulchra, ſed ſtatim flacceſcens, ubi primum eam novitatis gratia tamquam ſuccus defecerit. Hæc vero, quam modo deſcripſimus, cum non ex rebus fictis, commentitiiſque conſtet, non oſtentationis inanis, ſed quæ in curandis hominibus ſita eſt, veræ, gravis, ſolidæque gloriæ cupida, nec ad oſtentando flores, ſed ad uberrimos, & jucundiſſimos fructus proferendos comparata, in dies magis magiſque creſcit, ac vegetior fit.

VIII. Ad artem medicam, vere ac proprie non pertinere eam diſciplinæ noſtræ partem, quæ nimium tribuit ſpeculationibus, hominum eſt prudenter, ac conſiderate loquentium. Ars enim ex rebus penitus perſpectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſejunctis præceptionibus conſtat; datque rationes certas, quæ habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias: at hypotheſibus, quibus hodie tantopere delectamur, quid incertius? An eæ quicquam aliud habent ut plurimum, niſi meras conjecturas, quibus ex ſimilitudine in varias partes, nonnunquam etiam contrarias trahimur? Non in humani profecto ingenii acumine ſita eſt ars præſtantiſſima, quam diligens, & accurata, & ſagax notatio naturæ, atque animadverſio peperit; ſed potius variis cujuſque ætatis doctorum laboribus coacervata ſapientia dicenda eſt, hominumque multorum mens in unum quaſi collecta, &c.

IX. Ab ardenti, & flagranti illo in novas hypotheſes ſtudio, quot & quanta in Medicina irruperint mala, longum eſt & non neceſſarium hic commemorare: ſed hoc paucis dicam, primum quidem quod præclariſſima quæque ingenia doctis, & ingenioſis illis fabulis, quaſi delinita, ad rudiorem, & craſſiorem, ut ajunt, minervam, hoc eſt ad obſervandas morborum qualitates, & medicamentorum vires, ac proprietates periclitandas, deſcendere plerumque non ſolum pigeat, ſed etiam pudeat. Alterum vero quod ſtudioſorum animi, quibus ſemel imbuti ſunt fictis, ac comentitiis ſententiis, aſſiduitate, ac uſu eo uſque aſſueſcant, ut eas, poſtmodum in medicina facienda, non probabilium loco dumtaxat ut primum habeant, ſed tamquam certas adhibere nequaquam dubitent.

X. Satis, ſuperque ingenioſis Phyſices hypotheſibus, & ſubtilibus Logices diviſionibus, ac definitionibus huc uſque indulſimus. His omnibus ars noſtra illuſtratur, non efficitur. Natura ſui juris eſt, ac longius, latiuſque patet, quam ut certos ei fines, anguſtoſque humani ingenii terminos conſtituamus, extra quos egredi non poſſit. Res corporeæ admirabili quadam, eaque æterna, & conſtanti regula gubernantur. Naturæ itaque leges, ſi hominibus non verba dare, ſed reapſe eos juvare volumus, nutare, meditari, obſervare, eique adamuſſim obſequi, ac ſervire opus eſt.

XI. Hoc opuſculum ut in publicum ederem, non fecit profecto inanis, ac popularis auræ captandæ cupiditas, ſed eo adductus ſum, ut multis meorum æqualium hinc inde errantibus viam monſtrarem, & aliquantulum munirem. Nec me fugit, fore ut quamplurimi hunc qualemcumque laborem meum non æqui bonique conſulant. Alii ut Galenicis adhuc inquinato ſordibus mihi illudere, & ut ſuem ad volutabrum & tamquam canem rediiſſe ad vomitum, clamitare. Alii in Empiricorum tranſiiſſe caſtra, eiſque nomen dediſſe: ſin minus audaciæ certe, ac temeritatis arguere, quod omnium prope Recentiorum in idem conſpirantium votis intercedere, obnitique voluerim. Hæc, aliaque id genus ut facile contemnerem, effecit, qui a prima uſque ætate inſedit veritatis amor, ac publici ſtudii commodum. Enim vero puduiſſet, minus apud Chriſtianum Philoſophum, quam olim apud ſapientes Ethnicos valere priſcum illud effatum: *Utilitate hominum, nil debet eſſe homini antiquius.*

XII. Qui rationem cum experientia conflictare volunt, næ illi omnes deſipere mihi videntur tam Empirici, quam Rationales. Quomodo enim dici poteſt, omnes Rationi partes tribuendas eſſe ea in diſciplina, quæ, ut ſapiens quiſque fateri debet, longinqui temporis uſu, ac periclinatione acquiritur? aut reſpectum ad ſolam experientiam habendum eſſe, & nul-

& nullo loco Rationem esse numerandam; modo Rationis nomine, non illa vis animi intelligatur, quæ obscuræ naturæ investigans inventio, & excogitatio dicitur, & magis ad physicam pertinet: sed illa potius Domina omnium, & Regina Ratio, per quam consequentia videt Medicus, morborum principia, & causas conjicit, eorumdem progressus, eventusque auguratur, & ex rebus præsentibus assequitur, ac prospicit futuras. Has inter Medicos pugnas, & controversias rogo Deum Optim. Max. ut in magnum humani generis, & præsertim Christianæ Reipublicæ commodum componere velit, quo medicina tot retro sæculis misere jactata, in placido tranquillitatis, & concordiæ portu conquiescat.

CAPUT II.

Origo, Progressus, & quicquid inest certi Medicinæ, Observationibus magna ex parte debetur.

§. I.

NEcessitas Medicinam invenit, experientia perfecit. Quæ quidem prima ætate rudis erat, ac stupida; progressu vero temporis accendentibus in dies novis observationibus, sibique mutuo facem quasi præferentibus, cuncta præsertim regente, ac moderante rationis lumine, liberalis facta est & erudita.

II. Venetus adagium: *Lapides ad filum, non vero filum ad lapides regere*, adamussim quadrat in Medicos, qui sua quæque ratiocinia, perinde quasi construendæ medicinæ lapides ad filum rerum creatarum dirigere debent; etenim cum filum objectorum a Deo immutabiliter in Orbe subtensum, ne latum unguem inflecti queat, ut nostris aptari possit fallaciis, necesse est, ut humanæ mentis rationes ipsæ flectantur, & dirigantur in filum.

III. Duo sunt præcipui medicinæ cardines, Ratio, & Observatio; Observatio tamen est filum, ad quod dirigi debent Medicorum ratiocinia. Unicuique morbo non fictitia, sed certa, ac propria natura est: certa pariter, ac propria principia, incrementa, status & declinationes. Et sicut hæc omnia nulla mentis ope, sive independenter a mente peraguntur; ita in exploranda illorum natura usui nihil nobis erit subtilis, & arcana disputandi ratio, sed repetita, ac diligens observatio eorum, quæ singulis accidunt ægrotantibus, nec non solertia mentis naturæ methodo conformis, ac pedissequa.

IV. Non raro medicorum spectationi, quamquam ratione, & experientia suffultæ eventus non respondent; idque non ex regularum præstantissimæ artis defectu; sed aut ex multiplici, ac pene incredibili causarum, tum internarum, tum externarum concursu: vel potius ex Patientis, Adstantium, & Medici indebite accommodandi, determinandique ea, quæ ad curationem spectant negligentia, & roribus.

V. Multi nimium Rationi tribuunt, & nihil experientiæ; multi contra faciunt. Utrique æqualiter peccant, unde tot inter Medicos contentiones, tot inter theoriam, & praxim dissidia. Nos latet, æternumque latebit minima illa, ac subtilis, non solum a sensibus, sed ad humanæ mentis acie prorsus remota, solidarum æque, ac fluidarum corporis viventis partium textura. Fallax quoque non raro experientia, si rationis ductu fuerit destituta; quapropter nisi mutua sibi lucem communicent, æquam erroris ansam præbebunt.

VI. Licet nos omnino fugiat, in quo situm sit cujusque partis vitium, & cujusque morbi natura: observamus tamen, quod suum quique typum habeant, certas pariter crescendi, decrescendique leges, sive periodos definitas, & constantes. Rem ita omnino esse manifeste constabit, si naturæ sua sponte agere permittatur, nec incongrua medendi methodo interpelletur. Quod si secus accidat, methodo id, non naturæ tribuendum. Duo namque ægri eadem morbi specie v. g. pleuritide affecti, sed a diversis Medicis, diversa methodo tractati, diversis pariter corripientur symtomatibus: qua ratione si in methodo error fiet, multorum symtomatum auctor erit Medicus, non morbus.

VII. Si Hippocratis aphorismos, præsagia, coacas &c. cum Posterorum observationibus comparaveris, quæ fuit superioribus sæculis, eamdem nunc esse morborum naturam, & eodem ac olim ordine procedere illorum periodos liquido constabit. Ex his omnibus deduci jure poterit, medicinam non adeo incertam esse nec adeo levibus, ut vulgo putant, innixam fundamentis, sed ex regulis certis, multoque usu confirmatis pronunciare. Observationes namque, quæ caput artis sunt, pro subjecto habent humanum corpus, cujus motus sive naturales, sive morbosi originem habent stabilem, & periodos regulares, ac constantes: unde & Medicinæ dogmata talibus superstructa observationibus, fieri vix potest, quin certa sint, & perpetua.

VIII. Id cum probe intellexisset Hippocrates totis viribus enixus est, ut observationes recte, ac diligenter institueret: quarum ope, ac præsidio cognovit morbos habere passiones quasdam constantes & individuas, quasdam vero adventitias, & communes aliis. Constantes dependent ab ipsa individua, & constanti morbi natura. Adventitiæ vel a varia medendi methodo, vel a multiplici, & semper vario causarum concursu. Harum primas, utpote

artis regulas, aphorismis & præceptis concluſit; ceteras ſicuti loco præceptorum haberi noluit: ita etiam nec contemnendas putavit, ſed arbitrio boni Viri, hoc eſt prudentis, ac ſagacis Medici judicio commiſit.

IX. Conſtantes hujuſmodi paſſiones (quæ vocari poſſent ſigna morborum characteriſtica) interdum claræ ſunt, noſtriſque ſenſibus obviæ interdum obſcuræ, & quarum ratio probabilis difficulter reddi poteſt. Qualeſcumque tamen eæ fuerint, a Medico contemni non debent, ſed eadem prorſus, qua apparent ſimplicitate, fideliter adnotari. Nam ſicuti a minima quaque circumſtantia indicationes curativæ petuntur: ita minimi quique, quamvis ſubobſcuri, morborum motus inveſtigandi erunt, atque deſcribendi. Quo pacto non ſolum morborum hiſtoria abſoluta habebitur, & perfecta: ſed, quod magis intereſt, ipſa methodus curativa.

X. Longum eſſet recenſere obſcuros quoſque motus, qui in curandis morbis obſervari ſolent. Ad clariorem argumenti elucidationem paucos dumtaxat adnotabimus. Hujus generis eſt doctrina dierum criticorum, ſive deſpumationis materiæ morboſæ definito febris tempore factæ. Quod acuti morbi imparibus diebus, ſalutariter definant, & qui paribus fere ſint lethales. E contra chronici paribus tum diebus, tum menſibus terminentur, ut Veteres obſervarunt. Hujus quoque generis ſunt occultæ morborum inter ſe permutationes, ad has potius, quam ad alias partes, metaſtaſes, occulti pariter partium inter ſe conſenſus. Inter tibias, & pectus, inter pudenda, & pectus arcani quidam obſervantur conſenſus. Ulcera antiqua, cauteria, aliaque tibiarum mala intempeſtive, aut imprudenter ſanata in pernicioſos pectoris morbos definunt, ut quotidiana conſtat experientia. In morbis pectoris diuretica, & pediluvia, utilia ſunt, purgantia contra generaliter noxia. Omnes pleuriticos ſanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor, & exinde ſuppuratio ſupervenerunt. Febres intermittentes, nullis nec digerentibus, nec ſolventibus, nec febrifugis cedentes remediis, facta venæ ſectione in ſalvatella, frequente ſanantur feliciſſime. A dolore forti ad teſtes irruente tuſſis ſicca ſolvitur, *Conſ. 2. epid. ſect. 5.* Cum teſtis intumeſcit a tuſſi, memoriam renovat ſocietatis pectoris, mammarum, genituræ, & vocis, *Conſ. 2. Epid. ſect. 1.* Si teſtium inflammationi tuſſis ſuperveniat, inflammatio ſolvetur & contra, *Conſ. epid. ſect. 1.* Hydrocele diſcuſſa ſupervenit hydrops pectoris. *Dem. de* Meara *obſ. medic.* Præire, & ſubſequi ſternutamenta in morbis pulmonum, malum, *Conſ. 2. prædict. cap. 9.* Arcani quoque quid in ſe habent certæ quædam morborum periodi, & ſtatis horis exacerbationes, ut in doloribus nonnullis obſervamus, necnon *in* febribus, aliiſque quam plurimis morbis.

XI. Hæc aliaque id genus multa, Recentiores Medici, dum audiunt, irrident, dum obſervant, negligunt, magno ægrotantium detrimento. Plura quæ captum noſtrum ſuperant, contemnenda non ſunt, ſed ſapientiæ parserit, dum veram illorum naturam per ratiocinia attingere non poſſumus, effectus ſaltem exterius apparentes diligenter notare, & exinde præcepta ad praxim determinare. Solet enim ingenium humanum, dum deſperat, vel non ſufficit difficilibus detegendis, eorumdemque probabili rationi reddendæ, ſe conſumere, ac velut atterere in ſupervacaneis. Sive ut ait Franc. Baco fol. 293. *Poſt quam homines de veritate invenienda ſemel deſperaverint, omnino omnia fiunt languidiora, ex quo fit, ut deflectant potius ad amenas diſputationes, & rerum quaſdam peragrationes, quam in ſeveritate inquiſitionis ſe ſuſtineant.* Cæcutiente igitur in hiſce arduis ratione, obſervationes utcumque fuerint delineandæ, nulliſque ſpeculationum fucis adulteratæ lectoribus proponendæ, ut dicunt olim Aſclepiadorum non ineleganter ſine coloribus pinxiſſe.

XII. Ex antedictis origo Medicinæ & quicquid ſolidioris eidem ineſt, ab experientia potiſſimum provenit. Quod ſpectat ad peculiarem cujuslibet morbi curationem, arbitror illam raro feliciter ceſſuram, niſi ratio obſervationi adjungatur. Mille namque morborum cauſæ, varia ægrorum temperamenta, ætates, ſexus, vitæ genera, climata diverſæ naturæ, variæ annorum conſtitutiones, & varia ſemper influentes, innumera denique alia, quæ ad producendos, fovendoſque morbos concurrunt, ita interdum certam conſtantemque morbi, & ſuorum ſymptomatum naturam perturbant, ut difficile ſit veritatem inveſtigare, niſi complexus horum omnium ſagaci rationis uſu perpendatur, & illuſtretur.

CAPUT III.

De impedimentis, quæ Medicorum in obſervando diligentiam huc uſque retardarunt.

§. I.

SI vera ſunt, vel ſaltem veriſimilia, quæ paulo ante ſcripſimus; reſtat nunc, ut exploremus cauſas, quæ impediverunt, quo minus Praxis medica per tale obſervationum ſtudium augeſceret, atque perficeretur. Deriſio veterum Medicorum. Falſa Medicorum idola, ſive opiniones falſo præconceptæ. Falſum genus analogiarum, ſive falſæ ſimilitudines. Prepoſtera librorum lectio. Præpoſtera librorum interpretatio, efficiendorumque ſyſtematum cacoethe. Intermiſſum ſtudium tractandi de morbis aphoriſtice, &c. præcipua

pua mihi videntur esse impedimenta, quæ Medicorum in observando diligentiam, ac per consequens ipsiusmet Praxeos progressus retardarunt. Quamobrem ut rei veritas clarius constet, singula quæque propriis capitibus examinabimus. Præter antedicta recenseri quoque possent alia quamplurima, & potissimum præpostera in adipiscendis scientiis Præceptorum institutio. Iis namque cum mentem nostram ab anteceptis opinionibus solutam primo subjiciamus, si contingat ut, vel sine methodo sint, vel erroribus implicati, vel minus acri, & intelligenti judicio præditi; hæc omnia in nos transfusa, tam alte mentibus nostris insident, ut deleri postea haudquaquami possint, nisi vel per optimos Præceptores, vel per experientiam ipsam, in rectam veritatis viam dirigamur, & ita dediscamus ea omnia, quæ nostrorum errorum primi, ac præcipui fontes erant.

II. Temperamentum cuilibet nostrum insitum, sive innatum sæpissime compellit nos in errores, sive ad falsè de rebus judicandum. Præter authoritatem Galeni in libello: *Quod animi mores corporis temperiem sequantur;* Experientia quotidiana rem ita esse omnino nos docet. Multi cæteroquin sagaces, & docti Viri opinionibus quibusdam mancipantur, quarum falsitatem, vel rudissimus quisque abunde cognoscit; at illi ob innatam quandam animi inclinationem, qua in illis feruntur, non solum certas existimant, sed ne per evidentissimas rationes ab iisdem removeri patiuntur. Hoc apertius constat in aliquibus Medicis, dum remedia pro curatione morborum præscribunt. Sic sæpe Medicus natura timidus & melancholicus, vel temperamento præditus, ut ajunt, & frigido, & humido, ob naturalem sui animi habitum, abhorret a remediis spirituosis, volatilibus, impetum facientibus, aliisque potentioribus; omniumque morborum curationem aggreditur per medicamenta humectantia, infrigidantia, pacem humoribus conciliantia, & reliqua minus activa. Contra, qui temperamento fuerit calidus, bilioſus, natura impatiens, ferox &c. posthabitis omnibus refrigerantibus, ac levioribus remediis, nihil libentius præscribet, quam volatilia, spirituosa, alchalica, aromatica, ferrum, ignem, vesicantia, purgantia vehementiora, & similia maximi impetus, & activitatis. Et sicuti pro antedicta naturali inclinatione his præ aliis remediorum generibus delectantur; ita pariter his præ aliis medicinæ dogmatis, ac præceptis; & per eamdem interdum de scientiis judicant, ac decernunt. Quamobrem nisi attenta meditatione inclinationi illi obviam ire sategerint, & internos temperamenti motus recta ratione dirigere noverint, præfatis, aliisque erroribus obnoxii erunt quam maxime.

III. Major adhibita fides inutilibus proprii ingenii commentationibus, quam naturæ monitis, & observationibuss, inter causas, quæ innumeros æque, ac pernicioſos errores produxerunt, non infimum obtinet locum. Et quidem dum considero naturam sui juris esse, nec ingeniis addictam nostris suoſque motus ita occulte peragere, ut nulla alia via investigari facilius possint, quam per observationem, vel per rationem observationis pediſequam: e contra, homines impetu quodam animi, ac velut pro arbitrio de eadem differere, non miror postmodum si & falsas exinde deducant conclusiones, & curationes morborum talibus innixæ conclusionibus ex voto non respondeant: miror tamen quod tam leviter causas errorum exinde provenientium, artis incostantiæ, ut ajunt, atque incertitudini, non vero præposteris suis argumentandi, speculandique modis attribuant. Quibus certe de causis factum est hodie, ut multi incertam pronuncient medicinam, alii prognosticandi doctrinam derideant, alii medicamenta tumultuarie, nulliſque criseos, & coctionis legibus servatis quovis morbi tempore, & cujuscumque activitatis prescribant, multi nil credant antiquis, & recentioribus nimium, multi neutris omnino. Humilitatem propriam humilitati naturæ ejusdemque simplicitati non subjiciant, sed per arrogantiam theoriarum de ipsius effectibus judicent, & lusu quodam eamdem imitantes, nil mirum tandem si hac ratione præconceptos de morborum curationibus errores non solvant, sed nutriant, permutent, non extinguat. Hæc igitur aliaque quamplurima adnotari possent impedimenta, quibus medicinæ praxis retardata hucusque fuit; ne tamen in molem legentibus forsan permolestam excrescat libellus, studio prætermittuntur: sufficiantque sequentia magis præcipua.

CAPUT IV.

IMPEDIMENTUM I.

Derisio Veterum Medicorum.

§. I.

PRæclara aliorum studia, & qualescumque in promovendis scientiis conatus, sicuti indignum est docto, & honesto viro deridere, ita plane tum Reipublicæ, tum facili scientiarum progressui summopere noxium. Constat id potissimum in re medica, in qua cum major pars eorum, qui per hos 40. prope annos scripserunt, in nulla re magis occupata fuisset, quam in deridendis veterum medicorum documentis: credi vix potest in quantam id, medicinæ æque, ac ægrorum perniciem redundaverit. Precipuam

puam huic errori anſam dediſſe mihi videntur Helmontius, & Paracelſus, qui ut propriam ſectam ſuper Galenicæ ruinas adſtruerent, Galenum, & Veteres pene omnes, non ſolum falſitatis & ignorantiæ accuſarunt, ſed in editis ſuis de re medica libris, ſcommatis, & calumniis proſciderunt. Neque intra iſtos dumtaxat Viros hoc deridendi vitium ſe continuit, ſed ſerpere in dies magis cœpit, potiſſimum apud Aſſeclas illorum, apud quos tantopere viguit, & etiamnum viget, ut nihil magis ſtudeant, quam ut orationes ſuæ, non rerum naturæ; ſed affectionibus animorum convenientes ſint, unde accidit non recta ratione, ſed impetu animi ſententias ferri.

II. Qui novis hoc ſæculo excogitatis hypotheſibus nomen ſibi facere voluerunt, continere quoque ſe non potuerunt, quin Veteres deriderent, idque forſan iiſdemmet de cauſis, quibus & antecedentes; & quoniam hæ novæ hypotheſes ſuos pariter habuere ſectatores; hi quoque factione quadam, vel conſuetudine diridendi, Veteres, vel non lectos, vel non intellectos longe lateque divexarunt. Ceterum ſive prædictis, ſive privatis aliis de cauſis facta hæc ſunt, quamplurima exinde oriuntur incommoda: ſed potiſſimum cum deriſor non judicet æquo animo, ſed per opinionem præconceptam de præceptis curandorum morborum in Veterum ſcriptis abundanter expoſitis; neceſſario fit, ut ea, vel falſa putet, vel prorſus inutilia, & ita ægrotantes privat commodo, quod exinde forſan eſſent ſuſcepturi. Porro nimium ſibi ſuiſque hypotheſibus, atque ſententiis tribuentes, ad experientiam deſcendere fere dedignantur: & ſi deſcendunt, vel per jocum imitantur naturam, vel ex paucis experientiæ manipulis ad axiomata generalia intempeſtive tranſcendunt, & ab his potius, quam a phenomenis ſedulo detectis ad cauſam latentem argumentantur. Taceo alia multa hujus generis incommoda, quæ Medicis & medicinæ, ſed multo magis ægrotantibus a turpi vitio deridendi ſuperveniunt, quæque a ſinceræ mentis Viro, & debite de rebus judicante animadvertit facile notarique poterunt.

III. Sed quod ad Veteres ſpeciatim attinet; eos laude dignos potius, quam deriſione, & calumniis judicarem. Nam præterquamquod prima præſtantiſſimæ artis fundamenta per eos facta ſunt; tam diligenter ſingulorum morborum naturam expenderunt, tantiſque acceſſionibus veram praxim locupletarunt, ut nobis ultra nitendi exiguam quaſi ſpem ſublimes illæ mentes reliquerint. Nec propterea quod nonnulli Galenicorum in theorias minus conſtantes, minuſque certas nimium propenſi fuerunt, univerſa Veterum ſcola ignorantiæ, & falſitatis indiſcriminatim accuſanda. Siquidem Galenici ſuperiorum ætatum, ut indulgerent genio ſæculi, in quo floruerunt, necnon barbaris Arabum interpretationibus, theoriis illis addicti aliquantulum fuerunt; præſertim cum per tot annorum ſilentia fontes medicinæ Græcæ ex quibus fundos ſuos irrigabant Medici, vel inaruerunt, vel turbati fuerunt ſophiſticis additionibus. Per eadem tamen tempora quamplurimi illorum, bene cognita theoriæ ſuæ inconſtantia, ad diagnoſin, prognoſin, curationemque morborum, ſive ad praxim ſolidam ſtudium omne contulerunt; qua in re quam præſtantiſſimos habuerint progreſſus, abunde liquet ex optimis curationibus, & præceptis, quibus libros ſuos exornarunt. At Recentiores maligne obtrectantes tantis Viris non ſolum in theoria, verum etiam in praxi; utraſque deriſioni exponere non erubeſcunt; Et in hac opinione quotidie magis obdurati, errare potius volunt cum iis, de quibus bonam aliquam, quamvis falſiſſimam conceperunt opinionem, quam ſapere cum doctis viris, de quibus non ita bene ſentiunt. Galenum inique deprimere, eique impudenter maledicere, ut ſi omnium, & qui nunc ſunt, & qui unquam fuerunt hominum peſſimus, iniquiſſimuſque fuiſſet. Recentiores contra modo Deos, modo Principes ſcientiarum appellare, res eſt minus prudentis Viri, atque de auctoribus extrema ſentientis. Obnixe igitur rogamus Medicos, ut impoſterum æque ſuſcipiant, tum recentiores, tum antiquos, & in utrorumque lectione nil aliud diligentius inquirant, quam præcepta, monita, remedia diu probata, & hujuſmodi ſolida, quæ & perpetua ſunt, & in communi hoc, in quo fluctuamus mortalitatis pelago, alicujus uſus & poteſtatis; reliqua vero, quæ vel abſtracta ſunt, vel nemini unquam profutura erunt, omnino prætermittant, & ad populares ſermones relegent.

CAPUT V.
IMPEDIMENTUM II.
Falſa Medicorum Idola, ſive opiniones falſo præconcepta.
§. I.

TErtium inter Praxeos remoras locum obtinent falſa idola, quibus magna Medicorum pars, præſertim hoc ſæculo obnoxia eſt: ad eorumque præſcriptum agens, veros mentis, & naturæ ſenſus diſtrahit, atque perturbat: unde non recta ratione, ſed mente antecepta conſilia ferri contingit. Inter tot idola ſufficiant ſequentia, quæ obiter in mentem venerunt. Multi ob fauſtos eventus ſemel, aut bis obſervatos ex aliquo remedio, vel potius ob innatam quamdam proclivitatem, tum laudandi, tum fingendi ad libitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliquod afficiuntur, ut pu-

tent illud unum ad curandos quosque morbos summam vim, ac veluti imperium obtinere: ideo videmus inter Medicos, nonnullos in morbis omnibus laudare lac, & serum lactis; alios remedia spirituosa & volatilia; alios acida & alchalia; alios purgantia & phlebotomias; & sic deinceps quamplura alia hujus generis particularia remedia unusquisque pro sui genio, & prout per initia juvenilis Praxeos erga illa affectus fuerit, deprædicat; reliqua vero quantumvis experta, & utilia dimittit imprudenter, & abjicit. Sunt qui afficiuntur erga theoreticum aliquod dogma, aut practicum, illudque vel petitum e libris, vel a seipsis excogitatum, omnesque morborum curationes ad modulum talis dogmatis, & dirigunt, & absolvunt. In recensendis singulis hujusmodi falsis placitis frustra nunc tempus tererem; nam cuilibet constare poterunt Recentiorum lucubrationes sedulo consideranti, qui per istud respicere ad pauca, & pronunciare secundum pauca praxim medicam fere perdiderunt.

II. Sanguinis missionem, purgantia, vesicantia, & reliqua Galenicæ Praxeos remedia, multi Medicorum hoc sæculo supervacanea prorsus, atque pernicioſa existimat. Simiola hæc Helmontio Auctore in scænam prodiit, & per angustias experientiæ abscissæ, ac inconsideratæ varie illudens, mirum quantum Recentiorum animos præoccupaverit, qui novitatibus hisce illecti, contra usum talium remediorum supercilioſe admodum, & ingenti ægrorum damno debacchantur. Putant alii morbos omnes ab acido produci, & omnes pariter per alchalia remedia curandos esse. Hoc medendi genus utpote omnium facillimum, & brevi dierum spatio a rudi quaque mulierecula etiam addiscendum, præ ceteris hodie invaluit, at Medici ignari illius Hippocratici, quod centena sint, quæ hominem lædunt, tali medendi ratione mihi videntur conjectari potius, sive divinare de rebus morborum quam invenire, & scire, ut fuse inferius. Incipientibus quibuslibet morbis solent nonnulli purgans medicamentum ægro tanti exhibere ad subducendam, ut ajunt, materiam antecedentem, quæ fovet proximam. Simiolam hanc in Arabum scholis natam multi inter medicos constanter adhuc retinent: neque quicquam possunt ad eos ab hac opinione removendos, vel repetitæ recentiorum observationes circa opportunum purgantium usum factæ: vel ipsius Divini Senis exemplum, qui nonnisi in turgente materia purgantibus utebatur initio morborum. Purgantia namque cum sint de genere remediorum refermentantium, interdum crudam, & in latibulis quiescentem materiam subdita quasi face ad actum provocant, & ita febres, vel exacerbant, vel duplicant, vel jamjam recedentes revocant.

III. Inter Simiolas, quæ Medicos summopere fallunt, recenseri quoque debet illa putantium, neminem ad perfectam Praxeos cognitionem perventurum fore, nisi aliarum scientiarum adminiculis Dialectices nempe, Matheseos, Peritiæ variorum idiomatum, Rhetorices, Astronomiæ, &c. instructus accesserit: quarum omnium, aliarumque hujus generis cognitio, licet non perexiguum aliquod ornamentum medicinæ afferre possit, me tamen Judice, tanti interest Medici ad intimiorem morborum historiam assequendam, quanti interest Musici ars pictoria: nam experientia constat, senes Galenicos, & Latinam linguam vix callentes, æque bene morborum curationem istituere, ac ii, qui nonnullarum scientiarum ad curandos morbos nihil conferentium jactantur peritissimi. Ab hac posteriorum temporum consuetudine, absurda varia in re medica oriuntur. Et præ ceteris cum magnam temporis partem insumant in antedictis scientiis acquirendis, exigua illa, quæ remanet, vix sufficit perdiscendis primis praxeos rudimentis. Porro publice se jactant Astrologos, Poetas, Criticos, Historicos, Philosophos, Linguæ Græcæ, vel Hebraicæ peritos, &c. Si vero privatim interpellentur de reddendis rationibus eorum, ad quæ nos ducit Oraculum antiquum, nempe de scientia Nostri: argumenta, quæ afferunt, jejuna sunt, & nullius usus. His aliisque de causis impares redditi ad solidam praxim per observationes adipiscendam, ediscunt statim hypotheseos alicujus generalis ideam, & per dogmata quædam generalia, modo theoretica, modo practica morborum omnium curationes instituunt: quæ quoniam sunt veluti spectra quædam in superficie rerum, tamquam in aquis natantia, ac ludentia, nil mirum, si spem illorum inflent primo, postea vero destituant.

IV. Sed ut ordinatius procedamus in solutione præsentis argumenti, distinguenda erit historia morborum, sive medicina prima a curatione eorumdem, sive Medicina secunda. Historia morborum est scientia sui generis, nec ab aliis sua mutuatur principia, & incrementa: sed a saluberrimis duntaxat, purissimisque naturæ fontibus, per quos clara evadit, & fidelis. Sive ut clarius loquar, historia morborum tota, quanta est, pendet a sedula, & patienti descriptione eorum, quæ doctus Observator de morborum invasione, progressu, & exitu adnotaverit, & eadem, qua observavit simplicitate, chartis exposuerit, nihil addendo de suis, nihil de librorum, aliarumque scientiarum præscriptis. Infantiam igitur medicinæ, cui historia morborum primam præbet mammam, aliarum scientiarum legibus assuescere, ac confundere, idem est, ac ipsius divinæ artis fundamenta evertere

tere prorſus, atque diruere. Equidem omnis medicina prima, quæ baſis eſt ſecundæ, ſive curativæ, taliter tractari debet, ut non ex natura mentis, quod plurimi fecerunt, ſed ex ipſa rerum natura promanet; id eſt, ut non per otioſas diſputationes, vel per arrogantiam, & faſtum, ſed per labores varios, per inquiſitionis patientiam, demum per fidem in obſervando anxiam, & quaſi dubitabundam promoveatur.

V. Ad medicinam ſecundam, ſive curativam morborum, fateor ſane plurimum lucis allatura eſſe aliarum ſcientiarum ſtudia, & præſertim illarum, quæ cognationem aliquam habent cum medicina, vel illius membra ſunt. Inter has numerari poſſent Chymia, Botanica, Doctrina Diætetices, Gymnaſtices, & ſex rerum nonnaturalium, Philoſophia Experimentalis, Anatome, & aliæ hujus generis, quæ ad integram methodi perfectionem, necnon ad hauriendas promtiſſime, & ex minimis quibuſque circumſtantiis indicationes curativas maximopere faciunt. Methodus enim cum ſit quædam veluti architectura ædificii Medici, & fundamentum curationum, abſoluta eſſe non poterit, niſi per vias a talibus indicatas ſcientiis, ſui partes invicem perficiantur, atque in unitatem veritatis & naturæ conſpirent. Quod ſpectat ad reliquas ſcientias, quæ nullam cum medicina cognationem habent, non negaverim, quod ad acuendam mentis ſolertiam, necnon ad ornatum Profeſſoris aliquid conferre poſſint ſtudia Mathematices (de quibus unus inſtar omnium videndus erit Marinus Gherardus Raguſinus Conterraneus noſter in doctiſſimis libris de Compoſitione, & Reſolutione Mathematica, & in Appollonio Redivivo) Meteororum, Aſtronomiæ, Eloquentiæ, ſive artis Suaſoriæ, Philoſophiæ moralis, præſertim quæ tractat de componendis moribus, & adipiſcenda prudentia, Medicis, tantopere neceſſaria &c. quoniam tamen ſunt extra aleam curandorum Hominum, idcirco horis dumtaxat ſubſecivis, animique relaxandi gratia iiſdem utendum; nam ſicuti vires corporis, vel animi nimia contentione debilitantur & franguntur, ita contra conceſſa quiete, relaxationeq; opportuna reficiuntur ſummopere, & confirmantur.

VI. Errant qui putant, ſe morbos feliciter curaturos, quia doctrinam recte theorizandi adamuſſim callent. Errant, inquam, quia Medicus ad multo altiora reſpicere debet, ut innocentem artem a calumniis vindicet, ægroſque a morborum tædio ad ſalutis tranquillitatem revocet. Cadavera hominum morbis denatorum ſecanda ſunt ei, manuſque inquinandæ, ut inveniat quæ morbi ſit ſedes, quæ cauſa, qui exitus antecedentium ſymtomatum; qui demum effectuum omnium in antecedenti morbo obſervatorum eventus. Stercus & urinam, & linguam, & oculos, pulſum & faciem, animi pathemata, antecedens vitæ genus, & errores ægrotantis, ac reliqua hujus generis diligenter conſiderare debet, ut in vera, & naturalia morborum diagnoſtica, prognoſtica, indicationeſque curativas perveniat. Splendida oſtentare, aut frequentare muſæa; librorum ingentem copiam habere, at illos ne ſalutare quidem; plurium Academiarum Collegiis te adſcribere, ut nominis tui fama in hodiernis Litteratorum Diariis celebrantur ad leniendos tuorum ægrotantium dolores, ne minimum quidem conferre poterunt. Conferet tamen ſi ſqualliidos ægrorum lectulos, & publica Xenodochia viſitaveris, & auſtera quadam, atque intrepida patientia adnotaveris quid boni aut mali ſingulis morbi temporibus contingat qui progreſſus ſymtomatum, quique eorumdem exitus poſt adhibita quæque remedia ſuccedant. An præſens morbus in alterius ſpeciei morbum mutetur. Quæ benignitas, malignitas, vehementia &c. Morbi, & ſymtomatum quolibet eorum tempore apparuit. Quæ medendi methodus ſingulis morbis perpetua, & ſtabilis detecta ſit. Quæ morbi, & ſymtomatum facies, qui exitus poſthæc, aliave excreta ac retenta. Et hujuſmodi centena paulo arctiorem cum natura cognationem habentia, quæque illius partes diſtinguunt potius, quam diſcerpunt, & frangunt.

VII. Inanis gloriæ deſiderium Simiola fuit quæ Medicos omni ætate compulit ad ſectas condendas, potius quam ad nova in dies detegenda phænomena, quæ morborum hiſtoriam illuſtrant, confirmarentque. Et ita fingentes ad libitum rerum naturam, indigeſtiſque quibuſdam meditationibus eamdem fere evertentes; nil mirum ſi medicinæ fundum, & patrimonium hac ratione depauperarint; florentemque illius ſtatum inutilium librorum copia perturbarint. Aſſeclæ vero illorum vana quadam hallucinati reverentia, vel ignavia ab inveſtigatione deterriti, ſatius duxerunt ſubtilis Interpretis, Antagoniſtæ nervoſi, aut Methodici abbreviatoris famam affectare; quam per obſervationes proprias diagnoſim, prognoſim, curationemque morborum determinare: ſive ut clarius loquar; Perſonas Magiſtri & Auditoris, non vero Inventoris, & ejus qui inventis addat, ſuſtinuerunt.

VIII. Morum præcepta illa optima ſunt, quæ publica, quæ communia, quæ omnes ex omni domo conclamant Peripatetici, Academici, Stoici. Hoc Senecæ de moribus effatum Medici noſtræ ætatis amplecti deberent. Siquidem ill præcepta Praxeos nec publica nec communia cuilibet ſectæ, Galenicæ ſcilicet Chymicæ, Mechanicæ &c. (ſicuti ſunt Hippocratis opera) ſed ea potiſſimum particularia, nul-

nullisque historiis ; aut facto rei confirmata publicæ luci exponunt . Quod semel ex voto successisse observarunt, id semper tali modo futurum arbitrantur ; sed progressu temporis re melius perpecta illud particulare , & instabile , non vero comune , ac perpetuum fuisse animadverterunt . Paradoxa hodierna , mutua Recentium Medicorum dissidia , tot libri de Incertitudine medicæ a Nostratibus imprudenter typis editi , abunde testantur , hodierne Praxeos dogmata publica non esse , ac veluti convocatis generalibus Medicorum Comitiis, singulorum votis confirmata, sed ad placitum uniuscujusque excogitata : idque vel odio sectæ contrariæ , vel amore sectæ propriæ (solent enim Medici sectæ cui se devoverunt gloriam quibusvis artibus tueri , ac extollere) vel defectu solertiæ mentis , vel ingenti copia præjudiciorum eidem undequaque insinuatorum , vel affectatione novitatis , prout hoc sæculo ad nauseam fere factum videmus, vel falsis Præceptorum , & inanium librorum documentis , vel contemtu medici socii, & sic de aliis . De medicinæ igitur incrementis numquam bene sperandum , nisi una omnibus inhæreat , & omnes in unam consentiant.

IX. Abusus accusandi fictam quamdam in morbis malignitatem , est simiola quæ frequenter rudioribus Medicis imponit . Hi non examinatis diligenter causis morborum antecedentibus , symtomatibus , & statu pene integro morbi magnos hac ratione errores in methodo curativa committunt ; per quos quidem cum morbus natura sua lenis graviter exacerbetur : statim exacerbationis illius causam malignitati nescio cui latenti , vel ut opinor , ab illis excogitatæ , attribuunt . Interea nescientes in quibus talis malignitatis natura sita sit , populari illi opinioni solummodo acquiescunt ; scilicet humorum malignitatem medicamentis alexipharmacis , & excalefacientibus aggredi statim debere se , & per sudores eliminare . At post multos eductos sudores, non solum malignitas illa interdum non submovetur ; sed potius per eos, latentes viscerum inflammationes , quæ talium febrium ut plurimum sunt causæ genuinæ , magis magisque augentur , & in graviora mala conjiciunt ægrotantem . Recentiores contra diligentius examinatis accidentibus , febres malignas vulgo dictas concomitantibus, detexerunt eas omnes duplici potissimum ex causa coagulatione scilicet , vel dissolutione humorum pendere : & pro vario , ac præternaturali hoc humorum statu ; varia quoque methodo curandas esse . Medicamenta cardiaca , spirituosa , & excalefacientia sicuti in febribus malignis , ex coagulatione bene cedunt ; ita contra in iis ex dissolutione perniciosissima sunt , solaque acida temperata , emulsiones seminum , gelatinæ cornuu cervi ; & similia temperantia , dissolutivum illum , ac pene inflammatorium sanguinis statum refrenant . Quoniam vero prædicta medicamenta manifesta qualitate dissolvendi , & temperandi operantur , a manifesta pariter causa tales febres produci , nemo inficias iverit : adeoque somniatum malignitatis commentum sponte sua concidere . Non diffiteor tamen dari interdum febres vere malignas : ab aura & humore venenis analogo , nostrisque sensibus vix perceplibili productas , quales a pravis aeris qualitatibus , & influentiis , cibis deleteriæ substantiæ, animalibus venenatis, & aliis hujusmodi causis excitantur ; sed hæc est rara avis in terris , nec ita frequens in singulis morbis , ut vulgo medici arbitrantur . Plures alias simiolas quæ medicis illudunt , praximque remorantur , prætermittimus ; ne tædio legentibus simus , & ne crambem sæpius recoquamus.

CAPUT VI.

IMPEDIMENTUM III.

Falsum genus analogiarum , sive falsæ similitudines.

§. I.

ARgumentatio a simili sicuti facilior omnium est , ita si debite non instituatur ceteris omnibus fallaciores deducit conclusiones. Nec aliunde medicorum in inquirendo impatientia tam aperte deducitur , quam a falsis similitudinibus, quibus illi , tum in curandis morbis, tum in judicando de iisdem tantopere indulgent . Similitudo ut perfecte concludat versari debet inter res sub eodem genere positas , ut inter plantas , & plantas , mineralia & mineralia , viventia , & viventia , & sic deinceps ; ut ita possint singula unius rei attributa verificari de alia , cui assimilatur , aliter conclusio erit imperfecta , nec per sufficientem partium ennumerationem ; unde profecto gravissimis erroribus occasio dabitur. Qui Alexandrum Farnesium Cæsari comparaverit , cum ratione id faciet : ambo namque homines sunt , ambo strenui suorum temporum Duces ; illiusque attributa, Caseris attributis optime respondent. Si vero Farnesium Soli assimilaverit, nimium distans, & prorsus extra sphæram talis erit similitudo : Solis enim prædicata in Farnesio absoluta verificari non poterunt. Hac prorsus ratione de similitudinibus in re medica usitatis judicandum .

II. Qui analogice ab anatomia insectorum , ad anatomiam Brutorum , ab hac ad illam hominum philosophantur , optime philosophantur: siquidem sub genere Viventium analogizant . Et quoniam attributa unius facta sufficienti

partium enumeratione optime reſpondent attributis alterius : ideo obſervata anatomica in Brutis non ſolum facem præbuerunt obſervatis anatomicis in Homine , ſed iiſdem adamuſſim congruunt . Imo ex certa hac , & mutua analogia , utrimque & circulatio ſanguinis, & ſtructuræ viſcerum , & alia innumera detecta ſunt tanta ſæculi noſtri felicitate . Pariter Mechanici philoſophantes a variis mathematices præceptis utpote Statices, Hidraulices , Momenti gravium , & reliquis hujuſmodi ad ſtructuram corporis animati , recte philoſophantur ; quia humanum corpus in ſtructura æque, ac effectibus a tali ſtructura pendentibus , numero , pondere & menſura procedit . Ita volente ſummo rerum Conditore Deo , qui ut compages corporis imperio mentis commodius obſequeretur , ordinatiſſimas proportionum , atque motuum in humano corpore ſeries , ſolo mathematices penicillo delineaſſe videtur . Cum argumentatio analogica Anatomes , & Mechanices ad curationem morborum mutua fere ſit , & reliquis hypotheſibus concludat ; jure ac merito viri celeberrimi ex Academia Romana Borellus, ex Florentina Bellinus, nullam majorem opem collabenti jam Theoriæ afferri poſſe putarunt ; quam ſi per regulas anatomico-mechanicas in explicandis morborum effectibus progrederetur ; qua de re legi merentur doctiſſimæ illorum lucubrationes , tanta Patriæ & Medicinæ gloria , tantaque ægrorum utilitate conſcriptæ . At qui ab effectibus mineralium in furno chymicho analogice ad effectus corporis animati diſcurrunt ; non ſolum hac ratione imperfecte concludunt, ſed perniciosis illis erroribus, quibus hodierna medicina immerito turbatur , anſam præbent indicibilem . Melius concluderent , ſi liquores , aut chymicos aut vegetabiles per infuſoriam Anatomen vivorum animalium humoribus infunderent ; ex iiſque mixtionibus productos effectus animadverterent , notarentque.

III. Longum eſſet recenſere tot falſas , ac pene populares ſimilitudines , quibus hodie Medici in curandis morbis utuntur . Quantis detrimento fuit ſimilitudo , quam primus excogitavit Helmontius , ut ſanguinis miſſionem apud vulgus diſſuaderet ; nempe , ſicut aqua in lebete ebulliens, refrigerari non poteſt per ſubtractionem aquæ ebullientis , ſed per ſubtractionem ignis ſuppoſiti , ita ebulliente in febribus ſanguine, vacuatio ejuſdem per phlebotomiam calorem non minuet, minuet vero ſola cauſæ morboſæ evacuatio per ſudores , aliaſque hujuſmodi vias . Similitudo hæc primo aſpectu completa videtur , ſed quoniam eſt extra ſphæram mutui prædicati , in graviſſimos errores conjicit practicantes . Ignis enim noſter febrilis (ut reliquas rationes taceam) ſanguini mixtus , & alte immerſus eſt , non vero ſuppoſitus venis ; ut ignis in lebete : & dum ſanguinis portio ſubtrahitur ipſe quoque febrilis ignis ſubtrahitur Porro licet nos ſolidis mechanices, & experientiæ argumentis innixi , prudentem phlebotomiæ uſum in febribus laudemus , non perinde tamen in omnibus eam adhibendam fore putamus , ſed iis ſolummodo , in quibus vel ob nimiam ſanguinis æſtuationem , uberioremque ejuſdem copiam, vel incipientem in aliquo viſcere ſtagnationem , graviſſima imminent mala ; & potiſſimum delíria , vigiliæ , inflammationes viſcerum , anxietates moleſtæ præcordiorum , aut pectoris , ſpirandi difficultates , ſuppreſſiones liquidorum currentium in aliquo viſcere , vaſorum rupturæ , & alia centena , quæ facile imo fataliter ſupervenirent , niſi per ſanguinis miſſionem illis obviam iremus . Nec ſolum per ſanguinis miſſionem antedicta ſupprimuntur accidentia , verum etiam ipſa ebulliens ſanguinis maſſa ad illam motus mediocritatem reducitur , quæ ſufficit ad depurationem , ſecretionemque peccantis materiæ ſuo tempore peragendam .

IV. Sicut febris a ſpina digito hærente excitata extingui non poteſt , niſi ſpina avulſa ; ita & reliquæ febres curari non poterunt , niſi ſpina humoris peccantis , archeum irritantis , ſtatim nullaque expectata coctione auferatur per diaphoretica , purgantia &c ſimilitudo eſt ab eodem excogitata Helmontio , iiſdemque difficultatibus obnoxia . Nam præterquamquod multæ dantur febres , in quibus nulla hujuſmodi ſenſibilis ſpina materiæ peccantis febrim producit , quales ſunt , quæ ab ira , venere , animi pathematis , ſimilibuſque cauſis dependent ; per diaphoretica , & purgantia ſupradicta in principiis acutorum data ad ſomniatam e ſanguine ſpinam eliminandam , nil aliud efficimus , quam ſeroſiori eumdem parte , qua diluitur, temperaturque, ſpoliare , & ita ad coagulationes , gravioreſque ebullitiones diſponere . Unde nil mirum ſi quotidie obſervemus , ſymtomata acutarum febrium , imo febres ipſas poſt intempeſtiva diaphoretica , aut purgantia , in magnam ægrorum perniciem exacerbari . His aliiſque difficultatibus obnoxiæ ſunt tot aliæ ſimilitudines , Medicis familiares , in explicandis , curandiſque morborum effectibus. Talis eſt ſimilitudo caloris rerum in humido putreſcentium , ad calorem febrium , ab humoribus putreſcentibus , ut falſo opinantur Galenici, productum: quæ opinio quoniam a Recentioribus ſatis ſuperque exploſa , & falſitatis redarguta fuit , a nobis prætermittitur. Similitudo capitelli alembici refrigeratione ſua vapores in aquam mutantis , deducta ad explicationem catharri , quem oriri putant , dum cerebrum refrigeratum vapores e viſceribus aſcendentes

in

in denſam illam pituitam convertit. Similitudo ejuſdem cerebri frigiditate ſua ſpiritus opprimentis in productione ſomni. Similitudo ſuctionum, attractionum, excretionumque vulgarium, ad explicandos effectus naturales corporis viventis; & centum aliæ populares ſimilitudines, magno in pretio a rudioribus medicis habitæ; qui quidem morborum curationes inſtituunt non per leges dogmaticas & ex ipſo naturæ penu eductas, ſed potius ad normam efficiæ alicujus, aut incompletæ ſimilitudinis, modo hactenus recenſito.

V. Quamvis nimium fingendarum ſimilitudinum abuſum a ſæculis barbaris ad noſtram ætatem derivatum, male hactenus tractaverim: non perinde tamen quis putet me uſum argumentandi per analogiam, ſive a ſimili damnare prorſus aut redarguere; ſed acrius in eo deſiderare judicium, præſertim dum morborum curationes per talem analogiam inſtituuntur. Quid quid enim philoſophia naturalis, experimentalis, & medicina ipſa hoc ſæculo adinvenerunt, per analogiſmum, inductionemque adinvenerunt: non eam profecto qualem in ſuperioribus exemplis reprobavimus, ſed per inductionem ex integra partium enumeratione factam, per longos, & patientes experimentorum decurſus confirmatam, & ex qua demum axiomata generalia, tamquam totum ex omnibus partibus collecta, ſcientiæ veritatem perpetuo firmant, noſque ad praxim via ſtabili dirigunt, impavidoſque reddunt in inſtituendis morborum curationibus. Analogiſmus itaque ad perficiendas artes ſub naturali ſcientia comprehenſas, & præſertim medicinam, cæteris argumentandi modis opportunior eſt; tum quia pediſequus eſt naturæ, eidemque quaſi immiſcetur, tum quia opinionis in errores ſubingreſſus clarius quam aliæ argumentationes patefacit, & animadvertit.

CAPUT VII.

IMPEDIMENTUM IV.

Præpoſtera librorum lectio.

§. I.

IN lectione librorum numquam proficies, niſi prius in legendo methodum tibi comparaveris. Lectio librorum tumultuaria, inconſiderata, & inexplebili quadam aviditate facta, mentem hebetat. Commoda, conſiderata, & doctorum Virorum converſatione, atque experimentorum uſu conjuncta, eandem fœcundat ac perficit. Et ſicut nimia ciborum ingurgitatio ſalubriorem valetudinem non affert, ita nec inexplebilis librorum lectio ſolidiorem doctrinam. Hinc fit, ut qui prudenter ad pauca reſpiciunt, non ſolum perfectius judicent de rebus, ſed de iiſdem promtius faciliuſque pronuncient. Per libros, fateor, maximopere proficimus, ſed antequam integros, uberrimoſque fructus exinde percipiamus, diu vigilandum nobis eſt in detegendis, ſuperandiſque erroribus, quibus obnoxii ſolent eſſe ſcribentes, quibuſque mentem noſtram inficiunt, & a veritatis ſemita frequenter removent. Per bonorum librorum lectionem brevi proficimus, per malorum vero dediſcimus.

II. Quod ad nos attinet, non eo nomine præſens argumentum conſcripſimus, ut leges daremus hominibus qua ratione ſe gerere debeant in legendis libris: ſed dumtaxat ut nonnullos animadverteremus errores, in quos frequenter incidunt, qui præpoſtere, debitiſque non adhibitis cautionibus lectioni librorum incumbunt; ex quo ſane fonte tanta legentibus, ac ſcientiis ſuperveniunt incommoda. Alii tumultuarie legunt. Alii contradicendi genio. Alii obliti ſuæ libertatis, opinionibus Auctorum, tamquam ſcopulis ſireniis adhæreſcunt, & nutus illorum pro ratione, juſſa pro legibus, reſponſa pro oraculis habent. Sed ad rem ipſam.

III. Pluribus ſcientiis eodem tempore operam dantes, ſolent de altera per præcepta, legeſque alterius, præſertim illius qua maxime delectantur, judicare: ſicuti ex Antiquis Ariſtoteles, de rebus naturalibus per doctrinam Dialectices, Plato, per ideas abſtractas, & theologicas, Secunda ſchola Platonis, Proclus ſcilicet cum ſociis, per regulas mathematices pronunciarunt. Medici pariter cum præter morborum doctrinam, aliarum ſcientiarum ſtudio flagrare ſoleant, ſi contingat, ut aliqui ex ipſis magis quam par eſt incumbant, ſtatim profecto de praxi, morborumque curationibus judicabunt, non per debitas praxeos leges, ſed illius potiſſimum diſciplinæ, cui ſunt addicti, eamque non clam ſolummodo, ſed ſparſis in vulgus libris, tamquam ſummopere neceſſariam morborum curationi deprædicant. Vitium hoc ſive temporis, ſive Authorum eſſe ſoleat, omnium pene Medicorum mentem noſtra ætate invaſit, magnamque in ſcientis turbationem excitavit. His de cauſis motus Cardilucius in præfatione ſuæ praxeos, libere aliquantulum contra Anatomicos invehitur, quod exiſtimet ſectionem fibrillarum eſſe ſummopere neceſſariam ad hiſtoriam, curationemque morborum aſſequendam: cum revera, ut ipſe ait, poſt hos quinquaginta annos ſectionibus anatomicis impenſos, nec accuratior morborum hiſtoria, nec ſolidior eorumdem curatio illuxit. Sicut ex Ardilucio, Anatomici per ſectiones rerum minutarum; ita & Chymici per pauca experimenta furno educta: Conditores novorum ſyſtematum per paralogiſmos, & nova verborum in-

venta; Mathematici per circulos, & lineas de hiſtoria morborum, ſive de Medicina prima diſſeruerunt: quod quidem an bonis avibus contigerit, doctorum hominum judicium eſto.

IV. Solent porro, qui legunt, memoria magis, quam ratione uti; eorumque præcipui conatus ad id potiſſimum collimare videntur, ut addiſcant quid hic, quid ille ſentiat Auctor, quid autem ſentiendum ſit, quidve illi propria edocti experientia ſentire debeant, ignorant. Si quis nonnullorum ex Neotericis ſcripta propius inſpexerit; ea profecto magnam novarum opinionum genealogiam, & quaſi diſſimilium quorumdam pigmentorum congeriem, non vero ſtudium nova inveniendi, aut inventa novis additamentis confirmandi oſtentare fatebitur. Nec aliam hujus rei cauſam afferre poſſem, quam incredibilem illam, qua detinentur, legendi, ac fere libris immoriendi cupiditatem, ſive potius ignaviam, numquam ratione ſua utendi, aut experientiam conſulendi. Ex quo fit, ut tale hominum genus, quo plus legendo impenderit, eo magis in afferendo de rebus judicio confundatur, & ex confuſione aut in Pirrhoniſmum, aut in dementiam delabatur. Capacitas namque cerebri cum infinita non ſit, quid mirum, quod innumera illa idearum veſtigia cerebro impreſſa confundantur ad invicem, mentemque a recte, & diſtincte judicando prorſus avertant, hominesque hac ratione, ab uſu ingenii ſui deſuescant, & quaſi contrahant impotentiam eodem utendi? Hoc idem hominum genus memoria magis, quam ratione utens, ſolet eſſe tumidum, in ſocios ſupercilioſum, ſinguliſque de rebus judicandi poteſtatem ſibi arrogat. Nec mirum: nam falſum illud ſcientiæ, ut ita loquar, memorialis genus, animum inflat & quemdam velutifulgorem illis conciliat, quo renitentes ſolent pervetere, præſertim ſi acceſſerit gravis loquendi modus & imperioſa audacia.

V. Multi in veritate inquirenda alienas potius, quam ſuas adhibent vires; ad videndum, ſuis oculis ſemper utuntur, ſed ingenio ſuo ad detegendam morborum naturam, aut numquam, aut raro. Placidus rei veriſimili aſſenſus, & imperitia tum experiundi, tum judicandi, quam deficiente a primis annis exercitatione quamplurimi Medicorum contraxerunt, a veritatis cognitione eos ſummopere diſtinet. Hi ſunt qui veritatem cum antiquitate, falſitatem cum novitate confundentes, res noviter detectas eaſque profecto veras, falſitatis nota accuſant: veteres contra propemodum falſiſſimas, pro veris perpetuo ſuſtinent. Circulationem ſanguinis: Lacteorum, & lymphaticorum inventum: nervorum, viſcerumque ſtructuram, ac uſum: alia que multa Recentiorum ſtudio detecta, & perpetuis naturæ votis confirmata, maledictis proſcindere non deſinunt: non alia ſane de cauſa, quam quod nova ſint. Contra putredinem humorum, ſanguificationis in hepate officinam, primarum qualitatum in producendis, curandiſque morbis auctoritatem, ceteraſque antiquorum opiniones, quæ per plura retro ſæcula, eximios multorum in re medica locupletandæ conatus labefactarunt, falſiſque animos imbuerunt præjudiciis, dimittere nequeunt, eo quia & antiquæ ſunt, & antiquis placuerunt.

VI. Porro iidem homines in tantam feruntur antiquorum admirationem, tantamque illis in omni artium genere tribuendam eſſe laudem arbitrantur, ut nobis omnem prorſus in inveniendo viam, omnemque aut melioris, aut ornatioris ſententiæ ſpem intercluſam eſſe exiſtiment. Falſitatem tamen illorum abunde manifeſtat præſens ætas, quæ rerum inventarum gloria, & multitudine, omnes ex omni memoria ætates ſuperavit: manifeſtat pariter ipſa naturæ in operando æquabilitas, quæ in omnibus ſuis rebus obeundis admirabilem conſtantiam, & incredibilem quamdam æqualitatem, immutabili prorſus æternitate tuetur; quamobrem intelligere vix poſſum, cur homines aut ad inveniendum hebetiores, aut ad intelligendum, tardiores natura hoc tempore, quam antea, procrearit. Nec ſane ingenium hominum conſeneſcit, ſed in ingeniis induſtria: mentis namque vires nulla prorſus ratione, niſi focordia franguntur, neque ea, quæ rebus omnibus obrepit ſenectus, obrepit & ingeniis: quippe quæ firmiſſimo, ac prope immortali quodam quaſi naturæ robore ſepiuntur. Atque hæc quidem ſi perſpicua ſunt, ſimul illud perſpicuum eſſe quis non videt, non ſolum eamdem nobis quæ veteribus aciem ingeniorum manere, ſed ſi axercitatione acuatur, multo etiam præſtantiorem futuram: & impoſterum ab antiquitate, aut novitate pretium non petentes; æmulationem potius, quam admirationem nobis anteponamus. Nollem quis exiſtimet, me hoc dicendi genere adverſus veterum cogitata male affectum, illos immerito ea in re carpere, qua tantam ſibi laudem compararunt: nam ſicuti ſummam ipſorum induſtriam in locupletenda Praxi ſemper proſecutus ſum; ita ſummopere doleo: nos hiſce temporibus in tantas redactos eſſe anguſtias, ut deſtituti præſidiis quibus ſuperiora abundarunt ſæcula, artem curandorum promovere neſciamus. Et quamvis multi Antiquorum legentibus tenebras offundant, in iis tamen interlucent & ſcintillæ, quæ non negelecte claram præceptorum lucem poſſunt accendere.

VII. Sed ne aliquis contra me imperitorum impetus fieret, propterea quod falſo putarent nonulli me ab utili, & laudabili librorum lectione præfato dicendi genere juvenes quaſi

dehor-

dehortari: mei oneris futurum fore arbitror candide hic fateri, quod ſicuti ipſe profectus in re medica, ut ut exiguos, tamen non improbos librorum lectioni ſummopere debeo; ita pariter ad hæc eadem ſtudia ſuſcipienda excolendaque, & hortari juvenes & impellere non deſinam. Ne tamen in ea vada impingant, in quæ mihi ſæpiſſime neceſſe fuit impingere; de aliquibus monendos fore judicamus. Ut cito, & perfecte in lectione librorum proficiant, probatos Auctores ſemper legant; & ſi probatiſſimus fuerit, illum unum manibus perpetuo terant, utpote in quo illius omnis ſapientiæ ſumma continetur, quam in centenis, ſed inferioris notæ Auctoribus, vix unquam ſe reperturos fore experientur. Hujus veritatis teſtem habemus doctiſſimum Sanctorium, qui aureo ſuo, quamvis exiguo *de medicina ſtatica* libello, communi hominum utilitati magis proſpexit, quam mille Auctores, mille voluminibus, quorum alter alterius cogitata ſubripiendo, ac velut in orbem eundo, deplorabilem potius verborum copiam, quam æterna induſtriæ ſuæ monimenta publicæ luci conſignarunt. Legendo non proficies, niſi lecta intelligas; intellectis vero aſſenſum ne præbeas, niſi prius ſedulo examinaveris, verane ſint, an ſecus. Ratione tua utaris in ſolvendis quæſtionibus, quas librorum titulis propoſita vides; aſſiduæque lectioni intermiſcendo experientiam, æquum de rebus ſingulis judicium dare coneris: ratio enim niſi ſtudia dirigat; ſtudia rationem non ſolum non perficient, ſed hebetabunt, & a recto operandi ſcopo avertent. Lectioni librorum fere immori, ac contabeſcere ſpecioſam ſapit, & inanem ſocordiam; iiſdem mollius abuti, oſtentationem, & ignorantiam; ſatis namque ſcimus, quod litteræ perficiant naturam, ſcimus pariter, quod ipſæ perficiantur ab experientia; & cum generalia quædam litteræ præcipiant, ſi illa non determinentur ab experientia, nunquam optatum finem aſſequemur. Experientia conſtat, ſtupidos, ac fere ad omnes alias actiones humanas ineptos evadere illos, qui librorum lectioni fere immoriuntur, neque id ſolummodo, verum etiam propter continuam quamdam a rebus abſtractionem, & confuſionem idearum mentis a nimia lectione partam, nec ſibi, nec Reipublicæ proſpicere recte norunt; & ut ſuperius adnotavimus, de rebus ſingulis confuſe judicant. Contra multi, quamvis in ſtudiis minus verſati, hominibus ſemper fuerunt admirationi, quia ſumma prudentia, & ſagacitate cogitationes ſuas, ac de rebus judicia dirigebant. Quando ad ſtudia te ineptum ſentis, ideſt, diſpoſitionem, & alacre deſiderium non habes; abſtine tunc temporis ab iis; nam præ defectu talis diſpoſitionis licet multum legeris, parum certe exinde proficies; illud igitur tempus ne fruſtra pereat, aut doctorum Virorum converſationi, aut faciundis experimentis impendito.

VIII. Solent qui callidi ſunt litteras deſpicere, ſimplices admirari: Prudentes vero mediam inire viam, iiſdemque tantum uti, quantum publica, aut privata requirit neceſſitas: de cætero nec citra, nec ultra. Libros cotradicendi genio legere, vel iiſdem ad extremum quemdam ornatum abuti, vel omnibus illorum præſcriptis indiſcriminatim, & nullo prævio examine aſſentiri; affectationem ſcientiæ potius, quam veram, & ſolidam redolet ſapientiam. Quoniam univerſa praxis medica in monitis, & præceptis diuturna comprobatis experientia ſita eſt, & hæc facillime elabuntur memoria, niſi diligenter conſcribantur: ideo non abs re erit, ſi librorum ſtudioſus manuſcriptum quoddam ſibi comparet, debitis rerum magis notabilium titulis adornatum, in quo majoris momenti ſententias legendo acquiſitas diligenter adnotet, & horis ſubſecivis quotidie relegat, qua ratione magis atque magis inhærentes memoriæ, mentem quaſi fœcundant ac perficiunt, ut impavide quaſvis vel difficillimas morborum curationes aggrediatur. Libri probatorum Auctorum, & gravioris doctrinæ, ſive hi fuerint Antiqui, ſive Recentes, non legendi ſolummodo, aut relegendi, ſed in manibus ſemper habendi, ut ita ingenium noſtrum veluti nova incude ad illorum recudatur ingenium. Auctorum minoris pretii, vel per partes tantummodo inſpiciendi, vel prorſus perlegendi, ſe abſque multa temporis jactura, aut longa in illis mora. Libri demum infimæ notæ, per aliorum vicariam operam legendi, ideſt legenda duntaxat illorum compendia, a Sociis ſtudiorum, vel Amanuenſibus noſtris conflata. Qua ratione magnam ſcientiarum, reique litterariæ notitiam habebimus, abſque multa temporis, & ſalutis jactura. Videamus obiter, quid conferat librorum lectio praxim exercentibus.

IX. Nulla ætate tanta librorum copia redundavit Medicina, quam ætate noſtra; & nulla pariter tanta obſervationum practicarum inopia laboravit, quam præſenti. Si nonnullos eorum diligenter inſpexeris, invenies profecto, vel moleſtam rerum antea dictarum repetitionem, vel nimiam oſtentationem rerum novarum, vel malam mixturam veterum cum novis: majorque argumenti pars diſſidiis, & contentionibus, quam novorum operum exploratio. nibus tribuitur. Auctor libri novi, quia forſan rationum paupertate laborat, non veretur eas omnes, quæ ab aliis cæteroquin doctis viris, ſuper idem argumentum confirmandum, tuendumque expoſitæ fuerunt, vitio vertere, ac redarguere, ut ita rei ſuæ pondus, auctoritatemque conciliet. Et ſi a talibus libris feſtivas, atque exoticas inſcriptiones, philologiam,

Auctorum citationes, ornamenta, fallacias, ſuperſtitionem, aliaſque hujuſmodi inanes tricas abjeceris, ad nil magni res recidet; imo pro veris ſapientiæ theſauris, umbras amplexaberis, & chymeras. Librorum itaque ſubſidia, cum parum conferant ad determinandam in re medica hiſtoriam morborum conſummatam, & ſtabilem; ad ea deſcendendum eſt, quæ paulo arctius naturæ inhærent; experimenta ſcilicet, obſervationes, cadaverum ſectiones, hortos Simplicium, fornaces Chymicorum, quæque naturam varie obſervando, ſeparando, ac vexando, veros illius ſenſus nobis adaperiunt. Porro notum eſto Juvenibus, ſe doctiorem librum non inventuros, quam ægrum ipſum; cujus morbus, illis diligenter obſervantibus, multa ſcitu digna brevi, ac fideliter aperiet, quæ moleſta plurium annorum lectio præſtare forſan non poterit. Ægrotus fideliter, & ad vivum morborum hiſtoriam nobis exponit: libri vero per redundantem fallaciarum, & inanium ſpeculationum ſuppellectilem, ad libitum fingunt, & depravant. Verumtamen ut in confuſo morborum labyrintho viam, tot ſæculis intercluſam, ſibi adaperiant, non in paucorum duntaxat ægrotantium obſervatione conſiſtant, ſed pari conſtantia & ardore, ad centenos & plures extendantur. Qualis autem modus etiam in libris habendus ſit, ſatis docet Magiſter vitæ civilis Seneca meus, de tranquill. anim. cap. 9. his verbis. *Studiorum quoque, quæ liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habeo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum Dominus vix tota vita ſua indices perlegit? Onerat diſcentem turba, non inſtruit: multoque ſatius eſt paucis de auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadraginta millia librorum Alexandriæ arſerunt; quæ non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparata erant; ſicut pleriſque gnaris etiam ſervilium litterarum libri, non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt. Paretur itaque librorum quantum ſatis, nihil in apparatum. Vitioſum eſt quod nimium eſt. Jam enim inter balnearia, & thermas, bibliotheca quoque ut neceſſarium domus ornamentum exceſſitur.* At ſi Seneca noſtris temporibus viveret, in quibus librorum numerus ita excrevit in immenſum, ut librorum copia, omnes omni memoria ætates ſuperemus, quid diceret? Sapientes judicent.

X. Ex hactenus dictis deduci facile poterit, Medicos valde litteratos, lectionique librorum fere immorientes, raro felices in curandis hominibus evadere, imo nunquam de rebus Practicis judicare recte poſſe, niſi praxi omnino ſe dederint, & in eadem fere conſenuerint. Lepidam hujus rei hiſtoriam narrat Jo: Huartius *Scrut. ingen. Cap.* 12. quo tempore, ait, apud Noſtrates Arabum Medicina florebat, florebat pariter & celeberrimus in legendo, ſcribendo, argumentando, diſtinguendo, reſpondendo, & concludendo Medicus, iſque adeo in eloquentia effuſus, ut qui ad eum audiendum conveniebant, non ſolum morbos ſanare, ſed mortuos ipſos ad vivorum conſortium quaſi revocare, aſſererent. Verumtamen cum ad praxim deſcendebat, vix ullus ægrotantium, qui ſuæ curæ committebatur, effugere poterat, quin in præſens vitæ periculum conjiceretur, & inanem Profeſſoris ſapientiam morte propria expiaret. Unde tot infauſtorum eventuum genuinam cauſam neſciens, & progreſſu temporis nomini, & rebus ſuis pejora timens, mundanis rebus vale dixit, & in Religioſorum Virorum cœtu diem ultimum obiit. Idem Huartius *loc. cit.* aliam narrat hiſtoriam, ad confirmandum præſens argumentum magis conſentaneam. Medicus quidam ſecrete nimis a me petiit, qua de cauſa fieret, ut ipſe, cum diu incubuiſſet legendis libris artem, & regulas optime prognoſticandi tradentibus, eaſque perfecte didiciſſet, quoties tamen hanc prognoſticandi diſciplinam legendo acquiſitam, in ægris ſuis experiri ſtatuebat, toties in ſui dedecus fallebat, nec unquam aſſequi poterat, ut veritatem præſagiret. Hæc ille. Argenterius, judicio graviſſimorum Auctorum (prout notat laudatus Huartius *loc. cit.*) in reducenda arte Medica ad perfectiorem methodum, creditur ſuperaſſe Galenum. De ipſo tamen narratur, quod adeo infelix fuerat in curandis morbis, ut omnes fere ſui ægrotantes, vel perirent, vel in morbos incurabiles præcipitarent: qua de cauſa perterrefacti Cives ſui, non amplius curæ ſuæ committebantur. Plura hujus generis exempla ab Auctoribus expromere ſupervacaneum eſſet; quippe quæ quotidie nobis obvia ſunt. Medici itaque valde litterati, Philoſophiis, & Theoriis pluſquam par eſt addicti, & ad inſtar araneæ ab indigeſtis cogitationibus ſapientiam perpetuo educentes, nunquam boni Practici evadent, niſi diuturno praxeos uſui, & exercitationi omnino ſe ſubjecerint. Morbi enim abditum quid ſunt, ſuoſque effectus modis tam reconditis, & ab humanæ mentis acie adeo remotis abſolvunt, ut difficile ſit quicquam in illis inveſtigare, niſi adhibeatur obſervatio. Quibus de cauſis exclamare coactus fuit Hippocrates paſſim in ſuis operibus Θεῖον, ſive divinum quid in morbis ineſt. Nec immerito; nam ſive corporis ſtructuram, ſive morborum originem, & cauſas, ſive remediorum effectus conſideraveris, ſemper illud τὸ θεῖον cum Hippocrate exclamandum. In ipſo quoque Medico divinum quid ineſſe, ſingularis quædam in medendo felicitas abunde teſtatur. Eſt enim in mediocriter doctis illa in indagandis morbis, remediiſque applicandis εὐτυχία quæ doctiſſimos interdum deſtituit. Conſtat igitur

igitur quod hactenus probavimus, Medicum scilicet quamvis in scientiis, & in lectione librorum eruditissimum, non perinde tamen bonum Practicum evasurum, nisi Praxim ipsam exercuerit; quique contraria his aut faciet, aut sentiet, Natura certe eidem objiciet, quod olim Antiqui objiciebant Dialecticis: Fili, ab Academia venis, fastum spiras, ex inani scrinio, ex indocto pectore.

CAPUT VIII.

IMPEDIMENTUM V.

Praposiera Librorum interpretatio efficiendorumque Systematum Cachoetes.

§. I.

COntra falsos Interpretes pro vera dicturis interpretatione, duo potissimum argumenta examinanda nobis essent: Alterum quidem contra falsos morborum; alterum vero contra librorum falsos Interpretes. Quoniam vero per singulas hujus primi libri partes in corrigendis, restaurandisque naturæ morborum interpretationibus, quarum pars major corrupta pene nunc est, ea depravata, operam prope omnem contulimus. Reliquum est ut præsentis articuli scopum dirigamus ad detegendos errores Interpretum librorum, eorumque imaginationes, & affectus.

II. Memoria illius diei, quo primum Medicina, & reliquæ bonæ Artes ab acceptis Barbarorum cladibus inciderunt in Arabes, fieri vix potest quin acrem animo dolorem mihi perpetuo eliciat. Codices namque Greci cum ad illorum scholas tunc primum pervenissent, quicquid de illis disseruerunt, ridiculæ potius sunt inutilium opinionum genealogiæ, quam genuinæ Græci Codicis interpretationes: & sicuti falso illo interpretandi genere ad fidem sibi conciliandam validi; ita pariter ad extinguendam, & abrumpendam inquisitionem efficaces fuerunt. Hujus asserti veritatem manifeste fatentur subsequentes ad Arabum scholam ætates, in quibus Medici circa angustos Arabicarum interpretationum circulos tamquam incantamento affecti, subsultantes, & in commentandis paucorum hominum operibus tempus omne impendentes, ab usu ingenii sui fere onmino desueverunt. Unde profecto tot sophismata, tot vana commenta, tot tantique errores in Medicina irrepserunt, ipsaque ars præstantissima, quæ magistra salutis semper fuerat, turpis exinde factionum ancilla evasit.

III. Qui librorum interpretationem suscipiunt, in ipso interpretationis vestibulo Auctores suos omni laudum genere cumulare conantur, præsertim si Auctores illi aut exigui fuerint momenti, aut nullis propemodum indigerent commentariis, & philautiæ impensius indulgentes, non verentur eisdem modo Divini, modo Admirabilis nomen tribuere, sæculi sui miracula appellare; tractandam denique materiam tamquam divini partum ingenii, & Reipublicæ summopere necessariam singulis commendare. Ad hæc moventur Interpretes, non quidem necessitate tuendæ, aut promovendæ gloriæ talium Auctorum, sed occulta quadam libidine conciliandi sibi plausum eruditorum Hominum, propterea quod eximios, præstantissimosque Auctores susceperint interpretandos. Anatome Mundini circa res inventas si conferatur cum anatome hodierna, tantum eamdem superat, quantum pulex Elephantem; illam tamen summis celebrare laudibus, & commentariis decorare non solum Cardanus, sed alii quoque docti Viri sibi gloriæ duxerunt. Ratio quæ Cardanum, alioſque ad hoc movit, non alia sane mihi videtur fuisse, quam vulgaris socordia vires proprias nunquam experiundi, manusque inquinandi in secandis cadaveribus, ex quo factum est, ut Mundini textum, tamquam veritatem inconcussam receperint. Eadem quoque de causa practicantes, sive ob inconstantiam successuum, sive ob austeram in observando patientiam perterrefiant; non ad detegenda marte suo vera morborum phænomena, sed ad interpretationem inutilium librorum tamdem accinguntur. Non ita mehercule se gessit magnus ille medicinæ parens, & Preceptor Hippocrates, qui quamvis & inquisitionis difficultatem, & morborum obscuritatem indignabundus viderit, & quasi frænum momorderit; naturæ tamen se immiscere, & propositum finem urgere tamdiu voluit, donec tandem indefessa prorsus in observando patientia, & inventarum rerum gravitate omnes ex omni memoria Medicos superaverit. Et sicuti nostræ ætatis Anatomici, introspecta diligentius natura, consultaque frequentius cadaverum, vivorumque Animalium sectione, abunde cognoverunt, Mundini Interpretes exigua in rebus anatomicis doctrina præditos fuisse: ita, si quis post meos cineres veritatis igniculus nostra hac methodo praxi accesserit, sat, superque aperiet futuris ætatibus, quam longissime a vera Medicina recesserint Medici, qui barbaras Arabum interpretationes, propriarum observationum studio, & exercitationi antetulerunt.

IV. Nonnunquam obscuriores sunt interpretationes ipsa re interpretata. Id evenit, quia debitas interpretandi leges, aut ignorant, aut contemnunt. Qui librorum interpretationem suscipit, non vulgarem, & superficiariam, sed interiorem, & solidam interpretandæ materiæ cognitionem habere debet; eodem potissimum jure, quo factum videmus a Criticis, qui antequam obscuros Poetarum, aut Historicorum sensus elucident, & patefaciant, magnam temporis partem impendunt in acquirenda notitia morum, belle-

bellorum, vivendi rationum, aliarumque circumſtantiarum illius ſæculi in quo interpretandi Auctores floruerunt. Sed in interpretandis praxeos libris, ea mihi videtur neceſſaria cognitio, quam longus uſus, & exercitatio patiens afferunt. Hujus rei fidem faciunt tres nobiliſſimi Interpretum, Mercurialis, Duretus, & Martianus, qui antequam Hippocratis opera commentariis illuſtrare decreviſſent, potiorem vitæ partem in exercenda praxi impenderunt; Hippocratis namque libri cum nil aliud ſint, quam purus Praxeos ſuccus, interpretatio quoque illis accommodata, & opportuna non aliunde certius peti debebat, quam ab ipſa praxeos exercitatione. Igitur qui ſuperficiario tantum doctrinæ genere, nec admodum affini materiæ interpretandæ imbutus eſt; nil mirum ſi illius interpretationes evadant obſcuriores ipſa re interpretata. Plurimi Interpretis nomen uſurpant, ſed revera interpretes non ſunt; nam ſi commentarios illorum diligenter perpenderis, non invenies profecto obſcuri ſenſus explicationem, quæ neceſſaria eſt, ut Auctor interpretatus ad claram Lectorum intelligentiam perveniat; ſed nimiam eruditionum congeriem, oſtentationem linguæ Græcæ, aut Hebraicæ, citationes infinitas Auctorum, & ſententiarum rei tractandæ minime conferentium; textum denique, non ad lancem veritatis, ſed relate ad præjudicia, quibus Auctores illi, vel ipſimet Interpretes obnoxii ſunt, examinatum, explicatumve.

V. Sæpiſſime Commentatores Auctoribus ſuis nonnullas adſcribunt opiniones, quas illi ipſi Auctores ne ſomniarunt quidem. Id potiſſimum faciunt, vel ut Eruditis acutiem in commentando ſuam manifeſtent, vel potius ut indulgeant legibus illius hypotheſis, cui a prima Juventute ſe maneiparunt. His igitur, aliiſque erroribus ſi ſubjaceant Interpretes, nec adamuſſim ſimiles ſint tribus ſupra laudatis, conſultius erit marte noſtro Auctores interpretari, quam alienis fallaciis mentem imbuere, atque turbare. Adytus namque mentis obſcuriſſimis, & indebitis interpretationum idolis tantopere aliquando obſtruuntur, ut veris, & nativis hiſtoriæ morborum radiis, qui nobis obſervando illucent, perpolitas, & ſinceras areas præſtare vix queant. Neque ipſe hoc dicendi genere interpretandi voluntatem in Mediçis reprehendo, ſed judicium in voluntate deſidero. Equidem dum mecum ipſe aliquando conſidero cauſam, quę duriſſimos Praxi medicæ compedes injecit, effecitque, ut deplorabiles illius anguſtiæ in ampliores naturæ fines proferri non poſſent; non aliam ſane agnoſco, quam præpoſterum interpretandi genus, nec non moleſtam illam, ac præpoſteram rudium Medicorum occupationem in interpretandis Arabum potius, quam naturæ operibus. Quæ cum omnes pene Academias duobus ab hinc ſæculis pervagata eſſet; neque aliquis eſſet, qui provideret, vel admoneret; quid mirum, quod Medicina hac ratione radicibus avulſa ſuis, nec operum poteſtatem nobis hodie præbeat, nec ipſa tanquam planta vivax, & vegeta quotidie ſerpat, & adoleſcat; ſed per umbras verborum, obſervationes populares, & experimenta nobilia in theoriæ fabulas concinnata, naturæ judicia frangat propemodum, atque ſubvertat?

VI. Hæc aliaque vitabunt abſurda, ſi memores erunt dicendorum. Interpretationem librorum practicorum ad exemplar interpretationum naturæ ſemper abſolvant; qua in re imitari poſſunt incomparabiles Hippocratis Interpretes ſuperius laudatos, qui veram interpretandi rationem priſtinæ majeſtati reſtituerunt, Poſteriſque manifeſtarunt. Non ſint in Auctoribus ſuis laudandis nimium effuſi, ſed pro opportunitate loci, temporis, & meriti; & ſi quid Adverſarii optime dixerint, maligna interpretatione non corrumpant. Neque vim, neque inſidias hominum judiciis faciant per diſputationes quaſdam, a vero ſenſu textus remotiſſimas, effictaſque potius ad laudem, venerationemque ſibi conciliandam, quam ad elucidationem obſcuritatis. In interpretando confuſionem caveant, quæ doctrinæ, & veri ſenſus filum ſæpiſſime abrumpit; citiuſque veritas e falſitate, quam e confuſione emerget. Idola mentis, & præjudicia hypotheſium, aliarumque ſcientiarum antea præconcepta omnino deponant, qua ratione errorum in veritates, & veritatum in errores ſubingreſſus animadverti, notarique facile poterunt. Indifferentes ſint, & ad novitatem, & ad antiquitatem; antiquitas enim & novitas, non ſunt æque cum veritate æſtimandæ, nam quod antiquum, aut recens eſt, non perinde verum, aut falſum eſt, ut hodie nonnulli Medicorum exiſtimant, viamque contentionibus ſatis obviam ſternunt. Auctorem ſuum nulla imminutum detractione, nulloque auctum additamento, ſed integrum, & ſui ſimillimum fideliter exponant: imo taliter expreſſum, ut vel ſuis vituperetur vitiis, vel virtutibus ſuis laudetur. Verbum de verbo exprimendum, & vocum etiam collocatio interdum retinenda. Idque potiſſimum in re graviſſima, eademque obſcuriſſima, ſicuti in re noſtra eſſe poſſunt varii Hippocratis textus in Coacis, Prognoſticis, Epidemiis, Aphoriſmis, aliiſque ſuis operibus paſſim expoſiti. Judicis partes ſibi non arroget Interpres, ut impune de ſuo judicet Auctore, & quæ ſibi non arrident, reſpuat, pro iiſque ſua ſupponat: quo ſane vitio magnam Interpretum partem laborare, exindeque magnam ſcientiis, & potiſſimum Medicinæ calamitatem ſubortam eſſe, certo conſtabit legentibus. Nec ad contradicendum ſint proni, nec ſemper, aut nimium in dubitationes ſoluti. In obſcuriſſimis textibus, Academicorum more diſſe-

differentes, de omnibus quærant, nihilque certo affirment, nisi post longam & patientem considerationem. Et si neque hac ratione explanare textum poterunt, eundem intactum reliquant, a solertioribus ingeniis examinandum, explicandumque. His, aliisque hujusmodi muniti præsidiis, si ad interpretandum accesserint, & sibi & Auctoribus suis consulent, susceptique muneris rationem feliciter absolvent. Post detectos Interpretum errores, proximum esset illos, quibus novorum systematum conditores praxim re morantur, exponere; sed quoniam integrum huic argumento caput, inferius ubi de instituenda hypothesi, dicavimus, in præsenti supersedendum fore arbitramur.

CAPUT IX.

IMPEDIMENTUM VI

Intermissum studium tractandi de Morbis aphoristice.

§ I.

MEdicinam methodis concludere, & quibusdam ingenii commentationibus mere abstractis, & inutilibus digerere, atque exornare, inter remoras, quæ progressum illius retardarunt, non infimum obtinet locum. Enim vero cum methodica hæc Medicinæ tractatio artem ostentet integram, & quasi redactam ad metam, ultra quam progredi non possit, non solum homines minus industrios reddit ad nova in dies investiganda, quæ morborum historiam illustrant, ac locupletant, verum ita sui certos, ut se hac in arte numeros omnes absolvisse existiment. Et licet aliquando contingat, ut novum quid, ac revera proficuum observent, quoniam tamen methodis illis, ac distributionibus accommodare non possunt, tanquam a sua alienum arte respuunt, atque contemnunt. Quamobrem prudentius se gessisse mihi videntur Majores nostri. Hi non ignari, Medicinam methodis, & partitionibus concluſam illustrari, & nobilitari posse, crescere tamen, & confirmari non posse; quicquid diuturna observatione in morbis detegebant, describebant illud aphorismis, sive per sententias quasdam breves & contractas nullis methodi, & scholasticæ subtilitatis legibus devinctas, sed libere expositas, notatasque; quo pacto indicarent Posteris nuda simulacra rerum inventarum, & indicarent pariter spatia vacua ad novas, & perpetuo multiplicabiles naturæ voces inferendas: quæ quidem summopere necessaria promovendi medicinam ratio hodie prorsus exolevit. Historia namque morborum licet copiose primo aspectu videatur, reipsa tamen egena est, ac inutilis; imo ob transcursus quosdam permolestos in philologiam; narrationes supervacaneas, quæstiones jejunas, similesque nugas, infirma prorsus ac perdita. Si excipias enim paucos illos Observatores, qui casus, & historias Medicas diligenter, fideliter, & ad vivum prout ab ipsa rei natura procedebant, describendo, Medicinæ pomœria summopere ampliarunt, ea quæ reliqui adjecere falsam theoriam, & hujusmodi ineptias spectantia, turbarunt potius, impediveruntque illius progressus, quam indicarunt, aut promoverunt. Sed quomodo solidæ, dutiusque repetitæ morborum observationes stylo brevi, & aphoristico exponendæ sint, ex morbis mox recensendis, & per patientem in Xenodochiis Italiæ factam observationem examinatis aperte constabit.

DE PLEURITIDE.

§. I.

SI vis cognoscere Pleuritidem, præcipuam curam in natura pulsus cognoscenda reponito; pulsus durities est signum fere infallibile omnium pleuritidum, & dum obscuræ sunt pleuritides, vel aliis complicatæ pectoris morbis, & duritiem (ideſt nimiam arteriæ tensionem, vibrationemque) in pulsu deprehenderis, quamvis reliqua earum signa non adsint, pro certo habeas Patientem laborare pleuritide; pulsus enim durus omnium inflammationum partes nerveas, vel membraneas obsidentium est comes indivisus.

Pleuritide jam cognita nil aliud per totam morbi curationem diligentius observato, quam spirandi difficultatem, quæ quo fuerit facilior, vel difficilior, eo pleuritis erit facilioris, vel infelicioris eventus.

Bona respiratio semper bonum indicat, mala vero semper timenda; hinc est ut pleuritide in pejus ruente, difficilior evadit respiratio, & prope mortem constitutis difficillima. Signa vero ex pulsu petita, non adeo certam prognosin exhibent; in morbis enim pectoris, nil citius, faciliusque a naturali statu recedit, quam pulsus; ideo sæpissime pulsum intermittentem in pleuritide observavimus, sed sine periculo; imo bis; terque non obstante hoc pulsu phlebotomiam imperavimus, quia nimis urgebat indicatio sanguinem mittendi. Si cum mala respiratione æger erectus sedere velit in lecto, nec in lecto decumbere potest, quia se suffocari sentit, lethale id esse vidi in pluribus. Erectum igitur sedere velle in morbis acutis pulmonum pernicioſum, ac ferme lethale, præ cæteris si adsit sibilus in aspera arteria, & difficultas excreandi sputi: & licet cum talibus signis pulsum bonum videris noli credere, nam fallit. In augmento enim inflammationis pulmonum ob nimiam irritationem, oscillationemque fibrarum ejus vidi pulsum esse durum, inæqualem, parvum, &c. At prope morem, ideſt,

ideſt, cum præfatis ſignis, quoniam jam incipit lethalis laxitas in ſolidis, & fluidis, pulſus tunc circa finem lethalem obſervabam molles, æquales, altos, ſed non credebam illis: nam ægri derepente ac loquendo moriebantur. O quantum difficile eſt curare morbos pulmonum! O quanto difficilius eoſdem cognoſcere, & de iis certum dare præſagium! Fallunt, vel peritiſſimos, ac ipſos medicinæ Principes. Tyrones mei cauti eſtote, & prudentes in iis curandis: nec facilem promittite curationem, ut nebulones faciunt, qui Hippocratem non legunt.

Pleuritici, quibus in interiora auris dolor, & exinde abſceſſus, & pus ſuperveniebant, omnes ſanabantur, ut in variis Italiæ Xenodochiis frequentiſſime obſervavimus: ſed præſertim ineunte anno 1694. Romæ, quo tempore rigidiſſima Bruma cum glacie, & nive (inſueto Latii more) ſæviebat, & derepente obortæ fuerunt ſæviſſimæ pleuritides.

Sanata pleuritide, ſi remaneat tuſſicula quædam, & circa veſperas blandus calor per univerſum corpus excitetur; aut pleuritidis recrudeſcentiam, aut ſuppurationem prognoſticato adſtantibus. Hoc Aretæi, nobile præceptum, non ſemel in meis ægrotantibus verum obſervavi; facta antea ejuſdem prædictione adſtantibus.

Perperam agitur cum iis Pleuriticis, & Peripneumonicis, qui nihil expuunt, niſi copioſæ effluant urinæ. *Hipp. 4. acut.*

In aere Romano phlebotomia eſt princeps remedium in pleuritide; poſt phlebotomiam vero diluentia cum attenuantibus, & anodynis juncta, brevi eamdem jugulant. At ſi pleuritis ab apparatu humorum in primis viis oriatur, purgandum eſt, ut ſuſe docuimus in Appendice.

Latent interdum per plures annos in pulmonibus turbercuſi abſque ſenſibili moleſtia ægrotantis: manifeſtantur demum, vel poſt pleuritidem, vel poſt anginam, vel poſt febrim aliquam ſanatam. Igitur ſi poſt ſanatam aliquam febrim ſuperveniat dolor lateris, vel dorſi, vel alterius pectoris partis, difficili accedente, ac nonniſi recta cervice, reſpiratione, tuberculum ad inflammationem, & ſuppuratum ire ſignificat, cui ſtatim medendum. Hoc Dodonæi monitum nos pariter bis obſervavimus in Xenodochio poſt ſectum illorum cadaver, & ſingula bene examinata.

Quando in pleuritide viget indicatio diſſolvendi, camphora, & ex eadem parata remedia pro ſecreto fere hanc indicationem abſolvunt, præſertim ſi pleuritis fuerit epidemica, & maligna, vel potius ab ingenti ſanguinis craſſitie producta. Hac ipſa perſiſtente indicatione, poſt elapſam horam ab exhibito camphorato remedio, poteſt ægrotus decoctum pectorale ex radicibus verb. gr. imperator. Angelic. tuſſilagin. foliis ſcabioſæ, & tuſſilaginis, &c. hauriaturque valde calidum, ne dicam fervidum, quo particulæ radicum elaſticæ, & activæ ferantur pleno flumine, & integris, quaſi viribus ad affectam pulmonum partem. Fervida hæc liquorum potio eſt mihi in ſecretis pro diſſolvendis pertinacibus viſciditatibus in pleuritide epidemica, & maligna, nec non in aliis pectoris morbis a tali cauſa pendentibus: vidi enim ægrotos inſigni ſtrangulatione fere liveſcentes, breviſſime liberatos per frequentes hauſtus decocti pectoralis nimium calide ſorbillati.

Sicut in morbis capitis alvi fluxus ſupervenies, ſalutaris eſt, ita contra valde perniciosus in morbis pectoris, præſertim acutis. Cave igitur, ne purgans medicamentum in pleuritide exhibeas inflammationis cauſa: cave pariter, ne copioſo chlyſterum uſu alvum nimis fluidam reddas, nam exacerbato morbo ſputum ſupprimetur, & ſymtomata ingraveſcent cum pernicie ægrotantis.

Si dolore inflammatarum partium ceſſante (præſertim ſi in pleuritide, vel aliis membranoſarum partium inflammationibus hæc accidant) febris adhuc perſeveret, vel augeatur cum pulſu parvo, intermittenti, frequenti, ſudore frigido, &c. malum: æger enim poſt duodecim horas a ceſſatione doloris delirabit, & paulo poſt indubie morietur: arguitur enim inflammationem jam terminaſſe in gangrænam. Hoc Hippocratis monitum ter obſervavi verum in Xenodochiis.

Pleuritides frequenter ſunt occultæ, quia indolentes, unde graviſſimi errores in praxi ſuccedunt. Ut hi impoſterum vitentur ſcopuli, ſignum dabimus latentes, & indolentes pleuritides manifeſtandi: Fac ut æger in dextrum, vel ſiniſtrum latus decumbat; decumbenti impera, ut fortiter reſpiret, & tuſſiat, finita una, aut altera reſpiratione, pete ab illo, an inter reſpirandum, & tuſſiendum dolorem, aut gravedinem alicubi in pectore perſentiat, quod ſi affirmet, pro certo habeto pleuritidis ſedem illic eſſe, ubi dolorem, aut gravedinem indicaverit: hujus ſigni certitudine plures deteximus occultas pleuritides magno ægrotantium commodo.

Pleuritides recidivantes omnes fere ſunt lethales ex Hippocrate, ideſt ſi dolor, & febris, quæ v. g. decima quarta die ceſſarunt, recrudeſcant vigeſima prima aut alia die, dicit Hippocrates ægrum non ſuperaturum hanc recidivantem pleuritidem. At ſi ſola febris ſupervenerit abſque ullo lateris dolore, res non erit ita lethalis: ſemper tamen time recidivas pleuritidum.

Quando inflammatio pleuræ aut tuberculorum pulmonis definit in apoſtema, & pus, tunc febris vehemens, & continua excipitur a tertiana, vel quotidiana intermittente: idque fit circa ſeptimum diem, eſtque ſignum certiſſimum incipientis apoſtematis, ut ex Hippocrate deducit per experientiam doctiſſimus Mortonus in nobili tractatu de *Phthiſi*.

Solo per tuſſim excreatu ſanantur feliciter Pleuriti-

ritici, & qui hoc prudenter inſtituet brevi recedentem videbit pleuritidem, ſudores enim, aliæque evacuationes non ita conferunt, nam ab affecta parte non educunt.

Si ſputum ante quartum apparet, bonum ex Hippocrate, morbum enim breviat; nam poſt quartum langueſcentibus viribus, & ſputo craſſeſcente, hoc difficilius educitur, & morbus exinde augetur.

In principio pleuritidum qui purgantia exhibent, ſputum ſupprimunt, febrem, & morbum adaugent. E contra qui fortia diaphoretica in principiis exhibent, vel delirium, vel alia graviſſima capitis mala producunt.

Ad hoc ut pleuritis bene ſolvatur, debet prius ceſſare febris, & poſtea dolor affecti lateris: ſi vero ceſſante dolore, febris adhuc perſiſtat, vel augeatur cum aliis ſymtomatis, grave malum imminet ægrotanti.

In pleuritide ſi ſputum antea ſuppreſſum ſuperveniat, & ſit flavo rubeſcens nunquam imperato phlebotomiam; nam poſt ſanguinis miſſionem ſputum denuo ſupprimetur, & æger morietur, ut ter, vel quater obſervavimus in Xenodochio.

Peſſimum ſignum antea probe ſpuiſſe, deinde ex toto deſiiſſe, gravitate, & dolore in pectore permanente. Maximum indicium exitialis pleuritidis, ſi pulſus ſit ſummopere durus, & ob id ſimiliter parvus, & ob hæc, & calorem creberrimus; pleuriticus cum tali pulſu, nullus eſt nunquam ſervatus, ut certo conſtat. Galenus *lib. de præcogn. ex pulſu*, aliiſque in locis.

Fluxus alvi in pleuritide ſunt pernicioſi: quo in caſu ſequentem bolum cum magno fructu propinare ſoleo. *Recip. req. nicol. & ſtibii diaph. an. ſcrup. 1. m. f.* pilul. dentur veſperi: opiata enim fluxum ſedat, ſtibium vero humores ad cutim pellit, juxta illud Hippocratis, alvi laxitas, cutis denſitas, & e contra. Quamobrem ſi pleuritis cum alvi fluxu ſtatim incipiat, prefatum bolum ſtatim exhibe, fluxuque ſedato, ſi phlebotomia indicata fuerit, eamdem impera.

In ſolitaria, & exquiſita pleuritide nunquam obſervabis ſtatim in principio ſputa copioſa, ſed pauca cum pulſu duro, nec non frequenti, & exigua reſpiratione.

Quocumque die, ſecundo ſcilicet, aut quarto, quinto, ſeptimo &c. ante, vel poſt factam ſanguinis miſſionem, ſi ſpirandi difficultas, & difficultas pariter exicreandi ſputi Pleuritico ſuperveniant: ſtatim duo veſſicantia tibiis admoveo, juxta illud Hippocratis in prognoſt. *In pulmoniis quicumque tumores ſiunt ad crura, optimi ſunt, &c.* Poſt appoſita veſſicantia obſervavi expectorationem ſtatim promoveri, ſpirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, ſi adeſſet feliciter ſiſti; omneſque Pleuriticos talibus ſymtomatis affectos brevi, & feliciter ſanatos vidimus.

In pleuritide, peripneumonia, & hujuſmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine e vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſario apparerere debet, peſſimum; materies namque illa cruſtam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit; unde paulo poſt creſcunt febris, inflammatio, ſpirandi difficultas, & reliqua ſymtomata: ſi vero in altera ſanguinis miſſione incipiat apparere, bonum; contra ſi in ſecunda ne quidem apparebit, abſtineto ſtatim a ſanguinis miſſione, aliter interficies ægrotantem, quia per repetitam tunc ſanguinis miſſionem, ſanguis ſpoliatur parte volatiliori, unde major eidem ad coagulationes via præbetur, ut mihi retulit pro humanitate ſua Vir doctiſſimus Dominus Lanciſius amicus noſter.

Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multi eſt in pectore, & facies triſtis, & oculi colore auriginis infecti, hi pereunt: *Hippoc. in coacis.*

Si in declinatione pleuritidis, abdomen nunc flatibus intumeſcat, nunc detumeſcat; bonum: ſanantur enim ut plurimum, idq; circa decimum morbi diem ut plurimum obſervavimus.

APPENDIX AD PLEURITIDEM.

§. I.

INter difficiles, pernicioſas, & curatu non faciles Pleuritides, eſt Pleuritis ſicca, ſive eryſipelatodes acutiſſima, quæ fit a ſero acri, tenui, urente, pulmones velociter occupante, lacerante, cum pauco dolore & ægrum derepente jugulat, Medicis non cogitantibus. Signa hujus Pleuritidis, ſunt *ex Hippoc.* rubores fugaces genarum, tuſſis innanis, paucus dolor, jactationes, ariditas magna linguæ, ardor viſcerum; Salvatella ſemel ſecanda; juvant potiſſimum fomenta, & anodina cum antimalignis, ideo omnia ex Papavere rhœados maxime juvant, Gelatina cornu cervi, omnia ex violis; emulſiones ſeminum bullitorum cum aquis pectoralibus, & his ſimilia; Rapa, & radix altheæ cum juſculis coctæ, & copioſe potui dandæ: Aqua cocta cum ſeminibus lini, & flor. Pap. rhœados, & copioſe potata more mihi conſueto in Urbe.

Si uſu fomentorum non cedat dolor Lateris, non multum foveto, nam ſiccabitur Pulmo, & ſollicitabis ſuppurationem, ut monet Hippocrates.

Veræ pleuritidis proprium eſt incipere a rigore, ita ut putarunt Medici ex vulgaribus (*veſte Hippoc. de morb. nu.* 23.) hujus morbi cauſam, ac principium, rigorem eſſe. Si vero cum rigore non inceperit, ſpuria ſolet eſſe, ab aliis cauſis, non vero inflammatoriis dependens, uti fluxionibus falſis, potiſſimum regnante auſtro, & in temperamentis, quæ ab auſtro læduntur, affluxu materiæ crudæ in pulmones, materiæ bilioſæ inter muſculos pectoris, & his ſimilibus, in quibus caſibus non eſt proficua ſanguinis miſſio: ſicut proficua eſt, quando ab inflammatorio affectu pendet, quem rigor manifeſtat. Rigoriferæ

igitur

Igitur pleuritides ſunt vere inflammatorie pleuritides, in iiſque ſanguinis miſſio juvabit dum modo cætera conſentiant, ac permittant.

Tota ratio curandæ pleuritidis, aliarumque inflammationum, conſiſtit in procuranda debita laxitate partis inflammatæ per debita remedia. Ideo forſan oleum ſeminum lini ab omnibus laudatur pro maximo remedio contra Pleuritidem, quodque raro fallit, quia oleoſa ſua ſubſtantia Pulmonum fibras inflammatione contractas, criſpataſque, & ob id fluidorum circulum impedientes, laxat, lenit, & in priſtinum reſtituit; parte vero leniter ſulphurea, ac volatili blanda congrumatum concretumque in Pulmonibus ſanguinem ſolvit, & in priſtinum motum reſtituit; quod ſi oleo ſem. lini ſperma cæti miſceas, feliciores eventus obtinebis: ſit autem oleum recens expreſſum, alias ingratum erit, ac proinde noxium, loco ſpermatis cæti, ſummi poterunt ʒ iv. hujus olei cum ʒ. i. pulv. dent. Apri, & pauco ſaccaro, eritq ne gratius remedium. Hinc contineri nequeo quin exclamem contra recentiores Helmontiſtas, qui vanis innixi hypotheſibus in pleuritide, aliiſque inflammationibus, nunquam præſcribere ceſſant ſpiritus, ſales volatiles, pulveres acres, acutos, ſolventes, aquas nimium diaphoreticas & ſimilia, quibus fere ſaginant, dilaniantque ægrotantem, cum per ea non ſolvunt, quod ſolvere volunt, ſed irritatis magis, criſpatiſque Pulmonum fibrillis, fluidorum circulationem impediunt, ac veluti ſtrangulant, mortemque quam citiſſime ſollicitant; quod ſancte fateor, horum uſu remediorum, ſæpiſſime ægrorum perniciem, Romæ contigiſſe obſervavi. An aliis in Regionibus ſimilia contingant, ignoro. Unicuique enim Regioni ſua eſt Medicina, ſua methodus; quare neminem damno; neminem a Medicina ſua indigena, in uſu revocanda diſſuadeo. Si experti loquuntur, & ſcribunt, credendum iis eſt, ſin minus minime. In Italia aer purus eſt, & ſobrie vivitur, non ita in Ultramontanis; ideo remediorum ſupellex varia eſſe poteſt in variis Regionibus; ſed præcepta bene medendi, eadem in omnibus. At ſi falſa ſit Pleuritici a viſcida, crudaque lympha pulmonibus impacta dependens, nec affectus ſit multum inflammatorius, tunc ego uti ſoleo ſpirituoſis ad illam ſolvendam, ſed ſpirituoſis, ſolutis in brodio pectorali, valde calide ſorbillato, qua occaſione laudo elixir prop. Helmon. per diſtillationem ſine aloe, paratum; tincturam flor. hyperici: Remedium profecto ſolvens coagulatos humores, vulnerarium nunquam ſatis laudatum, quod pro ſecreto hic communico Lectoribus, utor quoque ʒ. i. ſpir. fuliginis, plus vel minus, vel ſpiritu ſalis amm. ſine calce facti, & diſſoluti cum ʒ. iii. ſyrupi radic. ſcabioſ. vel hederæ terreſtris, vel alterius: & coclearia aliquot per dies danda eſſe commendo, & valde proficua deprehendi ad expurgandas lymphaticas viſciditates in ſpuria pleuritide, vel in vera, ſed circa ſtatum morbi.

His ita animadverſis pro mea erga proximum charitate, & erga Romanos Cives noſtros laxitas procuranda eſt in fibrillis pulmonum inflammatione criſpatis, primo per phlebotomiam, ſi neceſſitas urgeat etiam repetitam: ſanguinis enim compagem nihil citius, magiſque laxat, quam phlebotomia. Ideo in acutis, in quibus laxanda eſt, ea ſummopere juvat. In chronicis contra, in quibus intendenda eſt, vigoranda atque exaltanda, noxia eſt, & perniciosa; ideo perniciosa in intermittentibus. Deinde juſculo ebollito cum ſol. viol. ſcabioſæ, tuſſilaginis, & rapa inciſa, & ibidem ebullita; oleo amigd. dulc. recen. ſine igne expreſſo; Gelat. corn. cer. emulſione ſem. melon. & amigd. dulc. in juſculo facta, per ebullitionem, factaque colatura, veſperi eſt danda loco cenæ, addito ſi velis vitello ovi. Procurata hiſce remedii laxitate, expurgatio ſputi, morboſæque materiei, procuranda, ſyr. ſcabioſ. cum tinct. flor. hyper. aut aliis remediis, ab Auctoribus deſcriptis: Et hæc methodus nunquam fallit Romæ in pleuritide curanda.

Paſſim, atque frequenter in operibus noſtris animadvertimus, purgationem in principio veræ, atque inflammatoriæ pleuritidis, perniciosam eſſe, atque damnabilem; nam phlegmone, ſive affectio inflammatoria, per ſe, & de natura ſua purgationem non expoſcit, ſed phlebotomiam. Idem confirmamus in præſenti. Verum enim vero, nequis putet nos hæc univerſaliter proferre, nulloque habito ad particularia reſpectu, & ad innumeras cauſas quæ pleureſin pariunt. Sciendum eſt, pleuritidem aliquando purgatione tolli debere, etiam in principio morbi: ſed non inflammationis cauſa, verum ratione materiæ morboſæ, magna copia primis in viis congeſtæ, ac pleuritide immediate producentis, ac quotidie foventis; quod etiam antiquitus monuit Divinus Senex, & apud Nos Romæ doctiſſimus Martianus, Hippocratis genius in aureis ſuis in Hippocratem commentariis, & in Antiparalogiſmo contra Manelphum.

Quare ut rem decernamus, ad curationem pleuritidis vocatus Medicus ſtatim inveſtigare debet, an indigeat ſanguinis miſſione, an vero purgatione. Id autem cognoſcet præ ceteris, ut monet Hippocrates, ex ſitu doloris, deinde ex aliis infra dicendis. Si dolor fuerit, vel in dorſo, vel circa pectus, & ſi ſit circa jugulum, ac partes ſupernas verſus collum, ſignum eſt indigere phlebotomia, ſi vero ſit circa coſtas mendoſas, ac præcordia, purgationem indicat, quia morbi fomes in præcordiis eſt, ac in meſſenterio, putris, indigeſtaque cachochilia, quæ quotidie fermenteſcens repetitis circulatio-

lationibus in Pulmones depluit, morbumque facit, ac fovet. Neque id citra rationem eſt, nam ſieuti aſthma humorale, Doctorum omnium conſenſu, radicem habet in ſtomacho, primiſque viis, curaturque, non per media pectoralia, & damnabili ſyruporum lambentium uſu, ſed per ſtomachica, & repetitis purgationibus ex pillulis de hiera cum agarico, & ſimilibus, quibus cruda indigeſtaque primarum viarum materies, quæ morbum in pulmonibus excitat, & fovet, foris educitur, ac eradicatur; cur etiam idem judicium ferre non poſſumus de pleuritide, quando primarum viarum culpa producitur? Ac proinde purgandum in ea eſſe, non inflammationis cauſa, ſed materiæ peccantis, primis viis congeſtæ? Sed ut Lector memoriæ teneat ſigna, quæ phlebotomiam poſcunt in pleuritide, referam hoc in caſu præcepta doctiſſimi Dureti, aurea pene ac utilia, ad id potiſſimum ſpectantia, deſcripta in Coacis fol. 388. his verbis. De pleuritide, cui ſummo jure deberi venæ ſectionem clamant omnes ſophiſtæ, illud præceptum eſt ab Hippocrate, ei tantum pleuritidi jure, & loco, & convenienter præſcribi, quæ attingit claviculam cum gravitate brachii, atque mammæ; nec fotu minuit, manetque ſicca, & ſputi expers, ob eamque cauſam doloris ideam habet punctoriam, magnitudine peracerbam, æqualitate ſimilem, & aſſiduitate graviſſimam. Quæ omnia conjunctam habent ſiccam tuſſim, febrem aſſiduam cum ſpiratione multum difficili: & quoniam in eo cruciatu ſævi doloris pleuriticis, & ſumma ſpirandi difficultate, omnia ſolent eſſe mortifera, niſi dolorificum malum, ideſt quod intus lædit, exeat cito foras, hoc eſt ſyſtrophica inflammatio tunicæ coſtis intexta hic venæ ſectio, & liberalis detractio ſanguinis, verum eſt alexiſtærium, quo pleuriritici ſanantur. Si vero infera ſit pleuritis, ſcilicet dolor vergat ad diaphragma, & ſpurias coſtas, tunc rehuma conſiſtens, non detrahet phlebotomia, ſed purgatio, jubente Hippocrate. hactenus *Duretus loco citato*, & ibidem paulo infra plura notatu digna refert, ad ſanguinis miſſionem in pleuritide ſpectantia.

Verum ſigna curandarum pleuritidum per ſanguinis miſſionem, aut per purgationem, docte ſatis deſcripſit doctiſſimus Ballonius Pariſiis, & ante ipſum Romæ celebris Martianus, Magni Hippocratis vere magni filii, & ſequaces ambo.

Primo, itaque ſciendum, differentiam eſſe inter dolorem lateris, & inter pleuritidem, hæc enim inflammatio Pulmonum eſt, ille vero aliarum pectoris partium, potiſſimum externarum peculiaris affectio. Qua de cauſa ſæpe diſtinguit ipſum Hippocrates a pleuritide, dicens, v. g. *Cum dolore lateris, non tamen pleuritico*: & Coac. 73. ait. *Quibus in febre lateris dolor incidit, ſi quidem perliquidis, & bilioſis profuſe alvus fera ſit, mitescit.* Ubi intelligit Hippocrates, ut bene monet Duretus, & Martianus Medicus Romanus, non pleuritidem, quæ liberali alvi profluvio non ſolvitur, ſed dolorem partium externarum pectoris, quod recte tenendum a Medicis. Ideo monitum eſt a ſene Magno coac. 49. *Quibus cum dolore lateris non tamen pleuritico, levis adeſt aut modica perturbatio alvi, evadunt phrenetici, &c.* Audiamus itaque Ballonium.

Dum ſævit hyems, dolores pectoris, & lateris ſæpiſſime graſſantur ex 3. Aphoriſm. qui ſæpe e flatu crudo, & frigido in pulmonem, thoracemque ducto fiunt, & mendax eſt id, quicquid eſt. Ad id feſtinanter Medici phlebotomiam præſcribunt; idque temere; potius valet uſus lituum, & thermaſmaton. Hic graviſſime aberratur uſu; & experientia, parum probanda. *Ballonius epid. fol.* 54.

Ex doloribus lateris maxima pars ex fluxione a capite oritur: ſed dolorum lateris, & pleuritidon, tres fere ideas in operibus artis obſervamus. Alii enim dolores ſunt ob phlegmonem. Alii ob eryſipelatoden affectionem. Alii ob humorem purum, & ſincerum a capite; & tunc non tam eſt pleuritis, quam lateris dolor; ac fere talis dolor inflammationis non eſt comes, ſed tantum congeſtionis cujuſdam humoris, & adhæſionis. Imo infinitos vidimus laborantes dolore lateris ob copiam excrementi in Pulmone, cujus pars tenuior, & ſeroſior, dum ad membranas funditur, dolores excitat.

Diligenter tamen notandum. Major eſt pars pleuritidum, & dolorum lateris, tum a congeſtione cujuſdam excrementi in pulmonem, & thoracem, tum ob recurſum tenuioris humoris per oragaſmum a ventre inferiore, quam a capite, & partibus ſuperioribus. Quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare, & ſolvere ventrem. At ſæpe hoc plus confert, quam Phlebotomia. Imo tunc ſectioni venæ locus non eſt: niſi forte ſemel id fiat, præſertim ſi dolores lateris fiant hyeme a crudo, & frigido humore, in quibus nequaquam ſectio venæ convenit. *Ballon. loc. cit. fol.* 79.

Cum dolores vagabunde tenent nothas Coſtas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas, & partes ſterni anteriores; caute videre oportet, an propter ventris inferioris cachochimiam; a qua propter vapores elevatos dolores ſurgunt, ſenſio adſit doloris, an cauſa ipſa a partibus ſuperioribus pendeat, an vero in thorace ipſo ſit. Vulgo ſecatur vena, undelibet ſit dolor, idque male. Quis enim neſcit, ſi dolor iſte agnoſcat cauſam in ventre inferiore, non modo non prodeſſe phlebotomiam, ſed etiam ſæpe nocere, quod attractio fiat a partibus inferis, & ſi nondum adſit pleuritis, ea per venæ ſectionem acceleretur? *Idem fol.* 88.

Plerique queruntur de dolore pectoris, unaque

que ventriculi, & ſeſe animam ducere non poſſe ajunt. Statim Medicorum quorumdam vulgarium opinione, ad phlebothomiam concurritur. At nil, aut parum profici declarat rerum exitus. Etenim ſi vel Cholera, vel Diarrhæa ſuccedat, vel purgante ſollicitetur alvus, dolores cito levantur, ſic cachochimia, hypochondriorum obſtructio, dolores facit, qui maxime apparent, & proferuntur in pectore ob conſenſum diaphragmatis, & quia in thorace communis eſt membrana, & lateribus, & diaphragmati parte convexa. Sic in iis, qui melancholia flatuoſa tenentur circa mammas, & ſternum, laterum dolores ſurgunt: an ideo venam ſecabis? Non? Præſertim ad evacuandum, ſed ſi velis, & urget dolor, ad aperiendum, & ad libertatem obſtructionis, poteſt parva ſanguinis miſſione occurri. Sic initio paroxiſmorum, in ſpecie incubi, & contumace viſcerum obſtructione excitantur dolores in thoracicis partibus, & fruſtra ſecaretur vena. Sic in talibus prius purgatio tentanda, quam phlebotomia, contra opinionem vulgi, *Idem loc. cit. fol.* 98.

Quicumque laterum doloribus eſt obnoxius, dum febris adeſt, aut adeſſe debet, dolet nunc ei latus eodem modo, ac ſi eſſet pleuriticus, frangente ſe febris calore, minuitur dolor. Confert his venæ ſectio, ſed non ſæpe repetita. *Idem loc. cit. fol.* 145.

Notavimus multis oriri dolores lateris qui aut ſecta vena, aut aliquo remedio ſumpto ſtatim evaneſcunt: & ideo ſecuros eſſe non oportet, nam inde ſæpe peripneumonia ſuccedit. *Idem loco cit. fol.* 154.

Maxime obſervavimus in iis dolores laterum excitari, quibus aut thorax hydrope laborat, aut pulmo duriuſculus ſanie multa ſcatet. An talibus conferat phlebotomia? *Idem loco cit fol.* 155.

Suſpecta eſſe debet omnis diſparitio doloris lateris, præſertim ſi manet febris, & Diſpnæa eſt, nam declarat dolores fuiſſe ob reſudationem ſeri. Omnis autem dolor lateris fugax, malignus eſt, & eryſipelatodes, & fere necat; ideo jubeo, ut medici non ſint ſecuri. *Idem loco cit. fol.* 165.

In omni febre eſſentiali, cum junctus eſt dolor lateris, febre aucta, dolor augetur. At in vera pleuritide augetur febris aucto dolore; & Medici plurimum debent advertere, ut dignoſcant, an febris ſit eſſentialis, an non, quoties agitur de dolore lateris. *Ballonius epid. fol.* 208.

Ægroti cujuſdam latus doloroſum ſatis docuit, quod a medicamentis purgantibus, dolores, præſertim cum fiunt a fluxionibus, tantum abeſt ut juventur, quin irritentur magis. Contra, qui dolores laterum principia duxerunt a partibus infernis in meſenterio, nonniſi purgantibus iiſque validis juvantur. *Idem loc. cit. fol.* 225.

Vidimus dolores lateris perpetuos, ſed qui de nocte urgent, nullis ceſſere remediis; ſuſpicio fuit de lue venerea. Tamdem diæta, & litu Mercurii, ſanati. *Idem. l. c. fol.* 7.

Alios dolores laterum vidimus a flatu: Flatum autem excitabat diatheſis hypochondriaca, & præcipue cum chyli fit anadoſis, aut quibus ſolemnis eſt hauſtus frigidæ, cum cubitum diſceditur, aut crudorum fructuum eſus. *Idem l. c.*

Quibus corpora compacta ſunt, firma, & ſolida, iis dolores laterum ſunt curatu difficiliores, & velint, nolint medici, venæ ſectio repetita non confert. Obſtructio enim ſpiraculorum cutis impedit, quo minus exhalet corpus. Porro aeri frigido corpora ſua exponunt, nec lecto ſe continere volunt. Id in multis obſervavi. *Idem. loc. citat.*

Cum in pleuritide vexant dolores, venam ſecamus, cum augentur, audentius ſecamus. An id bene? Nequaquam. Quia dum pus fit, dolores ſurgunt; an ideo tam ſæpe ſecanda vena? Naturam impedimus, unde nil mirum ſi multi moriuntur. *Idem loc. citat. fol.* 46.

Epidemicæ tunc erant pluritides, & cachoetes, ſine ullo motu violento prehendebant. Dolor erat fugax, & cum ægri bene habere putabantur, & immunes a dolore lateris, interibant Erant a ſero acri indomito, cuniculos, & viam ſibi parante eryſipelatodes, non phlegmonodes. Idem *l. c. fol.* 32.

Cuidam pleuritico ſecta vena, dolor diſparuit; an ideo ſecuros de morbo eſſe oportet? Minime; nam multos ſtatim perpneumonicos evaſiſſe vidimus. *Ballonius epid. fol.* 22.

Coctionis commoda in pleuritide ſunt hæc. Laxitas partis afflictæ, & materiæ præparatio in craſſitie meabili, exitu facili: tum ipſa meatuum libertas, & fortior naturæ contentio. *Duretus in coac. fol.* 256.

Illa coloris mutatio, ut rubro ſuccedat lividus ſanguis, in pleuritide inferarum coſtarum expetenda non eſt, nec expectanda. Hic enim tantum prodeſt phlebotomia ad retractionem rheumatis concitati, & ad temperationem ſanguinis æſtu incandeſcentis, non ad detractionam conſiſtentis. Ad Pleuritidem vero coſtarum inferiorum, quæ ſub diaphragmate non raro aſſurgit, nec ullam ſui exhibet ſignificationem circa jugulum, hic enim opus pharmacia pharmaci medici. *Ex Hippoc. Duret. fol.* 261.

Ubi tuſſes invaſerint, amplius bibendum, & quam maxime excreandum, & potu humectandum, quo Pulmo humidior factus facilius ac citius ſputum reddat, & tuſſis minus affligat. *Hipp. 3. de morb. n.* 23. & 24.

Si dolor aſcendat ad claviculum, aut gravitate conſiſtente ad brachium, aut circa mam-

mam

mam invadit, a ſanguine fieri dicit Hippoc. & ideo *ſecundo*, & *quarto acutorum*, venam ſecare jubet. Si vero dolor ſub ſepto tranſverſo, & ad hypocondria ſentiatur, a craſſis, & exuſtis humoribus deorſum tendentibus fieri pleuritidem ait, eamque purgatione curari aſſerit *Martianus in antiparalogiſmo f.* 15.

Aliquando fiunt pleuritides a fluxione acri, a capite nimio cum impetu in pulmones irruente, habetque ſummam analogiam cum peripneumonia, de eaque diſcurrit *Hippoc. de loc. in hom. nume.* 24. ubi ſic ait. *Dolor lateris mollitudinem occupat, imo & claviculam ejuſdem partis, & febris adeſt, & lingua ſuperne pallida, ac viridis fit, & excreat compacta.* Diſtinguitur igitur a Pulmonia, & pleuritide, ab aliis cauſis pendente, quę dolore eodem tempore, & claviculam, & coſtas mendoſas ſub hypochondrio occupet, & lingua eſt ut ſupra. Nam in vera pulmonia numquam dolor ad lateris mollitudinem ſe extendit. In hac ſpecie pleuritidis ex fluxione diſtillante productæ, non oportet venam ſecare, tum quia inibi non fecit illius mentionem Hippocrates, eo quia a bile acri fit morbus, quæ venæ ſectionem ſuſpectam reddit: tum quia diſtillationi, a qua fit morbus, non occurrit, imo magis auget commovendo. Et quoniam rationi congruum eſt in locis Auſtro ſubjectis, qui frequenter diſtillationes movet (ut notat *Cous numer.* 3. *de Aer. aquis, & locis*) hujuſmodi pleuritides frequentius vagari; hinc factum eſt, ut Aſclepiades obſervaverit teſte Cellio Aureliano, *c. de pleuritide* Romæ (quod Romani notent Medici) & Athenis pleuriticos lædi a venæ ſectione; in Pario vero, & Helleſponto juvari, & recreari. Roma enim, & Athenæ in humili loco ſitæ ſunt, & Auſtris mirum in modum ſubjectæ, ideo pleuritides vigentes ibi ſunt de earum genere, quæ a diſtillatione oriuntur. Sed & experientia id confirmat, quando Pulmones his in locis plerumque affecti conſpiciuntur: qua evidentia deceptus Cagnatus credidit in omni pleuritide pulmones eſſe affectos. Ob dictas ergo cauſas, Romæ, & Athenis lædit ſanguinis miſſio, quia diſtillatione plerumque fiunt Pleuritides. Idem notavit Ollerius, dicens *pleuriticos juvari phlebotomia locis perflatis ab Aquilonibus, lædi vero locis, qui obverſantur Auſtris.* Hippocrates igitur in duobus tantum caſibus venam ſecat, ſcilicet in ea pleuritide, quę e toto procedens, ſanguinis plenitudinem præſefert, mediante dolore ad claviculam, & humerum tendente, ſive gravitate ad brachium, & circa mammam; Et in pleuritide ſicca, in qua minimum ſputi educitur. In aliis ſpeciebus, mentionem ejus non fecit, quippe quæ aut nihil prodeſt, ut notat *lib. de rat. vict. in acut.* 3 & 4. *Comment. text.* 8, & 15. dum ait, *Sectio autem vena non ſimiliter ſolvit dolorem niſi ad clavicu lam pertingat dolor*: Vel potius obeſt, tum ratione humoris peccantis, tum virium, quæ debent eſſe validæ propter expuitionem, ſine qua æger ſervari non poteſt. Hactenus *Martianus in Antiparalogiſmo a f.* 16. *ad* 19.

Tertium genus doloris lateralis ita deſcribit Hippocr. *conc. prænot. ſect.* 3. *verſ.* 79. *dolores circa latus tenuiter conſiſtentes in febribus citra nothas coſtas, Vena ſectio laſerit, ſive cibum averſatur æger, ſive hypochondrium ſublime habuerit, &c.* Hujuſmodi dolores a bile, ventriculum obſidente, ortum habere exiſtimo, nam de iiſdem loquens Cous eodem lib. verſ. 83. ait. *Quibus in febribus dolores lateris fient* (ſive ut ſupra dicebat tenuiter conſiſtentes) *alvus multa aquoſa, & bilioſa egerit, alleviantur.* Quod a morbis in pectore conſiſtentibus penitus alienum eſt, & paulo ante dixerat v. 57. *Quibus bilioſa eſt alvi egeſtio, circa pectus morſus, & amaritudo malum.* Quæ denotant humores bilioſos in ventriculo conſiſtentes, acribus vaporibus in partibus pectoris, & laterum dolores excitare.

Præfatos dolores ſæpius obſervavimus in praxi modo hanc, modo illam partem pectoris vage infeſtantes, aliquando deſinentes, & paulo poſt inſurgentes: id quod importare verba illa *tenuiter conſiſtentes*, puto. In quibus alii cibos faſtidiebant, bilioſa materia os ventriculi infeſtante; & his dolores partem ſiniſtram lateris plerumque occupant. Alii hypochondrium dextrum in tumorem elevatum, ſine manifeſto dolore ad contactum invenimus, & his dolor partes dextras potius infeſtare ſolet. Utroſque levi purgatione ſedatos eſſe vidimus, non dubitantes a venæ ſectione lædendos fore, ut Hipp. utpote per eam a ventriculo in venas evocaretur humor bilioſus, unde majus malum, tum quia inviolabile præceptum ab Hippocrate ſemper obſervatum video, ut bile notabiliter dominante vena nullo modo ſecetur, ſive in febre, ſive in aliis morbis; ideo *lib. de humor. tex* 3. *ad calcem* 3. *ſect.* 6. *epid.* ait tria impedire venæ ſectionem in ſanguinem ſpuentibus, *tempus anni, pleuritis, bilis.* Martianus *lib. cit. fol.* 21.

Tres pleuritidum ſpecies rariſſimas, earumque curationes, vide optime in Hippocrate 2. *de morb. n.* 40. & 41. ibidem quoque 3. *de morb. a n.* 20. *ad numerum* 22. vide plura divina ad pleuritidem ſpectantia, ejuſque varios exitus, ac prognoſes.

Pleuritidem ſiccam pendere a pulmonum ad Coſtas adhæſione, agglutinationeque, ſcribit Divinus Senex *de loco in hom. num.* 37. *fol.* 33. quod ſerio animadvertendum Medicis eſt, multum enim confert ad curationem: de iis itaque ſic loquitur. 3. *de morb. n.* 10. *ſunt & ſiccæ pleuritides ſine ſputo, quæ difficiles ſunt, judicationes ſimiles aliis ſunt, ſed ampliore in potu humectatione indigent,*

quam

quam aliæ; biliosæ vero, & sanguineæ, nona, & undecima die judicant, atque hi magis sanifiunt. At si a principio molles quidam tenuerint dolores, a quinta & sexta die acuti, hi usque ad duodecimum veniunt sed non valde effugiunt. Periculum tamen maxime est usque ad septimum; imo usque ad duodecimum: post hos sanantur; quæ vero ab initio sunt molles, a septimo, & octavo acutæ ad decimum quartum judicantur, & sanantur. lib. cit. ait Hippocrates.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt magnorum virorum experimentis confirmata, satis constat, quantum cautus, & prudens esse debeat Medicus in præscribenda catharsi, vel phlebotomia in pleuritide, & quantum exacte memoria tenenda sint illi præcepta supra recensita; quarum ignoratione rerum, vel indebita ad praxim accomodatione, nil mirum si frequenter observemus ægros post ordinatam phlebotomiam interire statim, & in pejus ruere, idemque succedere post imprudenter præscriptum catharticum; quæ ut in posterum vitentur incommoda, rogo Medicos, & obsecro per Medicinæ parentem Hippocratem, atque per veterem medicam Coorum Academiam, ut in curanda pleuritide Romæ, non multum fidant Chymiæ Nebulonibus, id est falsis Chymicis impostoribus, ac circulatoribus, qui urbes pererrant, & in Urbem hanc, nescio quo fato, magna in copia quotidie confluunt, ægrosque inani remediorum spe continuo decipiunt. De his itaque sæpe loquimur in nostris libris: sciat Chymicus ille, qui ita insulse apud Batavos debacchatur in Hippocratis sequaces; non vero de bonis Chymicis (uti forsan est ipse,) eorumque diaphoreticis potentibus, salibus volatilibus, secretis ab Orbe stellato petitis, & mille nugivendulis pulveribus, quæ singula indiscriminatim quovis morbi tempore, & in qualibet pleuritidon specie a vulgaribus præscribi observo, magno tamen ægrotantium discrimine. Sed considerent primo, an pleuritis ab effectu vere inflammatorio producatur: an vero ab apparatu pravorum humorum in primis viis, an demum a fluxione acris humoris a capite, ut putabant antiqui: sive potius in nostra sententia, a sale acri, tenui, urente, scorbutico, hypocondriaco, hæmorrhoidali, herpetico, vel alterius generis, aut characteris morborum principalium: qui sales, humores fundendo, accendendo, colliquando, postquam hi ad pulmones defluxerint, pleuritidem, aut peripneumoniam, aut dolorem lateris pariunt cum febre, aliisque peculiaribus horum morborum symtomatis, quæ singula ab irritatione, punctioneque salium magis fiunt, quam ab effectu vere inflammatorio: hujusque generis pleuritides vocare soleo lymphaticas, sive nothas: nam lympha præcipuum salium menstruum, morbosis salibus imbuta, eas parit, ac fovet.

In pleuritide igitur vere inflammatoria, & inflammationis causa, sanguis statim mittendus est, ut depletis hac ratione vasis in libertatem restituantur fluida, quæ vi oscillatoriæ inflammationis fibrarum pulmonalium, in pulmonibus ipsis hærere coguntur: laxataque per phlebotomiam solidorum, & fluidorum nimium intenta compage, debitæ noxiorum humorum expulsiones per sputum, aliasque vias naturæ magis accomodatas, promoveantur. In ea vero, quam primarum viarum apparatus producit, & doloris signa circa præcordia de se præbet, purgatio juxta præfatorum magnorum virorum præcepta instituenda. Ipse tamen, ut cautius procedam in rebus, ita dubiis, soleo primis diebus alvum clysteribus mollire, etiam bis in die, maxime si magna sit cachochiliæ copia in præcordiis, & pulmo sit nimium inflammatus: quod si affectus inflammatorii multa signa non adsint, & lingua sit humida, urina non multum accensa, & calor non multum acris, purgatio etiam præscribenda ex cassia, syrupo rosato aureo &c. non vera manna, quæ serosos humores nimium educit, crassis, viscidisque relictis: ad educendam enim putrem cachochiliam syrupo rosato solutivo præstantius non datur, maxime si uniatur cum decocto sennæ tartari, & epithimi. Demum si sal acris, scorbuticus, fundens, pleuritidem faciat, caute procedendum in sanguine mittendo, nisi missionem exposcat nimia pulmonum inflammatio ab ejusdem salis acrimonia excitata. Circa purgationem tenenda sunt præcepta a Magistris Artis supradictis adnotata, & a nobis paulo ante recensita. Curatio vero hujus generis pleuritidon ad acrimonia, fusioneque humorum absolvenda erit juscu̇lis, malva, viola, scabiosa &c. alteratis Gelatina cornu cervi, emulsionibus ex sem. melon. & amigid. dulc. in juscu̇lo factis, & sæpe potatis. Aqua hordei calide magna in copia potata, oleo amigid. dulc. recent. sine igne expresso, & hisce similibus, quæ acrimoniam leniunt, impetum salium furentium coercent, eosque diluunt; quod præcipuum curationis argumentum esse debet. Hujusmodi pleuritide corripiuntur potissimum scorbutici, hypocondriaci, hectici: hemorrhoidibus subjecti, & scabiei, & qui vulgo fluxionibus, & vagis, ac rheumaticis doloribus subjacent. Quod quidem hominum genus, quoniam sanguinem ac reliqua fluida valde depauperata spiritibus, ac bono succo nutritio habent: a sanguinis missione summopere læduntur, quando ea imperatur in pleuritide ex fluxione salina acri, rodente. Ubi enim sal regnat, ibi statim regnat & inopia spirituum, ac boni succi: spiritus enim a dominante sale syderantur, opprimuntur, extinguuntur; ideo tales homines debiles sunt. Et quando phlebotomia lædit, aut necat aliquem pleuriticum,

cum, dictam ob causam necat. Hi solent habere urinam rubram quidem ob nimiam salium copiam, quibus tingitur, non vero ob sanguinis sulphur nimis exaltatum, sicuti in alia pleuritidis specie vere inflammatoria succedit. An ideo sanguis mittendus in illis ob urinam rubram? Minime, nam sales dominio potiuntur post phlebotomiam, & enecant.

Porro, qui acrimoniam in fluidis habent, hæc patiuntur, ut sæpe animadverti in Urbe; ab aeris intemperie frigida, vel calida levi de causa læduntur: callis pedum, valde dolorosis afficiuntur: gingivas præ ceteris observa, nam hæ in similibus casibus sunt nimium rubræ, erosæ, tumidæ, luridæ, dolentes, cum visciditate circa dentes. Qui gingivarum statum bene observat multorum morborum ex acrimonia reconditam originem facile investigat. In urina rubras arenulas habent, & urina solet esse rubicunda, & matula licet quotidie aqua limpida abstergatur, semper tamen visci da mucagine post mictum circum circa oblinitur: quod impurorum salium in sanguine ingentem copiam denotat, ut frequenti didici observatione. Taceo hic reliqua signa acrimoniam humorum denotantia, quæ apud Auctores facile possunt comparari, & addisci, &c. Et nuper hæc omnia proxime elapso mense Octob. anni 1702. notavimus in Ægro ad Templum S. Hieronymi nationis Sclavorum, & Dalmatarum ad ripam Tiberis, non longe a Palatio Burghesiorum, & in plurimis in hac Urbe, in cujus incolis ob debilem ventriculi digestionem, morbi ex fluxionibus, & primarum viarum apparatu sunt fere familiares, ac morbi patrii. Hoc eodem anno, mense prædicto absoluta est, ac completa celebris linea meridiana, quam in Templo Chartusianorum S. Mariæ de Angelis ad Thermas Diocletiani, ex marmore, & metallo, jusso, & impensis Optimi Maximi Pontificis nostri, extruxit, ornavit, & magna cum diligentia, judicioque perfecit Vir doctissimus, & libris editis celeberrimus Franciscus Bianchinus, nunc Præsul meritissimus, nostrique amicissimus, amantissimusque.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

§. I.

IN principiis Febrium acutarum cave a purgantibus, cave pariter a remediis nimium volatilibus, & vehementibus: crudo namque existente adhuc morbo, vel educes, quæ educenda non sunt, vel augebis febrim, vel jugulabis ægrotum.

Ante septimum diem in acutis, & inflammatoriis nec purgato, nec diaphotetica vehementia dato, siquidem cruda adhuc est peccans materies, & bonis succis confusa, nec auscultat talibus remediis, nisi apparentibus signis coctionis.

Si nimiam adsit vasorum turgentia, impetus sanguinis ad caput, pulmones, aut alia membra, imminetque phrenitis, adsitque juventus, calida temperies &c. in Contiuis semper sanguinem mitte in principio, idque ante septimum, idque repete pro urgentia symptomatum. Nam depletis hac ratione vasis, laxataque quasi sanguinis massa, viam sternes diaphoreticis, purgantibus, aliisque hujusmodi præcipitantibus in statu morbi adhibendis.

Si vel minima suspicio aderit febris malignæ ex coagulatione, cave a sanguinis missione tanquam peste.

Observavi vomitoria pro varietate Regionum, atque Climatum magis, aut minus prodesse vel nocere. Nos Romæ non ita tuta experimur in febribus, prout Septentrionales suis experiuntur in ægris. In remediis itaque præscribendis, semper ante oculos habe tui Climatis naturam, tuorumque Popularium temperiem; neque quicquam præscribas quod ex libris didiceris, nisi prædicta calleas.

In acutis circa duo potissimum peccant Medici, vel in nimia atque tumultuaria remediorum farragine, vel potius intempestivo, & a methodo eorundem usu; unde tot incommoda in ægris, & tam variæ, atque inconstantes morborum periodi, & incredibiles adinvicem permutationes, quas quidem rudes Medici naturæ morbi, non vero inconstantibus suis, ac speculativis medendi methodis attribuunt; sed longa dies majora patefaciet.

Omnes acutas, & inflammatorias febres hic Romæ curare incipio per sanguinis missionem, nunquam per purgationem, nisi quando vel nimius urgeat vomitus, vel repletio præcessit immoderata; & observavi post sanguinis missionem aliquem statim apparere sudorem cum levamine Patientis.

Febris semitertiana exquisita familiaris est Popularibus almæ hujus Ubis, & fere perpetuo hic grassatur; quod etiam cognovit Galenus Romæ olim degens prope Forum Minervæ, qua nunc itur ad Pantheon Agrippæ, sub Imperio Antonini, de Galeno, & de universa re Medica Pincipis optime meriti. Hunc ferunt aureo torque donatum fuisse cum appenso numismate Principis sequentibus verbis insignito:

ANTONINUS ROM. IMPER.
GALENO MEDIC. IMP.

eo tempore, quo Galenus primum Romæ Theriacam magno Urbis applausu confecit. Sed e diverticulo in viam. Semitertianam igitur nostris Popularibus esse familiarem, & experientia constat, & Galenus, ut diximus, testatur *de loc. com. 25 & de morb. temp. circa finem*. Sed de hac

febri apponentibus docta verba Fontani in Schol. ad Dodonæum de semitertiana; ait igitur: *Per hanc febrim laditur ventriculus, & maxime ejus partes nervosa, & hepar, ideo jure merito a me inter lethales numeratur. Hæc sæpe degenerat in hecticam, & hidropem propter magnas obstructiones*, ut notat Hippoc. 1. epidem. com. 3. Aphor. 5. &c. *In hanc febrim propensi sunt Ecclesiastici, Nobiles, Aulici, Juvenes, & desides epipare viventes, nimis genio indulgentes, quique calidas Regiones incolunt, ideo frequentes sunt in Æthiopia, & Italia:* hæc ille. Sed illo multo melius Dodonæus Vir doctissimus loc. cit.

Typus semitertianæ ita se habet; singulis diebus accessiones invadunt, sed uno die febris magis invalescit reduplicato etiam horrore, altero vero mitior est, ut quisque Medicorum observare per se poterit. Morbus longus est, & periculosus: Viros ut plurimum invadit, vel virili ætati proximos, idque tempore autumnali: Ventriculus præcipue laborat, affectus lethargici interdum accedunt, vigiliæ, lingua arida, & sicca &c.

Cum de febribus inciderit sermo, summopere miror Medicos hodie pene omnes singulorum morborum, præsertim vero febrium originem ab acido duntaxat deducere, & singulos per anti-acida non exiguo ægrorum damno curare. Nam si recte rem perpendamus, alchalia potius varie alterata accusanda erunt. Quicquid enim in corpore animato præsertim in sanguine fit, per fermentationes fit, quæ quidem pluries atque pluries repetitæ, auctæ, vel plusquam par est alteratæ non acidarum partium proventum, sed potius salis alchalini, lixiviosi, acris, calcinati, & similium copiam exhibent, ut in febribus præcipue observamus, in quibus salum hujusmodi acrium, alchalium, lixiviosorum, calcinatorum &c. manifesta adsunt indicia, multæque curantur solis diluentibus cum acido aliquo leniori temperatis, ut in ardentibus patet. Quamobrem non possum non laudare summopere eximias vires clysmi antimonii, cujus subacida virtute multæ febres ex aeris mutatione productæ, aliæque ardentiores tanquam in ovo suffocantur. Hic Romæ febres per æstatem ob aeris mutationem sævientes non ab acidis, sed alchalino-acribus producuntur salibus (ut taceam malesana in victu errata, quæ Ruri oblectationis gratia committuntur, unde interdum harum febrium origo, non ab aere): variæ enim telluris, & mineralium particulæ vi caloris solis in aere elevatæ, illic per novos supervenientes calores magis, atque magis attenuantur, cohibentur, atque volatizantur, unde summam volatilitatem, & alchalino-acrem indolem potius, quam aciditatem nanciscuntur, sanguini que per inspirationem communicatæ ejusdem massam dissolvunt primo, & ex dissolutione mox coagulationis effectus suboriuntur. Patet id experientia, nam acida etiam potentiora post fermentationem vel intestinam diuturnam, vel excitatam a calore, aut dulcia evadunt, aut insipida, & alchalia; per fermentationem enim fractis acidi spiculis, acidum in alchalinam naturam mutatur. Ideo videmus aquam theriacalem primo acidam, post biennium evadere dulcem: Spiritus ipsi acidi longa mora sponte sua dulcescunt; & sic de reliquis. Ceterum non nego interdum acida in primis viis producta, sanguinique communicata indebitas in eo fermentationes excitare posse. Fateor tamen ea acida esse debere nimis vehementia, aliter post repetitas cum sanguine fermentationes ruptis suis spiculis, necesse est, ut in alchali naturam mutentur; & ita vel innocua evadant, vel alchali morbosi naturam acquirendo, hac ratione partes lædant, & causa morborum fiant, quod erat probandum. Sed de his fusius peculiari tract. *Acidum Insons*.

DE FEBRIBUS MALIGNIS, ET MESENTERICIS.

§. I.

VUlgus Medicorum, & vulgus hominum eas vocant malignas febres, quæ variis, gravissimisque stipantur sypmtomatibus, ruuntque in deterius. Hoc imaginarum malignitatis nomen imperitia Medicorum peperit, petulantia vulgus fovet. Credit enim ignarum vulgus, quoscumque rapit febris perinitque, a malignitate illius semper perire; credunt id plures etiam in Medicis. Non nego dari aliquando febres nonnullas, productas ab humore velut venenifero, uti sunt quas esus fungorum aut boletorum, similiumque noxiorum ciborum usus parit; sed tam frequentes esse ac fere innumerabiles, ut vulgus, aut Medici somniant, constanter nego. Quæ nobis videntur malignæ a viscerum phlegmone, aut erysipelate fiunt, idest a causa evidente, & manifesta: unde ergo ista malignitas? Febres lymphaticæ omnium pernicios issimæ sunt, præsertim si lympha nimium viscida, concretaque fuerit, ut sæpissime observavi. In his sæpe urina bona est, boni sunt pulsus, sed pessima lingua, pessimus mesenterii status ob nimiam ibidem putrem, congestam cachochiliam: ægri bene sibi videntur valere, quia hostis in lympha est magis, quam in sanguine. Sed quando concretio lymphæ in suis vasis trahit in consensum sanguinem, coagulando illum, figendo, & circuitum impediendo; en celeres ruinæ, en præcipitia, en repentina mala, & stupente Medico, ac malignitatem accusante æger in manibus cito cito perit. Vera dico: Experta dico: sancteque affirmo. Non hic simiola malignitatis ægrum jugulavit; sed gravis lymphæ syderatio, ac concretio: tracto demum sanguine in consortium necis. Sicuti hac

eadem

eadem die qua scribo (& additionem absolvo ad omnia Opera nostra mox mox edenda Lugduni, in Galliis ab illustri Anissonio) 23. Decembris 1702. vidi in sene ad Pantheon Agrippę lethaliter hac febri decumbente. Hac eadem die 23. Decemb. 1702. Tiberis plurium dierum pluviis nimium turgescens summopere inundavit Romam maximo cum civium incommodo. Viæ omnes quæ ducunt ad Vaticanum, nempe Lungaria, Ursi, Burginovi, &c. aqua plenæ erant. Totum forum Pantheon Agrippæ aqua inundabat, forum Judæorum, aliæque quamplurimæ per Urbem viæ, uti, & ipsa Flaminia prope ædem S. Laurentii in Lucina. Certa Romanorum observatione constat, post ingentes Tiberis inundationes oriri febres epidemicas in Urbe valde graves ac pernicioſas; quod Deus Opt. Maxim. a nobis avertat his infelicissimis, turbulentissimisque totius Europæ, ac miseræ Italiæ bello labefactatæ temporibus.

Quando ego solus ægrotorum meorum curam incipio, & mea methodo febres curo, raro tales malignas febres observo, sed quando ad curationem ab alio inceptam vocatus sum, quoniam mente mille præjudiciis antecepta curatio febrium instituitur; nec oraculis Naturæ, & Magni Senis præceptis auscultatur, mille differentia, & gravia observo accidentia, quæ frequenter soboles sunt methodi depravatæ, non vero naturæ morbi. Licet hæc passim, ac quotidie in praxi succedant: succedit etiam, ut pluries vidi, dari febres nonnullas in ipso principio graves statim, statim periculosas, & periculosis etiam stipatas symptomatis. Has vulgus vocat malignas, ideſt a venenifero productas humore; cujus imaginarii, & commentitii veneni de causa, innumera statim præscribunt spirituosa, aromatica, alexipharmaca, calida, volatilia, & mille id genus inter se pugnantia remedia; quibus quod præcavere volunt, periculum advocant, & augent.

Ipse enim, ut vera fatear, quæ diligenti observatione, & matura didici meditatione, a duabus potissimum causis malignas has febres pendere observavi, ab inflammatione viscerum, & ab apparatu pravorum, crudorumque humorum in primis viis, vel in massa sanguinis. Romæ hujusmodi apparatus frequentissimi sunt in primis viis, non ita in sanguine, qua de causa, tractatum scribere de febribus mesentericis Romanorum sum aggressus, a natura, & observatione patientissima mihi dictatum. Multa certe observatione digna in hujusmodi mesentericarum febrium curatione adnotavi. Quando enim tales febres in hypocondriacis sunt, studiosis, & stomacho debili laborantibus, si nimium excandescant triumviratus humores, vel bilis ipsa vesicæ felleæ; tali modo turbatur æconomia naturalis, ut statim apparere videbis linguæ ariditatem, pulsus exiguos, extremorum frigus, anxietates, & alia id genus, quæ magnam febrim denotarent, sed revera non sunt malignitatis effectus, verum stomachi ab exaltato humore irritati, lacessiti, afflicti, qua cessante irritatione, & stomachi indignatione composita, præfata cessant accidentia.

In febrium mesentericarum curatione sæpe vidi, inutile esse dies criticos, eorumque vim, & potestatem observare, sed tantummodo vehementiam, ac remissionem accidentium. Cruditas morbi in vehementia symptomatum consistit, coctio in remissione eorundem. Quando vel minimum remittere, & mitescere accidentia observo, statim purgationem instituo, etiam ipso die critico, nam hujusmodi febres vim, & potestatem criticorum spernunt, ac perturbant, & humorum apparatum e mesenterio, quam citissime educo, chlysteres etiam bis in die injicio, purgationes frequenter præscribo, & totam dirigo indicationem in educendo per purgationes mesenterico apparatu, posthabitis diaphoreticis, & inutilibus, ne dicam noxiis testaceis pulveribus, interpositis purgantibus, stomachica remedia ex aq. theriac. rutæ capratiæ, lapidis porci spini, &c. Curationem mesentericarum in alma Urbe absolvunt.

Sed quod præ cæteris animadverto in nullo morborum genere tanta opus est patientia, expectatione, cunctationeque ad bene, & feliciter medendum, quanta ad bene curandas febres mesentericas. Glandulæ mesenterii nimium repletæ, nonnisi lente, ac paulatim e sinu crudos humores emittunt in vicina intestina. Communis enim omnibus glandularum morbis est diuturnitas. Quare stomachicis e vegetabilium genere dirigendi sunt mesenterii humores, deinde repetitis per intervalla purgationibus educendi, & ita feliciter profligabis has febres: quod si imperitia tua, ægroti, adstantium, ob diuturnitatem morbi, ad usum damnabilem chinæ chinæ, vel testaceorum deveneris, non bene prius repurgato mesenterio, ex febri levi efficies gravem, continuam, longam, ad hecticam tendentem, & difficile curabilem. Romæ scribo, & in aere Romano; & ideo garriant quicquid velint chinæ chinæ fautores: aliis forsan in regionibus, & urbibus egregium est remedium, hic noxium experior, & nunquam eo utor, aut raro, ut infra dixi de fibra motrice cap. 13. de febribus mesentericis.

In his quoque febribus non tantum respiciendum est ad suas periodos, & ad vehementiam febris, quantum ad causam febris, sive mesenterii apparatum, qui quo fuerit ingens, & ex pravis cibis factus, eo gravior febris; si contra, febris erit levior, & leviora remedia adhibenda.

Quare ad ampliandam praxim medicam, & solidam morborum historiam stabiliendam nulla re magis indigemus, quam continua observatione in ægris; & ad rite curandum, debitaque

bitaque invenienda remedia, obſervatione continua, & experimentis circa res phyſicas ex triplici naturæ regno petitas. Quam quidem experiundi methodum a Galilæo viro maximo in Italia detectam primum, ac excultam, nemo certe utilius, & glorioſius promovit, auxit, confirmavit, quam inclyta, & illuſtris Societas Regia Londinenſis a Carolo II. nunquam interituræ memoriæ Britanniarum Rege inſtituta, cui ſi univerſus Medicorum cœtus ſummopere debet, ob illuſtratam rem medicam a præſtantiſſimis illius Academiæ Sociis: ipſe certe medicorum minimus tum ob id, tum quod me anno 1697. Collegarum omnium ſuffragiis in Nobiliſſimum Cœtum ſuum aggregarunt, perpetua officiorum memoria me devinctum ſervabo.

Porro ut cognitio veræ cauſæ febrium magis illuſtretur, certiorque reddatur, cœpi duobus ab hinc annis nova noſtra methodo febres in canibus, aliiſque animalibus excitare, infundendo in venas varii generis liquores, ſpirituoſos, aromaticos, acres, acido-acres, & ſimiles; coſdemque etiam cum cibo, & potu miſcendo, donec febris excitata ſit. Qua excitata obſervo diligenter vehementiam ejuſdem, inappetentiam, languorem, alvi ſiccitatem, tremores, periodos aliaque id genus accidentia, quæ pro diverſitate liquoris aromatici, qui eiſdem præbetur, diverſe ſolent apparere; prout in peculiari tractatu ſuo tempore dabimus. Et de novitate, quæ ſupervenit in Canibus febricitantibus, ab applicatis veſſicantibus eorum coxis, plura quoque dicemus omnino nova; nec non de animalibus fame maceratis, & inde natis accidentibus; Ut igitur ad malignas febres ſupradictas denuo accedamus.

Inter has febres præcipuæ ſunt, quas veteres vocarunt Tritæophyas, Hemitritæos, Typhodes, Aſſodes, Elodes, Lipirias, Epyalas; Graves profecto, ac lethales ſunt, niſi in doctiſſimum, prudentiſſimumque Medicum bona ſorte Patiens inciderit; ſtatim ea experiunt ſymptomata, quæ vulgo malignitati, ſed falſo adſcribuntur. Adſcribi potius debent, vel inflammationi internæ; & ob id turbato liquidorum progreſſui, unde tot gravia, & inter ſe differentia promanant accidentia, vel cachoetico humorum apparatui in primis viis, aut in maſſa ſanguinis. Id probe diſtinguendum, & probe noſcendum, ut curativæ indicationes rite dirigantur: aliter nocebis magis quam proficies.

Tritæophyæ febres, ſunt inter omnes febres valde graves, & periculoſæ: ſpecie, magnitudine, mora, motu periodico univerſali, & particulari terrificæ ſunt, & pravæ, hac de cauſa malignæ vocari poſſunt. Earum cachochymia prava eſt, & multiplex, vires acquirit eundo, diebus crititicis maxime exacerbantur, graviſſimiſque ſymptomatis ægros jugulant. In eis nihil fit, nihil apparet, quod metu non terreat ægrotum, & Medicum. De hac febre doctiſſimum vide Duretum *in coac.* Et ſuum quem ita bene commentatus eſt Divinum Senem *ſect. 4. aphor. 23. & ſect. 1. l. 1. ep.* & alibi.

Tritæophyæ febres non habent intermiſſionem; tales dicuntur, quia tertio quoque die exacerbantur, ſed ſine rigore, aut horrore periodico, qualis obſervatur in hæmitritæis; Tritæophyæ enim nullas habent periodos, & ſi habent, incertæ ſunt.

Tritæophyæ febres erraticæ in partes mutatæ, ſunt contumaces. *Hippoc. coac. 39.*

Succus ſonchi ad uncias tres circiter mane ſumptus cum juſculo: Gelatina cornu cervi: Scabioſa: Nitrum perlatum: Clyſteres quotidiani: Fomentationes ventris præ ceteris in his juvant. Aliis quoque utendum, quæ ſymptomatum exigat natura, ſed cum prudentia, & patientia. In Medicis prudentiam, & patientiam præ ceteris ſemper deſidero, tum in medendo, tum in docendo.

Tritæophyarum febrium calamitatem in his tribus annotavit Hippocrat. *in coac.* in diuturnitate, laboribus multis, & colliquatione, his verbis: *Poſt longum tempus, multoſque labores, & colliquationem aſſiduam deſinunt; qua autem illis contingunt, ſeu ſuccedunt, hæc ſunt dyſenteria, teneſmi, hydropes;* ut notat Duretus p. 41.

Febres omnes continuæ, quæ tertio quoque die exacerbantur cum acceſſione graviorum malorum, aut ſunt tritæophyæ, aut hæmitritæi: ut ex Dureto obſervavi. Abſceſſuum iſchiaticorum ſucceſſio eſſe ſolet in febribus, quæ tritæophiæ dicuntur, ex Dureto. Febres ad hæmitritæos, & tritæophias accedebant, quæ inflammationis ſunt ſoboles, & cachoethiam ſequuntur ex Ballonio *epid. fol. 36.*

In hæmitritæo, ſive ſemitertiana ſingulis diebus acceſſiones invadunt, ſed uno die acutior febris eſt, reduplicato etiam horrore, altero vero mitior. Ab eryſipelate inteſtinorum tenuium oritur ex Spigelio, qui de illa optime diſſerit.

Semitertiana longus eſſe ſolet morbus, & maxime periculoſus; ſæpe corripit virilem ætatem, vel eidem proximam, potiſſimum tempore Autumni. Hippocrates phthiſicos, & qui longis detinentur morbis hac præcipue ægrotare notat. *1. epid. com. 3. aph. 5.*

Lædítur præ ceteris in hac febre ventriculus obſervante Dodonæo: eique facile ſuccedunt lethargici affectus, vel vigiliæ moleſtæ adſunt, lingua arida, & ſicca eſt & alia ſimilia. Difficilis cognitu eſt, & curatu difficilior.

Acceſſiones ſemitertianarum ſunt longæ, quandoque 24. horarum, quandoque 36. longiſſimæ 48. horarum; & raro ad apoplexiam perveniunt. Incolis Urbis Romæ familiaris eſt hujuſmodi

modi febris, teste Galeno *de loc. com.* 15. & *de morb. tempor.* circa finem. Maximo lethalis est ob ventriculi potissimum nervosæ suæ partis læsionem. Sæpe degenerat in hecticam, & hydropem ob magnas obstructiones, & ingentem cachochyliæ apparatum in primis viis. Et candide fateor ex tribus partibus febrium, quæ Romæ regnant, duas saltem originem habere ab infarctu messenterii, ibidemdiu congesta putri cachochylia. Quare in semitertiam propensi sunt Ecclesiastici, Nobiles, Aulici, Juvenes, otiosi, opipare viventes, nimis genio indulgentes, quique calidas incolunt regiones, & ideo frequentes sunt in Italia, & in Æthiopia teste Fontano in scol ad Dodon. Qui longis laborant morbis, hac maxime pereunt febre; longa enim morborum afflictione debilitato ventriculi tono, digestiones pessundantur, crudi, ac indigesti humores in primis viis congesti in hanc demum febrim erumpunt. Cui quidem respiciens Divinus Senex sic ait 1. epid. sect. 3. *At in semitertiana appellata contingit quidem, & acutos morbos fieri, & est hæc pra aliis maxime lethalis; sed tabidi, & quicumque ex aliis morbis longis ægrotant, ea ægrotant. Nocturna non admodum lethalis est verum longa, diurna longior quibusdam, & ad tabem vergit.*

Febres omnes continuæ, quæ tertio quoque die exacerbantur cum accessione graviorum malorum, aut sunt tritæophyæ, aut semitertianæ, quas præ ceteris mortiferas dixit Hippocrates. 1. *epid. com.* 3. ex Dureti observatione *coac.* 122. Graviſſima sunt, & terrifica symtomata, quæ hemitritæos comitantur. Raræ sunt hjusmodi febres extra Italiam, ut docet Ballonius Vir insignis in *epid. fol.* 138. In Urbe tamen Roma, non ita raræ, semperque primarum viarum apparatus, & putris nimium congesta cachochymia, easdem, aut parit, aut comitatur.

Inter malignas ratione vehementissimæ inflammationis ventriculi numeratur Lypiria febris, in qua interiora uruntur, exteriora frigent. Pendet itaque ab igne sacro, sive erysipelate ventriculi, ea præ ceteris parte, qua respicit cavum jecinoris prope fellis vesicam, ubi intercepto bilis cursu, graviſſima inde nascuntur accidentia. Interiora uruntur, exteriora frigent. Nam inflammatoria ventriculi crispatura universorum, ut ita dicam, vasorum, ac fibrarum systema crispat, convellitque: qua de causa turbato, ac impedito libero cursu liquidorum ad exteriora, necesse est, ut hæc frigescant: Eadem de causa lingua arida est, & ficca, sitis ingens, pulsus celer est, inæqualis, & parvus, ac vix perceptibilis. Parvus hic pulsus, affecto qualibet de causa ventriculo, semper observatur: multo magis quando pessima inflammatione, uti est lypiria, afficitur. In doloribus enim, affectionibusque partium membranosarum, parvi semper fiunt pulsus, jure similitudinis, vasa inter, ventriculum, & partes membranosas, nec non jure originis, & consensionis, ut explicavimus 1. lib. de fibra motrice.

Venæ sectio, ac purgatio in principio earum non conferunt. Hippocrates tamen ait *coac.* 126 ex Dureto fol. 66. & 109. quod Lypiriæ nonnisi superveniente cholera solvuntur: unde caute in iis procedendum cum diaphoreticis, ac diureticis, non hæc enim via est, qua similes solvuntur febres: Cholera, sive coctorum humorum per inferiora, ac superiora fluxus eas solvit, ut docet Senex Magnus.

Mœror, & anxietas cum inquietudine, sunt fere inseparabile signum Lypiriæ, ut succedit cum Typhode primi generis, & quarti. Horum pravorum symtomatum origo pendet, ab intercepto bilis cursu in suis emunctoriis, ejusdemque ibidem effervescentia ob erysipelatosam ventriculi ex ea parte inflammationem, vicino jecinoris cavo, & felleæ vesicæ communicatam. Ait enim doctissimus Duretus, quod focus materiæ biliosæ acris in lypiriis sit in ventriculo, acerrimi sensus viscere, ob cujus irritationem frigent exteriora, uruntur interiora; prohibeturque bilis exitus a contumaci obstructione, & languore partium obsessarum ab inflammatione, facitque homines amarulentos, & mœstos, fastidio, & contumacia insolentissimos, anxietudine miserabiles, omnis figuræ, & loci impatientissimos, somni expertes cum spiratione in faucibus elisa: nonnunquam labrum inferius cietur, unaque manibus contremiscunt, ut fuse Duretus *In coac.* 126. docet.

Sed hic loci idem Duretus quæstionem movet, utrum Lypiria, quæ in erysipelate alvi consistit, quæque maligna cachochymia superat omnes febres, si pestilentem excipias, vacuatione per choleram, ut Cous Senex docuit, cedat, atque quiescat: cum eodem monente Dureto omnibus in confesso sit nullam hjusmodi febrem ita sanescere, quæ conjunctam habet cum inflammatione (quæ semper purgationem acutiei causa, præsertim primis morbi temporibus contraindicat) cachochymiam malignam; atque adeo miraculo apponendum illas sanari per choleram, quoniam difficillimus est morbus, quem pauci effugiunt; inflammationem conjunctam habet, & in medio æstatis fit, quæ singula purgationi contraindicantur. At si lypiria Autumno fiat ex fructuum, vini, & baccharum intemperantia, tunc cholera, & diarrhæa superveniens tollere sine periculo ipsam poterit.

Hollerius tamen putat; quoniam hujus febris causa bilis est circa sua excretoria intercepta, & inflammationem parit circa ventriculum, cavum jecoris, ac messenterium; Diarrhæam semper conferre posse, imo brevi desperatum

iri ægros, nisi irritata natura, fluxum promoveas, ideo ex ejus sententia, vomitus, & dejectiones, arte, vel natura provocatæ sanant: Nititur enim opinioni Senis Magni coac. 7. lib. 4. dum ait, *Lypiria febres non solvuntur, nisi cholera superveniat*. Ipse tamen loco purgantis, curationem inchoarem clysteribus emollientibus, quotidie injiciendis, fomentationibus emollientibus, bis in die ventri adhibendis, & sero Lactis, vel tamarindato, vel ebullito cum unciis duabus succi sonchi depurati, singulo mane usurpando. Per diem vero gelatinam cornu cervi, factam cum aq. viol. & Car. s. usque ad septimum ita me gererem; donec tunc laxata inflammatoria crispatura in affecta parte; & in toto fibrarum systemate purgationi via tuta concedatur, purgationemque pro ratione necessitatis præscriberem.

Typhos febris est ardentis species, quæ totum occupat ventriculum. De Typhode morbo, qui cachexiæ species est discurrit jure *Hipp. de int. affect.* Est Typhos morbus cachexiæ species accedit valde ad scorbutum, & inveteraſcentem hypocondriacam affectionem; in quibus sanguis nimia salsugine pene vitriolica, omnino corruptus est, nec in pristinum restitui poterit, nisi usu Lactis pluribus annis præscripto, & patienter usurpato; nec non vinis medicatis nostris, vindemiarum tempore compositis, ut in aliquot ægris meis feliciter hac methodo successit. At Typhos sive ardens febris ab inflammatione totius ventriculi pendens, conjuncta hæc habet accidentia, vomitum, singultum, tensionem, & dolorem in tota ventriculi regione, calorem, jactationem: inquietissimi sunt ægri, jactantur, tremunt manibus, mœrent, acri humore os ventriculi irritante; signum tamen præcipuum inflammationis ventriculi est rerum nimium calidarum per os sumptarum, nulla in ventriculo percepta caliditas; & dolor ventriculi acutissimus cum magna febri; in inflammatione intestinorum adest pulsatio in parte affecta, quæ hic tamen non observatur.

In hujusmodi inflammationibus statim mittendus est sanguis e brachio, quacunque hora, dum necessitas urget. Nam si differas, metus est ne desinat in abscessum, & gangrænam. Post sanguinis missionem, statim desinere vidi tensionem partis, & dolorosam, atque oscillatoriam solidorum crispaturam; & si morbus minime cedebat, eadem repetita sanabatur æger.

Præter sanguinis missionem, omnia ex nitro hic, uti & in aliis internis juvant inflammationibus. Aliquando utor nitro perlato, interdum vero antimoniato cum hordei decoctione, vel potius decoctione radic. gentianæ vel fol. scabiosæ, cujus potentes sunt vires in internis viscerum inflammationibus ad præcavendum gangræniſmum. Fuge nimiam remediorum copiam, & saccharata præ ceteris: Fuge purgantia, tanquam pestem; si tamen ingens fuerit pravorum humorum in primis viis apparatus, qui morbum producat, & foveat, fomentis, & clysteribus minuendus: Et si hæc non fuerint satis, potio aliqua tamarindata leniens danda, dummodo tamen gravis dolor, & extrema inflammationis rabies contrarium non requirant. Maxima opus est in hisce casibus prudentia, & cautione: In febribus a magna pravorum humorum copia mille erratis in victu, & rebus non naturalibus, pendentibus, semper time, caute prognostica, & lento pede per coctiones debitas, cunctatione procede in curando: Nam ut sæpe vidi, liquidorum cursus in messenterio, veluti strangulatur a nimium congestis ibidem humoribus, & veluti derepente pereunt ægroti: Pulsus tunc est parvus, & infelix, ac lethalis, licet reliqua salutem promittant.

Epiala febris numeratur quoque inter classes malignarum, ob gravia, & periculosa, quæ parit, accidentia. In febri, syncopali & in Epiala syncopes frequenter observantur, quæ non alia proveniunt de causa, nisi a viscido, tenaci, crudoque humore tunicis ventriculi fortiter hærente, illasque ob acrimoniam irritante; hinc ducto in consensum corde per cardiaci plexus nervos, syncopes excitantur. Ventriculo itaque statim consulendum: & stomachus, ac primæ viæ, blandis remediis in principio repurgandæ: Deinde stomachicis utendum; Aqua ex infusione lapidis porci spini, Aq. rut. caprariæ, Theriacali &c. tandem per epicrasin educendæ sunt morbi reliquiæ cum hiera, quæ in stomachi morbis mirabile purgans est; nec quiescendum, nisi stomacho, & intestinis circa finem morbi rite repurgatis.

Nonnulli in hisce casibus solent more solito chinam chinæ præscribere, quo autem cum successu pluribus in locis hujus operis animadverti. Nam hoc remedium impuro corpore dare sæpe in ægroti perniciem vertitur, potissimum in maximo apparatu humorum in messenterio. Frequenter succedit exhibita china chinæ, febrem non tolli, licet pluries repetatur. Id autem evenire nostris temporibus, magis quam elapsis, non alia de causa pendet, nisi quia hic cortex non colligitur ab arbore uti ante fiebat. Colligi enim debet tantummodo, sole existente in Leone & ab arboribus, quæ meridiem versus positæ sunt: Uti mihi sancte narravit, duobus ab hinc annis Romæ quidam Pater Dominicanus Americanus, qui recens ex America venerat Romam. Quod si indiscrimina-tim colligatur quolibet mense, & a quibuscunque arboribus, vim febrifugam nunquam habebit, ut idem pro infallibili retulit apud Indos Americanos experientia.

DE

DE LUMBRICIS PUERORUM.

§. I.

QUocunque morbo laborent pueri ſemper ſuſpicandum de Lumbricis: Nam vel morbum immediate fovent, vel in progreſſu ejuſdem, ſemina verminoſa latentia excitant, unde Lumbricorum proventus.

Infantes, & qui præditi ſunt temperamento, ut ajunt, pituitoſo, frequentius lumbricitant, quam cholerici, & adulti.

Quando pueri vehementer manibus contrectant ventrem, ſignum eſt vermium latentium: multo magis ſi tormina adſint.

Quando ut plurimum homines ex improviſo, & ſine ulla cauſa manifeſta, & ſignis alios morbos comitantibus in ſubitum vitæ diſcrimen inciduat, & cadunt, veluti apoplectici cum extremitatibus frigidis, pulſu exiliſſimo, (qui fere ſemper ſignum eſt vermium latentium, uti & ſingultus) aphonia, quandoque improviſa mania, tunc de vermibus dubitandum: in tali caſu nil potentius eſt, quam ſtatim dare cum brodio gr. xii. merc. dulc. & gr. v. ſcamon. ſulph. in adultis. In pueris vero minoretur doſis, vel potius detur mercurius crudus ad magnitudinem piſi cum brodio, nam erit ad miraculum. *Cheſneau.*

In morbis puerorum ſemper ſuſpicandum de vermibus: In mulierum, de affectione hyſterica, & ſanguine menſtruante: Generaliter in virorum, & mulierum arduis nonnullis & pertinacibus morbis, periodumque ſibi propriam non ſervantibus, de lue gallica ſuſpicandum; quæ hodie vel hæreditaria eſt a Parentibus, vel per Nutricum lac contracta, vel ſemel per delicta Juventutis, fragilitatiſque humanæ ſanguini adacta, impoſterum nunquam amplius deletur, ſed derepente ſoboleſcit ſub perſona variorum morborum, & ingens Medico faceſſit negotium. Medice, prudens eſto, & ſagax.

Recip. mercur. crudi recte purgati unc. i. aq. gram. & portulac. an. unc. iii. macerentur per duas horas, ſæpe ac fortiter agitando, poſtea decanta aquam & cola, relicto in vaſe mercurio. Non datur præſtantius pro fugandis vermibus hoc remedio, ut obſervavimus docente Georgio Bateo Angliæ Archiatro.

Subito excitati a ſomno cum trepidatione præcipue in Infantibus certiſſimum eſt apud Mulierculas vermium ſignum. Hoc idem tamen contingit etiam in eruptione exanthematum, ut ſæpe vidimus docente *Cheſneau.*

Colica puerorum ſæpiſſime oritur a vermibus: Pilulæ Matthæi, vulgo in Anglia dictæ Starkey ſummopere celebrantur in leniendis quibuſcumque doloribus partium internarum: an etiam in colica lumbricalis valeant, nondum legendo mihi innotuit. De his inferius in colica.

Lumbrici frequenter abſcondunţur in cavitatibus inteſtini colon, ad quas cum interdum difficulter proveniant medicamenta; ideo nil mirum ſi non raro ex optimis quibuſque remediis optimos ſucceſſus non habeamus in curandis lumbricis.

Sanguinis ſtillæ è naribus in febribus continuis nonnunquam vermium latentium ſigna ſunt; ut graves teſtantur Auctores.

Cum vel minima ſuſpicio vermium eſt, noli tardare in exhibendis remediis, nam ſæpiſſime ſubito enecant non ſolum Pueros, aut Infantes, ſed etiam Adultos.

Experti ſumus cum Amico Romæ 1694. Lumbricos humanos vivos poſitos in ſpir. vini & in aqua, in qua fuit infuſa ſementina poſt quinque horas periiſſe. Poſiti in vino, in diſſolutione aloes, extracti camedrios, & extracti tabaci periere poſt. 9. horas. Hora 15. alios lumbricos pariter vivos poſuimus in oleo amygd. dulc. & die ſequenti adhuc erant vivi, ſed nimium torpidi, & languidi. In acido limonum ſequenti die adhuc vivebant & bene habebant, uti & qui poſiti fuere in vaſe ſemipleno argento vivo; in hoc tamen vaſe fugiebant contactum mercurii, & quantum poterant aſcendebant ad ſummitatem vaſis.

DE VARIOLIS, ET MORBILLIS.

§. I.

INter acutos morbos non infimum obtinent locum Variolæ, ſive ut alii vocant Æcthymata. Et quoniam in illis ſanguinea maſſa quaſi inflammata, & accenſa eſt, & interdum aura veluti maligna afflata, magna opus eſt Medico doctrina, prudentia, & ſagaci cunctatione in illarum curatione, imo religioſa naturæ motuum obſervatione, aliter pernicioſi naſcentur errores.

Qui purgant in principio variolarum, vel diaphoretica adhibent vehementia, febrim adaugent quam ſæpiſſime, internas excitant inflammationes, deliria, inflammatorios pulmonum morbos, tuſſes violentiſſimas, & hujuſmodi quamplurima.

Variolarum eruptio opus eſt naturæ: ei igitur parendum, ejus motibus per opportuna remedia obſecundandum. Enim vero magna ſapientiæ pars eſt, in morbis, potiſſimum vero acutis, curandis, mentem a præjudiciis ſcientiarum, theoriarum, errorum Vulgi, præceptorum, propriarum animi inclinationum &c. liberam ſervare, nec per intempeſtiva medicamenta dirigentis naturæ motus pervertere.

Si ſanguis nimium ferveat, cum impetu caput petat, inflammationes viſcerum immineant, deliria &c. ſanguinem ſtatim mitto ea copia qua neceſſitas urget: & interim præſcribo gelat.

corn. cerv. emulſ. ſem. cum aq. viol. ol. amygd. dulc. cum brodio ſeminibus frigidis alterato & ſimilia, per quæ ſanguinis impetum ex parte coerceo, ne extra alveum prorumpat, idque uſque ad quartum morbi diem facio: quo tempore ſi apparere incipiunt variolæ, naturæ motum adjuvo per lenia diaphoretica gelat. corn. cerv. &c. & ſedulus ejuſdem ſpectator medicamenta varie dirigo pro vario humorum impetu, aut lenitate

Si circa quartum, cum jamjam erumpunt, caput impetunt, cum magno calore, anxietate, motibus tendinum ſubſultoriis &c. ſtatim impero cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis, & momento fere, facta quaſi furentis ſanguinis revulſione, omnia prædicta ſymptomata veluti in ovo ſuffocantur, & paulo poſt feliciter erumpunt variolæ, ut pluries vidimus.

In ſanguine e vena ſecta extracto, ſi cruſta alba magna, craſſaque (qualis in omnibus inflammatorii morbis obſervatur) in ſuperficie appareat, ſignificat variolas fore copioſas, ac valde periculoſas. Hoc nos vidimus pluries, & audivimus a doctis Præceptoribus, & conſummatis Xenodochiorum per Italiam Medicis, teque, amice Lector, hac de re, uti & de ſupradictis ſerio monemus, utpote quæ non amœna ſpeculatio, ſed patiens, & auſtera tum mea, tum aliorum obſervatio mihi dictarunt.

Si ſanguis ad caput impetum faciat, tenſioneſque in hypocondriis adſint; plantis manuum atque pedum ſpongias, decoctis emollientibus tepidis turgidulas apponi jubeo, magno cum ſymptomatum levamine.

Diaphoretica poſt quartum præſcribenda magis, vel minus activa ſunto, prout major aut minor fuerit ſanguinis accenſio, ejuſdem ad caput, pulmones, aliaque viſcera impetus, nec non aliorum ſymptomatum major, minorve urgentia.

Febris lenta citra rigorem, gravitas in ſomno, capitis & dorſi dolor, quandoque raucedo, quandoque ſanguis e naribus fluit: hæc ſunt ſigna imminentium variolarum, teſte Dodonæo *pax. cap.* 20. *lib.* 2.

In Pueris de duobus ſemper ſuſpicandum, lumbricis ſcilicet, & variolis: neque unquam febris ſpeciem determinemus, niſi elapſis duobus tribuſve diebus, quo certiores fiamus de variolis &c.

Quibus futuræ ſunt variolæ, febres eorum exacerbatas vidimus, cum doloribus dorſi vehementiſſimis. Motus convulſivi apparentes in Puerorum, qui nondum variolas paſſi ſunt, febribus, ſequenti die variolarum eruptionem denotant, ut infallibili experimento conſtat Domini Sydenham.

Igitur dolor dorſi acutiſſimus, nonnulli motus convulſivi, tuſſis, oculi humidi, &c. febrim ex genere variolarum futuram denotant.

Qui variolas imperite tractant, morbos pectoris inflammatorios, interdum ſuffocationem repentinam producunt.

Qui in variolis maxime ſputant, raro moriuntur; nullumque Sputatorem in variolis vidi mortuum: Valdſchmidius.

Si Infans ex improviſo fiat epilepticus, erit vel ex dentitione, vel ex variolis, & ſi variolæ poſt inſultum veniant, erunt ſemper boni moris, & raro confluunt.

Recip. ol. amygd. dulc. unc. ii. ſperm. cæt. dracm. iij. ol. ſtillat. ligni Rhodij gutt. iiij. m. f. ungu. ſ. a.

Ad foveas variolarum delendas præſtantiſſimum eſt remedium, & dolorem lenit, acrimoniam tollit, &c. ut notant etiam doctiſſimus Georgius Bateus Angliæ Archiater & Valdſchmidius.

Adultiores ætate niſi recte tractentur in variolis ſæpe moriuntur phrænetici, ut præ ceteris obſervavi in tribus in Xenodochio. Ideo nimius calor prudenter in tali ætate compeſcendus, ne caput impetat violenter.

DE OBSERVATIONE HYPOCHONDRIORUM IN ACUTIS.

§. I.

SI Medici noſtri temporis omnium ægrorum hypocondria ſtatim tractarent in morbis potiſſimum acutis, pauciores certe committerent errores, quam faciunt ſpreta hypochondriorum obſervatione. Qui bene noverit hypochondriorum ſtatum in morbis, quam bene curare noverit! quam bene præſagire!

Hypocondria in acutis ex Hippocrate optima ſunt mollia, ſucci plena, & temperata. Mala contra, quæ inæqualia ſunt in ardore, contractione, in duritie recens oborta, aut antiqua: in tumore dolorifico inflammatorio. Contrahuntur ſæpe hypochondria in acutis verſus diaphragma ob illud inflammatum, vel convulſifica oſcillatione laborans: & ſemper malum eſt.

Peſſimum eſt quando venter intumeſcit in acutis: & quando in acutis, vel aliis morbis venter intumeſcit cum aliis pravis ſignis, mortem prognoſticato brevi. Cave tamen, ne te fallat flatulentia hypochondriorum; & ideo alia ſigna ſunt cum prudentia conſideranda: o quam mille differentibus vexantur accidentibus hypochondriaci! o quam graviter ægrotant, licet levi morbo ægrotent! Cauſa omnium ſtomachus eſt.

Pulſatio in præcordiis cum ſignis ariditatis in lingua, vel aliis partibus, delirium ſignificat.

Tumores præcordiorum duri, & dolorifici brevi mortem ſignificant. Minus ſi ſolum in ſiniſtro ſint. In his ſolet erumpere ſanguis e naribus, & juvat, præſertim ſi morbus mutet circuitum. Et ſi tumores hujuſmodi ultra 60. durent, in ſuppurationem labuntur, *ex Hippocrate.*

Si in morborum, præſertim acutorum initiis, hypochondria tument aut dolent, ſanguinem in ſupernis partibus expecta; & ſi morbus cum tali dolore diu protrahatur, expecta abſceſſus ad aures, quos præcavere poteſt profuſa narium hæmorrhagia Vel ſi diu protrahatur morbus, abſceſſus ad inferiora fient.

Febres ex doloribus præcordiorum malignæ. *Hippoc.*

Si lumbis dolentibus veniat dolor ventriculi, futuras denunciat hæmorrhides.

Horrenda eſt tenſio hypochondrii, ubi nulla eſt ſpes hæmorrhagiæ, vel abceſſus ad crura.

Diu durans meteoriſmus, ſeu tumor præcordiorum doloroſus in acutis ab hectica inteſtinorum intemperie, ſive nimium intento fibrarum inteſtinalium e latere pendet. Quantum hic nocet remediorum farrago! Quantum ſaccharatorum uſus! Quantum purgantia intempeſtiva!

Pulſus hypochondriorum ſunt ſignum magnæ inflammationis in acutis; inde veniunt paulo poſt ſingultus.

Hypochondria dolorifica cum alvo profuſa, peſſima. Peſſimæ parotides inde natæ. *Hippoc.*

Nunqnam ſunt in tuto qui meteoriſmum & tenſionem hypochondriorum diu gerunt in acutis. A labefactato viſcerum naturalium tono, a labefactatis eorundem functionibus, proſtratiſque facultatibus talia dependent, potiſſimum diu durans meteoriſmus.

DE TUMORIBUS, ET SUPPURATIONIBUS IN EXTERNA PARTE ABDOMINIS.

§. I.

NOlite terreri, ſi aliquando videtis pus in morbis: Nam non ſemper pus eſt, ſed ſuccus nutritius, qui ob intermiſſam exercitationem conſuetam, vel ob victum copioſum in venis redundat; unde in forma puris tunc effluit per urinam, ſeceſſum &c. teſte Avicenna: Quare non ſemper alba materies ſignum eſt ulcerum, quod ſerio notandum.

Abſceſſus meſenterii, quando rumpuntur, per venam proximam exonerari ſolent in inteſtina purulenti humores, & per continuum puris exitum per hujuſmodi vias, ſanari; At ſi abſceſſus rumpatur, & exoneretur per intermedios abdominis muſculos, tunc difficulter foris exit pus, & difficulter exterius manifeſtatur colore, ſudor tumore, dolore: Febricula tamen nocturna, rubor oculi e directo, ſuccuſſio vehemens in lecto facta, latentem inter muſculos ſaniem manifeſtant.

Frequenter, qui fluxionibus ſalſis, & humorum acrimonia abundant, laborare ſolent doloribus hinc inde per partes: ſi contingit, ut talis materies acris depluat inter muſculos ſiniſtri, aut dextri hypochondrii, vel circa umbilici centrum, dolores pariet, qui mentiuntur lienis dolores, aut jecoris, aut colicam; ſed tales revera non ſunt, verum dolores externi muſculares ab icore acri, & erodente producti. In tali caſu vulgaria remedia, quæ ad internos dolores præſcribi ſolent, nil juvant. Verum emulſiones ſeminum cum juſculo tenui factæ: fotus emollientes exterius: purgationes mites ex tamarindis, & decoctione aperienti, magis proficient. Si acris hujuſmodi materies a ſcorbutica labe pendeat, gingivæ affectæ, & ſapor linguæ mutatus, te docebunt. Si gallica, hæmorrhoidalis, vel alterius principialis morbi cauſa, id produxerit, talium apparatuum ſigna te certiorem reddent. Quando tales dolores nulla viſcerum culpa fiunt, facies ægrorum ſolet eſſe bona. Nam viſceribus laborantibus, vel obſtructis, ſtatim facies mutatur in colore, macie, &c. quod ſæpe in libris monui noſtris.

Monendum quoque, dari aliquando hydropem inter muſculos abdominis, quando nempe, ſerum non in ejus cavitate, ſed inter externos abdominis muſculos fluctuat, & ventrem elevat in magnum tumorem; ruptis, laxatis, vel eroſis talium partium vaſis lymphaticis. Rarus eſt morbus, cognitu difficilis, ſed curatu facilior. Hippocrates magnus ejuſdem primus meminit, dum ait *ſpatia muſculorum ſero, & flatu replentur.* Valdſchmidius in ſua praxi nonnulla quoque de eodem monet, ex ore Præceptoris ſui habita. Talem hydropem nondum vidi: ſed utile erit ſi Medici animum advertant ad illum explicandum, & ab aliis hydropum ſpeciebus diſtinguendum. Hydropicis deſperatis, ſi facies evadat plumbea, mors oſtia pulſat. Qui natura ſunt ſtomacho debiles, & difficulter cibos coquunt, luridos, & conſpurcatos dentes habent, cum aliquali fœtore oris: ſunt magis proclives ad ſomnum, quam ad vigiliam; Hebetes ſunt viſu, & remota non bene vident objecta; Parvum, ac debilem pulſum habent, qui ſtomachi morbis familiaris eſt; ſputatores ſunt; & a quovis copioſo ciborum uſu facile læduntur. Potus Caphe iis mirabiliter prodeſt, & apud me pro ſecreto habetur. Continuo mœrent, aut dolore capitis laborant, & ob id impatientes ſunt: Idque in quamplurimis obſervavi hominibus in Urbe, debili ſtomacho a natura præditis, ac propterea male digerentibus cibos, unde tot mala.

DE CRISI, ET DIEBUS CRITICIS.

§. I.

EX authoritate, & Præcepto Hippocratis magni, non ſolum febres obnoxiæ ſunt viribus, & poteſtati dierum criticorum, ſed quamplures etiam alii morbi, ulceres, ophthalmiæ, dyſſenteriæ, vulnera cum febre. Typhos febris,

eodem

eodem teſte judicatur ſex menſibus. Alii morbi poſt duos annos: Alii poſt viginti annos. Volvuli ſpecie poſt annum unum. Alter Volvulus poſt annos ſex.

Circa ſeptimum, vel quartumdecimum plures acuti morbi ſolvuntur, niſi medicus intempeſtivo, ac ſtulto purgantium, diaphoræticorum, aliorumque hujuſmodi remediorum uſu, naturæ motus turbaverit. Nam in tali caſu qui motus apparebunt, non naturæ curantis, ſed remediorum effectus erunt: atque nec bene prognoſticare, nec rite curare tunc poſſumus morbum.

Obſerva diligenter naturæ motus in quaternariis quinque ad viginti, quinque enim quaternariis tres hebdomadæ complentur: & cum quaternarii ſint indices criticorum, quicquid obſervabis boni, vel mali in quaternario, tale quid in critico expecta. Dummodo tamen (quod ſemel pro ſemper dictum eſto) non erraveris in methodo; indebitiſque remediis ſtatos, rectoſque naturæ motus turbaveris.

Febres judicantur iiſdem numero diebus, quibus etiam ſanant, aut enecant hominem, *Hipp.*

Per dies impares ſemper moventur natura ſua morbi acuti: ſi contra moveantur, præter ordinem naturæ, & poteſtatem criticorum movebuntur.

Laxitas debita in compage humorum, requiritur ad bonam criſim: Ideſt, ne ſint neque nimium ferveſcentes, neque nimis torpidi, & parum mobiles. Quare circa initia, dum humores ebullitione ferociunt, criſes non expecta; Nam tunc neque lac in mammis, nec pus in ulceribus, nec in aliis filtris alia liquida ob eam cauſam ſecernuntur. Prope dies criticos tempera te quoque ab uſu oppiatorum, ne naturram tunc moveri ſolitam, inducta in humoribus tarditate, opprimas, & criſim impedias.

Si ſecundo die exacerbatis omnibus accidentibus, ruat æger in pejus, morietur quarto, ſi quarto, morietur in ſexto. *Hipp.*

Criſes ſive naturæ motus, quos natura ad articulos ciet, ſive in acutis, ſive in chronicis, religioſe obſervandi; Neque ab eo motu divertenda eſt natura per remedia ad vias eidem contrarias: ſed curandum, ut ſemper ad articulos omnia deponat, donec quieſcat. In chronicis proſpiciendum eſt remediis ſtomachicis, & victu regulari, ac optimo: in acutis lenibus diaphoreticis. Criſes ad articulos Natura peculiari quadam lege, ſibi ſoli nota promovet, ac perficit, & nos cum impropriis remediis, nil aliud efficimus, quam eam a debita criſi, cujus rationem ignoramus, divertere, factaque metaſtaſi ad interiora, brevi jugulatur æger. Id ſæpe verum obſervavi, quando tumores pedum, dolores ac tumores rheumatici articulorum in impuris corporibus per diuretica, aut purgantia repetita a Medicis curari, ſolent in iis præ ceteris, quorum ſtomachus infelix eſt, debilis, ac relaxatus, ut in quamplurimis in Urbe eſt. Hic enim maxima regnat debilitas in ſtomachis: & major pars Romanorum, potiſſimum Nobiles, & ſtudio, atque negotiis dediti, ſtomachum habent infelicem. Et ideo, nil mirum ſi Romani noſtri temporis ſint admodum ſobrii, ac temperati in victu, quia revera ſtomachus eorum copioſo victu non lætatur. His igitur in caſibus uſu purgantium, & diureticorum, ad interiora retrocedentbus humoribus, paulo poſt in lethales, aut periculoſos præcipitant morbos: Stomacho in his caſibus proſpicito. Victum optimum impera: & vinis vindemiarum tempore, more noſtro medicatis, toto anno utere, & ſanabuntur.

Metaſtaſes humorum ſive criſes, quæ foris non ſolvuntur, terrificæ. Ictери criticis, poſt ſeptimum boni, ſi ſymptomatum levamen ſuccedat. *Ex Hippoc.*

Nil paucum criticum, & quæ critica ſunt, ne ſtatim appareant.

Doctores Medici dies criticos religioſe obſervate. Cauſam morbi præſcire, dies criticos religioſe obſervare; (exceptis febribus meſſentericis, ut ſæpe monui paucis uti remediis; cocta materia humores educere; dummodo non turgeant; quod ſi turgeant, ſtatim purgandum, ſtatim curandum, aliter brevi peribunt: docuit id æger in magna curia ad Montem Citatorium in foro Columnæ Antonini Imperatoris, & alius apud Palatium Oratoris Veneti in Baſilica Sancti Marci, in fine Flaminiæ, qui eodem turgentiæ die periere, non purganti. Qui hæc quatuor in acutis noverit, quam feliciter curaverit! In vulneribus tertium diem obſervandum præcipt Hippocrates. Si in externis, quanto magis in internis? Nam ſicuti omnes liquores etherogenei, quando fermenteſcunt, ſtatis diebus, fermentationem complent, alii citius, alii tardius, prout magis vel minus impuri erunt. Muſtum, Cereviſia, Succi herbarum, Fructus arborum; ita, & ſanguis, quo magis, aut minus impurus erit, eo citius; vel tardius febriles fermentationes ſponte ſua, & paucorum opere mediorum ſolventur. Quanto plures remediorum uſus necat, quam tota vis, & impetus morbi!

Pleuritis, & pulmonia habent ſuos dies crititos, tertium, quintum, ſeptimum, nonum, undecimum, & quarto decimum. Quot diebus principium morbi duravit, totidiem augmentum, ſtatus, &c. Quare ex ſolo morbi principio judicare poteris de totali duratione morbi.

Quæ paribus, vel imparibus diebus exacerbantur, iiſdem judicantur.

Circa dies criticos cave ne moveas ſine cauſa (exceptis febribus meſentericis in Urbe Roma, in quibus etiam ipſis diebus criticis purgare

opor

oportet, & celeriter cachochyliam putrem educere e meſentenrio, aliter mora gravia parit ſymptomata, ac ſæpe lethalia). Nam oriuntur hypercatharſes lethales, ob motus Naturæ turbatos, ex remediis; & ſi tunc ea debilis fuerit, ſuccumbit.

Natura ſui conſcia, criſes moliendo magis proficit, quam Medici ſuis remediis.

Criſes humoris meri, & ſinceri, peſſimæ: Sanginis merus per tuſſim, mera bilis per alvum, &c.

Criſes humoris pauci, ut ſtillæ ſanguinis, pauci vomitus, pauci ſeceſſus, peſſimi fiunt ab exolutione, vel oppreſſione partis.

Morbi acuti uſque ad vigeſimum moventur per quartenarios, a vigeſimo ad quadrageſimum, per ſeptenarios, a quadrageſimo ad centum, per viginti. In chronicis per menſes, aut per annos, motus quoque ſuos abſolvunt, &c.

Diem imparem maxime notabis, in eo mors aut vita, ob criſes bonas, vel malas. Et docente Magiſtro artis noſtræ, qui ex morbo moriuntur, die impari, & impari quoque menſe, atque anno moriuntur. Et ſi febris die impari non remittat, redit.

DE SUDORE IN ACUTIS.

§. I.

SUdores boni, ſi morbo progrediente fiant: Non ita ſi in principio, ſunt enim judicatoria, non judicantia: Neque unquam initio criſim per ſudores molitur natura. Siquidem tunc multitudinem indicant, fiuntque Natura coacta, ſuntque ſymptomatici: boni ſi levant morbum die critico.

Frigidi in acutis, internas viſcerum inflammationes denotant.

Si eodem tempore in acutis, & gravibus morbis, duæ criſes, ſudor ſcilicet, & alvi fluxus, ſuperveniant cum pauco ſymptomatum levamine, fere omnes moriuntur, ut ſæpe vidi, vel ſi non moriuntur, pernicioſe laborant.

Si quis ſine cauſa noctu multum ſudet, repletionem ſignificat.

Evacuatio humorum, quæ fit continuo per inſenſibilem tranſpirationem, ſuperat ſummopere omnium aliarum evacuationum quantitatem, ex certa Sanctorii doctiſſimi per ſtaticam obſervatione: ſi ergo tam copioſa eſt hujuſmodi excretio, eaque continua per cutim, crediderim ipſe febres æſtate frequentes eſſe magiſque periculoſas, quam aliis anni temporibus, quia cum æſtate humores noſtri ferveant nimium, & velociſſime moveantur; maxima fit per cutim diffla:io humorum, ac excretio, quia motus pene omnes humorum tunc temporis fere ad cutim inclinant. Si contingat igitur, uti quotidie contingit, ut homines æſtivi caloris, nimiique ſudoris impatientia, ac tædio, frigido vento exponantur: tunc momento temporis facta repercuſſione humorum a foris ad intus, impeditaque neceſſaria noxiorum aut ſuperfluorum humorum excretione per cutim, neceſſe eſt, ut univerſa ſanguinis maſſa, hac de cauſa ferveat, excandeſcat, & in febrim erumpat graviorem, vel leviorem, prout prohibita tranſpiratio gravior erit, vel levior, & internus humorum apparatus magis, aut minus copioſus. Quare febres æſtate non tantum fiunt ex nimio fructuum uſu, & ex calore Solis, quantum ob frequenter impeditam tranſpirationem, dicta de cauſa, quod fere centies obſervavi Romæ, & velim ut ſerio animadvertant Medici.

Corpore pleno ſi ſudores proliciantur, faciunt ad caput metaſtaſim.

Sudatiuncula initio febrium longitudinem indicat.

Frigidi ſudores cum acuta febre lethales; cum vero, mitiore longitudinem ſignificant, *Hippoc.*

Peſſimi ſudores frigidi, & circa collum, mortem enim, & longitudinem ſignificant, *Hippoc.*

Morbi ſanantur per vias viciniores. Febres ſanguineæ per ſudores, vel alias vias Naturæ magis accomodatas. Febres meſſentericæ per repetitas purgationes, potiſſimum ex tartaro, epitimo, & radicibus aperientibus. Morbi Pectoris per ſcreatum. Morbi alvi, per alvi vias, &c.

Melius eſt Naturam quieſcere, quam aliquid fruſta moliri; irritæ enim acriſiæ, metaſtaſim crudeliſſimi doloris, aut mortem indicant, *Ex Dureto.*

Ex cute noſtra tranſpirat continuo Mumia quædam fermentabilis humana; ſive ſpiritus vitalis ideis variarum corporis partium plenus, per quem fiunt variæ morborum, morum, & naturarum tranſplantationes, ſive philtra, cum tales ſpiritus a corpore in corpus trasfunduntur. De Magnetiſmo mumiali vagante per orbem, & per Mumiam magneticam in Naturæ effectibus varie ludente, plures diſſerunt Auctores, præ ceteris magnus Marſilius Ficinus Platonis Interpres, ſplendor Italiæ, & ornamentum.

DE PAROTIDIBUS, ET DE SURDITATE IN ACUTIS.

§. I.

AUris dolor acutus cum acuta febre horrendus eſt: Mortis, aut delirii ſignum eſt *ex Hippocrate*. In hujuſmodi aurium dolore, ſtatim perpende accidentia, quæ comitantur morbum: ſi mala malum; ſi bona bonum ſignificant. Juvenes ſeptimo die hoc morbo pereunt. Senes magis ſuperſtites evadunt, ſi ſuppurentur.

Tuſſi-

Tuſſiculæ cum ſputatione, abſceſſum circa aures ſubmovent. Ideo gragariſmus ex malvatico vino (quod mihi familiare) in parotidibus juvat: & ea, quæ ſputum movent, pariter proſunt, &c Nam emungunt eſcretoria glandularum oris vaſa, a quorum concreta limpha naſcuntur parotides.

In ardenti, Parotis ad ſuppurationem non veniens, lethalis. *Hippoc.*

Bombilus aurium, & ſurditas cum cephalæa parotides excitant; potiſſimum ſi adſit præcordiorum diſtenſio, & magnus in meſenterio apparatus humorum.

Dolores, & inflammationes Aurium, funeſtæ.

Parotides rubræ, & nimium doloroſæ, ſive fiat participes, ſive expertes ſuppurationis, periculoſæ; præſertim ſi alvus non fluat bilioſis. *Hippoc.* Alvus libera in quibuſcumque capitis morbis, ſemper mirabilis, ſemper utilis.

Parotis licet ad ſuppurationem etiam veniat, ſi tamen non adſint ſigna coctionis in urina, vel alvus multum non fluat, malum: nam cum adhuc cruda ſit materies, licet ſuppuret Parotis, ulcus deſinit in cachoete. *Duretus.*

Optimæ ſunt Parotides quæ die critico cum ſignis coctionis veniunt, quæ nec majores ſunt quam ferri poſſint a parte affecta, nec minores quam purgare valeant, atque tollere morbum: quæ ſunt diffuſæ magis, quam quæ nimium contractæ, ſuntque citra ruborem nimium, & citra nimium dolorem, Si contra veniant, malæ.

Si crudo adhuc exiſtente morbo cum gravibus ſymptomatis, Parotis veniat, & ob metum graviorum malorum, expectari non poteſt ſuppuratio: candenti ferro ſtatim urenda, & ita procuranda ſtatim ſuppuratio, & exitus maligno humori, ne mora raptum faciat ad caput, & vicinas partes, ac ſuffocet. Valleſius hanc methodum ſæpe felicem in ſeptuagenario, prope Oratorium S. Philippi Nerii, qua parte deſcendimus ad Pontem Molis Hadrianæ, quæ ducit ad Vaticanum.

Surditas alvum ſiſtit, & alvi profluvium ſurditatem ſolvit; ſolvit etiam ſanguis e naribus.

Obſurdeſcere Aures in acutis; ſignum magni raptus ad cerebrum. Delirium venit; & ſi nimium in morbo obſurduerint, dum ſanantur, per multum tempus veluti ſtolidi, aut fatui remanent. Docuit hoc ægra Juvenis ad Oratorium Divi Marcelli via Quirinali. Morbos Aurium nunquam ſpernite Medicinæ Tyrones. Acuti brevi jugulant, chronici difficile ſanantur.

Surditas eſſe ſolet critica, & ſymptomatica, ut aliæ humorum tranſlationes, & metaſtaſes.

Echo, & Bombilus Aurium in acutis mortiferus, *ex Hippoc.* Bombilus ſimilis eſt bombilo Apum murmurantium. O quam peſſimus eſt!

Bombilus, qui fit ad modum Apum murmurantium, oritur ab exolutione partis cerebri, unde manat vis audiendi, ideo lethalis, teſte *Hippoc. & Duretо.*

Surditas in acutis poſt ſeptimum diem cum aliis bonis ſignis, reconvaleſcentiæ indicia præbet.

Quibus in febribus ardentibus aures obſurdeſcunt, his non ſoluta febre neceſſe eſt delirare. Solvit autem inter alia ſanguinis e naribus eruptio, aut alvus bilioſa. *Hipp.*

Aurium morbi nunquam ſpernendi: ſolent enim aliquando eſſe acutiſſimi, & jugulant poſt biduum. Ita Alicarnaſſæus æger Hippocratis, dolore auris correptus vehementiſſimo, poſtridie obiit aphonus. Acutiſſimi ſunt ob apoſtema auris, quod tunc fit; & ſi fit ex interna parte tympani, malum; pus enim difficulter expurgatur exterius, hinc malum, & pereunt. Contra ſi ab externa tympani parte inflammatio fiat, in qua expurgantum pus facile prolabitur extra, & partem liberat atque vicinum parti Cerebrum etiam liberat.

Stridere Dentibus in acutis, Maxillas fortiter ſtringere, & nihil deglutire velle, convulſificum, & lethale vidi in duobus, in altero prope Magnam Curiam recenter erectam in foro Columnæ Antoninæ in via Flaminia: In altero prope Archilycæum Romanæ Sapientiæ in foro Agonali.

DE URINA IN ACUTIS.

§. I.

IN curatione febrium nullas vidi pejores urinas, quam nimium rubras: Nam vel acutiem, vel longitudinem morbo ſemper indicant; & ſi cum Urinæ ſunt nimium rubicundæ, diaphoreticis, alexipharmacis, & calidis hujuſmodi remediis nimium utaris; exaltato per ea acri ſale, qui rubedine ſua urinam tingit, inflammatorios viſcerum morbos, longaſque, & periculoſas febres produces, ut plures obſervavi in Urbe. Urinæ nimium tinctæ, ac rubedine ſaturatæ, magnum ſalium in ſanguine apparatum denotant. Nec unquam tutum dato ægrotum, niſi urinæ ad naturalem pervenerint colorem, tam in intermitentibus, quam in acutis febribus.

Si cum talibus urinis rubris lingua ſit humida, adſit inappetentia, & ſigna ſint apparatus crudorum in meſſenterio humorum, cave ne rubedinis urinariæ cauſa ſanguinem mittas, nam ſtatim præcipitabis ægrum: non enim bilis, vel calor tali modo urinam tingit, ut Galenici putabant, ſed Sales fixi, ſilveſtres, ac peregrini in ſanguine redundantes ad inſtar

lixi-

lixivii ſerum urinarium rubedine tingunt; & quoties cum ſanguine circulant, ab eodem re frænantur, ne exaltentur, ferociant, & imperium, ac poteſtatem ſupra reliqua ſanguinis principia obtineant: Sanguine vero educto per phlebotomiam, laxatur ejuſdem ſanguinis vis, compages, & tonus, qua de cauſa cum Sales ſub poteſtate ſua continere non valeat, qua data porta furibunde vagantur, & quaslibet adoriundo partes, gravia pariunt accidentia.

Pariter, rubris, & ſupramodum tinctis exiſtentibus urinis, cave cane pejus, & angue, ne chinam chinæ præſcribas, ſive ſint acutæ, ſive ſint intermittentes febres. Nam acutæ facta interna inflammatione, ſtatim præcipitabunt in deterius: Intermittentes vero ſtatim fient continuæ, graves, periculoſæ, & chronicæ. Quare ſi in aliis morbis, certe quando iſti conjunctam habent urinam nimium rubram, patiens, longa, prudenſque humorum coctio ſemper expectanda. Si ſecus feceris, vel mortem, vel longos, aut incurabiles morbos expectato. Romæ ſcribimus, in aere Romano: quod ideo monemus, ne inſulſus aliquis, cujus nomen tacemus, ſi contraria in ſua Patria aquilonari experiatur, inſulſe denuo iraſcatur in ſequaces Hippocratis. Sancte fateor, fere centies hujuſmodi veritatem expertus ſum Romæ in ægrotantibus; & ſæpe cum magno animi mei mœrore, quando Medicos in contrariam ire ſententiam, obſervabam.

At ſi cum talibus urinis lingua ſit arida, ſicca, calor acris per totum, viſcera intenta cum hypochondriorum calore, quæ ſingula ſignificant incipientem viſcerum inflammatoriam criſpaturam, & oſcillationem morboſam ab exaltatis ſalibus pendentem; in tali caſu ſanguinis miſſio etiam repetita, pro ratione accidentium ſupervenientium, conferre poterit, ad præcavenda deliria, capitis dolores, variaſque hujus generis acutas affectiones.

Urinæ turbidæ quales Jumentorum ſemper mala capitis minantur. Si cum illis adſint vigiliæ, ſitis, dolor capitis, &c. delirio denunciato. Si ſopor, capitis gravitas cum pulſu parvo, lethargum prædicito.

Urinæ tenues diu perſeverantes, ſi alia criſis non venerit in magno humorum apparatu, ad abſceſſum in inferiora definit res.

Urina, cum ſupprimitur in acutis ante rigorem, bonum, critica enim eſt. Quæ poſt rigorem ſubſiſtit, convulſifica, & lethalis. *Duretus*. Idem dicendum de hæmorrhagia, quæ, ut bona ſit, & critica, rigori ſuccedere debet, non antecedere eundem.

Urinæ tenues ſemper ſuſpectæ in acutis, cum illis non purgandum, *ex præcepto Magni Senis*, quia inflammatoriam viſcerum labem fere ſemper ſequuntur, in quo caſu omnis purgatio ſuſpecta. Purgationes enim in principio febrium damnamus, quando cum acutie, & ſignis inflammationis conjunctæ ſunt. Si contra fuerint, & ſi præceſſerint errores in victu cum magno cacochyliæ apparatu, etiam in principio purgandum, & etiam repetito.

Urinæ, quæ in acutis derepente, & immerito coquuntur, malæ. Quicquid enim immerito coquitur in acutis, malum eſt. *Hipp.*

Urinæ variæ in acutis longitudinem ſignificant. *Idem*.

Ex urina rubra, & nimium tincta non ſemper deſumenda eſt indicatio ſanguinem mittendi. Nam non ſemper caloris ſignum eſt, ut ſupra notavimus. In viſcerum vera inflammatione urina perſæpe eſt alba, & tamen vena ſecanda, ſi morbus poſtulaverit.

Bonus calor in urinis cum cita coctione, indicat Naturam vigere; & bonum eſt.

Urinæ ſuppreſſio in acutis poſt frigus, peſtifera.

Veſica dura, & doloroſa in acutis, peſſima. Alvus ſupprimitur, & niſi dolorem ac tenſionem ſolvat urina perulenter micta, æger in primis morietur circuitibus; idque potiſſimum in pueris a ſeptimo ad quintodecimum annum. *Hippocrates*.

Sæpe obſervavi in iis, quibus obſtructiones ſunt in primis viis, cum maximo humorum apparatu crudorum in meſenterio, urinam diminute procedere, & aliquando ſupprimi; quia humorum hujuſmodi in meſenterio hærentium cauſa, lymphæ curſus in lymphaticis viſcerum turbatur, & impeditur. Diuretica quantacunque, & cujuſcunque activitatis dederis, urinam non educes, imo magis ſupprimes. Purgantia repetita ex pillul. de hiera cum agarico, tartarea, epithymus, & lenia hujuſmodi purgantia, educent meſenterii impuritates, & pro modulo, quo tales educuntur impuritates, urinæ quoque curſus aperitur, & ægri ſanantur. Uti evenit ægro decumbenti ad radices Quirinalis prope ædem S. Angeli Cuſtodis; & aliis prope Collegium Clementinum Patrum Somaſchorum ad ripam Tiberis in Campo Martio. Demum Vetulæ decumbenti in eodem Campo, prope rudera Mauſolæi Auguſti.

DE PULSU IN ACUTIS.

§. I.

PUlſus intermittens in una pulſatione peſſimus in acutis, & inflammatoriis febribus, præſertim ſi alia vigeant gravia accidentia. Non ita malus, ſi morbis pectoris ſuperveniat, in quibus familiaris eſt, aut in morbis Senum, aut in plethoricis, aut in Pueris dormientibus, in quibus omnibus intermittentia fere cum familiaris ſit, non ita pernicioſa exiſtimanda.

Cum pulſo parvo, & frequenti moriuntur in acutis quamplurimi.

Diu-

Diutius, & ſalubrius vivunt, qui naturaliter pulſum habent exiguum, quam qui magnum, & vehementem. Salubrius quoque, qui pallidulo faciei colore ſunt, quam qui rubicundo nimium, ac fere igneo: & quo magis roſea, & rubicunda eſt facies in ſanis hominibus; eo magis ſuſpecta ſunt ſua bona. Periculoſiſſimis roſei homines morbis ſubjiciuntur, levi de cauſa ægrotant, facile inflammantur: longam vitam non habent, & ſi habeant hemorrhoidibus, calculis, doloribuſque articulorum erit labefactata.

Quando dolores alicubi ferociunt, ſtatim pulſus parvi fiunt, & exiles. In ſtomachi morbis parvi etiam fiunt. Quique naturaliter ſunt ſtomacho debiles, exiguum fere perpetuo pulſum gerunt: quod ad rite prognoſticandum in acutis, maxime juvat præſcire, prout vidimus in Anglo in foro Hiſpanico in principio Menſis Aprilis 1702. Die 19. Martii 1702. obiit Princeps Auriacus Guillelmus tertius Rex Britanniæ ex lethali contuſione, paſſa ob lapſum ab equo dum venabatur. Is ab Anglicis comitiis evectus fuerat ad Regnum, transfuga in Gallias Jacobo ſecundo Catholico, piiſſimoque Angliæ Rege.

Si quando in acutis, & malignis febribus pulſum tangis, æger retrahit manum veluti tremulam, peſſimum ideſt, & pauci evadunt, ut ſæpe obſervari in Noſocomiis.

In ſenibus pulſus eſt varius, & mutabilis naturaliter; ideo ne terreat te in iis curandis. Mutabilis quoque eſt in pueris vermium copia laborantibus, & in ſtomachi affectionibus cum ingenti repletione, & apparatu primarum viarum.

DE INAPPETENTIA.

§. I.

IN omnibus Morbis ſi viget appetitus, bonum. Inappetentia ſemper mala, ſemper ſuſpecta, ſemper timenda: Semper timeo in ægris inappetentiam. Dum viget ſtomachus, vigent omnia; nam, & cibi, & medicamenta rite digerunrur. Omnes ægroti, 3. *epidem. apud Hipp.* cibos faſtidiebant, & mortui ſunt. Parius in Thaſo, Hermocrates, & alii in Coo; & apud Nos Romæ binæ Mulieres in Vico Marforii, quo deſcendimus in forum Romanum, non longe a Noſocomio Conſolationis, Vidua in eodem foro Romano; Presbyter Senex ad latus Noſocomii Incurabilium, in principio veteris Flaminiæ, nunc viæ Populi, Juvenis in Palatio Mariæ Caſimiræ Reginæ Viduæ Poloniæ, & Uxoris Joannis III. Sobieſchii, Viennæ Liberatoris, in foro Baſilicæ Sanctorum duodecim Apoſtolorum Patrum Conventualium, prope viam Qurinalem. Denique aulicus Principis Parmenſis, qui Romæ erat in Palatio Farneſio anno Jubilæi 1700. & reliqui, quos brevitatis cauſa ſilentio committimus.

Si in acutis, & aliquando in chronicis poſt magnam inappetentiam, derepente ingens excitetur appetitus, nulla præcedente bona criſi, aut alio bono ſigno, poſtridie mortem prædicito, ut vidi in Mercatore ægrotante, non longe a Collegio Germanorum, in principio magnæ viæ Coronariorum, quæ deſinit ad pontem Hadrianæum. Homines diu inappetentes in gravem morbum brevi incident.

Si poſt curatos morbos inappetentia remaneat, recidivam prædicito.

Igitur graviseſt, & maxime ſuſpecta in morbis inappetentia. Nulla alia bona ſigna me exhilarant, niſi conjuncta ſint cum appetentia. Bonus appetitus bonam viſcerum naturalium œconomiam denotat, unde ſemper bene ſperandum. Fateor expertus. Nec lubricus ſis in promittendo curationem felici eventu, niſi fundamentum habeas in bona appetentia.

DE CAPITIS AFFECTIONIBUS IN ACUTIS.

§. I.

CApitis dolores fortes, & continui cum febre, ſiquidem lethalium ſignorum quid acceſſerit, pernicioſi ſunt valde. Si vero ſine talibus ſignis dolor viginti dies tranſmiſerit, & febris tenuerit, ſanguinis e naribus eruptionem, aut abſceſſum ad partes infernas oportet expectare. Sanguinis tamen eruptio etiam in aliis doloribus expectanda; præſertim in Junioribus triginta quinque annorum, in Senibus vero puris eruptio. *Hippoc. lib. prænot. num.* 22.

Cephalalgiam tollit expurgatio per nares, aut ſputa craſſa, odore carentia. Quin etiam exolvit ulcuſculorum ubertas, nonnunquam & ſomnus, & alvi profluvium. *Hippoc. coac.* 13. de Cephalagia. *Duretus.*

De Cephalalgia in acutis vide *Hipp. Coacas in Dureto a fol.* 87. *ad fol.* 98. divine pene, ac utiliter.

Cephalalgia veternoſa oſtentat aliquid convulſificum. *Hippoc. coac.* 16. *Duretus lib.* 3. *c.* 1.

In Cephalalgia coma, & ſurditas ad aures aliquid eructant. *Hippoc. progn.* 75. *Duretus fol.* 448.

Si dolor Capitis ante febrem invadat, atque ſit gravis, continuus, & poſteriorem capitis regionem occupat, periculum eſt, ne caput idiopathice laboret, ac per eſſentiam; ſi vero poſt aliquot, licet breves ab incœpta febre, dies ſuperveniat dolor, per conſenſum fit, ideſt febris ſymptoma eſt, & occupat partem

capitis

capitis anteriorem, ut ſæpe obſervavi. In ſumma gravis eſt, ſi ſtatim cum febre incipiat, & quotidie creſcat; vel in eodem gradu perſiſtat.

Capitis dolores comatoſi convulſionem minantur, & parotides. Alvi fluxus ſolvit eos, & hæmorrhagiam præſagiunt. *Hipp.*

Comatoſi cum alvi profluvio rubro, lethales. *Hipp.*

Coma non turbulentum, ſed placitum, licet duraverit diu ebriorum inſtar, non eſt malum, ſed ſedat, & arcet majora mala, delirium ſcilicet, dolores capitis, & in pueris febrem *Duretus*.

In morbis capitis indicium ad ſalutem vel ad mortem ſumas ex urina: ſi alba ſit, & tenuis, malum: Sales morboſi, qui tingunt ipſam, & cauſa morbi ſunt, in capite detinentur, & morbum augent.

Alvus ſtricta ſemper exacerbat capitis morbos. Pediluvia ſemper bona. Alvus lubrica bona. Ita ipſe elapſo anno 1702. 20. die Januarii ætatis noſtræ ann. 33. poſt diuturnas aſſiduaſque applicationes ad ſtudia, & ad curandos ægros, horrendo capitis dolore cum febre correptus fui. Uſus nimius chocolatæ morbum forſan produxit: binis purgantibus intra ſeptimum exhibitis, applicatiſque pediluviis quotidie, abſque aliis remediis octava die liber a morbo evaſi.

In faciei, & faucium morbis cauteria valde juvant in brachiis: Arteriotomia in capite ſecretum magnum in deſperatis capitis doloribus eſt, &c.

Hirudines ano applicatæ, capitis morbos ſublevant: ſublevant & hypocondriorum mala ex acrimonia, impetu, & difficili circuitu ſanguinis in eis.

Hippocrates in libro de morbis, mire deſcripſit quamplures capitis morbos ab aliis Auctoribus non deſcriptos, quos utile eſt videre.

Qui ab Apoplexia liberati, poſtea levi de cauſa, & ſine occaſione lacrymantur, ac mœrent, malum hoc eſt, & recidivam vocat.

Paſſus eſt id Senex in Suburra, & Puer in foro Judæorum, atque alius in Boario.

Apoplexia Epilepſiæ ſuperveniens certo mortem affert; quod ex obſervatione Auctorum, vidi in ægro ad vicum veteris Templi Pacis in foro Romano, & prope ædem S. Bartholomæi Bergomenſium ad Seminarium Romanum Soc. Jeſu.

Potus nimius Caphe capitis morbos producit, vigiliam, tremorem, calorem, &c. Duos vidi ex nimio Caphe abuſu incidiſſe in tremorem brachii, & debilitatem, ſtatimque convaluiſſe ejuſdem potione prætermiſſa, nec niſi cum moderatione adhibita. Alter decumbebat apud ſanctam Cæciliam trans Tiberim, Senex, & vir doctiſſimus: Alter proper Thermas Conſtantini ſub Quirinali, Juvenis Doctus pariter & eruditus. Cum de Caphe inciderit ſermo, obiter moneo potionem Caphe, eſſe ſecretum infallibile ad tollendum capitis dolorem pomeridianum; qui vitio ſtomachi male digerentis nonnullas poſt prandium horas venit. Id in innumeris obſervavi ægrotantibus Romæ. Id in me ipſo quotidie obſervo: Mihi enim ob aſſiduas cogitationes, nimioſque praxeos labores in ægris viſitandis, & eorum omnium patientiſſime deſcribenda morborum Natura, ad amplificandam Praxim Medicam ſummopere neceſſaria: cum ſtomachus debilis valde ſit, tribus poſt prandium horis, dolore capitis, gravitate, mœrore vexari incipio, quæ quoniam a ſtomacho male digerente fiunt, duos, vel tres Caphe ciathos aurio, & momento temporis, ac fere ad miraculum, a malis prædictis me ſtatim libero. Eodem tempore loco Caphe aliquando haurire ſoleo ciathos decoctionis The, vel Cocholatæ; ſed non cum tanto profectu, qualem ab uſu Caphe percipio. Caphe igitur ad morbos ſtomachi, & inde nata mala mirabile remedium eſt. The vero ad capitis morbos. Denique Chocolatæ uſus, prout obſervatione didici, ad roborandam ſanguinis maſſam, ejuſque vim, tonum, & ſuccum ejuſdem nutritium deperditum reſtituendum, proſtratos a coitu ſpiritus reſtaurandos maximopere juvat; eodem tamen tempore ſtomachum quoque mire confortat, adeo ut merito Ambroſiæ nomen mereatur, ſed ſi nimio chocolatæ potu quis abutatur, potiſſimum præditus temperamento ſanguineo, & inflammabili; quoniam chocolata ſanguinem incraſſat, forſan ratione oleoſæ viſcidæque naturæ fructus Cacao, & ipſum reddit circulationi ineptum; fiet, ut inde naſcantur inflammationes viſcerum, febres longæ meſentericæ, apoplexiæ; quarum ingens noſtris temporibus frequentia, forſan a nimia naſcitur chocolata, ſanguinem nimium incraſſante, hinc ejus potatores pingueſcunt, ut in pluribus obſervavi.

DE OBSERVATIONE OCULORUM IN ACUTIS.

§. I.

NUnquam ab ægro diſcedas in acutis, & in inflammatoriis, niſi oculos inſpexeris. Quando illos a naturali ſtatu mutatos videbis, time ſemper, ſicuti poſt oſpiatum in dyſenteria; poſt chinam chinæ in magno primarum viarum apparatu. Conſtricto in his caſibus indebite humore noxio, præcipitat æger, & præcipitii ſigna, oculi a naturali ſtatu mutati, oſtendunt.

Si oculi robuſti non ſint, mors brevi imminet. *Hipp. 2. epid. ſect. 1.*

Ocu-

Oculi audaces, & fixi delirium minantur *6. epid. sect.* 1.

Si oculi lucem fugiant, aut involuntarie lacrymentur, aut distorqueantur, aut præterna turali colore mutentur, malum. *Hippoc. in pran.*

Si oculis clausis alba eorum portio appareat, quod non fiat ex alvi profluvio, aut delassatione, lethale. *Hippoc.*

Ut valent oculi, sic & homo. *Hippoc.*

Oculi societatis, & vicinitatis jure præ ceteris cerebri affectionem denotant. *Duretus.*

Oculorum rubor in febre natus, diuturnam ventris molestiam denotat. *Hippoc. coac.* 40.

Hollerius ait oculorum ruborem esse signum corrupti Pulmonis, aut viscerum e directo, cerebri quoque, & ventriculi inflammati, fol. 1092. & 1096.

Oculos caligare, & obtenebrari in pectoris acutis morbis, lethale, ut præ ceteris observavi in Sene Pulmoniaco apud S. Pantaleonem in Montibus, in vico, qui ducit ad Amphitheatrum Flavium, vulgo Colloseum, & Arcum triumphalem Constantini Magni.

DE DECUBITU ÆGRORUM.

§. I.

NUdare pedes, supine, & ore aperto dormire, malum. *Hipp.*

Malum si ad Pedes delabatur æger, & manus habet nimium protensas; & si quando elevantur a Medico, statim sponte concidunt, veluti semimortuæ, majus malum. Passi sunt id ægri prope S. Carolum Mediolanensium in via Flaminia. In vicinia Collegii Romani Societ. Jesu. Ad ædem S. Andreæ de Valle PP. Theatinorum: Demum alii prope ædes Theatri Pompeii Magni in Campo Floræ, &c.

Ægrum sedere velle in Acutis, malum: Pessimum in pulmonicis, pulmone inflammato; *Hippocrate docente*, quod frequenter verum expertus sum in Nosocomiis Italiæ, & in agro prope Collegium Scotorum, & Hibernorum.

Facile converti debet æger in lecto in acutis; si vero sibi gravis videatur, nec facile ferat morbum, pessimum.

In decubitu, & respiratione, potentiæ animalis vis elucet.

Gravitas totius Corporis pestifera.

At vero supinum jacere velle, & manus, & collum, atque crura extentam habere, minus bonum. Si vero etiam pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum est. Si vero nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos, & manus, & collum, & crura inæqualiter disjecta, ac nuda, malum est; anxietatem significat. *Hpp. lib. prænot. num. 3.*

DE VOCE ET FACIE IN ACUTIS.

§. I.

IN magnis malis semper faciem inspice: si bona fuerit, & naturalis, semper bene spera, si mala malum.

Sed ut recte procedas in mala facie, pete an æger ante nimium vigilaverit, aut diarrhæam passus sit, aut famem, quæ singula mutationem faciei in pejus faciunt; quod si nihil horum fuerit, morti est proximus, si vero fuerit, minus time. *Ex Hipp. in pran.*

Cuicumque hydropico ascitico si facies derepente plumbea evadit, mors ostia pulsat.

Facies nimis colorata, & præter rationem rubra, & succi plena, suspecta est ista bonitas, nam præsentis morbi est signum, aut futuri præsagium. Fit enim illa rubicunda facies ab humorum redundantia, & illorum quodam veluti strangulatu, præsertim circa pulmones.

Facies nimium colorata, & vultuosa, pessima; si frons contrahatur, phreneticum. *Hipp. in coac.*

Rubores narium signa sunt ventris facile lubrici, signa quoque morbi Pulmonum, aut jecoris, *ex Hipp. in coac.*

Aphonia in acutis, undecunque sit, brevi mors est. *Duretus.*

Post dolores magnos Aphonia; crudeli morte spasmi, aut convulsionis pereunt. *Hipp.*

Facies pulchra, succi plena, ac decora, quæ in febri non levi nullam ostendit remissionem, sed potius intensionem habet, aut certe manet eadem, ad diuturnitatem morbi apparet. *Duretus ex Hipp.*

Vox demissa cum virium resolutione in acutis pessima. *Hipp.*

In chronicis morbis si facies naturalis sit, & boni coloris, nunquam crede adesse obstructiones in visceribus, si mutata sit a naturali, id obstructionum signum, & turbatæ œconomiæ naturalis est.

Virium prostratio in acutis fit a quadam veluti paralysi universali: In principio signum est inebriati nervorum principii: In progressu, languidi, & effœti, & si ad pedes delabantur ægri, brevi mortem indicat, *ex Dureto.*

In magnis morbis optima facies, optimum; in parvis pessima, pessimum. *Hollerius coac. ex Hipp.*

Omnis rubor faciei, vel sanguinis copiam, vel internum phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel visceris corruptionem denotat. Alvus dura esse solet iis, qui nimium facie rubent. *Jacotius, coac.*

DE ABSCESSU ACUTORUM.

§. I.

SI morbus magno cum impetu feratur, supernè fieri solent abscessus ad collum, axillas, &c. si lente procedat, & infra tendat in partibus

tibus infernis expecta : Pedes calidi, inferne fieri maxime abſceſſus ſignificant: frigidi, ſuperne. *Hipp. de humor.* In ægro decumbente ad Magnum ærarium Montis Pietatis ex parte Domus Peregrinorum Sanctiſſimæ Trinitatis Pontis Sixti, pedes per ſingulos dies febris perpetuo frigidi; abſceſſus venit circa 20. diem ad axillas, ex quo difficulter convaluit elapſo menſe Aprili. Die 14. ejuſdem Menſis 1701. Barcinona Neapolim venit cum quinque Navibus Philippus V. Dux Andegavenſis, & Hiſpaniarum Rex, ad ſolandam pulcherrimam, totiuſque Italiæ maximam ſyrenum Urbem, elapſi Septembris 1701. conjuratione, & civili tumultu maxime afflictam, & magna proſtratam egeſtate. Carolus Cardinalis Barberinus 14. Maji 1702. Legatus a latere declaratus a Clemente Papa XI. Optimo Maximo ad eumdem Regem Philippum, ex portu Antiate, Triremibus Pontificis, Neapolim cum ſplendidiſſimo commeatu ſe contulit, ubi ſua functus Legatione, ac paulo poſt Rege Mediolanum profecturo, ſupra triremibus ſuis, Romam iterum reverſus eſt.

Boni abſceſſus, qui fiunt inferne, & longiſſime a morbo, qui per effluxum foris fiunt, ut ſanguinis e naribus, ſudoris &c. Porro, qui die critico, & cum levamine. Demum pro magnitudine morbi magna pars debet abſceſſum recipere, ſi parva fuerit pars, malum. Ita Nepti Jemeni apud Senem magnum in acuta, & magna febre abſceſſus factus eſt ad digitum, gangræna venit, & periit.

Abſceſſus Junioribus magis fiunt quam ſenibus, ob facilem humorum decubitum.

DE RIGORE ACUTORUM.

§. I.

TRiplex rigor eſt, criticus, periodicus, & ſymptomaticus, ſive erraticus Dominatu morbi, quod bene tenendum in curatione acutorum.

Rigor bonus, & criticus eſt ille, qui cum urinæ pepaſmo, ſive coctione ſignificatur, quique ſolvit febrem, & ſymptomata mitigat, rigoremque ſequitur ſudor, vomitus, vel alia evacuatio. Malus contra, qui frequenter apparet, nam ſemel apparere debet, qui criticus eſt; malus quoque, ſi vires inde langueant, nam indicat Naturæ debilitatem, & fruſtraneum ejus conatum; malum enim eſt quod fruſtra movetur, ſiquidem raptum ad Caput facit, & Diaphragma.

Omnis rigor fere ſemper in lumbis incipit primo, deinde per dorſum ad caput fertur; iſque rigor a lumbis, fere ſemper in febribus eſt. Si vero aliunde quis frigeat, ab abſceſſu latente rigebit. *Duretus.*

Rigor, qui antecedit urinæ ſuppreſſionem, & hœmorrhagiam, ſalutaris; qui vero iiſdem ſuccedit, lethalis. *Hipp.*

Aliquando in febribus continuis fraquens eſt rigorifera horreſcentia, putant Medici, id fieri a latente abſceſſu: Sed falſo; nam producitur a magna humorum cachochimia, & apparatu, quæ a febrili calore in motum acta, dum hinc exinde ad exteriora diſcurrit, partes vellicando, horrorem facit. Omnes enim cachochimi, dum nimium incaleſcunt, horrent. Ita ſi cachochimus ſoli exponatur, paulo poſt horret, & febricitat. *Ballonius.* Idem quoque Nos vidimus in quinquagenario ad Templum Jeſu, & Mariæ PP. Diſcalceatorum S. Auguſtini in via Flaminia, & in Virgine decumbente ad ædes Viri Eruditiſſimi, doctiſſimique Abbatis Pauli Stufæ noſtri amiciſſimi in foro Agonali.

Niger vomitus mortem brevi denunciat, fitque ab exolutione, & reſolutione viſcerum. *Duretus.*

Nil paulum criticum. Ita exiguæ vomitiones bilioſæ, malæ; potiſſimum ſi vigiliæ ſupervenerint; & ſi narium hœmorrhagia venerit, pernicioſum. *Hipp.*

In meris vomitibus ſingultus ſuperveniens mortiferus. *Hipp.*

Quibus per febres Rigor quotidie incidit ipſarum quoque diurna eſt diſceſſio. *Duretus ex Hipp.*

Quibus in febribus rigor accedit, febris ſolvitur. *Hipp. de Jud. n.* 11. Et ideo quando in continuis bene tractatis, rigor apparere incipit; bonum eſt; nam ſignificat morbum mutari, ejuſque acutiem eſſe remiſſam, ut ſæpiſſime obſervo in praxi mea.

Si crebro rigor incidit, nec ulla febris diſceſſio eſt, fractis jam ægri viribus, lethale. *Hipp.*

Rigor ſymptomaticus, aut ſuppurationis internæ ſignum eſt, aut translationis materiæ in caput, aut principium Naturæ ſuperatæ a morbo.

Rigores inanes, ſive qui fruſtra fiunt, translationem ad caput afferre ſolent ſymptomaticam. Quod de rigoribus, idem de ſudoribus dicendum. *Ballonius.*

Frequens horror in ſanis ſignum eſt cruditatis, aut cachochimiæ. In febribus vero, motus morbi, aut ſuppurationis in ea parte unde excitatur. *Jacotius.*

Rigor ſuperveniens eſt ſignum criticum, ex quo patet moliri aliquid Naturam; neque enim fruſtra calor nativus, ita violenter agitatur. *Jacotius.*

Qui ſæpe perhorreſcunt, ac multum ſudant, difficulter ſanantur. *Hipp. coac.* 13.

DE HYDROPE SICCO.

§. I.

FLatuosa ventris intumescentia, sive siccus hydrops ventris, non gignitur a vapore detento intra viscerum, & abdominis claustra, ut vulgus putat ignarum. Fibræ viscerum, & partium abdominis intentæ nimium, crispatæ, & exsiccatæ, portentosum acquirunt elaterem: Unde ingens distensio solidi, sine ullo vapore subjecto: Et quando distensio multum augetur, magis, magisque liquidorum circulum impedit, hinc facile sicco hydropi humidus succedit, & semper ante mortem ascites tympanitidi conjungitur. Fibras autem exiccat, crispat, convellit materia acris, salina, piperina, mordicans: hinc siccitas, & distensio.

Ventositatem flatuosam solvit phlebotomia. *Hipp.*

Flatus excitantur ab effervescentia acrium humorum, solidorum fibras irritantium: Qua de causa aucto in illis elatere, & intentis minimis illorum arcubus, intumescentia nascitur inanis, non vero vaporaria, ut hactenus creditum. Ideo sanatur per balnea, & humectantia. Hinc ait Hippocrates: *Allium flatus inducit propter spiritus intensionem.*

Hydrops siccus, sive flatuosus Hippocratis tunc dicitur, quando adest alvi siccitas cum fœcibus stercori caprino similibus: Nec non adsunt tormina; dolores magni circa umbilicum, & lumbos, febris, sitis, tussis sicca. Pessima stranguria in hoc malo. Fit ab hectica intestinorum intemperie, sequitur alios morbos potissimum acutos. Cathartica pernicioſissima sunt. Usus nitratorum, Serum lactis, Lac Asininum, & generaliter omnia humectantia intus, foriſque juvant.

In iis, qui sicco hydrope moriuntur, observantur glandulæ mesenterii aridæ, exiccatæ, & tabefactæ; unde causa mali ex Ballonio; quibus tormina, & circa umbilicum dolores fortes, qui nullis cedunt remediis, desinunt in siccum Hydropem *ex Hipp.*

Morbus est acutissimus, & difficillimus, citoque interimit; alvus, & urina statim supprimuntur, & nihil magis pernicioſius remediorum copia, & farragine.

DE ICTERO FLAVO.

§. I.

IN tractatu nostro de experimentis infra traditis circa bilem nonnulla diximus de Icteritia ad praxim utilia.

De Ictero fatali vide *Hippocratem 3. morb. n.* 12. ubi absinthium, & anisum laudat.

De Ictero a dolore hepatis vehementissimo, v. Hippocratem *de int. affect. n.* 31.

De quatuor raris Icteri speciebus vide Hippocratem *de int. affect. n.* 38. *&* 39. in quo cantharides cum vino, & melle per os exhibendas laudat.

Pessimam Icteri speciem legas apud Hipp. *de diebus jud. n.* 7. & lege exitum.

In febre biliosa ante septimum cum rigore morbus Regius accedens, solvit febrem; si vero sine rigore accedat extra temporis occasiones, pernicioſus. *Hipp. de vict. acut. n.* 54.

In febribus ardentibus, si accedat morbus Regius, & singultus, quinto die, lethale. *Hipp. de jud. n.* 8.

Icterici multum fœdati pereunt: Alba dejectio iis una secedit. *Hipp. coac.* 38.

Moriuntur icterici, nec unquam fœdum colorem eluere possunt, qui vel a motu morbi, vel ab Hepatis inflammatione, aut scirrho, vel a veneni potu, aut morsu immisso, ita colorantur. *Duretus fol.* 22.

Criticus, ac bonus icterus est, qui coctione indicatur, qui febris finem affert die critico, nec relinquit hypochondrii duritiem post se, & cum urinis, ac dejectionibus naturaliter coloratis existit.

Fernelius observavit in mortuis derepente, vel minima bilis copia in cysti fellea fuisse, vel prorsus defeciſſe: Ipse paucam, sed nigerrimam ad instar attramenti in nonnullis observavi.

Icteri nunquam spernendi, nam sub larva, ac persona Icteri, sæpe magni, periculosi, ac repentini morbi absconduntur, & sæpissime moriuntur derepente Icterici, ut ait *Dodonæus.*

Icterus febri superveniens semper timendus, raro enim est sine malignitate. Si sint signa coctionis, & appareat circa septimum, bonus est: est enim criticus: si sint signa cruditatis, & sit circa quartum, malus, & symptomaticus; & si febris non remittat lethalis, vel gravium morborum nuncius.

Hippocrates *de loc. in hom.* loquens de Ictero ait. *Medicamenta purgantia ne dato, ne corpus magis conturbes. Oportet vero vinum bibere generoſum, ſudare, laborare, lavari, & ſumere quæ hominem reddunt rubicundum.*

Hystericis, Calculosis, Colicis, & in fine intermittentium, facile superveniunt Icteri. In cadavere Ictericorum observatur, vel bilis viscida amurcæ similis, vel calculi, in vesica fellis; quod ad curationem probe tenere confert.

Si Icterus semel curatus, denuo, ac sæpius recidivet signum est infallibile oriri a calculo vesicæ fellis. Curati hi Icterici recidivant, incurabiles sunt, & mortem tandem inferunt. Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus, aut delirio pereunt, ut in nonnullis observavi.

Infan-

Infantibus, tertio & quarto die a partu oritur Icterus, fitque ex retentione meconii in inteſtinis, unde etiam oriuntur eorum epilepſiæ.

Spiritus ſalis ammoniaci acidus, quamplures ſanavit Icteros. Abſinthium ponticum in juſculo coctum, mihi familiare in hoc malo. Item Fragaria, Centaureum minus, Carduus benedictus, Marrubium, Chelidonium majus pro mille ſufficiant pompoſis pharmacopæorum remediis. Paronichia folio rutaceo pro ſecreto laudatur a Boile. Guttæ aliquot ſucci cucumeris aſinini, mixtæ cum pauco lacte Mulieris, ac per nares tractæ, fere incredibiliter per nares Icterum expurgant.

In curatione Icteri tota Medici Prudentia dirigi debet, in inveſtigando, an pendeat a bile viſcida, vappida, amurcoſa, & inerti, circa Jecur impacta; an vero a bile acri, tenui, ignea, inflammabili. Pro quorum diverſitate humorum, toto Cœlo diverſa eſſe debet curatio: Qui bene judicat, bene curat; integritas judicii fons, & caput eſt bene medendi. Signa viſcidæ ſunt, lingua alba, humida, inappetentia extrema, debilitas virium, pauca, vel nulla febris, flatus ingentes poſt paſtum: Cauſæ, quæ præceſſerunt, & temperamentum, ad congerendas viſciditates aptæ eſſe debuerunt.

Acris contra, tenuiſque bilis ſigna ſunt, ſitis cum aliqua linguæ ſiccitate, ardor, calorque hypochondriorum, aliqua in pulſu mutatio, tenſiones hypochondriorum, ſiccum temperamentum cum macie ægroti: Cauſæ, quæ præceſſerunt, calidæ fuerunt, vina generoſa, aromata, ſaccarata, &c. Icterus a viſciditate, & ab amurcoſa bilis qualitate, tartareis veluti pro ſecreto curatur, & aqua Tetuccii, quæ ſalina eſt; ſi febris non adſit, dabis ſequentem potionem.

℞. Tartari bonon. ʒ. ß. aquæ tetuccij ℥. VI. bull. ad tertias ſolve, ſyr. flor. per ſic ℥. iiij. & bibe, quando incipiet purgatio ſuperbibe, more Medicorum Urbis, & partitis vicibus totum ænophorum aquæ tetuccianæ tepidæ. Hoc idem remedium in calculo renum mihi familiare eſt cum profectu.

Si nimium fuerit amurcoſa bilis circa jecur impacta, per duas, vel tres vices repeti poterit hæc purgatio alternis diebus. Deinde veniendum ad ſerum lactis cum marrubio bullitum, & ſingulo mane calide dandum: Et ſi magna fuerit viſcidæ, nigræque bilis copia, addi poterit cum ſero in maceratione ʒ. i. hellebori nigri præparati ſingulo mane, vel cochlear ſyr. cachetici Fernelii cum helleboro, qui ſyrupus magnarum eſt virium in chronicis; & demum omni bile hac methodo expurgata (hic primus curationis ſcopus prudentis Medici eſſe debet) ad chalibeata, & roborantia veniendum: Neque me fefellit unquam hæc methodus: quod præ ceteris ſatis evidenter obſervavi in ægro ad Thermas Conſtantini in Quirinali, prope Baſilicam ſanctorum duodecim Apoſtolorum, Fratrum Conventualium S. Franciſci; Quæ quidem antiqua Baſilica cum jam vetuſtate labeſceret, & proxima eſſet, ut corrueret, in ſplendidiorem, longeque magnificam extruitur formam, jactis hoc anno fundamentis, jactoque primo Lapide a Clemente PP. XI. Optimo Principe: & in ruderibus veteris Eccleſiæ e dextro Latere in Sacello Divi Antonii menſe Auguſti 1702. reperta ſunt in magna marmorea Capſa oſſa magni Viri, & famæ immortalis Cardinalis Beſſarionis Trapezuntii, quæ cum Ipſe viderem, ac manibus tractarem, fere in lacrymas præ lætitia ſolvebar: Tanta namque ſunt maximi hujus Viri in Dei Eccleſiam beneficia, & erga Rempublicam litterariam merita.

Quod ſi Icterus pertinax fuerit, ob nimiam, ac pertinacem bilis amurcoſam viſciditatem, ſequenti vino medicato utor, quod nunquam me fefellit, aut raro.

℞. Chalibis limati petia ligati ʒ. iiij. fol. ſenæ orient. mund. ʒ. XVI. epithimi inciſ. & rhabarb. elect. inciſ. an. ℈. iij. abſinthii ponti-ci, centauri minoris an. manip. ij. bacc. junip. contuſ. m. i. ſpecierum trium ſantal. & ſpec. diarrhod. Abb. an. ℈. iiij. Vini albi veteris non admodum generoſi lib. VII. macera biduo ad cineres ſervidos, deinde cola per manicam Hippocratis, ut vinum optime clarificetur; de quo capiat ℥. iiij. mane, bihorio ante prandium, per quindecim dies, aut plures; ſingulis diebus, vel alternis; prout magis, vel minus purgaverit. Hoc vinum noſtrum medicatum, maxime etiam confert in ſchirris, & obſtructionibus viſcerum, potiſſimum, ubi viſciditas regnat, nec multa febris adeſt; Ut præ ceteris experta eſt Virgo in Via Julia ad Pontem Sixti: Ac etiam Senex Ictericus in eadem via prope novos Carceres: Quadragenarius apud S. Ludovicum Gallorum, ideſt apud Thermas Neronis; & Vidua Lienoſa ad Collegium Picenum prope Theatrum, vulgo, *Tor di Nona*.

Contrario modo procedendum in Ictero, quando a tenui, acri, & inflammabili bile producitur, atque in fibris Jecoris, partiumque vicinarum oſcillatoriam parit convulſionem. Utendum enim tunc erit radicibus temperatis, & aperientibus, ut Fragarum, Graminis, Intibaceorum, &c. cum ſero lactis bullitis. Diſtillata ex ſuccis aperientibus, ſemicupia, fotus hypochondriorum cum decoctis emollientibus: Potiones aquarum acidularum, & hiſce ſimilia, quæ bilem diluunt, coercent, & viam ei præbent per urinam, aut feceſſum: Acidulas in Ictero a pluribus laudatas vidi Auctoribus:

Iisdemque sanavi ægrum desperatum in foro Archilicæi Romani, prope Ecclesiam S. Eustachii, quæ cum vetustate jam caderet, diruta veteri a fundamentis hoc anno 1702. nova, splendidior, amplissimaque, constructur. Hoc eodem anno præsentis Mensis Novembris Philippus V. Dux Andegavensis, Rex Hispaniarum, relicto Mediolano per Genuam cum magna classe reversus est in Hispaniam, maxima cum sui felicitate; suorumque populorum lætitia, ob res ab eodem præclare gestas in Italia, &c.

Quibuscunque in frebribus ante septimum Icteri fiunt, malo sunt loco. *Hipp. sect. 6. Aphor.* 42.

Sic Hermocrates sexto Morbi die factus Ictericus tandem obiit; quod Heraclidi etiam contigisset ab Ictero sexti diei, nisi triplici evacuationis beneficio, scilicet Diarrhœæ, vomitus, & hemorrhagiæ, morbum depulisset.

Icterus ante septimum diem insidiosus, At. 7. 9. 11. 14. proruptus, salutaris: dummodo non adsint hypochondria indurata, sin autem adsint, anceps est. *Hipp. coac.* 127.

Icteri flavi multæ sunt causæ; prima, dira veneni vis morsu, vel potione immissa; secunda morbi orgasmus, tertia Hepatis obstructio, inflammatio, schirrus, quæ tria duritatis nomine vocat Hippocrates. Semper tamen in omni Ictero bilis circa Jecur congestio, & circulus vitiosus supponendus est.

Alba, sterceosa dejectio in Ictero, difficilis. *Hippoc. coac.* 30.

Licet ante septimum Icterus in febribus sit pernicioss, non vacat tamen periculo post septimum, quando signa coctionis non adsunt; Ideo ait Hippoc. *criticum* etiam esse. 7. 9. 11. 14. dummodo hypochondria dura non sint.

DE HÆMORRHAGIA IN ACUTIS.

§. I.

HYpochondria dura, tumida, dolorosa, dant hemorrhagiam in supernis. *Hipp.*

Sanguinis eruptiones e contrario malæ, ut Jecore affecto e sinistra nare. *Hippoc.*

Exigua sanguinis stillicidia omnia prava, in Acutis nil paucum criticum; prava sunt, nisi indicent futuram hemorrhagiam copiosam die critico, quod dignoscitur ex urinæ coctione eodem die stillicidii. *ex Hippoc.*

Rigor, qui post hemorrhagiam venit, quam jure Naturæ præcedere debet, ut bonus sit; sigro, & causa funestus. Idem rigor si post urinæ suppressionem veniat, quam debet præcedere funestus, *ex Hipp.*

In morbis longis exigua stillicidia supervenientia, lethalia.

Post nimias profusasque hemorrhagias, observare, quod alvus officio suo non bene fungitur; & malæ fiunt digestiones, & alvi liquidiores.

Hemorrhagiæ quartanæ, seu quarti diei copiosæ, malæ; aut longi morbi indices sunt, nam quartus dies nullum ante se habet indicem.

In systrophe phlegmonica nobilium viscerum, hemorrhagia primis periodis prorupta, non raro brevi solvit morbum. *Duretus.*

Stillæ sanguinis quarta die, pessimæ, *Hipp.*

Parca sanguinis excretio cum malis signis mala; Id est, si non appareat die indice, non adsit coctio in urina, nec die critico profusa hemorrhagia veniat. Bona est cum bonis signis, uti Metoni, cui quarto die stillæ, quinta vero sanguinis profusior evacuatio adfuit; judicatus est.

Sanguinis eruptio e naribus quartanas non solvit, neque morbos, qui per alvi egestionem sanari solent. *Hippoc. de jud. n.* 10.

Undecimo die sanguinis stillicidia difficilia; tum alias, tum si superstillaverint. *Hippoc. l. prædic.*

Nullum sanguinis stillicidium in bono ducendum, etenim aut pravi indicii, aut omnino mortiferum existit. *Duretus.*

Larga sanguinis hemorrhagia a magnis morbis liberat, *ex Hipp. 2. epid.*

Febres ardentes in juvenibus, sanantur per hemorrhagiam; in Senibus per Dysenteriam *Duretus ex Hipp.*

Quibus ad surditatem, atque torporem seu universalem virium defectionem subsstillicidium accedit narium, aliquid mali præsefert, profuerit autem his vomere, alvoque turbari. *Hippoc. coac.* 9.

Qui statis temporibus sanguinem fundunt; si loco non profuderint, Epileptici moriuntur. *Hippoc. coac.* 20.

Si lateris morbo subsstillicidium sanguinis e naribus accedat, grave malum. *Hipp. coac.* 43.

Pestifera est omnis, quæ non juvat, hemorrhagia, *Duretus*; Nam labascit Natura, defraudata ibi, nbi levamen expectabat.

DE RARIS AFFECTIBUS JECORIS.

§ I

SUccedit primo examinandus vomitus ex Jecore; errant itaque, qui putant omnem sanguinem, vomitu ejectum, venire e Pulmonibus. Venit a Jecore, Liene, Utero, Capite, & frequentissime ex suppressione mensium, & tunc non est timendus. Nam Mulierculis familiaris est, signa quando venit ex hypochondriis, pessimum Jecore, sunt palpitatio hypochondrii, dolor, ardor, tensio: signa obstructionum, color subflavus viridis in facie, aut reliqua cute, palpitatio cæliacæ, aut umbilici: Vomunt sanguinem nigrum non vero spumantem. Motus sanguinis ab hypochondrio venientis manifeste percipitur, & sursum ascendere manu percipitur, quod in suo egrotante observavit

Balle-

Ballonius; Juvenibus familiaris est hic exitus loco hæmorrhagiæ. In hujusmodi sanginis vomitu ex Jecore, adstringentia non juvant; sed primæ viæ a nimia colluvie purgandæ, quæ visciditate sua obstructionem in vicinis locis pariendo, sanguinem ad superiora regurgitare faciunt. Purgandæ autem decoctis, seu apozematis aperientibus, & solventibus, cum tamarindis, myrabolanis, &c. deinde chalybeatis perficienda curatio.

In sputo, & exitu sanguinis per os, ne dentur statim adstringentia: Nam nisi prius usu rerum mellitarum, hordeatarum, absergentium purgaveris Pulmones eo sanguine, qui extravasatus est, & moram traxit in pulmonibus, in suppurationem definet, ac phtisim.

Qui spuunt sanguinem nigrum, porosum ad instar spongiæ, iis par aliqua sphacælo correpta est in pulmone, & omnes pereunt. *Dod.*

Notabilis etiam est Jecoris abscessus: De eo optime scribit Divinus Senex pluribus in locis. *Quibus usto Hepate prodit veluti amurca, funestum. Ab empiemate Pulmonum seniores, ab Hepatis juniores, pereunt.* Hipp. *in coac.*

Doloris acerbitas, versa in gravitatem, lipothymia, febris noctu major, rigor de repente citatus, qui ante non erat, sunt signa phymatis purulenti interni.

Suppurationes aliæ rumpuntur vigesimo, aliæ quadragesimo, aliæ sexagesimo. Bonum si foris pus exeat: malum si intus convertatur, ad viscera, tardius rumpitur in senibus, debilibus, hyeme, & humore crasso regnante, quam si contrario modo se res habeat.

Si statim a ruptione abscessus febris discedit, vel mitescit, appetitus redit, pus est album, parum olens, alvus naturaliter secedit, brevi sanatur. Contra si contraria eveniant.

Vomicæ omnes, seu empyemata partium cognoscuntur per rigores, & febres de novo supervenientes: Sola Pulmonis recondita est, & clanculum serpit absque dictis signis; imo tunc cognoscitur, quando repente manifestata, hominem ad mortem brevi conducit, ut *Villisius*, & *Tulpius* præ ceteris hoc animadverterunt.

Abscessus ad Aures, & Pedes boni in vomica Pulmonum. *Hippoc.*

Modus cognoscendi empyema occultum pectoris quando nulla de se dat indicia puris, rigoris, affecti lateris, traditur ab *Hippoc. 3 de Morb.* his verbis. Colloca ægrum in firma sella. Fac ut alter ex humeris ipsum apprehendat, tu vero concute fortiter ægrum & post concussionem aurem applica ad nuda latetera ægroti, & vide ubi significationem dat, bonum esset in sinistro latere, nam dexteri lateris morbi sunt fortiores, quia dexteræ partes fortiores. At si præ crassitie humor non fluctuet, nec in actu concussionis strepitus ullus fit in pectore, verum difficilis spiritus sit, pedes tument, & tussis vexat, dic pectus esse pure plenum, & tunc ure, & seca, ut pus exeat foris. *Hipp. loc. cit.*

Dolores suræ, sive cruris intolerabiles, nullis cedentes remediis, oriuntur a pure per partium spatia in crus ab Hepate vomicoso transmisso: *Bauhinus*, & *Hollerius* id observarunt.

De dolore Jecoris pernicioso solus differit Senex magnus *de int. affec.* his verbis. Dolor acutissimus in Jecore ad nothas costas, humerum, & claviculam; suffocatio fortis: Dolet dum tangitur jecur. Febris, rigor, & horror, vomitus bilis, color cutis sublividus. Cibi torquent, & urunt ventrem, progrediente morbo, remittunt, sed dolor de repente suffocat ægrum: potissimum circa septimum diem, in quibus desinit morbus, & si eos effugerit, sanatur. Balnea, lac, serum, & diæta, sanant morbum.

Vulnera Hepatis semper lethalia vidit *Diemerbrocchius* ex Hippocrate ob profusas hæmorrhagias, quæ læsis magnis vasis succedunt; nonnulli tamen sanata viderunt.

Jecoris inflammatio aliquando similis est pleuritidi, & Medicos frequenter decipit similitudo. Differunt tamen, nam in Hepatide dolor infra est, nec ad costas spurias extenditur. Gravativus est, non pungitivus; respiratio non multum læditur, color faciei citrinus, tussis sicca sine sputo, pulsus non durus, fæces liquidæ, & subcruentæ. Contraria fiunt in pleuritide.

Singultus hepatidi superveniens, lethalis *ex Hipp.*

Si inflammatio Jecoris sit in parte gibba, urgent symptomata pleuritica. Si in cava, stomachica urgent.

Si ex usu nitri fixi præparati, copiosa sequatur urina, bonum in hepatido: Nitrata in hepatide, & omnibus inflammationibus fere specifica sunt. Ideo serum lactis juvat in inflammationibus, quia abundat nitro plantarum, elicito per peculiarem digestionem, ac veluti distillationem e plantis in Animalium visceribus.

Sicuti in omnibus inflammationibus pernicioſa sunt purgantia, inflammationis causa, ita quoque in hepatide. At si apparatus maximus adsit pessimorum humorum in primis viis, tunc prudentiæ Medici remittitur, de purgante determinandi. Ne tamen purgans nimium turbet, & exagitet, uti facit, quando inflammatoria regnant accidentia; tunc ego deplere soleo vasa per sanguinis missionem, quæ viam sternit purganti, ut facilius solvat, & agat in humores sine impetu.

Qui quotidie scribendo vitam ducunt, vel lucri causa, aut litterariæ delectationis consuetu-

ſuetudine, phthiſici moriuntur, & phthiſis incipit raucedine moleſta, ac nullis cedente remediis, donec tandem fere poſt annum phthiſici moriuntur. Id in tribus obſervavi Romæ; an verum in omnibus, & an continua ſcriptio diſponat homines ad tabem, adhuc ignotum. Quotidiana tamen experientia certum eſt, ſtudiis nimium applicatos, & ſcribendi ſtudio deditos in phthiſim facile deſinere. Crediderim ipſe ſanguinem, & ſpiritus continua illa, nimiumque intenta mentis fatigatione vehementer excandefactos, in motum poſitos, agitatos, atque acres factos, cum per venas jugulares brevi via a capite in pulmones ita calefactus, acriſque, & agitatus ſanguis recirculat, ac depluit, eoſdem acrimonia ſua criſpare ſtatim, convellere, contrahere, exſiccare; quod idem eſt, ac ad phthiſim diſponere. Nam prima phthiſeos principia, & ſtamina a tuſſi incipiunt, pulmonum nempe indignatione, & incaleſcentia. Hæc autem incaleſcentia, & furor pendet a talis naturæ ſanguine, ob mentem nimium intentam, continuoque fatigatam accenſo, acriorique reddito, ac e capite brevi ductu per jugulares in pulmonum molem defluente, in quibus agitatæ mentis imprimit damna: atque hinc varii pulmonum morbi oriuntur in ſtudioſis.

DE RESPIRATIONE IN ACUTIS.

§. I.

BOnum eſt in acutis facilem habere reſpirationem; quando libertas eſt fluidis per amplam Pulmonum molem, ſemper confert ad bonam criſium.

Reſpiratio parva, & frequens, ſignum certum internæ inflammationis partium ſpirabilium: Magna, & rara delirii ſignum, aut convulſionis.

Reſpiratio parva, & rara ſignum futuræ mortis, *ex Dureto*.

Bona reſpiratio in Variolis eſt unum ex optimis ſignis, licet alia ſint gravia, ut centies obſervavi. Cum bona reſpiratione in Variolis ſemper bene ſpera. Non eſt ita pernicioſa Diarrhœa in Variolis, quantum pernicioſa eſt difficilis reſpiratio: nam cum diarrhœis quotidie ſanatos video pueros varioloſos, quia per eas expurgatur morboſus primarum viarum fomes, pueris familiaris, qui occaſionem dare poteſt variolis, ut violentius erumpant, niſi diarrhœis tollatur. At quando difficilius reſpirant, & difficultas creſcit in die ſignum eſt variolas per Pulmones efflorescere, eoſdemque inflammare. Unde nihil aliud quam male ſperandum, & pauci effugiunt, quia malignum variolarum fermentum, creſcente in dies maligna oſcillatione, a variolis excitata in pulmonibus, non ad cutim deponitur, ſed omne depluit in Pulmones, ubi eſt oſcillatio, hinc malum irreparabile. Id præ ceteris obſervavi hac ætate anni 1702. in qua, ob nimias ſiccitates quatuor Menſium æſtatis, regnarunt conſtitutiones variolarum in pueris, ex quibus innumeri periere in Urbe, & qui cum Variolis confluentibus diarrhœam non habebant, fere peribant. Regnaverunt pariter morbi acuti, eryſipelatoſi, & inflammatorii. Cauſam hujus anni ſiccitatum, dicunt Aſtrologi pendere a maxima conjunctione Martis Jovi, & Saturni in Ariete ſigno igneo, & ſicco, quæ fiet proximo menſe Jan. 1703. Ejuſdem conjunctionis cauſa in igneo ſigno, dicunt etiam Aſtrologi oriri præſentia dira bella, quibus poſt mortem Caroli II. Hiſpaniarum Regis, univerſa Europa terra, marique crudeliſſime divexatur, & furibundus Mars depopulatur omnia, potiſſimum vero infelicem Italiam; in qua Princeps Eugenius Sabaudus exercitus Cæſarei ſupremus Dux eſt; Vir expertus bello, Turcarumque terror, memorabili contra eos obtenta victoria ad Tibiſcum, circa finem ultimi celebris, ac omni ætate memorandi belli Ungarici, atque Peleponeſiaci, quod quindecim ac pluribus annis magno cum Turcarum diſcrimine, jactura ac dedecore perduravit. Vienna primum obſidione liberata.

Bonam autem reſpirationem valde magnam vim habere ad ſalutem in omnibus acutis putare convenit, qui cum febribus ſunt, & in 40. diebus judicatur. *Hippoc. lib. prænot. 4. n. 4.*

Spiritus magnus multo tempore durans, delirium ſignificat. *Hipp. lib. prænot. 4. n. 4.*

Difficultas omnis reſpirandi terrifica eſt quando excuſationem non habet, aut perturbationi criticæ, aut criſis ipſius. Bene res eunt illius, qui in adverſa valetudine, & maxime cum incaluerit æſtu febrili, ſpiritum ducit ex facili. Et qui in libertate illa ſpirandi, una cum doloris acerbiſſimi nobilium partium vacatione, & ſomni benignitate, interierit, Hippoc. vidit neminem. *Duretus in coac. fol. 146.*

Ut magna, & rara reſpiratio certiſſimum eſt delirii argumentum: ſic parva, & rara mortis jam jam futuræ. *Duretus fol. 150.*

Duplex eſt ſpirandi difficultas, quæ cum delirio affert ſalutis deſperationem, aut in angusto ſpem eſſe denunciat, magna, tardaque, parva, & rara; etenim voluntas eſt in vitio, quæ non excitatur niſi a neceſſitate. *Idem l. c. fol. 51.*

Delirii proprium ſignum, non tamen inſeparabile eſt magna, & rara reſpiratio. Nam ſola voluntas in vitio, eſt enim æger negligens ſui, unde niſi coactus, non reſpirat. *Idem fol. 149.*

DE RARIS PULMONUM AFFECTIONIBUS.

§. I.

Diligentiſſimus fuit Hippocrates in inveſtigandis morborum differentiis, & in ſuas claſſes deſcribendis, quod in ſuis operibus magna cum admiratione obſervavi. Inter morbos Pulmonis notabilis eſt Pulmonis lethargica, ab eodem ita denominata, ait itaque ipſe: *Pulmonia idem ſtatus, ac lethargi; qui lethargici evadunt, pectore ſuppurantur, ex Hippoc. in coac.* invadit itaque Pulmonia cum lethargo ſtatim in ipſo Morbi initio; Oritur a pituita putri, & viſcida, Pulmones, ſyderante, tuſſis, tenet cum ſopore, cum moriturus eſt æger, liqueſcit Alvus, ut *in lib. de morb.* deſcripſit. Quare non eſt proſpiciendum lethargo per cephalica, aut per ſpirituoſa, ſpiritus animales nimium craſſos ejuſdemque Naturæ, alios humores craſſos, viſcidoſque, ut vulgo loquuntur Medici, diſſolventia; ſed per expectorantia, putrem lympham, ac viſcidam, Pulmones ſyderantem, foris educentia; quod caute animadvertendum, ſicuti nuper vidimus in Sene decumbente ad rudera veteris Ærarii in via, quæ a foro Romano ducit ad viam novam Montium, verſus Suburram, & in Mercatore in Eſquilliis, non longe a Baſilica S. Mariæ Majoris; & in alio ad quatuor fontes via Quirinali, quæ deſinit ad Portam Piam.

Pulmonum morbi in fine deſinunt in ſoporoſos affectus; ſanguine enim e ſuperioribus ad Pulmones morbo obſeſſos, difficilius recirculante, viis impeditis, hæret in cerebri mæandris, hinc ſopor facile accedit. Sæpe moriuntur Pulmonici, graviſſimis affecti accidentibus & in cadavere nihil morboſi reperitur in pulmonibus; ſerum acre, malignum, tenue, cauſa morbi eſt: anima morbi ſæpe conſiſtit in minimo; in aura venefica, quæ cultrum eludit anatomicum. In ſiccis, adduſtis, & aridis temperamentis, id potiſſimum contingit.

Hinc etiam oriuntur pleuritides ſiccæ, Aſthmata ſicca, Hydropes ſicci, flatulentæ, ac doloroſæ partium affectiones, & reliquæ hujus generis, in quibus non flatus cauſa mali eſt, ſed ſolidum natura ſiccum, aridum, & violento præditum elatere, quod ab acre humore magis irritatum vehementer oſcillat, & oſcillationibus iſtis fluidorum circulum mille modi turbat: hinc mille gravia naſcuntur accidentia, ut animadvertimus fuſe in libris de elatere, & morbis ſolidorum.

Conſiderabilis etiam eſt apud Hippocratem de *intern. affect.* eryſipelas Pulmonis. In Pulmonis eryſipelate, vomitus adſunt aquoſi, acidique humoris, frequens lipothymia, dolor acutus anteriora, & poſteriora pectoris occupat, ſitis ingens, æger reſpirando nares aperit, veluti equus a curſu delaſſatus, & linguam foris exerit, veluti canis æſtate calefactus ab ardore ſolis, rubet facie, jactatio magna per lectum, ſeptima die moritur, gravis eſt morbus, & pauci effugiunt mortem, *teſte Hippoc.*

Sequitur porro periculoſus Pulmonum morbus, qui dicitur catharrus ſuffocativus. Oritur hic catharrus præ ceteris a ſtagnatione, & coagulatione ſanguinis repentina in pulmonibus, & circa præcordia, facta ob ſuſceptum repentinum frigus, prævia ſanguinis excandeſcentia a motu, igne, uſu rerum calidarum, aut aliis, id genus cauſis, vel ob nimiam ingurgitationem cibi, potuſque, ac rerum acidarum. In hoc Catharro adeſt gravedo, & dolor pectoris, ſpirandi difficultas, vox amputata, anxietas, tuſſis, ſtertor, pulſus rarus, tardus, ſpuma ex ore, &c.

Differt hic catharrus ab Aſthmate, nam ille fit cum maxima, ac deplorabili ſpirandi difficultate; adeſt quoque in eo coryza, capitis gravitas, tuſſis ingens, ſternutatio, & periculum ſuffocationis. Differt ab apoplexia, nam in illo ægerrime ſpirat patiens, ita ut animam agere videatur. Contra in Apoplexia, & ſyncope vix dat indicia vitæ. Spuma oris fit ex impedito circuitu ſanguinis circa pulmones, & inde impedito circuitu lymphæ in ſuperioribus circa faciem, unde hæc foris exire cogitur in formam ſpumæ. Oritur itaque hic catharrus a repentina ſtagnatio ne ſanguinis circa cor, & pulmones, non vero a pituita depluente a capite, quod affectum in hoc morbo crediderunt antiqui, ſed falſo.

Præſentaneum remedium hujus morbi in paroxiſmo eſt repetita ſanguinis miſſio. Deinde ſperma ceti, hyſſopi aqua calida ſolutum, & piſſitando calidiſſime ſumptum, fere ut linguam urat. Morbus eſt præceps, unde niſi ſtatim mittatur ſanguis, ille magis coagulatur, & ſtagnat, hinc perit occaſio medendi: Itaque ſanguis minuendus, coagulatio ſolvenda, & ſudor blandus promovendus; hinc omnia ex floribus ſambuci mirabilia ſunt; liquor cornu cervi ſuccinatus detur ad guttas quindecim, nam potenter ſolvit, dummodo detur quando non adeſt metus incipientis inflammationis, & præceſſit jam phlebotomia ſupra laudata, & miſceatur cum aqua hyſſopi; decoctum bellidis, veronicæ, & alia pectoralia dentur calidiſſime. Laudamus decoctum Carlinæ, hellenii, hederæ terreſtris, tuſſillaginis; ſuccus bellidis rubræ eſt potens remedium, ſolvens ſanguinem congrumatum in catharro ſuffocativo, ut plures laudant auctores,

DE LUMBORUM AFFECTION IN ACUTIS.

§. I.

QUæ ex dolore Lumborum cientur hæmorrhagiæ, largæ, *Hipp. coac.* 3.

Quibus ex dolore Lumborum anadrome fit ad caput, fiunt torpidæ manus, cardialgiæ, auriumque flatus ſonori, hæmorrhagiæ largæ, tum alvi profuſe feruntur, ac mentes perturbatæ ut plurimum. *Hipp. coac.* 4.

Quæ ex dolore dorſi principia morborum ducuntur, difficilia ſunt. *Hipp. coac.* 5.

Diuturni circa Lumbos ac ilia, tum qui ad hypochondria prorepunt dolores cum febre, & cibi faſtidio, ſi inde tranſierit fortis dolor ad caput crudeliter convulſifico modo necat. *Hipp. coac.* 13.

Lumborum dolor nulla ex cauſa manifeſta, crebro revertens, ſignum eſt morbi terrifici. *Hipp. coac.* 17.

Lumborum dolor cum comate anxio peſtiferus. *Hipp. coac.* 18.

Quibus Lumborum, & Lateris dolor, carens evidenti cauſa, Icterici fiunt. *Hippoc. coac.* 20.

Dolorificum in Lumbis malum, quod prorepit ad hypochondria cum febre, & cibi faſtidio, neque tranſit ad caput, unde crudeliter convulſifico modo necat, ſed veluti aduncis unguibus viſcera circumplectitur piſcarii retis (quod *griphos* dicitur) modo: Icteros parit. *Duretus fol.* 201.

Similiter Lumborum anadrome facit hydropem, ut magni lienes, vitiorum item lumbarium communicatio cum meſſaræo, meſocolo, inteſtinis, hydropifica eſſe ſolet. *Duretus fol.* 329.

Dolorum per Lumbos oberantium, cum & ſine febre, ad iſchium tranſitus eſſe ſolet. *Hipp. coac.* 25.

Quibus recte valentibus hyeme frigus eſt circa Lumbos, atque gravitas levi de cauſa; tum alvus ſubſiſtit infera, & ſupera in officio eſt, convenienter iis vel iſchias, vel renum dolor, vel ſtranguria forte contingit. *Hipp. coac.* 1.

Dolorifica in Lumbis, mala ſanguificatio. *Hipp. coac.* 2.

Dolores lumborum in iſchiadem, & hæmorrhoides facile tranſeunt. *Duretus coac.* 2. & 12.

Lumborum dolores ſine cauſa in acutis, terrifici. *Hipp.*

Cervicis dolor terrificus, peſtiferus in delirantibus. *Hipp.*

In longis morbis lethalibus dolor ani, ideſt teneſmodes, vel dyſentericus, mortiferus. *Hipp. coac.*

Bonum ſi in morbis totum corpus ſit æqualiter calidum. *Hipp.*

Quibus in febribus alvus perpetuo liquida eſt, cura per faſcias, & cerata calida iis applicata, ut pedes calidi permaneant, & ſi calidi ſint, cura ne perfringerentur ex præcepto *Hipp.*

Frigus pedum morbos ventris, colicas, & hiſce ſimilia producit, ut ſæpe obſervavi Bonum eſt ad longam vitam, & ad ſalubriter vivendum vitare frigus, & humiditatem in plantis pedum: inter has, & meſenterium maximus eſt conſenſus, maximus quoque inter eaſdem, & caput: frigus pedum in colicam definit, ut ſæpe vidi, &c.

Quibus frigus in pedibus, iis ſolet impetuoſa humorum anadrome, ſive raptus fieri de loco in locum, in aures, caput, collum &c. *ex Dureto.*

Hippocrates *de diebus judic.* deſcribit quemdam morbum delirum, vitio hepatis factum, in quo pedes perpetuo frigidi ſunt. Quod bene notandum.

Scorbuticis, & hypochondriacis ſæpe fiunt dolores Lumborum, qui calculum mentiuntur, ſed calculus non eſt; rheumatiſmi ſpecies eſt, a ſero acri, muriatico, hinc inde vagante dependens; pete ab ægro, ſi dixerit alias partes hujuſmodi quoque dolore vexatas fuiſſe; dic lumborum dolorem eſſe a fluxione vagabundi humoris acris ſalini, non autem a calculo. Viola, ſerum lactis, lac coctum, lenes ex caſſia purgationes in principio juvant. In progreſſu morbi, ſerum cum ſcabioſa coctum, vel cum viperis recens mactatis, curationem perficiunt, & complent; promoto leniter ſudore.

Lumborum dolor ſine cauſa veniens, hæmorrhoidum, vel menſium ſignum eſt.

In Lumbis aliquando afficitur muſculus pſoas, quandoque ren, muſculi externi, & frequenter meſenterium; hunc lumborum dolorem vitio meſenterii in aere Romano in ægris almæ Urbis frequentem, & valde familiarem obſervavi. In hac Urbe nulli morbi tam copioſe regnant, quam morbi meſenterii ex repletione, congeſtioneque putris cachochyliæ, crudorumque humorum in ejuſdem glandulis pendentes, & quoniam meſenterium forti ligamento alligatur Lumbis in medio eorum, nil mirum ſi meſenterium affectum, lumborum morbos mentiatur, Medicique decepti pro falſo Lumborum dolore, & eorundem calore, præſcriptis emulſionibus, & magna copia refrigerantium, meſenterii pravos humores adaugent, magiſque refermentant; hinc creſcit, augeturque lumborum falſus dolor, ruuntque ægri in deterius. Ex longa alvi ſuppreſſione, vel alvo præter morem retardata, ex ſapore linguæ mutato, levi inappetentia, gravitate totius corporis, quando certior redditus ſum dolorem

Lum-

Lumborum a repletione meſenterii pendere, clyſteribus, & fomentationibus ventris curationem incipio, deinde purgationibus abſolvo, ita paucos poſt dies dolore aufero; dolorem, quidem non lumbarem, ſed vere meſentericum, quod velim, ut ſemper præ oculis habeant Medici, ne decipiantur.

Mala lumborum dolorifica facile tranſeunt in nephritica, & contra.

Abſceſſus, & ſuppuratio renis tandem pure ad exteriora per anadromen communicato, deſinit exterius inter muſculos Lumborum, & datis de ſe ſignis exterius ferro aperiri poterit, & exitus puri procurari. Monitum ex *Dureto* meo.

DE LUE VENEREA, ET MORBIS GLANDULARUM.

§. I.

LUes venerea, ſemel recepta in corpus difficulter poſtea deletur ejus character; adhibitis ſpecificis miteſcit, ſed non extinguitur: Imo poſt triginta, & plures annos ſub ſpecie aliorum Morborum reviviſcit, & medicos decipit, cauſam morbi ordinariam putantes, cum revera tamen ab excitato noviter venereo fermento dependeat.

Impotentia Veneris, ut plurimum pendet ab impotentia, & debilitate imaginationis, quacumque id de cauſa ſuccedat, metu, pudore, judicii defectu, nimia applicatione ad ſtudia, aut ad negotia, ex nativa ſtoliditate mentis, & reliqui id generis. Et qui forti imaginatione præditi ſunt, uti ſunt, qui arte ſua ſupra ceteros excellunt, & præſtant, ut plurimum luxurioſi, & ad venerem potentes obſervantur: eadem enim ſpirituum vis, & judicium acre reddit, & venerem potentiorem; niſi tamen vis corporis ſtudio, & applicatione frangatur, quo in caſu judicium acre cum Veneris jungitur impotentia.

Sicuti a nimio coitu, effuſo nimium ſemine, tabes dorſalis fit in incontinentibus: ita lumborum pinguendo nimia in continentibus ab eodem diu nimiumque congeſto circa lumbos; quod ad curationem morborum maxime confert præſcire.

Qui gonorrhæa laborarunt in juventute, ſolent in ſenectute diro urinæ ardore vexari.

Latentia ulcera inteſtini recti aliquando efficiunt ad venerem impotentiam, ob putrem auram a pure exhalantem, & vaſa ſeminis inficientem, uti obſervavit *Henr. ab Heer. 4. lib obſ.*

Nimius vini, & aquæ vitæ abuſus impotentiam Veneris, paralyſes, tremores, alioſque capitis morbos parit, qui dimiſſo eodem, facile ſolent ſanari: Vidimus id in aulico Innocentii XII. Pont. M. qui magnos brachii tremores ex abuſu aquæ vitæ per plures menſes laboravit, nec ceſſavit malum, niſi ceſſata ejus potione; potiſſimum poſt mortem hujus Pontificis, quæ fuit 27. Septembris 1700. hora 3. Noctis, & proximo menſe Novembris 1700. ſecuta mors Caroli II. piiſſimi Hiſpaniarum Regis, Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus pro novi Pontificis electione; quæ maxima cum celeritate omniumque Cardinalium votis, poſt habitum mortis, dicti Regis Nuncium, ſucceſſit 23. Novembris 1700. Roma tantæ mortis novitate nimium perterrita, & afflicta.

Ad talem autem hydropem multi deveniunt ex impotentia. Lac humanum propterea ſtimulat Venerem, unde pulchræ Mulieris ubera fugant impotentiam, ex præcepto Ettmulleri, aliorumque Medicorum.

Dolor fixus in medio pectoris diu perſeverans, ac moleſte, ſine tuſſi, &c. ſignum eſt luis Gallicæ latentis multis ante annis ab ægris ſuſceptæ, & hoc ſigno ſe ſolum manifeſtantis.

Si debitis adhibitis remediis aliquis morbus minime cedat, ſuſpicari rite poteris de lue gallica, & tunc antigallicis forſan cedet, ut ſæpe obſervavi &c.

Aliqui timent ſerum lactis, & lac gallicis valde emunctis, & emaciatis præſcribere, quia ut putant acidum gallicum potenter, hæc liquida coagulat, & majorem morbo occaſionem præbet. Aliqui contra libenter lac dant, abſque ullo coagulationis metu. Quando antecedenti victu ſudorifico, decoctis, ſtufa, Litu Mercuriii, acidi gallici virulentia infracta, ac perdomita eſt, ægerque nimium emaciatus languet, ac debilis eſt, ipſe uti ſoleo ſero lactis, ſalſato primum, dinde lacte Aſinæ ſimplici, vel ſalſato, cum fructu. Sed unuſquiſque ſuam conſulat experientiam, quando de lacte dando tractatur.

In febri lenta cum doloribus vagis partium, macie, temperamento acri, & lue gallica furente, ſerum lactis ita præſcribo magno cum profectu. ℞. Seri lact. optime depur. lib. 1. plus vel minus; ſalſ. paril. inciſ. contuſ. ʒ. ij. circiter; macera per noctem in cineribus fervidis; mane adde coriand. præpar. parum bulliat, coletur, & bibat. Si corpus fuerit pinguiuſculum addi poſſunt viperæ: alvus interea procuretur aperta per intervalla; ſic fac, & proficies.

Acidum venereum virulentum ſæpe intacta maſſa ſanguinea, ſuccum nutritivum & lympham inquinat, indeque partes nerveas, & glanduloſas, potiſſimum narium, faucium, inguinum, invadit; & quoniam ſanguis intactus a lue ſupponitur, nil mirum ſi obſervaveris tales galliços vivaces, vegetos, facie rubicundos, ac

veluti

veluti nullam interius habentes affectionem, ac proinde triumphantes de morbo, ſed ſine ratione, & falſo, nam morbum gerunt, & gerunt in lympha, humore viſcido, tardi motus, & per glandulas continuo tranſeunte: quæ ſingula multo difficilem reddunt curationem, & magis quam ſi morbi ſedes in ipſo fuerit ſanguine, &c.

Morbi lymphæ ſunt curatu difficillimi, & levi de cauſa in ſchirros, inflammationes, & incurabilem deſinunt hecticam: lympham enim ſæpe in glandulis ab acido aliquo concretam, difficile eſt poſtea in motum reſtituere, & una ex glandulis tali modo affecta, ſtatim, ac facile trahit alias in conſenſum, & magnis morbis magnam ſtatim præbent occaſionem. Si nimium in glandularum morbis ſiccaveris, malum: ſi nimium humectaveris, malum; per intervalla itaque diluendum, humectandum, ad alvi vias, vel ſudorem ducendum, & cum prudentia exſiccandum; nimia enim exſiccatio glandulas reddit ſchirroſas, unde magna opus eſt prudentia, & cautione. In repletione glandularum, humectandum, ac diluendum, & quæ diluta ſunt ſtatim purgantibus foris educenda; vel ſi indicatio ſit, etiam ſudoriferis; in hoc curationis ſumma conſiſtit.

Si membrum aliquod Paralyſi laboret vitio luis gallicæ, litus mercurii conferre maxime poterit ad eam ſolvendam, licet Mercurius inimicus ſit nervis: Id uno obſervavi in ægro feliciter prope magnum Palatium Oratoris Veneti, in pricipio veteris Viæ Flaminiæ, ubi deſinit vicus Marforii, idque obſervavi ex præcepto Herculis Saxoniæ, *capite de Paralyſi*, qui omnium melius de Gallica lue Patavii ſcripſit.

Lues Gallica longa mora in parte aliqua debilitat tonum illius, eamque reddit flaccidiorem: Ita vidi Virum ex longa gonorrhœa impotentem redditum ad coitum, & alium ex ulcere circa pudenda, pariter redditum impotentem.

Pro varietate conditionis, & ſtatus perſonarum lues gallica variis in locis ſedem figit, eoſque præ aliis vehementius moleſtat. Ita Bajuli, ac Plebei victum labore quæritantes, quoniam articulos continuo labore nimium habent debilitatos, ſi gallica corripiantur lue, præcipuam in articulis ſedem figit, utpote partibus in hoc hominum genere maxime debilitatis, unde doloribus articulorum, motus impotentia, ſimilibuſque articulorum morbis maxime afficiuntur. Viris litteratis, ac ſtudioſis, cum caput longo ſtudio debilitatum ſit, adveniente lue gallica, in capite præ ceteris ſedem ponit, capitiſque morbos gallicos continuo affert: Muſici ob exercitatos cantu pulmones, & ob id nimium laxatos, lue gallica circa pulmones perpetuo ludente divexantur, Mulierculæ vero, atque etiam Matronæ ob vitam ſedentaneam, atque otioſam, congeſtis circa meſenterium crudis, viſcidiſque ſuccis, laxatoque longa ibidem mora meſenterii tono, in illis lues gallica locum figit in prima regione, vexanturque ſemper hujuſmodi otioſe, atque opipare viventes gentes, cruditatibus, obſtructionibus, inappetentia, pallore vultus, hectica meſenterica, tabe, hydrope, & ſimilibus ex lue gallica. Ita de reliquis hominum gradibus diſcurras: Hocque noſtrum monitum ante oculos præ ceteris habendum, cum ad gallicos curandos vocamur, magnam enim lucem affert bene præſcribendis remediis, ut ſæpe obſervavimus; dictam enim ob cauſam aliquibus præſcribenda ſunt remedia antigallica forma ſicca, aliis humida; nonnullis ſudorifera in ſtufa ſicca juvant, nonnullis contra, nocent: & juvant contra leves decoctiones ſudoriferæ, & balnea tepida, hos ſanant mercurialia potentius, alios vehementius affligunt, ſicque de aliis diſcurrendum antigallicis.

Dantur dolores lateris ex lue gallica, qui ſolo ſanantur mercurii litu, & decocto lignorum, noctu vigent, conſuetis remediis non cedunt, unde ad cachoetiam alicujus reconditi humoris recurrendum, & debitis cachoetiæ remediis occurrendum.

Ulcera, & vulnera licet leviſſima, in gallicis difficulter curantur, & facile corrumpuntur.

Radix bardanæ a pluribus doctiſſimis viris pro magno ſerceto habetur ad curandam luem gallicam.

Qui uncti ſunt Mercurio per longum tempus febre non corripiuntur certa Poterii experientia; & qui laborant in Mercurii Fodinis, raro, aut nunquam febricitant, ex certa Domini Etmulleri practici præſtantiſſimi obſervatione, & inter recentiores Practicos prudentiſſimi: qua de cauſa hortamur Juvenes, ut ſemper illum habeant præ manibus; profecto enim medullam Veterum, novorumque Practicorum continet, & formulas ſatis utiles remediorum proponit.

Luis venereæ alexiterium cenſetur hydrargiroſis, benigniora tamen remedia primum ſunt invocanda: Lues Gallica, ſtruma, & elephas aliquid habent cognatum. Tres has hydras unus alexicacos Hercules, hydrargiroſis vincit, & opprimit, optimo Ballonio meo docente. Acutiſſima luis gallicæ ſpicula frangunt debile omnium remediorum rete: franguntur tamen ipſa a forti rete, & alchali nobiliſſimo Mercurii.

Si ægroti corpus repletum ſit viſcidis, craſſis, ac pituitoſis humoribus, cave ne dederis Mercurium intus, vel extra, niſi prius viſciditates illas ſolveris, præparaveris, & repetitis pur-

purgationibus eduxeris; alias enim occultatus in viſciditatibus illis Mercurius, paulo poſt refermenteſcentibus humoribus, & in motum actis, gravia parit accidentia, caries oſſium, atrophias, glandularum tumores, tremores, continuam ſalivationem, &c.

Lues gallica inter morbos contagioſos recenſetur; coitu, lactatione, oſculatione labiorum ulceratorum, decubitu in eodem lecto communicatur. Et ſi cum gallica Muliere concubueris, licet poſt concubitum bubones, gonorrhœa, & id ſimilia non apparuerint; non perinde tamen credas tibi luem non eſſe communicatam: nam ob fluidorum, ſolidorumque robur repellitur eadem a partibus, retunditurque, ſed ſemel partium dictarum tono relaxato, lues diu in iiſdem latens, redintegratis veluti viribus, tandem ſe manifeſtat, & parata ſtrage tyrannidem exercet; bonum eſt igitur Venerem ſemper fugere, ſed magis Venerem impuram. Venus enervat corpus immoderata, moderata vero, ut Celſus, ait, exhilarat.

Pro varietate complexionum, ac temperamentorum varia forma, & modo antigallica præſcribenda ſunt remedia, aliis forma ſicca, aliis humida, aliis Mercurius, aliis contra ſalſ. radix, ſtufa, balneatio quoque in aqua tepida, ideſt mane ſudatorium in ſtufa, veſperi balneatio in tepida. Aliquando balneatio ſola, vel ſudatiuncula more meo facta ſupra parvam ſediolam, excepto bullientis aquæ, quæ ſub ſediola eſt, vapore a corpore nudo ſupra eadem ſedente, & linteis obvoluto: Denique prout æger emaciatus fuerit, vel pinguiſculus, decoctiones præſcribendæ, vel copioſæ ad morem aquarum Thermalium, vel paucæ in forma ordinarii decocti ſudoriferi, &c. familiaris mihi eſt ſequens Decoctio in valde emaciatis, tabidis, & hectica gallica jam correctis.

℞. *Salſ. paril. & lig. Sanct. lim. lign. viſc. querc. eiſ & cont. an. ℥. iij. ß. aquæ fontis, libras xxxx. infunde in vaſe terreo vitreato ſuper cineres calidos per 24. horas: tunc adde antimon. crudi, & pumicis crud. contuſ. in petia ſeorſim ligatorum, ſecundum artem an. ℈. iij. ß. bulliant. ad tertias, in fine addas cinam. contuſ. ℥. ß. & cole tur.* Ex reſiduis fiat ſecunda decoctio, cum eadem aquæ quantitate, eodemque modo, ac prima. Utatur hjuſmodi decoctione patiens Gallicus loco vini in prandio, & cœna. Nec non hauriat ℥. xii. plus, vel minus mane, jejuno ſtomacho, & totidem veſperi nonnullis ante cœnam horis, calide, vel frigide pro ratione roboris, vel debilitatis ſtomachi. Ante uſum hujus decoctionis purgetur patiens, & ſingulis decem diebus quibus decoctionem hauriat, ſumat veſperi ante cœnam lene aliquod laxativum ad reſerandas primas vias ab impuritatibus, quæ ibidem congeri poſſent ex longo morbo: Per triginta vel quadraginta dies circiter bibenda eſt decoctio, deinde relinquenda; & ſi velis circa finem alia quoque purgatio inſtituenda ad educendas omnimode domiti jam morbi reliquias.

Occaſione luis Venereæ plura dicenda mihi eſſent de Gonorrhœa gallica, & de certis, expertiſſimiſque ad eam debellandam remediis, quæ mihi familiaria ſunt in ægris meis, quæque apud me pro ſecreto conſervo, nec non de Ulceribus gallicis penis, pro quibus rite, citoque curandis, plura habeo remedia ſummopere proficua. Sed de his omnibus fuſe ſuo tempore dicemus.

DE COLICA.

§. I.

IN Colica biliosa ſuccedit frequenter aphonia, & vox rauca, & per totum fere morbi decurſum durat; hæc vox rauca in febribus a bile ortis apparere quoque ſolet, unde numerari poterit inter diagnoſtica morborum a bile, ſive a ſalino-ſulphureis, & aductis maſſæ ſanguineæ particulis.

In Colica pertinaci ſi ſudor copioſus, & univerſalis ſuperveniat, labefactis, & reſolutis viribus, brevi paralyſim expectato.

In ea Colica, in qua inæqualis diſtenſio, & adſtrictio ventris, rigidorumque muſculorum contractio adſint, denotant nervos potius, quam inteſtina in eadem affici.

Nihil facilius colicæ ſupervenit, quam paralyſis; cave igitur ne opiata copioſius in ea exhibeas, ſolet enim poſt opiata magnus ſudor ſupervenire, & exinde paralyſis.

Antidotum colicæ eſt chamomilla a quacumque demum cauſa oriatur; multo magis ſi ante ejuſdem uſum, ſudoriferum ex corn. cer. philoſ. ſtibio diaphor. & unicornu foſſili pul. propinetur.

Quando opiatis uteris in colica ſemper adde caſtoreum, nam, & opinecroſim corrigit, & doloribus medetur.

Sequentes pilulæ expertiſſimæ mihi ſunt in colica ex viſciditate, craſſitie, & morboſa ciborum, aut humorum acciditate in primis viis: ℞. *Rutæ pulver. & ſal. gemmæ an. drac. iij. mellis deſpumati qu. ſ.* ut fiat maſſa &c.

Sequens pulvis ſit quoque tibi in ſecretis. ℞. *Pulveris fol. ficus ſilveſtris in terra, non in muro nati drachm. ß. fol. ulm. pul.* ℈. i. miſce], & detur cum brodio, ſtatim enim ſedabit dolorem. Hic idem pulvis vino albo ſumptus ſpecificus eſt in ſedandis doloribus nephriticis, doſis tamen fol. ulmi ſuperare debent doſin fol. ficus, contra vero in colica.

In colica convulſiva pertinaci, & ſpaſmodicis doloribus ventris, ab acri, & erodente materia productis, præſertim ſi aderit ſitis, lin-

guæ

guæ ariditas, & calor univerſalis irritis aliis remediis, præſtantius non inveni, quam ſecare venam brachii, & exinde diluens anodynum camomilla præ ceteris alteratum præſcribere: poſt ſanguinem miſſum ſæpe vidimus dolores veluti in ovo ſuffocatos, injecta enemata, ob ſpaſmodicam fibrarum inteſtinarum contractionem intus retenta, ſtatim ſolvi, &c. Hinc arridet illud Spigelii obſervatum: is in diſſectis ſemitertiana extinctorum cadaveribus, qui antea immani ventris dolore, quaſi colica excruciati fuerant, inteſtina inflammata, & eryſipelatoſa detexit; quibus in caſibus phlebotomiam omittere, eiſque purgationem, ut vulgo ſolent, ſubſtituere nefas eſſet.

Dolor colicus fere ſemper miteſcit in ſemicupio, ideo in doloris pertinacia utere ſemicupio.

Dolores ventris a deambulatione nudis pedibus ſuper frigidum pavimentum facta appoſitis lateribus calidis plantis pedum ſtatim ſanantur, creſcente namque calore in pedibus, minuitur ſenſim dolor in ventre.

Arcanum quendam, ac inexplicabilem conſenſum obſervavimus inter morbos ventris, & morbos cutis. Dolorem colicum vidimus mutatum in arthriticum: & e contra dolores arthriticos per ſupervenientem colicam, aut diarrhœam, ſolutos. Hinc quadrat illud Hippocratis: Alvi laxitas, cutis denſitas, cutis raritas, alvi denſitas. Ideo obſervamus in praxi, quod diuturnæ diarrhœe irritis aliis per diaphoretica promptiſſime ſanari ſoleant.

Excrementa non retineri, dolorem locum mutare, nec non, & intermittere, ſalutem brevi promittunt.

Dolor colicus quandoque tranſit in abſceſſum, quandoque in hydropem.

Poſt fæcum, vel flatuum emiſſionem, ſi dolor remittat, bonum, licet redeat affectus. In colica cum vomitu, ſudore frigido, &c. Irritis aliis tincturam ſuccini, & præſentem morbum ſanat, & præcavet a futuro.

Ante uſum opiati ſemper enema injicias. Diaphoretica cum opiatis mixta feliciſſima ſunt in colicis. Male proſpicies tuis ægrotantibus, niſi recte diſtinxeris colicam humoralem a convulſiva.

Pectori, & inteſtinis, omnia frigida ſunt inimica: caveas igitur ab eis in talium partium affectionibus.

Colica habitualis, & endemica a vini acido præſertim oriunda, ſolis ſanatur ſudoriferis: veſperi tamen interpoſito anodyno remedio; mihi uſualis eſt pilula ex diaſcordio Fracaſt. & confect alcherm. vel hyacinth. &c.

Pilulæ Matthæi, vulgo in Anglia dictæ Sterkii, in omnibus doloribus tum internarum, tum exrernarum partium incredibilem prorſus afferunt utilitatem: in doloribus gallicis intermiſcere eiſdem ſoleo mercurium dulcem, & gumm. lign. ſancti, ſuperbibendo decoctum noſtrum antivenereum: earum deſcriptionem vide in pharmacopæa Viri Doctiſſimi Georgii Bataei Archiatri Regis Angliæ.

Purgantia quandoque bene cedunt in colica, præſertim, ſi nulli adſint vomitus, & febris, denturque in forma liquida. Ipſe uti ſoleo pulvere Cornachini uſque ad dr. 1. & eidem ſuperbibendum impero brodium flor. chamomil alteratum, &c.

Cum dolor colicus fixus eſt, & febris adeſt, in abſceſſum terminare ſolet, non ita ſi mutatur de loco in locum.

DE PHRENITIDE.

§. I.

IN aere Romano per adhibita Phreniticis veſſicantia plures vidimus mortuos quam ſanatos, magiſque nocuiſſe, quam profuiſſe, ceterum longiorem uſum res hæc magni momenti meretur.

In eodem aere obſervavimus veſſicantia Mulieribus delirantibus admota profuiſſe magis, quam Viris, & plures ſanatas eſſe.

Dum imminet delirium, vel jam factum eſt, loco veſſicantium ſecare ſoleo venam pedis, vel ſalvatellam in alterutra manuum, & exinde diluentia ex ſeminibus frigidis, melon. ec. præſcribo, brevique jugulatum vidimus delirium.

Lingua nigra in acutis fere ſemper poſt ſe trahit delirium.

Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, & indiciis magnæ viſcerum inflammationis, ſi applicentur veſſicantia, omnes fere in pejus ruunt. Et magna ex parte moriuntur convulſi; iiſdem e contra ſi venam frontis, vel brachii ſecandam imperaveris, & exinde longa dederis diluentia faciliſſime ſanabuntur, qua de re plura in tract. noſtro de uſu, & abuſu veſſicantium.

In delirio ſi ſuperveniat alvi fluxus, præſertim morbo ad coctionem tendente ſolvit illud: ſæpiuſque vidimus ægros deliros, inquietos, & anxios diarrhæa ſuperveniente ſequenti die in melius abiiſſe.

Cum igitur obſervaverim pluries alvi fluxum ſolviſſe delirium, ideo natura docente, proficuum non ſemel expertus ſum pulverem cornachini, ſuperbibendo eidem longa diluentia in decoct. hordei corn. c. limati, ſal. prunell. aliiſque dulcificantibus, præcipue ſi nimius viſcerum ardor adſit & ſuſpicio inflammationis.

Malum ſi phrenitis mutetur in lethargum, non ita ſi lethargus in phrenitidem.

Febres ardentes ſemper habent urinas tenues, & co-

& coloratas; hinc si tales urinæ fiant albidiores, tenuioresque & adsint vigiliæ, oculorum perturbatio, lingua balbutiens, &c. prognosticare poteris brevi futurum delirium.

Urinæ subjugales, idest crassæ, & turbidæ in acutis morbis, fere semper morbos capitis post se trahunt: Ideo si apparentibus illis æger in somnum propendat, pulsus sint parvi, & similia coaguli signa aderint, futurum lethargum infallibiliter prognosticato Adstantibus: Si vero cum talibus urinis vigiliæ sæviant, dolores capitis, linguæ aridæ, & ardores viscerum, prognosticato brevi delirium, ut nos pluries facimus in Xenodochiis per Italiam.

Blandiora acida, & pulveres cinnabarini cum emulsionibus inter interna remedia, omne ferunt punctum in phrenitide ex præcepto Valdschmidii.

Multi dementes, & Maniaci sanati fuerunt, demergendo eos in aquam; eadem methodo, qua merguntur Hydrophobici, quorum unica curatio est repetita in aquam immersio: methodum hanc sanandi mente captos, in Anglia expertus est Dominus Robertson maxima felicitate; ut testatur Merc. Helmontii filius *tract. de hom.* §. 29.

DE ASTHMATE.

§. I.

NIsi recte distinxeris Asthma convulsivum ab humorali, nunquam ex voto succedet curatio.

Si difficulter spiraverit, venam brachii tundito, etiamsi hydrope laboraverit. *Hip. de Ep.*

Si quis vesperi hora somni, sed præcipue post tres, aut quatuor horas somno impensas derepente expergiscatur ingenti asthmate, sive suffocatione correptus, atque fenestras aperiat, liberumque aerem desideret, pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare, multo magis si pedes, aut manus tumere cœperint, cum faciei a nativo colore recessu, & præ ceteris si accedat torpor, seu incipiens brachii paralysis; Hujusmodi brachii torporem in aliis quoque pulmonum morbis præsertim peripneumonia observamus: Asthmate laborantibus si pleuritis, vel peripneumonia supervenerint, fere semper moriuntur.

Asthmaticis dysuria superveniens bonum, cessante derepente diasuria, denuo asthmate corripiuntur: Exinde magis confirmatur, quod pluries adnotavimus, nempe in morbis pectoris, semper ducendum esse ad vias urinæ, natura id monstrante: nec non magnum consensum esse inter tibias, & pectus, pudenda, & pectus, morbosque harum partium ad invicem commutari.

Diuretica ex salibus lixivialibus, & acidis parata in morbis pectoris non adeo tuta sunt, nam tussim movent, & morbum exasperant; contra pulvis mille pedum, therebinthinata, balsamum peruvianum, decoct. radic. aperient. syr. de althæa Fernel. &c. urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranulis infensa sunt.

Asthmaticis, si apostemata excitentur in cruribus, forsan solvetur morbus. *Rhases*. Ideo juvant cauteria in tibiis,

Accessiones Asthmatis frequentiores sunt cœlo frigido, & humido, præcipue inter crapulandum.

Asthma vel a Parentibus, vel ab intemperantia vitæ succedit.

Asthma in senibus perdurat usque ad mortem, & quandoque in aliis.

Asthma frequentius invadit obesos, & otio marcescentes.

Asthma quandoque in pulmonis inflammationem transit, cautus igitur sis in usu remediorum nimis volatilium; per hæc enim in tenuibus pulmonum membranulis & magno sanguinis gurgite continuo affluentibus, faciliter inflammationem produces.

Asthmata vehementia quandoque in imminens mortis periculum conjiciunt ægrotum; a morte liberat phlebotomia citissime instituta & si necessitas urgeat repetita, aut eodem tempore in ambobus brachiis imperata: nec non sperma ceti a scr. 1. ad dragm. 1. in jusculo valde calido dissolutum, post quæ liberior evadit respiratio: sperma ceti tamen in eo asthmate mira præstat, quod vulgo pituitosum, & humorale dicunt.

Si cum Asthmate repletionis, vel catharri cito dissolventis, vel dissoluti adsit tussis humida, & subito cesset, vel sputum minuatur, remanente spirandi difficultate, mors ostium pulsat. Valesius de Taranta, &c.

Appendix de Asthmate.

PUlsus inæqualis familiaris est pulmonum morbis quamplurimis.

Morbi ad crura, & pudenda solvunt Asthmata, tument pedes asthmate cessante.

Si parcius fluat urina, hydropem præsagias in morbis pectoris: sicut notavimus in ægra prope magnum Ærarium ingentis Nosocomii sancti Spiritus ad Molem Pontis Hadrianæi 30. Novembris 1700. qua die consecratus fuit uti Episcopus, Pontifex Optimus Maximus Clemens XI. in Basilica Vaticana a Cardinali Bullionio sacri Decano Collegii, Viro piissimo, ac integerrimo, magna tunc Populi ad novitatem consecrandi Pontifices concurrente frequentia.

Ex

Ex ſcabie retropulſa ſi aſthma fiat, cum ſcabioſo dormiendum eſt, ut ſcabies revocetur, vel urticis cædenda cutis.

In paroxiſmo ſperma cæti cum aqua hyſſopi, vel brodio fervido ſolvit. Omnia fervide ſumas, ut citius ſolvas.

Vomitoria juvant in Aſthmate humorali & ſtomachico, quia ea concuſſione e pulmonibus ejiciuntur viſciditates, & e ſtomachi parietibus eædemmet traduntur: Sal vitrioli in hoc caſu antecellit: detur a ℈. i. ad ʒ. i. plus, vel minus pro ratione ætatis, temperamenti, & virium cum ʒ. VI. aq. hordei, vel juſculi: Repetitis enim vomitionibus ſalubri hoc ſale (quem etiam pro emetico præſcribo, & pro magno antiepileptico in epilepſia puerorum; ex ſtomacho & cruditatum infarctu in primis viis, unde ſemper convulſionum origo in pueris) factis, mundatur ſtomachus ab impuritatibus, ſuccuſſiſque hac ratione pulmonibus, iidem pariter brevi liberantur a morbo.

Magnam aſthmatum humoralium, crudorumque partem a ſtomacho pendere obſervavi. Hinc uti ſoleo per intervalla, pilulis de hiera cum agarico, cum doſi Dyatartari Petri Caſtelli, ad expurgandum ſtomachum; & ſingulo mane cochleare oximellis ſcillitici dulcorati cum exigua doſi ſucci malorum appiorum dulcium, ſuperbibendo juſculum cicoreatum cum pauco ligno ſaſſafraſſ. cocto, vel ligno aloes ad gr. VI. Mundato ſtomaco ad præſervandum a novis inſultibus, potio noſtra ex decoctione ligni Carabacii ſtomachica quotidie danda, vel ſpecies Diarrhod. Abb. vel pulvis ſtomach. Querc. Romæ, & in Italia hæc remedia conferunt in noſtris ægris. Parcat itaque inſulſus ille Aquilonaris Medicis Italis, ſi Remediis chimicis, ut ipſe vellet, non utuntur in morbis ſingulis: Nam Clima calidum Italiæ, ſtomachus debilis Italorum, & ratio vivendi Italorum toto cœlo diverſa ab illa ſeptemtrionalium remedia e mineralibus non patitur, ſed e Vegetabilibus, & Animalibus; Chimiam tamen non ideo ſpernimus; ſed laudamus, & ad Sydera extollimus. Batavos illuſtres Viros, & de re litteraria, ac de re medica maxime meritos, maximo honore proſequimur eorumque ſplendidas, ac celebres Academias valde admiramur; ſed inſulſos, ac temerarie inter ipſo ſcribentes contemnimus, & flocci facimus.

Gummi ammoniacum, oximel ſcilliticum, ſperma cæti, & Julep. Tabaci, quatuor ſunt, quæ in Aſthmate humorali, & ſtomachico ceteris omnibus mire antecellunt.

In deſperata viſciditate humorum pulmonibus impactorum, maxime tibi laudo Julep. Tabaci. ℞. Julep. Tabaci ʒ. ij. ſyr. de althæa ſimplici ℈. ij. m. ſyrupus de althæa addatur magis, vel minus ad corrigendam ſummam nauſeam Tabaci, & acrimoniam, ne nimium agitet pulmones: Quare dulcoretur julep. Tabaci ad arbitrium Medici, & dentur per diem aliquot cochlearia, ſuperbibendo juſculum alteratum cum herbis pectoralibus hedera terr. Veronica, ſcabioſa, &c. & mire proficiet, ſicuti obſervavi inter ceteros in nobili Muliere ægrotante prope Theatrum, ac Templum Pacis, non longe a foro Agonali, nunc *Piazza Navona*.

Cauteria in tibiis conferre ſolent in gravibus pectoris morbis, juxta illud Divini Senis. *Abſceſſus ad crura in morbis pectoris boni.*

Aliquando tantus eſt viſciditatum apparatus in primis viis, & in pulmonibus, ut impoſſibile ſit expectorantibus eas ſolvere, niſi per purgans aliquod pectorale, ac ſpecificum pectori, via ſternatur iiſdem. Quare pro magno ſecreto in ſimilibus deſperatis, & graviſſimis caſibus, hoc remedio ſæpe uſus ſum feliciſſime ℞. gummi ammoniaci albi, & gummoſi ʒ. i. ß. diſſolve cum magna diligentia in ſ. q. vini albi ad lenem ignem, poſtquam debitam acquiſivit cum vino conſiſtentiam; tunc adde vini albi optimi ad arbitrium, vel ℈. ij. circiter: aquæ hyſſopi ℈. iij. m. f. p. calide ſumenda; In Aſthmate humorali, ſtomachico, catharro ſuffocativo, purgat viſciditates cum profectu, & ſi per ſeceſſum non purgaverit, faciet per tuſſim, & ſcreatum: repete tamen pro neceſſitate. Inter ceteros ægrotantes, experientia me docuit in eo, qui decumbebat non longe ab Amphiteatro Flavio, & veteri Templo Pacis in foro Romano menſe Maii 1700. Die 20. prædicti Menſis ejuſdem anni, Romam venit Coſimus III. Magnus Etruriæ Dux, occaſione viſendi ſacra loca, cum eſſet maximus indulgentiarum Annus, iter ſuum agens per mare, ſuis triremibus vectus, quæ ad Portum pervenerunt Antiatem noviter extructum ab Innocentio XII. Pont. Max. inter rudera veteris, ac memorandi Portus; hinc curru ad Urbem ductus, & inter alia, quæ munificentiſſime a Pontifice recepit, ut propius, ac manibus Sacras, ac Inſignes Reliquias, quæ in Baſilica divi Petri in Vaticano ſervantur, videret, tractaretque, quod ſolis Canonicis ejuſdem permiſſum eſt, ſpeciali gratia, ac Brevi Pont. inter ipſos Canonicos connumeratus eſt, quare Alba indutus, ſtolaque decoratus, ipſas reliquias Populo oſtendebat, cujus frequentia a toto Terrarum orbe confluens, maxima in dicto Menſe hic viſa eſt, & quemlibet in admirationem rapiunt Pietatis opera, quæ in hac totius Univerſi Domina ſub optimis noſtri ævi Pontificibus exercentur.

Aſthmaticas Mulieres fere ſemper cum uterinis, mixtis pectoralibus, curato.

Aſthma

Asthma puerperarum, si acutus valde sit morbus, lethale solet esse.

Quando pleuritis difficulter expurgatur, & ob difficilem in principio morbi expurgationem, accedente statu, crescit ingens spirandi difficultas, cum sputi visciditate, febri majore, inquieta: tunc omni ope curandum, ut statim pectus expurgetur, aliter transacta tertia, vel quarta hebdomada morbi, idem desinet in empyema funestum; Ad quod præcavendum, mihi familiaris est usus foliorum veronicæ recentium.

℞. Fol. veronicæ recent. & fol. hæder. terr. an. pug. 1. bulliant in sero lactis optime depurato, cola, & bibe singulo mane, vel loco Seri bulliat, si velis in jusculo, & si ob nimiam febris acutiem, & inflammatoriam Pulmonum crispaturam, non vis uti veronica, utpote aliquantulum acuti saporis, sola utere hædera terrestri cum radicibus scabiosæ, addito ℈. 1. elix. prop. Helm. per distill. cum aq. Cinam. sine aloe: Et ita mundabis pectus cum securitate in desperata pleuritide: Romæ scribimus, & in aere Romano.

In diuturno, ac desperato Asthmate, sive humorali, sive convulsivo, aerem rusticanum ægrotantibus impero, & potissimum, ut Campos habitent, quos arant Bubulci: Debet itaque Asthmaticus sequi Bubulcum, quando terram arat, & incedere per sulcum, sive viam ab aratro recenter in terra factam, & aperto ore respirare Aerem, sive halitus nitrosalinos, ac sulphureos a recenter ruptis terræ glebis prodeuntes: Tonus Pulmonum, longo morbo relaxatus, nitrosalina centralis terræ caloris substantia roboratur, confirmatur, ac restituitur, eoque restituto, circulus quoque liquidorum per Pulmonum telas in libertatem ponitur, morbusque profligatur.

Diluentia, serum lactis, Viola, Emulsiones sem. Melon. Gelatina corn. cer. lac in caduco pulmonum morbo, sive asthmate sicco, præ ceteris juvant. Saccharata, remediorum copiam, purgantia, fuge tanquam a peste. Nam labefactatis, eorum usu, digestionibus, cruditatum copia generatur, quæ statim post se trahit Asthma stomachicum humorale, & hinc duplex Asthma.

Asthmate convulsivo laborantes, si corpulenti nimium sint in hydropem pectoris desinunt; longis enim pulmonum succussionibus vasa rumpuntur eorum lymphatica; hinc hydrops.

Licet sanguinis missio paroxismum Asthmatis statim sanet, frequentes tamen sanguinis missiones, sanguis tonum labefactant magis, ac debilitant, & hinc demum morbus desinit in hydropem universalem. Quare corrigenda est potius causa Asthmatis, quam frequenti phlebotomia demulcenda.

Asthmate convulsivo laborantes melius habent æstate, quam hyeme.

Si Asthmati pleuritis veniat, frequenter moriuntur. Docuit æger in foro Boario prope vetus Templum Antonini, & Faustinæ.

Asthmata, Dyssuriæ, & Arthritides mutantur ad invicem.

Zonam, seu fasciam strictam patiuntur Asthmatici supra ventriculum per medietatem, seu circumferentiam corporis; a Diaphragmate, non vero a Pulmonibus convulsis ea fit.

DE DIARRHOEA, ET DISSENTERIA.

§. I.

Diarrhœæ frequenter oriuntur ex mœrore & animi pathematis, suntque fere incurabiles, præsertim si causa mœroris perstiterit: his supervenire solet febris erratica, donec tandem atrophia consumti intereant ægroti.

Sudor diarrhœis superveniens morbum sistit.

Pernicioſæ sunt diarrhœæ in morbis pectoris, suntque etiam infestæ puerperis, & infantibus febre maligna correptis.

Curationem diarrhœæ non incipias per adstringentia, nam introduces viscerum, & intestinorum obstructiones difficile solubiles, quibus tandem succedit hydrops pertinax.

Carnium esus auget diarrhœas, cave igitur ab iis quantum poteris.

Nil magis alvum stypticam reddit, quam usus veneris, quod etiam cognovit *Hip. 7. epidem.* Aetius lib. III. c. VIII. Paulus lib. I. cap. XIII. asserunt alvi profluvia, venere exsiccari. Idem observavit Amatus Lusitanus. *cen. II. observ. 47.*

Qui studiis, & curis domesticis vehementer indulgent, styptici fiunt. Inter morbos endemios aeris Romani est alvi stypticitas.

Masticando tota die Cinnamomum, & deglutiendo salivam illam, a diarrhœis, & languoribus stomachi cum dysenteria plures sanati sunt.

A purgante medicamento solet excitari periculosa hypercatharsis, sive superpurgatio, quæ subitaneum animi deliquium sæpe affert: theriacæ scrup. 1. aut dragm. ß. vino dissolutæ quantitas ægroto exhibita, sat celeriter, & feliciter fluxum sistit, ut mirati sumus in Xenodochio: Sene medico præscribente.

In inveteratis alvi fluxibus, dysenteria, tenesmo, relaxatione ani &c. excipiatur, per inferiora vapor terebinthinæ prunis ardentibus injectæ, & sanabuntur.

Quandoque in diarrhœa bilem croceam rubiginis ferri dissolutæ, aut lateris rubri non absimilem exœrnunt patientes, humorem sane pestife-

ſtiferum in diarrhœa apparentem, ut ex pluribus ægris mihi notum eſt, qui omnes perierunt. Cheſnau. lib. III. cap. VI.

Bonum ſi diarrhœa iræ ſuperveniat, & ſi hæc non ſuperveniet, febris ſuperveniet.

Obſervavi frequentiſſime, & etiam ab aliis audivi, quod in nonnullis morbis præſertim chronicis, ut phthiſi, &c. vel etiam aliis paſſim morbis ægroti paulo ante mortem corripiuntur ſtimulo fæces ejiciendi, & multi in ipſo actu ejiciendarum fæcum moriuntur. Hoc dignum eſt, ut fuſius conſideretur.

Dyſſentericis vomitus biliosus in principio, malus eſt. *Hipp. coac. præn. ſect. 3. num. 62.*

Qui dyſenteria pereunt, omnes fere ex ſphacælo inteſtinorum pereunt, patet id triduo ſaltem ante mortem, nam extrema frigeſcere incipiunt, pulſus exules, & inæquales ſunt, ſitis non urget, nec dolor in affecto loco, & nonnulli paucis ante mortem horis in delirium deſinunt.

Dyſenteria ſine febre, ſi aliis remediis non cedat, deveniendum ad uſum aquæ Tetucciana ſ. a. datæ, & infallibiliter ſanabitur, ut bis, terque mirati ſumus.

Si ab uſu adſtringentium inflatio ventris, vel major in egerendo difficultas, & labor ſuperveniant, rhabarbaro frequentius utendum, interpoſita tamen mixtura aliqua anodyna ex ſyr. papav. rhœad. aq. viol. req. Nicol. cryſt. mont. &c. quo pacto ſanabuntur.

Cave in cura dyſenteriæ a nimia remediorum farragine: pauca ſint, & ſimplicia; ideo ſæpiſſime dyſenterias profligavi ſolo ſero lactis intus dato, & per clyſteres quoque injecto, multique Auctores pro magno ſecreto habent hoc remedium in dyſentericis; clyſteres pariter copioſe præſcripti, quandoque exacerbant morbum, & exulceratis inteſtinorum fibris, majorem orgaſmum excitant; dentur igitur rarius, & in parva copia.

Vomitus dyſentericis ſuperveniens, periculoſus eſt.

Si ſingultus accedat, lethale; Si angina, lethale. Si vero accedat difficultas deglutiendi, mortem imminentem prænuncia adſtantibus.

In lethali dyſenteria ventriculus quoque in conſenſum trahitur, unde tot mala.

Pilulæ de Caccionde, quarum baſis eſt terra cathecu ſunt egregium antidyſentericum ne dentur tamen ſtatim in principio.

Dyſentericis ſi ſuperveniat linguæ inflammatio, & difficultas deglutiendi, actum eſt de ægro.

Si ſtatim poſt dolorem excretio non fiat, ſcito, quod inteſtina tenuia ſunt læſa.

Differt dyſenteria a ſanguinis fluxu hæmorrhoidali, in hoc enim ſemper ſanguis præcedit fæces; in dyſenteria vel poſt, vel cum fæcibus excernitur, &c.

Si afficiatur jejunum inteſtinum, lethale eſt: jecur namque vicinum eſt.

Si in dyſenteria adhibueris opiata, & altero mane color oculorum ægri eſt mutatus, cere non ſuperabit morbum: ſi vero color oculorum immutatus remaneat, indicio eſt ægrotum poſſe reconvaleſcere. Valdſchmidius.

In principio non adhibe adſtringentia, & ex *Cratonis* præcepto ante ſeptimum.

Inter dyſenterica laudamus rhabarbar. toſtum, flores roſ. rub. & nucem muſcatam, &c.

Radix hipecacuanhæ eſt ſpecificum, ac ferme infallibile remedium in fluxibus dyſentericis, aliiſque hœmorrhagiis ſanguinis, colliquationibus humorum, &c. ut nuper mihi retulit Vir doctiſſimus *Gul. Sherard.* Botanicus, & Medicus Anglus præſtantiſſimus, dum Roma Germaniam proficiſceretur cum Illuſtriſſimo Comite de Tondſen. Idem quoque non ita pridem per litteras mihi ſignificavit vir magni nominis *Jo: Jac. Mangetus* Helveticorum Practicus celeberrimus. Sed plura hac de radice vide apud *Piſonem* tract. de plantis Americæ.

Appendix ad Dyſenteriam.

Lienoſis dyſenteria ſuperveniens bona, ac ſi longa fuerit in hydropem, & lienteriam tranſit. *Hippoc.*

Pauca ciborum quantitas, & pauca remedia danda, nam quo minus ſolidæ, aut liquidæ ſubſtantiæ per inteſtina tranſit, quæ affecta, afflictaque morbo ſunt, eo minus a cibo, & remediorum farragine afficiuntur. Ideo damnabilis, & ſuperſtitioſus etiam eſt nimius chlyſterum abuſus.

Colica, & Dyſenteria mutantur in arthritidem, & contra.

Alvo liquida Venus frigeſcit: ſicca lætatur: Venus nimia exſiccat alvum.

Hepar ſerpentum pro momentaneo ſecreto laudatur a *Lindano* in Dyſenteria.

Omnes Dyſenteriæ, quæ incipiunt cum nauſea, & deinde ſuperveniat vomitus, omnes pene lethales fuerunt, ut ſæpe obſervavi in Niſocomiis Italiæ, & in Urbe Urbium principe.

Dyſenteria in Puerperis non eſt mala, nam lochiorum materiam per vicina loca optime minuit; cave igitur, ne ſtringas, nam per eam lochia expurgantur. Novimus id præ ceteris in muliere in foro Farneſiorum prope Ædes Viri doctiſſimi, & ſcriptis editis celeberrimi Equitis Proſperi Mandoſii Romani, & in alia in via Parionis prope forum Paſquini.

In longa dyſenteria, & teneſmo vapores terebinthinæ prunis ardentibus injectæ, & per anum excepti, nonnullis profecerunt maximopere.

Gravi

Gravi Iliaco si superveniat alvi fluxus, paucis post horis morietur, nam sphacælata sunt omnia, hinc lethalis fluxus. Et si Iliaco tumor ventris veniat, & flatus copiosi pedendo exeant, brevi morietur. Passus id est æger sexagenarius apud S. Mariam in Publicolis in Foro Judæorum.

Flatus pedendo emissi in dysenteria supervenientes, futuram promittunt sanitatem: id observavi; credo ex Hippocratis præcepto.

DE APOPLEXIA.

§. I.

APoplexiam distinguere oportet in sanguineam, & pituitosam. Arcanum in sanguineis est phlebotomia, post cujus usum vidimus statim excitatos ægrotos, & exinde in melius abiisse. In Pituitosis contra emeticum, aut purgans vehemens statim præscriptum utramque paginam adimplent; ceteris præfero pulverem Cornachini, & infus. croci metall. cum vino; sunt qui apoplexia liberati sunt hausto singulis mensibus vomitivo ex infuso prædicto, intelligendo de pituitosis.

In apoplexia quo magis offenditur respiratio, eo fortior est morbus; quo minus, eo debilior.

Qui semel apoplexia correptus, postea fiat vertiginosus, novos insultus expectet.

Si post venæ sectionem respiratio fiat liberior, & pulsus quoque bene se habeat, salutem prædicere poteris.

Injectus chlyster si intra unius horæ spatium reddatur, bonum; si vero prorsus retineatur, malum; indicat enim influxum spirituum in fibras intestinales a cerebro fere impeditum esse.

Clysteres apoplecticis exigua quantitate injiciantur, ut ita & retineri, & diutius manere possint in intestinis, dum enim quantitas excedit, iterum effluunt. Verum si in minori copia injiciantur, & etiam tunc effluant, malum; indicat enim totalem partium resolutionem, unde mors ostia pulsat.

Febris raro supervenire solet apoplexiæ præsertim pituitosæ.

Si Catochus in ipsa accessione febris intermittentis, aut remittentis superveniat, durante accessione nulla contra eum præscribantur remedia, nam omnia erunt in perniciem ægrotantis, exceptis frictionibus, & revulsionibus, quæ adhiberi poterunt in accessione: finita accessione desinit quandoque & catochus; si vero non desierit, statim sanguis mittendus, aut purgandum pro indicatione utrorumque, si vero secundo supervenerit, mortem affert; neminem enim liberatum vidimus, cui secundo catochus supervenit; ut notat doctissimus *Dodonæus* suis in observationibus.

Valesius observavit in lethargicis, quod pulsus, qui prius erat parvus, adveniente lethargo fiebat magnus, & quo crescebat in magnitudinem pulsus, eo citius interibant ægri. *Rhodius* quoque in Septalium ait ex *Ballonio*, quod in omnibus affectibus comatosis præcipue lethargo, & apoplexia, pulsus dum ex parvo fiebat magnus, & sensim in magnitudine crescebat, ægrotantes brevi moriebantur. Hoc idem & nos vidimus Romæ in vetula anno 1695. quæ apoplectica cum esset quatuor dierum, quodam vesperi magnos, & vibrantes pulsus hora quarta noctis observavi, decima vero ejusdem noctis hora mortua est; qua de re serio monemus medentes.

Observavimus in Xenodochio an. 1694. hyemali tempore Romæ, quod quando apoplexiæ erant gravissimæ, & jam confirmatæ, vesicantia non admodum conferebant, imo omnes fere tales ægroti moriebantur.

Spuma oris lethalis est in apoplexia, *Hipp. 2. aph. 43. & Tulpius 1. obs. med. 6. & Forestus 10. observ. 74. in scho.* ait. Cum apoplexia simpliciter toto genere sit lethalis, lethalior censenda, quando cum spuma oris fuerit: hinc *Rhases* inspiciens apoplexiam vehementem, dicebat, quando spuma oris circa os apparet, ei non est medendum.

Raro patientes ab apoplexia evadunt sine alicujus partis resolutione, quod si omnia membra resoluta sint, cito rapiuntur: quidam vero denuo incidunt in apoplexiam.

Apoplexiæ, vel paralysi generali obnoxii, aut jam iisdem correpti flatibus, borborigmis, & inflationibus ventris vehementer molestantur: horum symptomatum causa dependet ab impedito spirituum influxu per nervos in intestina, & loca adjacentia; redditis enim paralyticis fibris carneis talium partium, & motu eorum tonico fere abolito, & vapores a contentis intestinorum exhalantes, necnon & particulæ aeris intermixtæ in molem elevant flatulentam partes supradictas; eadem potissimum ratione, qua videmus in cane, ligato sexto pari nervorum, ventriculum statim summopere intumescere, cujus phænomeni rationem fuse, in tract. nostro *de fibra motrice, & morbosa* exposuimus.

DE DOLORE IN GENERE, CONVULSIONE, ET MOTIBUS CONVULSIVIS.

§. I.

DOlores qui neque medicamento, neque sanguinis missione, nec alio modo curantur, ad suppurationem vertuntur. *Hipp.*

Si dolor aliquis firmus cum tumore, & multo calore in hypocondriis ægri, aut in thorace,

aut in ſpinali medulla, aut alibi præceſſerit, deinde rigor ſuperveniat, phlegmonem, ac tumorem in ſuppuratum ire ſignificatur, ex Jacotio comment. ad *lib. 4. coac. Hipp.*

Quod ſi in uno aliquo loco firmiter conſtiterit dolor, neque medicamentis expellatur, quocumque loco dolor fuerit, cum lino crudo inuri to. *Hipp. de affect. ſect. 5.* loquens de iſchiade, &c.

Dolores qui ſine ſignis levantur, lethales. *Hipp. in coac.*

Bezoarticum joviale eſt præſtantiſſimum remedium ad demulcendos furentes partium dolores, & peccantem materiam inſenſibiliter per tranſpirationem educendam; cave tamen ne dolores ſint podagrici, venerei, aut ſimiles, quorum retenta materies pejora mala excitare poterit: cautus quoque ſis in morbis nervorum, & capitis, nam ex natura ſua, ſtannum inimicum eſt nervis: contra in affectibus hyſtericis bezoarticum hoc infallibile remedium eſt, & pluries mirati ſumus.

Dolores in quacumque corporis parte periodice exacerbantur, & ſtata quaque hora recurrunt; peccans illorum materies in affecto loco non generatur, ſed aliunde venit: in his caſibus tribus horis ante invaſionem detur lenis potio purgans, & ſanabuntur; præcipue ſi imo ventre hæc fiant.

Doloribus externarum partium, ſi alia non proficiant, ad cauſticum devenias: ipſe uti ſoleo foliis ranunculi, vel mixtura calcis vivæ, & ſaponis liquidi. Hoc Iſchiaticis ſummopere confert, imo & aliis doloribus, juxta illud. *Hipp. lib. de intern. affect. §. 19. & lib. de affect. §. 30.* Si alicubi congregatus fuerit dolor, urito: imo ubicumque alius dolor præter ſplenis incubuerit, urito: ſic enim ſanus fiet.

Frequenti experientia conſtat dolores capitis ex affectione ſtomachi productos, partem capitis anteriorem magis afficere: contra ex affectione uteri, verticem, & occiput præcipue invadere; pariter mulieres, hyſtericis obnoxiæ affectibus, ſenſum quendam frigoris in vertice capitis pati ſolent; eſtque hoc præcipuum hyſteriæ diagnoſticum.

Si ſimul doloroſus ſit locus, & caro ſubmucoſa, ſeu tabeſcens, hic uſtio optima eſt. *Hipp. de articul. §. 54.*

Ter, aut quater obſervavi doloris capitis pertinaciſſimos, & fere ad maniam accedentes, irritis aliis, ſolo pulvere de Guttera (de quo vide *Riverium* cap. de epilepſia) ad dragm. 1. circiter dato, cum brodio alterato flor. primul. veris, beton. &c. vel cum de decocto Thee, &c. feliciter ceſſiſſe.

Balneationes pedum in aqua tepida hora ſomni optimæ ſunt in capitis doloribus, & gravedine, &c.

Succo extracto ex radic. betæ, & per nares fortiter attracto pluries in die, vidi nuper ſtatim ſanatum periculoſiſſimum capitis dolorem Romæ in quadragenario irritis omnibus remediis.

Ad dolores externos, ſpiritus ſal. ammon. cum ol. amygd. dulc. veteri mixtus, breviter, & feliciter proficit: & didici per experientiam, quod ſpirituoſa cum unctuoſis mixta, doloribus optime medeantur, non ſola ſpirituoſa.

Inter ſigna mox mox erumpentium variolarum ſunt motus convulſivi; ideo quando videbis puerum febri correptum, qui non adhuc variolas paſſus eſt, motibus convulſivis, corripi, ardore circa lumbos, &c. prædicito aſtantibus ſequenti die variolarum eruptionem, ut nos pluries fecimus.

Sunt pueri, qui bis, & etiam ter morbillis corripiuntur, ut hiſtoriæ teſtantur, & nos ſemel vidimus Patavii.

Spaſmodice affecti urinam fere ſemper reddunt tenuem, claram, & copioſam.

Pulvis de Guttera ſpecificus eſt in morbis convulſivis, nec non vertegine, cephalea, gravedine capitis.

Balſamum Paracelſi eſt potentiſſimum remedium ad quaſvis convulſiones vulneribus ſupervenientes, ad puncturas nervorum, &c. & nullus eo carere deberet Chirurgus, vide deſcriptionem apud Paracelſum in parva Chirurgia.

Omnes fere convulſiones infantum a ſtomacho fiunt, unde iis ſtatim morbum ſolvunt lenia purgantia præſertim infuſum rhabarbari.

Urina craſſa, & turbida in morbis convulſivis, bona; tenuis & alba, mala.

In morbis epilepticis, & convulſivis tria ſunt ceteris præſtantiora, cinnabaris nativa, viſcus quercina & ungula alcis.

Infantes quibus cruſtæ ſcabioſæ in capite ſuperveniunt, raro corripiuntur motibus epilepticis.

Ex abortu Mulieres convulſæ raro evadunt, ut notavimus. Convulſio quæ phrenitidem ſequitur, lethalis ex *Aetio*.

Pulvis Cornachini pro purgante in nervorum, & capitis affectibus, præcipuus eſt.

Viola eſt ſpecifica in morbis convulſivis, & nervorum.

Spir. ſal. amm. coagulat lac Infantium in ventriculo, ideo cave ab illo in eorum epilepſia.

Utile eſt obſervare num ſemper eo tempore, quo infans corripitur epilepſia, Matri fluant menſe, nec ne.

DE TUSSI.

§. I.

TUſſes diuturnæ teſtium tumore ſolvuntur; & contra. *Hipp. 2. epidem. ſect. 1.* Ex hoc magis

magis magisque confirmatur consensus ille occultus inter pudenda & pectus, tibias & pectus, toties a nobis recensitus.

Tussis Infantum fere semper esse solet a stomacho cruditatibus scatente, quo in casu semper stomacho respiciendum, non posthabitis tamen pectoris remediis.

Tussis violenta producere solet in pueris herniam, in fœminis abortum, & in viris phthisim, & ideo nunquam spernenda.

In tussi sicca ex humorum acrimonia, eorumque tenuitate producta usus lactis præstantissimum est remedium; ego uti soleo lacte cum jure carnis, vel aq. viol. cocto.

Si tussis cum febre pertinaciter afficiat ægrum, & nullis cedat remediis in tabem migrat, etiamsi sanguis non spuatur.

Tussis aliis morbis superveniens non curatur, nisi curatis morbis a quibus pendet.

Quibus in febribus accidit tussis, a febre non liberantur perfecte, si tussis adhuc perseveret.

Tusses siccas & gutturis asperitates inducit constitutio temporis aquilonaris. *Hipp. aph. 3. sect. 3.*

Tussis violenta in pulmonibus orta, capiti communicata producere potest, ut aliquando observavimus, subitaneam memoriæ, atque ratiocinii jacturam, nec non paralysim manuum, & aliorum membrorum. *Boyle de util. phil. nat.*

Aqua inter cutim laborantibus, tussis superveniens, malum; *aphor. 35. sect. 6.*

Tussi siccæ irritis aliis valde proficuos expertus sum, oculos cancr. calcinatos ad dragm. ß. exhibitos cum brodio alterato, portulaca, tussilagine, & foliis viol.

In tussi pectorali magis proficiunt medicamenta vulgaria ex herbis pectoralibus parata, quam nobiles Pharmacopæorum apparatus, ut sæpe vidimus.

In tussi præsertim pectorali purgantia data juxta practicorum fidem non liberant, imo si ex aeris inclementia tussis contracta fuerit, plus nocent.

Tusses pectorales a purgantibus solent exasperari teste *Ermullero fol. 213.* Contra concedi possunt in tussi stomachali, ubi magna sanguinis cacochymia deprehenditur.

Boli ex butyro recenti cum saccharo mixti, & vesperi sumpti, vehementissimas tusses catharrales demulcent.

Syrupus de erisimo *Lobelii* est pariter magni usus in tussi, & raucedine.

In tussi convulsiva Infantum decoctio ex musco arborea præsertim a quercu pendente, omnium præstantissima est, ut nos experti sumus, monente *Villisio*; valet quoque in aliis morbis convulsivis.

Spiritus corn. cer. contra tusses vehementissimas mirabilis est. *Boyle de util. phil. natur. fol. 348.*

DE CALCULO, ET PODAGRA.

§. I.

Calculus, & Podagra plures interficiunt divites, quam pauperes, plures sapientes, quam fatuos.

Vinum, Venus, Otium, Crapula sunt primi Parentes calculorum, & podagræ. Aquæ potus, lactis usus, sobrietas, & exercitium eisdem medentur; exinde prodit secretum illud eximium *Zecchii*, relatum in suis consult. nempe haustus aquæ calidæ ad lib. 1. circiter, statim ante prandium factus: *Piso* & *Alexander* multis ante *Zecchium* annis hoc idem aquæ calidæ remedium comprobarunt, dicentes, quod post primum excretum calculum, nunquam imposterum alios genitos fuisse viderint, usum hunc aquæ calidæ multo tempore continuantibus.

Omnia remedia podagricis præscripta inutilia propemodum erunt, nisi Vinum, Venus, Otium, & Crapula temperantius usurpentur.

Dolorem lumborum rheumaticum a nephritico per hoc certissimum signum distinguere poteris: pete ab ægro, an dum in terram incurvatur, & exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium quasi scindi videatur; si hæc adsint pro certo habeto dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum, productum scilicet ab acribus, & muriaticis salibus, per serosum humorem illic depositis.

Ad rheumaticos hos lumborum dolores potum lactis cocti cum æqua decoctione Thee, & mane sumptum ad lib. 1. circiter, felicissime sum expertus. Hoc idem remedium podagricis, & calculosis forsan non obesset.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiant; si quidem circa loca exteriora fuerint, abscessus quoque exterius futuros expecta; si vero dolores magis circa loca interiora fiunt, etiam abscessus expecta futuros interius. *Hipp. sect. 7. aph 36.*

Melopeponum comestio, & potus aquæ ab illorum pulpa distillatæ, podagricos, & calculosos, vel sanant, vel maxime sublevant; dummodo Vinum, Venus, Otium, & Crapula prudentius adhibeantur.

Millepedes præparati præsentaneum remedium afferunt in urinæ suppressione, & frangendis calculis, &c.

In fatali urinæ suppressione si reliqua non proficiant, Patiens duobus, vel tribus Adstantibus suffultus, ac probe tectus, pluries

per cubile obambulet; nam hoc pacto multi copiosam reddiderunt urinam, ut testatur *Syndenham*.

Dolores renum a quinque causis potissimum fiunt, fluxione scilicet (sive humoris seroso-acris, & erosivi) depositione, ulcere, inflammatione, lapide, & abscessu.

In nephritide sensus subitaneus rei pungentis, velut aculei in regione ureteris, signum est certissimum calculi hac parte jam impulsi.

Facto semicupio, & præsertim postquam dolor quieverit, si eadem vehementia die sequenti serius, aut citius revertatur cum vomitu, dolorem esse nephriticum pro certo habeto. *Chesnau*.

Potus aquarum mineralium calculos pellit, & ab iisdem præservat: ubi vero hæ in promtu non fuerint, substitui poterit decoctum, ex mulso eringio parum contuso factum, quo vinum album diluatur, & copiose bibatur; si quidem hoc remedium potenter sublevat calculosos, & podagricos, teste *Chesnau*.

Hæmorrhoidum internarum dolores mentiri solent dolores calculi in vesica latentis; hi tamen multo sunt atrociores, & frequentiores, quam illi.

In quibusdam ægrotis calculo vesicæ laborantibus non solet contingere urinæ suppressio, ideo hæc referri non poterit inter signa infallibilia calculi vesicæ.

Urina, in cujus fundo apparet humor plurimus, apta est ad calculi generationem, *Avicennas*.

Si frequenter mentulam contrectet patiens, & cum mingere incipit, desinendi quoque voluntate teneatur; si dum per urbem incedit, divaricatis cruribus obambulet, ex tribus hisce signis de calculo vesicæ certior fies.

Potus Theæ, & Caffe inter reliqua remedia calculosis, & podagricis excellunt.

In arthritide vaga scorbutica conveniunt omnia ex pino, aqua pini, essentia pini, extractum pini, & similia teste *Valdschmidio*.

In ipso paroxismo doloris nephritici lithontriptica, & aperientia medicamenta, obsunt potius, quam prosunt: conferunt contra emollientia, laxantia, & anodyna, quæ dolorosam renum, & partium adiacentium crispaturam relaxant, & demulcent, ut ita calculus ingredi possit ureteres, &c.

Nuper arthriticus quidam Romæ excrevit urinam crassam & copiosam: quæ paulo post in consistentiam gelatinæ coagulata fuit, & ita liber evasit ab arthritide.

Qui sæpe vomunt, & alvum lubricam habent, difficilius calculo corripiuntur; exinde est quod calculosis, & podagricis summum levamen afferat usus clysterium, aut lenium purgantium, ut pluries observavimus: præsertim Romæ an. 1693. in Podagrico septuagenario; qui ut alvum exoneraret hora matutina a duobus servis sulciebatur, quo posset ad locum opportunum pervenire; alvo exonerata solus regrediebatur in lectum, quia, ut ajebat, liberiores, agilioresque evadebant articuli post fæces exoneratas.

Podagra, seu Arthritis fere semper incipit a pollice pedis.

Veneri, & Baccho indulgentes ad satietatem, impossibile est, ut arthritide non corripiantur, aut calculoso morbo.

Podagrici, si aliter exerceri non possint, exerceantur voce; scilicet, vel libros alta voce legendo, vel cum amicis colloquendo, vel canendo; assidua namque locutio, & cantus recensetur a *Plutarcho lib. de tuend. valet.* inter genera exercitii; qua de re vide cap. 13. tract. nostri de tarantula.

Dolor fixus in regione renis, & vomitus continuus sunt præcipua signa doloris renalis a calculo; cetera sunt dubia, & aliis doloribus ventris communia.

Signum omnium certissimum calculi in vesica latentis est ejusdem contactus a cathetere factus; reliqua fallunt etiam peritissimos.

Aqua distillata persicariæ sit tibi in secretis contra calculos, ut expertus est *Boyle*.

Sunt qui calculum habent in renibus, nec ullum iisdem dolorem parit; quod in duobus observavi, Bononiæ scilicet & Patavii, quorum cadaveribus dissectis ingentes calculos in renibus vidimus, nec ullis ante vexati fuerant renum doloribus. Idem notat *Hollerius in praxi cap. hydrope* dicens: in dissecto cadavere observavi renem sinistrum absumptum, & vomica plenum, dexterum autem calculo obsessum, & tamen æger non dolebat de calculo; hæc ille.

Hactenus stylo brevi, & sententiis diuturna comprobatis observatione, sparsimque dispositis, morborum historiam delineare curavimus, ut indicaremus Medentibus viam, qua demum Praxis ad perfectionem possit pervenire. Ceterum innumera commoda a sparsa hac, & aphoristica morborum descriptione Medentibus superveniunt. Primo quidem proponimus eisdem scientiam medicam, fidelem, claram, & prout e naturæ penu educta fuit, quæque esse possit veluti glossa prima, sive paraphrasis perpetua in dirigendis morborum curationibus. Secundo vitamus errores illorum, qui methodi scientiam, aut morborum aliquem definire cupientes, quamplura naturæ præcepta, in methodum illam non recte cadentia, aut omittunt, aut detorquent; atque hac ratione veros naturæ sensus perturbando, faciunt, ut grana, & nuclei scientiarum exiliant; arida vero, & inania compendia remaneant.

Tertio

Tertio Aphoriſmi hi, ſive ſententiæ contractæ cum ſint radices veræ, non autem trunci aridi, & adulterini hiſtoriæ morborum, recludunt pariter indicationes veras in curationibus illorum hauriendas, quod traditio methodica afferre vix poterit; in ea ſiquidem cum in circulum pars altera alteram illuminet, & oſtentet, intellectui potius, quam rei naturæ ſatisfacit. Quarto effugimus magnam laborum partem, quos impendere ſolemus in poliendis, ornandiſque ſcientiis per ſeveras methodi leges, ideſt in deductione, & connexione partium peragenda, in ſatisfaciendo hypotheſi, cui methodus illa ſuperſtruitur, in perquirendo apparatu elegantiarum, illuſtrationum, aliorumque hujuſmodi ad ornatum potius, quam ad utilitatem facientium, iiſque vinculis exiliente, ac elabente prorſus veritate, aridæ ſtringuntur duntaxat, ac deſertiſſimæ nugæ. Hæc, & alia quamplurima vitantur incommoda per ſententias has ſparſim expoſitas, quæ (tanquam ſpeculum ex metallo, quod imagines tunc repræſentare valet, cum optime expolitum fuerit) cum diuturnam experientiæ limam ſubierint, curandi methodum, juxta genuinam naturæ imaginem nobis repræſentant. Hujus rei teſtem inter ceteros habemus divinum *Hippocratem*, Virum ſane cum prudentia quadam doctum, in experientia, & obſervatione multum, neque verba, aut methodos captantem, ſed nervos ſcientiæ ſeparantem duntaxat, & proponentem. Hoc idem de morali teſtatur *Franc. Baco fol.* 153. his verbis: Sicuti actiones hominum in vita communi ſparguntur, non ordine componuntur; ita magis iiſdem conducunt etiam ſparſa documenta; traditio enim iſta ſcientiarum methodica, cum artem oſtentet integram, ſecuros illico reddit homines, quaſi jam ſummam artis adeptos: hæc ille.

Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſylvæ.

CAPUT X.

De variis Medicinæ ætatibus, ejuſdemque Progreſſibus.

§. I.

DEtectis examinatiſque præcipuis Praxeos remoris, ad reliqua mox deſcendendum. Et quidem quod ſpectat ad illius ætates, ſive varios ejuſdem progreſſus, ſtatus, & declinationes, minus bene opinari de illa poſſumus; dummodo tamen excipiamus felicia illa Græcorum tempora, in quibus floruit, ac pene ſtetit Medicinæ praxis; Græci enim ſicuti in philoſophis condendis garruli fuere, & faſtu quodam in diſputationes effuſo, de rebus naturalibus judicarunt (excepto Democrito ejuſque aſſeclis, qui tacite naturam ſecabant, & ſcholas non aperiebant) ita contra in medicina ſtabilienda, promovendaque ſagaces, & vere inventores ſe præſtiterunt: adeo ut hæc una in terris gens ſolidioris medicinæ gloriam, quodam veluti patrio jure ſibi adſciverit. Hujus veritatis illuſtre exemplum dedit ſchola Coa (cujus æternum monumentum ſub nomine operum *Hipp.* hodie ſpectatur) Cælius Aurelianus, Aretæus, aliique Græci per ſubſequentia ad Galenum tempora; in quibus, vel paulo poſt, cum pernicioſo barbarorum impetu labefactari cœperit Romanum imperium, non ſolum medicina, verum etiam eximia alia antiquarum artium monumenta pene conciderunt, earumque clades ad tempora Caroli Magni, necnon uſque ad decimum ſæculum æræ Chriſtianæ perduravit. In tanta igitur temporis Eremo, cum ſine Duce, & luce erraſſet medicina, tandem incidit in tubas, & fiſtulas Arabum, qui activam, & maſculam Græcorum medicinam, in quamdam ingenii agitationem, diſputationumque exercitationem converterunt, feceruntque; ut pueri, qui ad garriendum ſunt prompti, ad generandum inepti; quibus potiſſimum de cauſis motus eſt clariſſimus *Fuchſius*, ut illorum doctrinam funditus everteret, ſicuti conſtat ex ejus *Inſtitut. lib.* 15. *c.* 11. & ultimo; illiuſque veſtigia ſequutus *Fernelius*, in præfatione ad Regem ſuum, contra Arabes ſic invehitur. Arabes, ait, barbare, ſpurce, fœde in Latium traductos, pharmacopæos, & circumforaneos potius, quam vero Medicos genuiſſe, cumque nullis nervis, nullis legibus demonſtrationum, ſed puris, nudiſque verbis ſingula perſequantur, multa illos dicere, perpauca docere. Vacuandi quoque leges turbide adeo, & inconſtanter ab iis traditis habemus, & controverſiarum obſcuritatibus ſic implicitas, ut ſæpius inter peritiſſimos non facile conſtet, quodnam uſurpandum remedii genus; hæc ille; & hoc pariter ſit de barbara Academia judicium.

II. Poſtquam Arabes per annos quamplurimos iniquiſſime occupatam tenuerunt medicinam; hæc tandem veluti diuturno jactata naufragio ad Latinos tanquam in portum ſe recepit. Latini vero ſcientiarum jamdudum rudes, quos primo ſors obtulerat libros, arripuerunt, eoſque potiſſimum Arabes, vel ab Arabibus adulteratos, depravatoſque. Hæc Arabica lues adeo mentem illorum labefactavit, ut multum temporis nihil dicerent, aut cogitarent, quod non illorum doctrinam ſaperet; eaque peſtis ad exterorum quoque Academias (præſertim Hiſpanas) permanavit, cum iis non aliunde quam ab Italia ſcientiarum lux affulgeret, ab eaque tanquam ab orc tunc temporis penderent. Et ſi recte introſpiciantur libri,

examinenturque ſtudia Medicorum ab undecimo ſæculo uſque ad decimumquintum, nil aliud revera erunt, quam indigeſtæ Arabum, aut Græcorum confarcinationes, commentaria, & Gloſſæ in horum veris de medicina ſenſibus detegendis; & tandem vexatio medicinæ per Theorias, ac per hujuſmodi leviora, magiſque inflata. Primi Itali, inter quos M. Fabius Calvus, Mercurialis, Martianus, Septalius, &c. eoſque ſecuti Galli, & præ ceteris ex nobili Pariſienſium Academia Duretus, Ballonius, Hollerius, & Jacotius, &c. poſt excuſſum Arabicæ ſervitutis jugum, ad reſtituendam priſcam Græcorum de re medica ſapientiam omni ſtudio contenderunnt: eaque in re tantopere excelluerunt, ut ſi non ſuperaſſe Græcos, ſaltem juxta illorum præſcripta veram medendi viam manifeſtaſſe judicentur. Diſſeminataque hac doctrina ad univerſas fere Europæ Accedemias, alios pariter doctos Viros tunc temporis excitarunt ad illam magis magiſque ampliandam, & confirmandam.

III. Vix hanc tranquillitatem adepta praxis medica, novus homo Paracelſus cum univerſa Chymicorum Societate novas pariter excitavit turbas, & novas exinde remoras praxi medicæ injecit: paulo poſt Helmontius cum Aſſeclis eaſdem latius propagavit; ut ſane vidiſſes judicia naturæ ad furnos Chymicorum coacta, & captiva. Multum ſane præſtiterunt duo hi nobiles Viri in locupletanda praxi medica per nova remediorum inventa; (quod equidem præcipuum omnium medicorum eſſe deberet inſtitutum) & in delendis nonnullis praxeos præjudiciis, quæ ab Arabum, & falſorum Interpretum ignoranta in medicinam irrepſerunt. Sed quando tam Helmontius, quam Paracelſus decreverunt rationem reddere cauſarum, quæ morbos producunt, & phænomenon, quæ illos comitantur; ipſi pariter librorum lectione, aut venaticis furni experimentis præoccupati, de cauſis morbos producentibus, eorumque curatione, judicarunt dumtaxat per hypotheſim philoſophicam trium ſuorum principiorum; abſque eo quod unquam ad praxim deſcenderent, & obſervarent, an progreſſus hiſtorici morborum, nec non motus naturæ in iiſdem tum promovendis, tum curandis adamuſſim reſpondeant præfatis opinionibus, quas mente conceperant &c. Quamobrem non ſolum hac de cauſa, tranquillum tunc temporis Medicinæ ſtatum perturbarunt; ſed quos in Galenica praxi corrigere voluerunt errores, vel inviti poſtmodum invenerunt in ſua. Eorum ſiquidem mens fuit, non ſolum convellere falſam methodum, qua utebantur Galenici in remediis præſcribendis, quæ merito indigebat correctione, ſed remedia pariter ipſa, phlebotomiam ſcilicet, purgantia, veſicantia, & reliqua hujus generis, e medicina, tanquam inutilia, & humano generi perniciosa eliminare. Quod ſive inſcitia, ſive odio in ſectam contrariam factum fuerit, tantam in medicina confuſionem, tantaque inter medicos diſſidia, lites, & divortia hac ætate excitavit, ut pro praxi, quæ doceat, quæ inſtruat, quæ corrigat, quæ in viam dirigat, nil aliud aſſequamur, quam ſterilitatem quamdam jejunam, macie enectam, contentionum plenam, quæque & judicii libertatem nobis adimit, & a vera docentis naturæ ſemita quam longiſſime repellit.

IV. pacatis rumoribus Chymicorum, novi motus contra praxim excitati ſunt a tot novis Philoſophiis, hoc ſæculo excogitatis: Carteſiana, inquam, Democritæa, Mechanica, Phyſico. Mechanica, aliiſque innumeris quarum Conditores, & horum aſſeclæ, cum medicinam ne ſalutarint quidem unquam, eidem tamen ſe immiſcere, & de morborum hiſtoria per ſpeculationum inſtituta judicare non dubitarunt. Horum exemplo Medici, facti omnino Philoſophi, (ob abſtractæ ſapientiæ tranquillitatem allecti) praxim medicam, quæ lectulos ægrorum vix, ac ne vix quidem deſerere poteſt, in Philoſophiam contentioſam converterunt. Et quoniam per hos quinquaginta prope annos, in quibus tanti novitatum rumores invaluerunt, pauci admodum ſolidæ, & obſervativæ praxi vacarunt; ideo nemini mirum videri debet, quod libri medici per id temporis publici juris facti, & uberrime conſcripti, nil aliud revera ſapiant, quam puram, & abſtractam Philoſophiam: naturæ interim judicia fracta jaceant, & depreſſa; ipſaque praxeos principia tantopere turbata ſint, ut inter peritiſſimos hodie non facile conſtet, quid tenendum, cui credendum, qua demum via progrediendum ſit in abſolvendis morborum curationibus. Si conſideremus igitur praxeos medicæ ſtatum, eundem profecto commotum, ac prorſus turbatum per inania axiomata, & falſas quaſdam generalitates, aut a ſectis Medicorum diverſis, aut a præpoſteris legibus methodorum, aut ab idolis quibuſdam, & præjudiciis cuilibet, Medico familiaribus productas obſervabimus. Si vero illius ætatem, ex ſupradictis patebit, illam in ipſis adhuc pueritiæ finibus contineri, & parum admodum temporis inſumtum eſſe in eadem promovenda; nam ſi excipias felicia Græcorum tempora in quibus floruit; ac pene ſuccubuit medicina, Arabes eandem miſerrime contriverunt; Latini in melius potius, quam in majus promoverunt.

CAPUT

CAPUT XI.

De Fontibus Theoriæ, & Praxeos.

§. I.

MEdicus jus ſuum in naturam recuperare non poterit, niſi parendo; natura enim parendo vincitur, in praxi per obſervationem, in theoria vero per ſectionem; & cum theoriæ baſis inhæreat philoſophiæ, ea profecto philoſophia theoriæ medicæ facem præfert, quæ naturam ſecat, & partes ejus debite ſeparat, prout fecit Democriti Schola, fecerunt-que hac ætate quamplurimi experimentales Philoſophi, quorum induſtria, quam ingens certitudinis cumulus theoriæ Recentiorum acceſſerit, omnibus eſt in confeſſo. Poſtquam igitur notum fuerit, quid obſervando praxis, quid ſecando theoria valeant, tunc mens ambarum ſubſidiis conſtanter inſtructa, indicationes curativas deducet certas, & qualibet duraturas ætate; in quantum ſcilicet rerum ferret inconſtantia & viciſſitudo.

II. *Fieri non poteſt, ut idem ſentiant, qui aquam, & qui vinum biberunt.* Antiquum hoc adagium non parum quadrat in Medicos, tam variis, & inter ſe pugnantibus ſectis hodie diſtractos: multi enim ex illis tam veteres, quam novi (ut de Philoſophis ſentit *Franc. Baco fol.* 321.) liquorem biberunt in medicina crudum, tanquam aquam, vel ſponte ab intellectu manantem, vel per dialecticam, tanquam per rotam ex puteo hauſtam. Unde nil mirum ſi longe aliter ſentiant ac *Hippoc.* ejuſque Aſſeclæ, qui liquorem biberunt, Poſteriſque exhibuerunt ex infinitis confectum obſervationum uvis, iiſque maturis, & tempeſtivis, & per racemos quoſdam collectis, ac decerptis, ſubinde in torculari preſſis, ac demum in vaſe repurgatis, & clarificatis. Cognoverunt enim optime hi ſagaces Viri, nil prorſus conferre leniendis hominum morbis, opiniones abſtractas, & ſyſtemata mentalia, quibus veluti ad columnam induſtria hominum alligatur in medicina excogitare, & fingere; ſed ingenium rebus ſubmittere, naturam parendo vincere, & auſtera prorſus obſervandi patientia, ea detegere præcepta, quæ convocatis generalibus Medicorum Comitiis, ab omnibus indiſcriminatim, tanquam certa ſalutis numiſmata recipiantur.

III. Hactenus medicina curioſa, & nimia fuit in inanibus: ſtupens, & auſtera in contemplandis, comentandiſque paucorum hominum operibus; luſcioſa, atque hebes in inveſtigandis naturæ, & morborum effectibus. Quamobrem quid mirum, quod antiquis adhuc cohibita finibus, nil certi pronunciare valeat de conſummata morborum hiſtoria, nec non de indicationibus, remediis, & præceptis cuilibet illorum neceſſariis; ſed magis magiſque confundatur, decreſcat, & quaſi hæreat, eidemque a ſpeculationum fumis exaltatæ illud idem accidat, quod ſtatuis Ethnicorum, quæ adorantur, & celebrantur, dum interim nec moventur, nec proficiunt? Contra artes mechanicæ experimenta jactantes, quaſi aura vitæ præditæ eſſent, quotidie creſcant, & perficiantur? His generaliter animadverſis examinandum ſubinde erit, quid quantumve tum Recentiores, tum Antiqui in theoria, & praxi profecerint; quid quantumve unaquæque illarum conferat ad morbos recte curandos.

VI. Theoria Recentiorum multo certior eſt theoria Galenicorum. Illius namque fundamenta jacta ſunt in experimentis ſedulo & coacervatim factis, ex naturalis philoſophiæ penu depromptis, morborumque cauſas, & ſymptomata, non per incertas conjecturas, ſed per mathematicam veritatem, tanquam per radios ſolis delineat, & demonſtrat, quæque olim apud Barbaros barbara evaſerunt, & apud Doctos in dubium revocabantur: nunc clara luce coruſcant, diſcuſſa ambiguitatis nebula. Contra Galenicorum theoria non ſolum per inanem quæſtionum exercitationem, imbecillos moltorum animos a recta Praxeos ratione abducit; verum moleſta rerum jam dictarum repetitione, inventionis ſterilitate, argutiarumque dialecticarum in rejiciendis, & retorquendis argumentis oſtentatione denſiſſimas ſuæ praxi tenebras obducit, confuſo prolixoque illo argumentandi genere, incertas pariter, & obſcuras indicationes in curandis morbis exponit; unde profecto tot abſurda, tantaque diſſidia in ſecta, & ſectatoribus Galeni ſemper extiterunt. Quod ſuperius de Theoria Recentiorum diximus, hoc idem ipſorum praxi auguramur impoſterum. Et cum omnes pene diſciplinæ ſingulari quodam Dei beneficio, ex diuturnis quaſi jactationibus hac ætate conquieſcant, & eximios quæque progreſſus faciant, neſcio quo fato ſola medicinæ praxis antiquis adhuc cohibeatur finibus, tantiſque ſtudiis a theoretica illius parte ſuperetur.

V. Praxis Galenicorum maximis propemodum intervallis Recentiorum praxim antecellit. Siquidem ſive diagnoſeos, ſive prognoſeos, ſive curationum, illis theoriarum fæcibus intermixtarum ſolertiam, & pondus conſideremus, ingenti commendatione dignos judicabimus. Hæc majorum noſtrorum in praxi felicitas, non aliunde proveniſſe mihi videtur, quam ab immortali illa in obſervando patientia, qua ſingulos hiſtoriæ morborum calculos non timide, & per vices, ſed ordine gravi, atque maturo

expendere decreverunt. Et cum naturæ atque experientiæ lumen perpetuum ſit, ac conſtans, fieri vix potuit, quin illis ſuperſtructæ obſervationes, per tam longas annorum ſeries, magis magiſque fuerint comprobatæ. Id præ ceteris in *Hipp.* obſervamus, qui tamquam Vates inſpiratus, magna prævidens rei medicæ adventura diſcrimina, ſi tale maturum & repetitum obſervationum ſtudium negligeretur, primus omnium experientiam continuam, & coacervatam adhibuit, & de natura, naturam potius quam cogitationes proprias conſuluit; qua demum via ad veros morborum fontes Medicos perduxit. Recentiores contra perfectiones, & experimenta rerum naturalium aliquam theoriæ certitudinem nacti, putarunt quod hæc eadem theoriarum certitudo redundatura quoque ſit in hiſtoriam, & dogmata morborum curativa, abſque eo quod hæc novis, & ſibi propriis indigerent exercitationibus. Unde non tantum illam ſolam omni ſtudio excolueurnt, ſed quod pejus eſt de praxi per regulas theoriæ judicando, & utraſque ad invicem confundendo, univerſam pene artem conturbarunt, & pernicioſis erroribus, quos hodierna medicina moleſte fert, anſam dederunt incredibilem. Theoriæ munus eſt rationem reddere phænomenon in morbis apparentium, antecedentia cum præſentibus recte comparare, occultas morborum cauſas, & veros cauſarum fontes inveſtigare, aliaque id genus explanare, ut Medicus in determinandis indicationibus apertius nec Empiricorum more progrediatur. Praxeos vero, morborum hiſtoriam abſolvere, de adhibendis remediis, explendiſque indicationibus judicare, & graviora quæque curationem morborum ſpectantia per experientiæ leges examinare. Quique his contraria faciet, atque de praxi per regulas theoriæ promiſcue judicabit, nunquam felices eventus in curandis hominibus expectet. Quamobrem qui ad veterum practicorum, ſcholæ Coæ aſſeclarum, lectionem ſtudioſe contulerit, quique ſingularem illam praxeos vim, quantum poterit, fuerit imitatus; hunc demum veritati amicum eſſe certo fatebimur. Urgete igitur hanc tam præclaram occaſionem Juvenes; atque repudiatis malis Suaſoribus in antiqua Praxeos ſtudia incumbite, a quibus tanquam ab uberrimis quibuſdam fontibus, omnis ad nos ſapientiæ practicæ promanavit cognitio, & illis profecto nulla alia ſtudia, aut ad uſum uberiora, aut ad laudem commendatiora reperiuntur.

VI. Quod ſpectat ad alterum argumenti caput, utra magis curationi morborum conferat, theoria ne, an praxis: Sciendum eſt antea nullam hujuſmodi apud priſcos Græcos medicinæ in ſpeculativam, & practicam fuiſſe ſubdiviſionem. Primus *Jevain* Medicus Arabum, vel ſpeculationum jucunditate allectus, vel Praxeos labore in comparanda morborum hiſtoria, & obſcuriſſimis eorundem cauſis inveſtigandis perterrefactus, illam excogitavit: ſed paulo poſt ab *Alcorazoen* redargutus eſt, ut fuſe notat *Averroes tract.* 1. *part.* 1. ſuper Cant. Neque miror ſi nulla hujus diviſionis mentio fiat in monumentis Scholæ Coæ, & reliquorum Græcorum ad Galeni tempora; nam, ut pluries, & fere ad nauſeam hoc in opere animadvertimus, pro certo habebant illius ſcholæ Profeſſores, medicinam, uti ab obſervatione originem habuit, ita & per obſervationes, addiſcendam, ac ad uſum publicum reducendam fore. Quodque nos per leges Theoriæ, id illi ſola mentis perſpicacitate longo uſu confirmata peragebant; qua perpenſis adamuſſim anteactis de natura, & hiſtoria morborum obſervationibus, & ad ſanandum hominem ſerio accommodatis, indicationes curativas decernebant. Interea temporis Empirica quoque Secta caput extulit: hæc abnegatis quibuslibet theoriis, imo quolibet ratiocinii genere in medicina, ſola in curandis morbis utebatur experientia, ſed ea mere ſtupida, non repetita, caſu, non ductu inventa, ac prorſus circumforanea; cujus de cauſa, tot tantaque abſurda medicinæ ſupercreverunt, ut actum pene de illa eſſet, niſi Galenus ſæculo circiter primo Æræ Chriſtianæ, præſentaneo remedio, ideſt inſtituta, vel potius ſtrenue, ac prudenter confirmata Secta Rationali creſcentium errorum vim cohibuiſſet. Hæc duobus veluti fulcris innitebatur, rationi ſcilicet, & obſervationi. Rationi tamen præcipuæ tunc temporis tribuebantur partes; tum quia verebantur, ne in eos inciderent errores, quos antea reprehenderunt in Empiricis, falſo obſervandi genere utentibus; tum etiam quia elegans, & argutum ratiocinium quod Secta illa, & inter ceteros Galenus præferebat, magis alliciebat animos, quam auſterum, patiens, & repetitum obſervandi genus, quod præcipiebat Schola Coa. Ab eo igitur tempore aliqualis veluti ſubdiviſio medicinæ in ratiocinantem, & obſervantem orta eſt, & per ſubſequentes ætates frequentata magis fuit; donec tandem ab Arabibus manifeſte ſeparata fuit in Speculativam, & Practicam, ſicuti revera hodie in uſu eſt. Speculationes hæ ſive theoriæ, quoniam ſingulæ alicui philoſophiæ innitebantur, & juxta illius præſcripta decernebant; pro varietate philoſophiarum, variæ quoque ſemper fuerunt, & exinde varia in praxi medica conditio, & fortuna. *Valeſius* Vir doctiſſimus præcepta practica hinc inde quamplurima ſuis ſcriptis inſeruit, & plura forſan inſeruiſſet, niſi rerum dialecticarum ſtrenuus aſſertor, & vindex de hiſtoria, curatioueque morborum per contentionum diſciplinam pronunciaſſet. Eodem charactere notandi

ſunt

ſunt *Argenterius*, *Maſſarius*, *Mercatus*, & magna pars Galenicorum, qui per tria ſuperiora ſæcula floruernnt; præ ceteris tamen *Capivacius*, cujus opera obrationes ſupradictas acriter notavit *Gaſp. Hofmannus*. Contra feliciter inſtituta, ac promota hoc ſæculo philoſophia naturali & experimentali; eidemque admota & innixa theoria medica, quis eſt, qui non fateatur praxim exinde dilucide explicatam confirmataмque fuiſſe?

VII. Poſtquam Medici per principia geometrico-mechanica, nec non per experimenta phyſico-mechanica, & chymica corporis animati ſtructuram, & effectus examinare cœperunt; non ſolum innumera ſuperioribus ſæculis ignota detexerunt; ſed cognoverunt, revera corpus humanum quoad actiones naturales, nil aliud eſſe, quam complexum motuum chymico-mechanicorum, a principiis tamen pure mathematicis pendentium. Nam ſi compagem illius attente quis luſtraverit, inveniet perfecto in mandibulis, ac dentibus forficem, in ventriculo phialam, in venis, arteriiis, ceteriſque canalibus tubulos hydraulicos, in corde embolum, in viſceribus cribrum, ſeu ſecernicula, follem in thorace, vectis potentiam in muſculis, trochleas in angulis oculorum, & ſic de reliquis. Et quamvis Chymici per voces fuſionis, ſublimationis, præcipitationis &c. phænomena rerum naturalium explicent, & ita philoſophiam ſeparatim conſtituant, revera tamen ea omnia ad vires cunei, æquilibrii, vectis, elateris, & ſimilium mechanices principiorum referri debent. Cum igitur effectus naturales corporis animati nulla alia via facilius, clariuſque explicari poſſint, quam per principia mathematico-experimentalia, quibus ipſamet loquitur natura: putamus pariter effectus ejuſdem præternaturales, & morboſos via alio certius, & evidentius demonſtraturos, quam prædicta; ideoque theoriam quæ talibus innititur principiis eſſe reliquis omnibus certiorem. Si morbi a ſolidis vitiatis dumtaxat penderent, certe origines, & cauſæ effectuum morboſorum in eis exiſtentium facillime per antedicta principia inveſtigarentur, notarenturque: at quoniam major pars illorum fluidis varie affectis originem debet, ideo nil mirum, ſi per principia theoretico-philoſophica veram ac genuinam morborum cauſam inveſtigare nunquam poterimus. Quiſquis enim in quacumque hypotheſi & philoſophia vel peritiſſimus, poſt longas meditationes, exercitationeſque in invenienda vera natura partium componentium quoſcumque humores; tandem coactus erit fateri, quod minima componentia humorum ſive naturalium, ſive morboſorum corporis humani viventis, nulla arte, & nullis ſpeculationibus inveniri, ac determinari unquam poterunt. Et quicquid hac de re Medici aſſerere conantur, nil aliud vere ſunt quam ignes fatui, qui rei corticem ne quidem attingunt. Quamvis ignota nobis ſit talium humorum vera configuratio, & textura, ad curationem tamen ſufficiet per experientiam noſſe varios eorumdem motuum progreſſus, exitus, & declinationes, qui utpete a natura excitati, & directi, veros indicationum fontes nobis adaperiunt in exhibendis, mutandiſque remediis. Hæc cum vera ſint, fatebimur ſane artem curandorum hominum ſolo uſu, & exercitatione comparari, adeoque praxim præ theoria (quod fuit alterum ſuperioris argumenti caput) curationi morborum magis conferre. Subtiliori quolibet mathematico ſubtilior eſt natura; ideo quæcumque de medicina meditatus fueris pro veris non habeas, niſi prius ad lydium praxeos lapidem revocaveris, quod ſi repetita experientia inveneris vera, pro veris ſemper habeto. De bono, aut malo vino judicare non poteris, niſi guſtaveris. Perfectus Muſicus non erit, niſi cecinerit: Nec Miles ſtrenuus, niſi bella geſſerit. Multa homines in Muſæis excogitant, quæ rationi conſona, ac proſus certa exiſtimant; ſed quando ad uſum deſcendunt, non ſolum abſurda, ſed pene impoſſibilia deprehendunt. Contra quamplurima (præcipue ſi de curationibus & remediis loquamur) dum primo proponuntur inutilia, rationique omnino contraria judicantur; vel quia hypotheſi noſtræ adamuſſim non quadrant, vel quia probabilem illorum rationem reddere neſcimus. Si tamen ad praxim & experientiam revocentur, utilia, & certa experimur. Subſidia igitur multo ampliora Medicinæ acceſſura fore ſperamus, ſi theoriæ, & praxi talia impoſterum utriſque dentur, qualia utriſque debentur.

CAPUT XII.

Methodus ad Tyrones de Morborum hypotheſi recte conſtruenda.

§. I.

QUæ fundata ſunt in natura creſcunt, & perficiuntur: quæ vero in opinione variantur, non augentur. Hoc ultimum accidere potiſſimum in re Medica, quando hypotheſi minus certæ, ac mere opinativæ innititur, quotidie obſervamus. Imo ſi diligenter quiſpiam inquirere velit quid præ ceteris impediverit, quo minus certum aliquod ſyſtema de re Medica determinari potuerit, non alia de cauſa factum id eſſe inveniet, quam quod Medici vires mentis viribus experientiæ debite accommodare

atque

atque adjungere noluerunt. *Cesalpinus* Italus acutissimus primus omnium sanguinis circulationem detexit, eamque 24. horarum spatio fieri judicavit, ut fuse notat *quæst. peripat. lib. 5. quæst. 4.* Quoniam tamen sola mentis acie ad præclarum hoc pervenit inventum, nec unquam opportunas eidem perficiendo anatomicas observationes, rerumque naturalium experimenta adhibuit: ideo nil mirum, si & operis argumentum reliquerit imperfectum, & ipse velut Athleta quidam Dialecticus, mentis viribus dumtaxat confisus ceciderit in arena. Quod animadvertens Harveus, non solum rationem, sed experientiam ipsam hac de re consulere voluit; idcirco tamdiu naturam experimentis vexavit; tamdiuque sectionibus lacessivit, donec tandem ad veritatem fatendam coegerit: Et ita præter omnium expectationem ex quadam veluti missione rationis, & experientiæ æternum circulationis inventum complevit, quod sane tanquam nuncius veritatis trans Alpes, atque trans Maria, in omnes denique Medicorum omnium Academias admirabili celeritate penetravit, & ab omnibus indiscriminatim receptum fuit. Quibus sane de causis, puto eidem non eventurum quod ventis solet, qui cum vehementissimi sint unde oriuntur, ad longinquas tamen regiones fracti fere debilitatique perveniunt; sed quod ingentibus, & peramplis fluminibus, quæ cum ab ortu ipso magna sint, perpetuo tamen aucta, & tumefacta progressu eo majores undas volvunt, eo amplioribus feruntur alveis, quo a fontibus suis longius recesserunt.

II. Studia sunt opinionis, non naturæ, quæ jactarunt hactenus Practicantes; ut reliqua silcam, præsto nunc sit febris, de cujus essentia tantæ hoc sæculo excogitatæ sunt hypotheses, ut bilem moverent sagacioribus. *Jacobus Sylvius* cum universa *Bontekoet* Schola judicavit calorem non esset febris causam, sed effectum, & symptoma? pulsumque celerem non esse unum ex signis indicantibus sanguinem celerius moveri, sed tardius: adeoque febrium essentiam in coagulatione, sive incrassatione sanguinis constituit, hac fretus opinione sanguinis missionem in curatione frebrium, nec non remedia calorem temperantia prohibet; laudat contra spirituosa, volatilia, aliaque hujusmodi somniatam sanguinis coagulationem dissolventia. quæ indifferenter quovis morbi tempore in omnibus febribus præscribit, ut hypothesi e cerebro, non ab historia facti, deductæ satisfaceret. *Helmontius*, & parum ab eo discedens *Campanella* crediderunt febrem non esse morbum, sed morbi remedium, a natura potissimum excitatum, ut peccantem materiem humoribus confusam eliminaret; quamobrem decreverunt præcipuum curationis scopum in omnibus febribus eo potissimum collimare debere, ut ignis hic febriles augeatur per calefacientia remedia, & naturam, ut ajunt, roborantia, qua facilius citiusque hostem cervicibus suis imminentem possit deturbare. *Henricus Screta* Dioclis sententiam oblivione fere consepultam extitans, febres omnes ab inflammatione viscerum deducit; & cum inflammatio obstructionem tubulorum, sive, ut ait, impeditum sanguinis circuitum præsupponat, idcirco damnatis phlebotomia, purgatione, aliisque nimium sanguinis ardorem deprimentibus, sive refrigerantibus remediis curationem illarum omnium instituit per medicamenta dissolventia; spirituosa, alchalia, volatilia, & hisce analoga, præsuppositam viscerum inflammationem obstructionemque resolventia. Cartesiani Philosophi suis innixi principiis, novam quoque febrium excogitarunt hypothesim; putant illi in naturæ statu materiam subtilem veloci cursu massam sanguinis continuo permeare, & recto tramite poros ejus percurrere; qua ratione naturales in humoribus fermentationes producit, & fovet: at si contigerit poros illos conturbari, & crassiori substantia oppleri, materiæ subtilis velox, & continuatus transitus impeditur; hinc illa ingentes concitata agitationes, qua pristinum, ac liberum per massam sanguinis iter recuperare possit, motus excitat in sanguine vehementissimos: quos febrim appellant; pro cujus absolvenda curatione, ea remedia necessaria judicant, quæ spiritu, & tenuitate sua valeant crassam illam materiem poros sanguinis opplentem, & illorum rectitudinem subvertentem discutere, solvere, & per sudores, aliasque naturæ vias eliminare, ut ita materia subtilis liberum iter nacta, non impetuose, sed leniter, & juxta naturæ leges per humorum substantiam, & ut ajunt, porositatem transmeare valeat.

III. *Sylvii De le Boe, Bontekoei, Craanenii, Jones, Piens*, aliorumque infinitorum de febribus hypotheses, quæ ex Transalpinis potissimum ad nos devenerunt, omnibus sunt notæ, nec iisdem recensendis frustra tempus impendemus; nota pariter est & Gelenicorum de febris essentia opinio, qui falso imbuti præjudicio humores animalium viventium putrescere posse, non dubitarunt asserere, quod præcipua febrium pars ab eorundem putredine originem suam deducat, vulgarique illa opinione decepti, quod humidum sit productivum putredinis; ab aquæ potu tantopere abhorrebant in febribus, ut permitterent ægotantem in imminens potius vitæ periculum delabi, quam ne minimam aquæ guttam eidem tribuere; unde plurima in libris numerantur exempla eorum, quibus febre graviter æstuantibus, cum aquæ potus omnino interdiceretur, cor, & pulmones arefacti, & prorsus emarcidi fuerunt post obitum detecti. Hisce adnotatis; quilibet animadvertere facile poterit inter tot novas opiniones, & nova sæcu-

li

li cogitatâ, nec certiorem curandarum febrium methodum habitam, illius naturam elucidatam, quin potius confusam magis, ac perturbatam. Febris denique adhuc ardet, inquam, & in scholis & in ægrotantium laribus, ejusque incendia latius propagata ingemuisset Orbis, nisi inter tot Scriptores unus hoc ævo præluxisset *Thomas Sydenhamius* artis nostræ ornator, & ornamentum, qui sepositis opinionum commentis ad observationes prorsus se dedit, & a prima ætate ad extremum usque senium cum natura cohabitavit, qua ratione demum probabiliorem de febrium indole hypothesim, curationemque patefecit, tantaque ingenii, & doctrinæ laude iisdem curandis excelluit, ut a conterraneis suis Medicus febrium vulgo esset nuncupatus, prout ab Anglis peregrinantibus per Italiam pluries audivi.

IV. Si qui paulo diligenter nonnullas Recentiorum hypotheses, earumque fundamenta examinaverit, fatebitur profecto Auctores illos, vel ad delectationem novo speculandi genere afferendam motos fuisse, vel opportunas iisdem efficiendis leges ignorasse. Tot namque hypotheses (ex his judicari poterit de reliquis) de chylificationis natura hoc sæculo prodierunt, quot experimenta, aut e furno eduxerunt Chymici, aut e laboratorio naturæ Philosophi experimentales: utrique ipsorum cum observassent ex mixtione duorum, vel trium corporum prodire tertium quid coloris subalbi, non dubitarunt asserere, quod eodem propemodum artificio chylus in ventriculo elaboretur, & ad mutationem in sanguinis naturam disponatur. Et quod gravius his est indicationes curativas in cruditatibus, inappetentiis, aliisque læsæ chylosecos malis, quæ a diuturnis talium morborum, eorumque symptomatum observationibus peti debebant, ab exterioribus illis, ac fortuitis dumtaxat rerum experimentis, & mixtionibus petierunt. Sed præterquam quod falsum est, quod coctiones, separationes, dissolutiones, aliæque in visceribus animalium naturales functiones adamussim fiant, ac in furno chymico fieri solent; hic intempestivus transitus a duobus vel tribus experimentis cujuscumque demum generis, ad formanda systemata generalia, non solum præcludit nobis viam, quæ ad detegendam cujuslibet rei naturam recta ducit, sed novis in dies atque novis obruit erroribus in praxi medica exercenda.

V. Neque quis putet, me male adversus hypotheses affectum, paulo durius easdem præfato dicendi genere tractasse, quod idem est, ac in medicina ratiocinium negare. Nam præterquam quod studium illarum, dum naturæ legibus adamussim respondent, semper prosecutus sum, illudque aliis suasi, ita nihil magis mihi cordi fuit in opere, quam hypothesim observationi strictius, quam antea adjungere, & aliquam inter eas concordiam procurare. Quod vero molestus interdum, ac ferme putidus primo hoc libro fuerim, in ferendo de hypothesibus judicio, effecit id tum nimius Medicorum in iisdem hoc sæculo excogitandis abusus, tum præpostera ad curandos morbos earundem applicatio.

Formica colligit & utitur, ut faciunt Empirici, qui hinc experimenta venantur, iisdemque nec observatione repetita confirmatis, nec dilucido examinatis ratiocinio, paulo post indiscriminatim utuntur. Aranea ex se omnia fila educit, neque ullam ab aliis animalibus materiam petit; ita faciunt Medici spaculativi ac mere sophistici. Apis deinque ceteris se melius gerit: hæc indigesta e floribus mella colligit, deinde in viscerum cellulis concoquit, maturat, iisdemque tamdiu insudat, donec ad integram perfectionem perduxerit. Hoc genus Medicorum apis æmulum desideratur in arte nostra, nonnulli namque tantum abstrahunt, donec ad materiam potentialem; & informem pervenerint; alii contra cum nimii sint in particularibus sensui subjectis, nec ratione examinatis, tanta rerum confusione tantopere interdum turbantur, ut nonnulla tanquam nimis humilia aspernentur, nonnulla vero ut nimis ardua pertimescant.

VI. Dum interdum considero vim, & effectus imaginationis auctorum; qui ad novas excogiandas hypotheses sunt proclives, observo duabus potissimum de causis ad hoc innovandi studium compelli: vel ut aucupentur gloriam, qua novi rerum, aut opinionum inventores cumulari solent, & qui auctoribus parebant, ipsi inter auctores recenseantur; vel potius cum diu lectioni librorum insudassent ut probabilem aliquam rerum rationem invenirent, nec eam invenissent; tunc ad res marte suo examinandas, deiisque rationes reddendas se contulerunt. Quæ si contingebat, ut illis, vel aliis doctis Viris arriderent, majoris gloriæ avidi super eas integrum mundi, aut alicujus artis systema brevi stabiliebant. Et quoniam hi homines forti imaginatione sunt præditi, maximeque abhorrent audire servum pecus alienæ opinionis, suam mordicus tenent ceteriſque omnibus certiorem existimant. Si quid legendo, vel experiundo invenerint, quod vel minimum hypothesim suam confirmet, non solum in suas partes trahunt, & hypothesi varie confarcinant, sed summis laudibus tanquam rem certissimam deprædicant. Ceterum ingens ille amor systema suum æternum stabiliendi, ideas mentis mille modis confundit, & objecta rerum talia sæpissime illis repræsentat, qualia raperire cupiunt, non qualia revera sunt.

VII. Sed ad rem. Hypothesis ut perpetua sit, & stabilis, necesse est, ut non ab auctoris sui mente omnino educatur, sed ab ipsis rebus prodeat, ac ab observationibus, & certis naturæ phænomenis pendeat adamussim. Specimen hujus veri-

veritatis inter ceteros Philoſophantes nobis exhibent Aſtronomi. Totius Aſtronomiæ cardo eo potiſſimum veritur, ut ex obſervatis primo corporum cœleſtium phænomenis intellectus poſtea aſſurgat in theorias, ſive in hypotheſes ad normam Geometriæ accutare delineatas; quibus animo præconceptis, docteque examinatis, prædici demum & calculo definiri, poſſint corporum eorumdem motus, atque Sygizyæ. Primo igitur ingentem obſervationum ſeriem ſibi comparant Aſtronomi, deinde in theorias aſſurgunt ut probabilem illarum rationem reddant. Et quamvis complura, eaque inter ſe contraria Cœli ſyſtemata conſtituerint, Ptolemaicum nempe, Copernicanum, Thychonicum, Semithyconicum, &c. in aſtrorum tamen prædicendis phænomenis, eorumque motibus ſupputandis: ideſt in prædicendis eclypſibus, aſpectibus variis planetarum &c. ne minimum quidem in prædicenda adamuſſim veritate inter ſe diſcrepant. Hujus rei arcanum ex eo potiſſimum pendet quod quilibet Aſtronomorum, quamvis peculiarem aſtrorum theoriam ſuam quiſque animo cenceperit; ſingulorum tamen theoriæ ab una eademque corporum cœleſtium conſtanti obſervatione prodierunt; nam quicquid obſervavit unus, obſervavit etiam & alter. Sola ratio (quæ ſub theoriæ nomine venit) cur illa tali modo appareant, & fiant, cum ab hominum voluntare dependeat, varia lolet eſſe, prout varii ſunt modi concipiendi, & ſe explicandi ſingulorum hominum. Idcirco licet in ratione, ſive in theoriis diſcrepent, quoniam tamen ſingulorum ratio iiſdemmet cœleſtium obſervationibus inhæret, nil mirum ſi in prædicenda veritate concordes inveniantur.

VIII. Aſtronomorum veſtigiis inhærere deberent Practici in efformandis morborum hypotheſibus. Hoc efficient, ſi prius idioma didicerint, quo natura loquitur, & modos quibus eadem exprimitur; ideſt longam in obſervandis juvantium, & lædentium eventibus exercitationem. Poſtquam igitur per diuturnas obſervationes innotuerit tale quid in aliquo morbo frequenter, ac perpetuo tali modo ſuccedere; tunc mens aſſurgat ad formandam hypotheſim eamque ſtabiliendam ſuper prædictos conſtantes naturæ motus in hoc, aliove morbo tum producendo, tum ſanando. Hujus veritatis præter experientiam, aſſertorem habemus Dominum *Sydenamium* in affectionis hyſtericæ determinarda hypotheſi. Putat hic hyſteriam produci a facto, ac pene elanguido ſpirituum tono, cujus de cauſa in effervescentias, motuſque inordinatos adacti, hyſtericas convulſiones cum ſociis ſymptomatibus producunt. Hypotheſim hanc non eduxit vir clariſſimus e phantaſiæ ſinu, ut vulgo ſolent; ſed poſtquam pluries atque pluries obſervavit ſanguinis miſſionem, purgantia, ſyrupos acidos, aliaque hujuſmodi ſanguinis tonum enervantia remedia; necnon mœrorem, viglias, jejunia, cibos pravi ſucci, ſimileſque cauſas, aut attuliſſe, aut exacerbaſſe hyſteriam; contra chalybem, theriacam, medicamenta exhilarantia, & ſpirituoſo-oleoſa, equitationem, & longam moram in aere ruſticano, vina herbis amaricantibus alterata, & ſimilia, eandem vel eradicaſſe, vel magna ex parte mitigaſſe, non dubitavit aſſerere, ac in hypotheſim aſſurgere, quod hyſteria producatur a facto, ac pene elanguido ſpirituum tono, & maſſa ſanguinis, nobilori, ſive balſamica ſui parte depauperata. Ab eademque hypotheſi indicationes curativas petendas eſſe conſtanter affirmavit, & experimentis comprobavit.

IX. Quoniam præcipuum hypotheſeos munus eſt rationem reddere phænomenon in morbis apparentium, quo mens apertius procedere poſſit in hauriendis indicationibus curativis; neceſſe pariter erit, ut ea innitatur, ſive ut pronunciet per leges principii alicujus generalis, rebus omnibus communis, quodque ſit evidentiſſimum. Tale principium non aliud eſſe poterit, quam figura & motus. Figura namque talis eſt, qualis vere eſt, ſive percipiatur, ſive non percipiatur a ſenſu; vel ſive eo modo percipiatur quo eſt vel quovis alio modo percipiatur: motum pariter cum ſingula corpora ſuum habeant (quies abſoluta in corporibus non datur) per eumque omnes illorum alterationes, ſive in melius, ſive in deterius producantur, fieri vix poteſt, quin ratiocinia a primariis hiſce duabus corporum paſſionibus pendentia, certiora ſint aliis, principio alicui hærentibus longe diverſo. Patet id in theoria Recentiorum, quæ utpote fundata legibus mechanices figuræ, & motus, felicius, certiuſque phænomena morborum ſolvit, quam Galenicorum theoria inanibus qualitatum primarum, aut occultarum commentis addicta. Obiter hic monendum in confirmatione antecedentis, atque etiam præſentis theſis, quod quamvis plures excogitari poſſent circa morborum generationem, curationemque hypotheſes, toto quod ajunt cœlo inter ſe diverſæ, & aliquando quaſi per jocum fictæ, dummodo tamen ſingulæ eaſdem jactent ſtabiles, & continuatas morborum obſervationes, ſingulæ pariter æque feliciter morbos curabunt, ſicuti nuper de Aſtronomis in re ſua animadvertimus.

X. Certum eſt praxim a quadam veluti mixtione rationis, & experientiæ oriri, & per eandem confirmari: ſed ut tale inſtitutum feliciter, & ſine erroribus progrediatur, neceſſarium præceteris eſt, ut altera alterius jus non immerito ſibi arroget, ſed poteſtas judicandi, & decernendi in morbis, ſolis tribuatur obſervationibus: phænomena morborum ſolvendi, & rationem reddendi apparentium naturæ motuum concedatur hypotheſi. Quod ad me attinet, hypotheſi eoſu-

eousque inhæreo, quousque video naturæ vestigiis adamussim respondere, a quibus si vel minimum recesserit, relicta hypothesi, naturam sequor, optimam semper Ducem. Nam cum specificæ humorum alterationes, depravationesque in singulis morbis, vix ac ne vix quidem penetrari possint ab humanæ mentis acie; curationes pariter eorumdem dirigere cogemur non ad essentialem illorum naturam, sed ad causam eorumdem magis generalem, variando subinde curandi methodum, vel pro judicio naturæ spontaneo, quo in morborum eradicatione illa uti solet, vel experientiæ nostræ repetitæ, qua demum certiores evadimus, per quod medicationis genus quilibet morbus eliminari debeat. Sciant interea Tyrones, non aliud dari certius signum hypotheses, & ratiocinia nostra esse vera, quam si, cum ad praxim redacta sunt, curationes morborum juxta illorum præscripta feliciter succedunt: aliter, nimis eisdem credendum non erit. Qui hoc neglecto monito in pernicioſos errores incident, magis atque magis ignarum vulgus excitabunt ad objiciendum nobis scomma illud turpissimum. *In medicina decantantur tenebræ, & Noctuæ philosophantur Athenis.*

XI. Non opinandum, sed certo, & ostensive sciendum: neque disputandum, sed experiendum quid natura faciat, aut ferat, & quod ipsi per speculationes attingere non possumus, id in natura impossibila non supponamus, artis nostræ infirmitatem in naturæ calumniam vertentes. Sedulo, atque assidue cogitandum nobis est, ut novi modi, & novæ leges detegantur pro sanandis morbis incurabilibus; quorum nonnulli licet revera incurabiles sint, quamplurimi tamen tales sunt ob nostrarum virium tenuitatem, non vero ex impossibilitate eorumdem; nam si pluries ab aliis Medicis curati sunt, ut historiæ testantur, cur id perpetuo non fiat non video. Novi modi, novæque leges detegendæ sunt, ut rectius, facilius que sanentur ii, qui vulgo curabiles judicantur: Ut vita ad longam ætatem producatur, sive inveniatur methodus de retardanda senectute: Ut vera sanguinis, aliorumque humorum natura, sive genuina eosdem componentia tandem aliquando nobis innotescant: idque vel per analogiam cum aliis liquoribus animalibus, aut vegetabilibus, vel per inspectionem microscopio factam, statim ac e corpore educuntur, eosdem super pellucidum vitrum extendendo, vel alia analysi magis conformi: Ut reficiantur ægroti in ipso mortis agone constituti: nil enim turpius est, quam dum Medici ægrotum biduo, aut triduo ante mortem tanquam incurabilem deserunt; nec nova, atque nova remediorum genera usque ad ultimam vitæ lineam pertendant; nam quousque anima corpori inest, semper aliquid ex admirabili arte nostra utilitatis sperandum: Utrem: la specifica, & cuilibet morbo infallibiliter respondentia dignoscamus; aliaque sexcenta, quæ desiderantur adhuc in arte præstantissima; atque ita novis eleemosynis per manus nostras humanam familiam donet rerum conditor, & Creator Deus.

CAPUT XIII.

Quanti interſit præcepta, ſive certas conſtanteſque regulas ſtabilire, ad quas judicia ſua dirigere queat, in ambiguis morborum eventis hærens, perplexuſque Medicus.

§. I.

QUamvis ex antecedentibus theoriæ, & hypotheses necessariæ sint in Medicina, tum ad investigandos morborum effectus, & causas, tum ad methodum recte dirigendam: quoniam tamen dum ad ægrorum lectulos sumus, ut de curatione quippiam decernamus, frequenter expectationem nostram deludunt; & aliquando quæ circulationi sanguinis (hypothesi sane omnium certissimæ) contraria sunt, aut videntur, ægrotis utilia deprehenduntur; idcirco putamus nil magis in arte nostra opportunum esse, quam nova in dies investigare præceptorum genera, sive sententias quasdam longo usu, & matura confirmatas experientia, diagnosin, prognosin, curationemque morborum spectantes: utpote quæ ob rationes sæpius cap. 2. §. 7. 8. & seq. traditas, non solum raro fallunt, sed statim, & absque multis theoriarum ambagibus, veras, perpetuasque agendorum indicationes nobis manifestant. Neque mea hæc opinio commentum est animi timidi, ac fere semper dubitabundi, sed scribendi, docendique methodus ab Hippocrate suis omnibus in libris, & post illum a sagacioribus, quibusque practicis constanter observata. Atque si certo non cognovisset Vir ille magnus præceptivam hanc methodum, tum hominibus curandis, tum confirmandæ Medicinæ esse ceteris omnibus utiliorem, præstantioremque; eandem profecto ita mordicus non retinuisset in exercenda praxi sua, libriſque ut diximus conscribendis. Nos igitur illius vestigia secuti decrevimus nonnulla hic exponere præcepta, quæ vel optimorum librorum lectionem, vel per repetitam in variis Italiæ Xenodochiis observationem nobis certo innotuerunt, ut ita ad illorum exemplar Tyrones nova in dies atque nova præceptorum genera investigare conentur. Sint igitur.

In principiis acutorum morborum, ac inflammatoriorum purgandum non est, præsertim per cathartica vehementiora. Neque dicas multas febres ab adhibito purgante in principio statim jugulari; nam re diligentius considerata, tales febres vel erunt synochæ leves, vel

meſentericæ a cibis pravi ſucci copioſius ingeſtis, & primis viis adhuc hærentibus productæ; non autem vere acutæ, quæ tam brevi tempore non deſinunt ſed *Hipp.* teſte 14. diebus citius aut ſerius judicantur. Et quoniam cauſa illarum in principio morbi confuſa eſt ſanguineæ maſſæ, eidemque alte immerſa (quod Antiqui ſtatum cruditatis vocabant) ac per conſequens ad depurationes impar; ſi tunc temporis purgans medicamentum propinaveris, vel educes quæ educenda non erant, vel jugulabis ægrotum, vel quod frequentius obſervavi, febrem exacerbabis, & ſi fuerit ſimplex, duplicabis, innumeraque produces ſymptomata, quæ antea vel non erant, vel erant mitiora.

Porro initiis acutorum non ſolum purgandum non eſt; ſed neque diaphoretica volatilia, & reliqua hujuſmodi impetum facientia remedia exhibenda; ſanguis enim tunc temporis ſat ſuperque inflammatus, imo ad depurationes prorſus impar, ob eruditatem confuſionemque Peccantis materiæ illum exagitantis, ab antedictis remediis magis, magiſque irritatur, & excandeſcit; & exinde præceps ruit in caput, aut alia viſcera, in quibus lethales ſtagnationes, vel alia quamplurima producit ſymptomata, quæ ante illorum uſum non apparebant; utpote deliria, vigilias, ſudores non judicantes, anxietates, angores, ſitim, & reliqua hujus generis: ipſe tamen nil frequentius obſervavi poſt purgans vel aliud nimis impetuoſum remedium initio acutorum præſcriptum, quam febris exacerbationem, aut reduplicationem.

Inflammatione pleuræ, inteſtinorum, veſicæ &c. laboranti, ſi derepente remiſerit dolor affecti loci; febris vero augeatur cum pulſu intermittenti, ac debili, & reliqua pariter augeantur ſymptomata, pro certo habeto ſuperventurum paucis horis elapſis delirium & delirium paulo poſt mortem ipſam excepturam: in gangrænam namque deſiiſſe morbum denotatur.

II. Pleuritici, quibus abſceſſus fiebant ad aures, omnes ſanabantur, ut pluries vidimus.

Qui febrium initiis conatum vomendi habuerunt, & negligentia Medici, vel naturæ debilis impotentia, non vomuerunt, progrediente morbo graviſſimis correptos diarrhœis ſæpiſſime vidimus.

Obſtructione viſcerum laborantibus, ſi facies naturalem, & vividum adhuc ſervat colorem, talium hominum curationem ſuſcipito, nam facile ſanabuntur. Si vero facies a naturali ſtatu multum receſſerit, & pallor cum macie omnia occupaverit, ſi poteris curationem non ſuſcipias, taliter enim affecti non ſanantur; uteri tamen cancro affectis aliter ſe res habet: in iis namque facies color a naturali non recedit, ad venas perpetuo roſeas habent.

In peripneumonia ſi febris, tuſſis, & reliqua ſymptomata exacerbentur quinta die, quo major exacerbatio, eo mors certior ſeptima die.

Si ructas acidum, abſtine a vino, & ſanaberis; loco vini aquam aniſo, aut cinamomo alteratam ſumito, ſanatus vero denuo vinum aſſumas.

III. Iſchiade correptis, eadem hora, vel paucis elapſis a prima doloris invaſione, ſi purgans medicamentum dederis (ipſe uti ſoleo ſyr. de ſpina pontica cum vino) vix abſoluta hac, aut ad ſummum altera quam propinaveris, purgatione, æger certo ſanabitur; non ita vero, ſi morbus ad plures dies, & menſes fuerit protractus.

In morbis nunquam ab ægro diſcedas, niſi linguam inſpexeris: hæc ſtatum ſanguinis. Præ aliis ſignis, & apertius, & certius nobis indicat; reliqua namque ſigna ſæpiſſime fallunt; hæc aut nunquam aut raro, & niſi ſapor, color, aliaque linguæ accidentia ad naturalem ſtatum redacta ſint, nunquam ægrum tutum dato adſtantibus; aliter male conſules nomini tuo.

Quot diebus principium febris duraverit, totidem & augmentum, ſtatus, ac declinatio: & quale fuerit morbi principium, vehemens nempe, malignum, impetuoſum; vel contra lene, aut benignum, talia quoque erunt, facta comparatione, alia morbi tempora; unde ex ſolo morbi principio ſedulo, & ſagaciter conſiderato, prognoſticare poteris Adſtantibus durationem febris, nec non fauſtum illius, aut infauſtum eventum.

Apparentibus petechiis, nil amplius in primis viis movendum: ſiquidem ipſa etiam enemata, eo tempore ſummopere ſuſpecta ſunt.

Petechiæ quo tardius, & fere circa morbi ſtatum erumpunt, eo meliores ſunt; ad criſim enim & coctionem jam vergit morbus? & tunc cum apparent, bezoarticis, & diaphoreticis magis magiſque promovendæ; vitando interea, quantum fieri poteſt, alvi fluxum: Contra ſi appareant in principio morbi malæ ſunt, inſignem namque ſanguinis fuſionem, diſſolutionemque oſtendunt.

In febribus intermittentibus, ſi ſecundus paroxiſmus erit vehementior primo, tertius vero maximopere mitis, ſcias febrem circa quartum paroxiſmum totaliter ceſſaturam. Si vero quartus paroxiſmus vehemens fuerit: quintus vero magna ex parte remiſſior: tum in ſeptimo paroxiſmo integra febris ſolutio expectanda.

Omnes qui extinguuntur febre aliqua intermittenti, circa initia paroxiſmi moriuntur; raro autem in augmento, ſtatu, & declinatione.

In febribus intermittentibus urina eſt intenſe rubra, & colorem lateritium æmulatur; eſtque urina taliter colorata, ſignum fere pathognomonicum, & maxime familiare talibus febribus.

Si

Si urina profunda rubedine tincta sit, & aeri exposita sedimentum lateritium deponit, pro certo habeas, morbum illum, sub quacumque demum specie appareat, a fermento febrium intermittentium originem suam deducere, ut pluries, atque pluries observavimus.

IV. Quamplurimis morbis remediorum usus obest potius, quam prodest; prodest contra motus, & in rusticano aere exercitatio. Constans est doctissimorum Medicorum observatio, nonnullos morbos pertinaces, & chronicos, præsertim a longo mœrore, & animi pathematibus productos, nullis aliis remediis celerius obtemperare, quam equitationi in aere rusticano.

In colica bilioſa valde pertinaci; In phthisi cum fluxu colliquativo, & reliquis desperati morbi symptomatibus; In hysteria, & effectu hypochondriaco inveteratis: demum in chronicis morbis, & a viscerum obstructione productis, post alia incassum tentata, non invenitur præstantius, ac fere herculeum remedium, quam exercitium equo vehementer factum, primo quidem ad stadia, deinde ad multa milliaria, idque horis potissimum matutinis, & apricante Cœlo; prout sancte fatetur Vir magni nominis, *Thomas Sydenhamius*; sed multo ante ipsum *Hippocrates lib. de d'æta*. Neque obstat quod æger sit nimium debilis, & viribus adeo prostratis, ut ne quidem in lecto moveri valeat; siquidem in tali casu exercitium inchoandum primo erit rhæda ad pauca stadia; exinde vero sensim ad plura milliaria equitatione absolvendum. Per hujusmodi enim exercitium equitando factum, imi ventris viscera pedetentim succutiuntur (nam omnis equi succussio, tota quanta est in imum ventrem equitantis terminatur, reliqua vero membra pauciſſime exercentur) & per repetitas succussiones elanguidus, ac prorsus flaccescens fibrarum tonus restituitur; humorum, atque spirituum motus, vel imminuti, vel impediti excitantur; & quidquid hinc inde viscidi tatis viscerum glandulis inhæret, amissum circulum recuperat: quo pacto restitutis, atque post diuturnas equitationes exaltatis viscerum fermentis, non solum coctiones illorum, sed ipsæ pariter humorum separationes pristinæ felicitati, salubritatique restituuntur, & peccans materies, tam longo tempore iisdem inhærens, per opportunas demum naturæ vias foras eliminatur &c. Hoc exercitationis arcanum non est quod reticeam Popularibus Urbis Romæ, cujus atmosphæra Jove humido, & nebuloso fere perpetuo sordescens, ac proinde perexigua vi elastica gaudens, nil mirum, quod solidis humani corporis partibus flaccescentiam, fluidis vero inertiam, ac veluti lentorem quemdam afferre soleat: qua quidem de causa inter ceteros morbos Almæ hujus Urbis Incolis familiares, tres illi a doctissimo *Petronio* de Victu Romanorum descripti, præcipue ferociunt: capiplenium scilicet, sive assidua capitis gravitas, virium lassitudo, & alvi siccitas. Ex quibus omnibus abunde constat, in aere Romano, tam solidarum, quam fluidarum humani corporis partium motus, nimium languidos evadere; atque hoc nomine illius Incolis, magna salutis incommoda fere perpetuo allaturum, nisi per forinsecus adveniens exercitium humorum, & spirituum motus excitentur atque augeantur, quo possint per canales suos liberrime excurrere, & ita restituto utrisque debito tono, coctiones, separationesque in visceribus, & reliquis corporis partibus, juxta naturæ leges instituantur.

V. Pessimum signum erit, si circa initia status morbi urina rubicunda, & contentorum excrementitionum copia valde satura sensim mutetur in tenuem, & pallidam: si pulsus evadat celerior, debilis, ac fere vacillans: denique si quidam tendinum subsurtus, præcipue dum pulsum ægrotantis tangimus, loquacitas, insomnia horrenda, & hujusmodi alia superveniant, Siquidem in tali rerum statu, breviter expectanda erunt funesta capitis symptomata, utpote deliria, vigiliæ, comata, vel etiam aliarum partium mala, sed præ ceteris febris in malignam mutatio.

Spirituum robur in febribus, ex pulsu certissime, & fideliter sumi potest; unde si robustus & æqualis ille fuerit, quamvis deliria, convulsiones, tremores, & prava alia generis nervosi symptomata appareant, bene sperandum: contra si pulsus fuerit valde celer, debilis, & vacillans utut reliqua symptomata salutem promittant, sempre timendum, cum tali namque pulsu mors præ foribus esse solet.

Omnes febricitantes quamdiu sputant, extra periculum, ut plurimum sunt in continuis æque, ac in intermittentibus: lingua sordida ubique suspecta.

Febris, si phænomena illius spectes, reliquis morbis est notior; si constitutionem & causam, omnium ignotissima.

Hydrope pectoris, vel abdominis, vel cachexia laborantibus, si color faciei rubicundus, sive mediocriter bonus, de repente mutetur in luridum, & plumbeum, æger repentina morte morietur paucis elapsis diebus, aut mense ad summum.

Filii Magnatum frequentius ex inutili remediorum copia, quam ex vi morbi pereunt, præsertim si acute laboraverint &c. paucis utaris, & cum prudentia.

VI. Iliacæ passioni si spontaneus alvi fluxus superveniat, aut acuta febris, brevi morietur æger.

Apoplexiæ, aut epilepsiæ si superveniat gutta serena, plerumque signum mortis est, vel vehementiæ morbi, &c.

Ilia-

Iliacæ paſſioni quo fortiora adhibueris remedia, ſive purgantia, ſive clyſteres magis irritantes, eo magis obſtruetur alvus, ob auctam ab illis fibrarum inteſtinalium criſpaturam, & contractionem, conferunt magis anodyna, emollientia, & diſſolventia.

Si Ileo ſupervenerint urinæ ſuppreſſio, ſtranguria, ſingultus, ventris inflatio, aut convulſiones, malum erit lethale.

Mania cum melancholia talem habent affinitatem, ut non raro mania in melancholiam tranſeat, & initia melancholiæ frequenter mania cum quid habent, ut obſervavit *Dodonæus* vir doctiſſimus.

Mulieres gonorrhæa laborantes, vel menſtruantes, circulum lividum, ſive plumbeum ſub oculis habent, quod inter diagnoſtica morborum muliebrium reponendum.

Cum pulſu parvo, frequenti, & quaſi vacillante in acutis, & periculoſis morbis, mortuos potius, quam ſanatos vidimus ægros.

Urina ſubjugalis (ideſt Bovum urinæ craſſæ, & turbidæ ſimilis) quando in acutis febribus, aut morbis apparet, ſemper mala capitis prænunciat. Si ea apparente pulſus ſint parvi & debiles, æger ad ſomnum inclinet, gravitate capitis afficiatur, &c. ſoporoſos affectus, & præſertim lethargum mox mox ſupervenientem prognoſticato. Contra ſi vigiliæ, capitis dolores, ſitis, linguæ ariditas, ardores viſcerum, & ſimilia cum tali urina vigeant, vel delirium, vel convulſiones, vel alios nervorum morbos jam jam imminentes prædicito. Sicuti urina ſubjugalis mala eſt in acutis, ita contra bona in nonnullis chronicis, utpote rheumatiſmo, doloribus articulorum, &c.

Tribus horis a prandio ſolent nonnulli affectionibus ſtomachi, ſed præſertim dolore, flatibus, cruditatibus, &c. tentari. Specificum in tali caſu expertus ſum pulv. ſtom. Querc. ad dragm. 5. cum potu Caphe tunc temporis ſumptum, præſertim in humida corporis, viſcidaque humorum conſtitutione; multo magis ſi æger intemperantius vivat. Tinctura cortic. lign. ſaſſafraſs. cum ſpir. vin. facta, & ad duo cochlearia tunc temporis ſumpta, & etiam in die repetita, flatus fere momento diſcutit. Tinctur. heder. terreſtr. cum eodem ſpirit. eadem præſtat.

Oleum menthæ in omnibus ventriculi morbis eſt proficuum.

Febris hectica Gallicorum, quamvis deſperata videatur, facillime tamen tollitur, ablato luis galiicæ ſemine per ſpecifica eidem opportuna.

Puerperis febri continua correptis, ſi ſurperveniat diſpnæa, ſive difficilis reſpiratio, ſemper periculoſa, nam magna ex parte moriuntur.

Inter ſigna fœtus mortui in utero ab Auctoribus recenſita, certiſſimum, & fere infallibile eſt teneſmus, ſive crebra voluntas fæces deyciendi, mulieri ſuperveniens, ut alibi quoque notavimus.

Icteri febribus ſupervenientes ſemper monſtri quid alunt, & raro illæ ſunt ſine malignitate.

Dulcia male olent in febribus; cave igitur quantum potes a ſaccharatis in illarum curatione, nam per ea exacerbantur; præſertim ſi hypochondriacis, hyſtericis, & pueris præſcribantur.

In malignis febribus præ ceteris conſiderandi ſunt oculi, lingua, & manus; lingua ſordida, & manus tremulæ in acutis, ſemper periculum portendunt.

In malignis febribus, in quibus a centro ad ambitum corporis noxius humor pellendus eſt, ante expulſionem reſpiratio laborioſa eſt, & ingentes præcordiorum anxietates adſunt; facta expulſione paulatim declinant: Idque in febribus petechialibus, morbilloſis, varioloſis, ſcarlatinis, & ſimilibus obſervavimus non ſemel.

Bubones quo citius in peſte erumpunt, eo melius: nam ita internæ partes a veneni labe præſervantur.

Pruritus narium eſt infalibile ſignum ſynochi ſimplicis, necnon lenis mador cutis *ex Valdchmidio*.

Obſervavi lypiriam febrim ſupeveniente cholera ſtatim, ac prorſus feliciter pluries ceſſiſſe; non ita apparentibus ſudoribus, aut urina: caute igitur procedendum cum diaphoreticis, & diureticis in tali febrium genere.

Cum petechiis nunquam ſalutarem vidimus ſanguinis hæmorrhagiam, præſertim ſi magnus graviſſimorum ſymptomatum aderit apparatus.

Obſervavi in febribus ex mutatione aeris Romæ, quod quando ſanguis mittebatur ex brachio, ſtatim ſuccedebat ſopor, non ita, ſi ex pede.

Obſervavimus in *Xenodochio*, omnes fere ab acutis morbis evaſiſſe, quorum ſanguini venæ ſectione extracto cruſta alba, atque chyloſa ſupercreſcebat; contra mortuos, quorum ſanguis valde rutilans erat, ſive cum ſuperficie nimium rubicunda, Romæ æſtivo tempore ann. 1693.

Omnes acutas febris per ſanguinis miſſionem curare incipio: ita mihi dictante experientia, & ſæpiſſime obſervavi poſt ſanguinis miſſionem ſuperveniſſe ſudorem cum levamine patientis.

In malignis febribus dum ſanguis mittebatur ex brachio, æger in pejus ruebat, & totus morbi impetus ferebatur ad caput, unde paulo poſt delira, ſopores, &c. contra miſſo ſanguine ex pede melius habebat: idque obſervavimus Romæ in *Xenodochio*.

Guttas roſaceas, aliaſque faciei morboſas rubedines, irritis aliis, cauterium cruribus affixum ſanat, teſte *Mercuriali lib. de decoratione cap.* 13. Ideque mihi pro magno ſecreto dedit Patavii doctiſſimus illius Urbis Medicus.

In

In faciei morbis purgantia omnem quoque paginam absolvunt, ut præter experientiam testatur divinus Senex in *Coacis*. Perturbata alvus ut pauca sæpissime subducat, delet faciei exanthemata. Et lib. 2. de diæta. Exinanita alvus humorem ex reliquo quidem corpore universo, ex capite autem potissimum ad se trahit, cum incaluit. Vacuatione autem capitis expurgantur oculi, aures, &c. ipsa tamen facies clarior fit, & nitidor: hæc ille.

Febres, quæ cum magna syncope, singultu, aut vertigine incipiunt, vocantur a Medicis syncopales, singultuosæ, & vertiginosæ: harum curatio inchoanda statim est vomitoriis, nam fomes febrilis in ventriculo latet, humor scilicet acris & erodens, qui tunicas ventriculi vellicando, & afficiendo, per consensum cor, diaphragma, aut caput offendit, unde prefata symptomata. Vomitorium in hisce febribus mihi familiare est, oleo amygd. dulc. cum aqua tepida. Vomitu peracto diluisque per eum acribus salibus, statim utor testaceis, dulcificantibus, & emulsionibus, cum sero lactis, vel decoctione Flor. viol. & ita feliciter sanantur.

In febribus, vel aliis quoque morbis, qui cum magna anxietate incipiunt, ægri inquieti sunt, loco stare nesciunt, hinc inde per lectum agitantur, &c. præfatus acris humor tunicas ventriculis afficiens (unde tot mala) accusari quoque debet: Unicum remedium in talibus anxietatibus, & inquietudine est vomitivum antimoniale, ex croco metall. cum vino, vel aqua tepida, & oximell. scillitico; nam absoluto vomitu statim liberatos, vidimus, multo magis si cardialgia, & affectibus stomachi sensibiliter lædatur patiens: Post vomitoria ad præcautionem dari poterit pulvis *Marci Cornachini*, &c.

Quo febris magis ad statum vergit, eo minus utendum est refrigerantibus, ne per ea crisis impediatur; circa initia vero liberalius præscribenda, nam tunc nimia febrilis caloris acuties, impetus, & orgasmus, gravissima minantur mala, nisi per prudenter repetita humectantia, & dilu entia leniantur, motusque sanguinis ad eam reducantur mediocritatem, quæ absolvendæ depurationi sufficiens est.

In lethalibus pulmonum morbis cum febre, & sine febre fere semper circa finem observavimus affectiones capitis, sopores nempe, lethargum, vertigines, oculorum caligines, &c. Erysipelate faciei laborantes vidi brevi curatos post præscriptum purgans remedium, ægri naturæ accomodatum: idque in secretis erat Medico Patavino mihi amicissimo.

Senes alvus adstricta juvat, Juvenes alvus fluida, *ex Celso*.

Qui pertinaci raucedine laborant, hectici moriuntur anno vix elapso, ut bis observavimus

Dolores capitis magna ex parte a stomacho fiunt, & si hæc sedulo tibi constent, utere stomachicis, diæta, & clysteribus. Non intelligimus hic dolores gallicos, & hemicranias inveteratas, quæ aliunde ducunt originem.

VII. Naturæ monitis parendum, & licet captum nostrum fugiant, itidem parendum; ea namque non per fortuitas, sed constantes & perpetuas leges progreditur. Id ex sequentibus historiolis clarius patebit. Patavii vulneratur mulier, sclopeto minimis globulis onusto, circa finem costarum mendosarum sinistri lateris: vi sclopeti fracta fuere ossicula Balenæ, quæ suffulciunt pectoris indusium more muliercularum; in progressu curationis vulneris, superveniente gravissima tussi, varia illorum ossiculorum ramenta per tussim excrevit magna cum adstantium admiratione: quibus viis id fecerit natura, ignotum est. Sanato vulnere corripitur Patiens intolerabili dolore inter utramque natem; dolorem excipit tumor, & inflammatio, quibus ad suppurationem perductis, cum aperuisset lanceola affectum locum Chirurgus, præfatos globulos plumbeos thoraci vulnerato inflictos ex dissecta parte prodire vidimus, magno item nostrum omnium stupore; & ita paulo post perfecte convaluit Mulier, &c.

Vir eruditus Romæ, injecto sibi clystere ex aqua tepida, hanc in intestinis omnino retinet, & paulo post per urinam totaliter reddit, absque eo quod ne gutta quidem per alvum exeat: idque sæpius illi contigit, ut mihi narravit. Huic observationi non absimilis est illa *Baniveni Florentini, observat. raricrum cap. 7.* ubi ait, quod Puer duodecim annorum, postquam per septem dies urinæ suppressione laborasset, eamdem demum excrevit per alvum, & sanavit. Diu insudarunt Anatomici in detegendis viis, ab intestinis ad vesicam recto tramite aquas ducentibus, sed frustra. *Benetus tom. 2. Medic. septentr. fol. 652. Transact. Angl. tom. 4. num. 67. 30. Octob. 1570.* de his ductibus sive novis canaliculis mentionem faciunt, sed non adhuc veritas ex toto patefacta est, unde non eis plena fides præstatur. Ceterum si quis assereret talia aquarum itinera per pores vasorum, & membranarum ad vesicam fieri, prout videmus vi purgantis aquas hydropicorum, e cavitate abdominis in intestina intravasari, bene an male sentiret, apud Sapientes judicium esto.

Vir quadragenarius hæmorrhoidibus obnoxius, in medio pectoris tumore duro, & prominenti diu conflictatus fuit, & irritis quibuslibet remediis tum intra, tum extra per novem menses adhibitis, de salute desperabat. Supervenient e derepente fluxu hæmorrhoidali, statim, ac fere ad stuporem evanuit tumor pectoris supradictus, & æger convaluit. Hic idem Patiens ob hæmorrhoidum suppressionem sæpe corripitur rubris quibusdam tumefactionibus in digitis manuum, & irritis quibusvis remediis diu

durant, ſed apparente hæmorrhoidum fluxu poſtridie evaneſcunt. Plura hic adducerem exempla de eximia utilitate, quam non obſtante ſanguinis circulatione, apertio venarum hæmorrhoidalium, præ aliarum venarum apertione afferre ſolet iis, qui hypochondriorum morbis, doloribus ſcilicet, & caloribus eorumdem, gravitate lumborum, flatibus, tenſionibus, borborygmis, aliiſque hujuſmodi naturalium viſcerum & quam plurimis vitalium, & animalium laborant; ſed quoniam *Hipp. l. de humor. & 6. Epid.* commoda fluxus ſanguinis hæmorrhoidalis his verbis expreſſit, ideo plura dicere ſuperſedebimus; ait igitur Hippocr. *Qui hæmorrhoidibus laborant, ii neque pleuritide, neque peripneumonia, neque ulcere excedente, neque furunculis, neque tuberculis a circeris ſimilitudine Terminthi dictis, ac forte, nec lepra, aut vitiligínibus capiuntur.*

VIII. Si pleuritici non repurgari incipiant quarta die, ſed febris augeatur cum aliis ſymptomatibus, necnon magna ſpirandi difficultas cum ſtercore ſuperveniat; ſeptima die moriuntur: in hiſce pedes tumefieri ſolent ante mortem, & oculi caligant.

Calculum veſicæ adamuſſim mentitur Scirrhus veſicæ, ut bis in cadaveribus vidimus.

Urina craſſa, & ſedimentoſa, albicans, viſcida, matuliſque adhærens inter ſigna calculi in veſica non infimum locum obtinet,

Qui aneuriſmate interno laborant, vel ex ſputo ſanguinis, vel derepente moriuntur: Caveant hi omnes a nimio motu, venere, ira, liquoribus ſpirituoſis, & quicquid ſanguinis motum adauget, ac perturbat: utantur dicti lacte, cibis aliquantum viſcidis, & motu moderato.

Aneuriſmata fiunt a rupta tunica arteriæ. Varices a rupta valvula in venis. Hydatides a ruptis valvulis lymphaticorum.

In omnibus pectoris morbis, ſed præſertim ſputo ſanguinis, & pleuritide tenuiſſima diæta imperanda: ne ſanguis nimio turgeſcens chylo in tenellas affecti pulmonis partes impetum faciat.

Pulſus durities ſemper comitatur pleuritidem, mollities vero alios pulmonum morbos: quod tibi ſit inter ſigna diſtinctiva morborum pectoris difficillime cognoſcibilium.

Quando in periculoſa, & mali moris febre parotis ſupervenit, nec adſit magnus dolor, aut ſuſpicio inflammationis, ſtatim uratur ferro candenti, quo pacto maligna materies ad exteriora magis magiſque protruditur, & per ſuppurationem ejicitur; aliter timendum, ne morboſus fomes denuo retrocedat ad nobiliora viſcera, & mortem afferat. Laudat hoc inter ceteros Auctores *Valeſius*, ipſeque aliquoties obſervavi verum, curante docto ſene Medico Patavii in Xenodochio. Parotis in ſymptomatice oriatur, peſſimum; omnes enim moriuntur, ut præ ceteris obſervavit *Riverius*. Critice ſi veniat bona. Symptomaticam dicimus, quando ea apparente ſymptomata adhuc vigent, & morbus ne minimum miteſcit, quin potius augetur.

Si quis tuſſiendo alba quædam veluti granula excreaverit, & granula illa compreſſa digitis ſummopere fœteant, vomicam pectoris latentem certo denuntiant, præſertim ſi alia quoque aderint ſigna, hi rupta vomica ut plurimum derepente moriuntur: ut obſervat *Foreſtus*.

Omnes aliarum partium ſuppurationes manifeſtantur per rigorem, & febrim ſupervenientes, ſola pulmonum ſuppuratio, ideſt vomica eorumdem, clanculum, & ſine prædictis ſignis ſupervenit; quod ſerio notent Juvenes.

Abſceſſus ad aures, & pedes in vomica pulmonum, boni ſunt *ex Hippocrate*; nam per hæc duo loca, tanquam per duo præcipua emunctoria ſecreto quodam modo ſolet ea expurgari.

Angina ſæpiſſime fit a menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſione, quod ſedulo animadvertendum.

Si angina vere inflammatoria, & ut vocant ſanguinea, bina ſanguinis miſſione non cedat; cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis imperato; & in melius ſtatim abibit, ut pluries vidimus.

Mulierem frequenter anginæ obnoxiam irritis aliis liberavi excitato cauterio in brachio: imo in morbis circa collum, & faciem proficua ſemper ſunt cauteria, & ſcarificationes ſcapulis, &c.

Anginæ occultæ ſi ſuperveniat dolor lateris, ceſſante magna ex parte circa collum, & fauces dolore, & difficultate tum ſpirandi, tum deglutiendi, anginam converſam eſſe in peripneumoniam ſignificat. Pernicioſa eſt hæc mutatio, nam ægri, vel cito moriuntur, vel ſuppurantur. Ut *ex Hipp.* obſervavit *Dodonæus*, Vir doctiſs. ſuis in obſer.

IX. In omnibus morbis, ſed præſertim acutis inflatio abdominis ſuperveniens, ac perſiſtens imminentem mortem denotat, ut infallibili obſervatione frequenter nobis conſtitit in Xenodochiis per Italiam.

Ægrotantibus ſi frigida lingua obſervetur in acutis, aut aliis lethalibus morbis, paulo poſt ſupervenit mors. *Riverius obſerv. communic. a Pacuecho obſerv.* 1. Nos etiam idem obſervavimus aliquoties.

Si in morbo aliquo appetitus ſit proſtratus, poſtea vero derepente ſuperveniat maximus, non præcedente ulla criſi, nec imminutione morbi, paulo poſt morientur Ægri; ſignificat enim cerebri læſionem, & virtutis ſenſitivæ extinctionem: hoc *Sennerti* monito ipſe prognoſticavi poſtridie mortem in puella longo morbo detenta, uti revera evenit.

Qui-

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis nigra bilis, ac veluti ſanguis niger per inferiora ſuperſederit, poſtridie moriuntur. *Hippoc. ſect. 4. aph. 23.* Nos quoque quater hoc prognoſtico mortem ægris denunciavimus in Xenodochio.

Fluxus alvi porracei, ac virides, vel mortem, vel diuturnum morbum ſignificant, ut repetitis vicibus vidimus, & potiſſimum in acutis.

Si febricitanti tumor magnus in perinæo fiat, iſchuriam, aut alvi ſuppreſſionem producens, lethale eſt; gangrænabitur enim perinæum, & æger morietur. *Tulpius, & Coruſ. in epid.* Nos periter bis veritatem hujus prognoſtici mirati ſumus.

Si febricitantes nullo modo dormientes, manentes tamen quieti ſine ulla querela, & nullo modo loquentes, niſi interrogentur; & ſi eis pulſus contrectetur, manus retrahunt tremulas, & ut ajunt, hecticantes: omnes moriuntur *River. in obſerv.* Tales ægros ſæpiſſime in Xenodochio mortuos vidimus, &c. Ideo dum ægri pulſum exploras, ſemper obſerva, an manus illius ſit tremula: nam malum erit grave, &c. & pauci certe ab eo evadunt.

In acutis, & perniciosis febribus ſemper inſpice faciem, an receſſerit multum a ſtatu naturali: ſi nimium receſſerit, periculum time in ægro. Pinnæ narium arcuatæ, & veluti elevatæ, cum naſo ſimo, & facie mala periculum mortis portendunt, ut frequenti noſtra conſtat obſervatione.

Pulſus intermittens in una pulſatione, præſentaneam mortem denunciat. Hoc *Galeni* præcepto ter, aut quater mortem præſagivimus variis ægrotantibus in Xenodochio acute laborantibus.

Dum ſanguis mittitur in pleuritide, & non poteſt exire, vel ob ſummum dolorem, vel ob craſſitiem; jube ægro, ut vehementer tuſſiat, nam ſtatim exibit. *Tulpius, &c.*

Nemo Auctorum, quod ſciam, expertus adhuc eſt, an china chinæ per clyſteres injecta vim febrifugam communicet corpori. Ipſe nuperrime eandem tentavi in puero quinquenni Romæ; hic duplici tertiana laborans, cum nulla prorſus remedia per os ſumere voluiſſet, & hac de cauſa in ſtatum fere deſperatum ſalutis redactus eſſet, injecto mane clyſtere evacuante, poſt elapſum ſemihorium ab hoc, juſſi, ut injicerent ſtatim alium clyſterem ex aqua hordei, & dra. 1. chin. chin. pulver. eumque repetendo ſingulis diebus; poſt injectum tertium clyſterem ceſſavit omnino febris, & puer præter omnium expectationem priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Hoc noſtrum tentamen ſtimulos addere poterit aliis Practicantibus, ad confirmandum magis atque magis præſens argumentum.

In pleuritide, & Puerperis tanquam peſtis, fugienda ſunt purgantia.

Præcipui puerperarum morbi a ſuſcepto frigore oriuntur, ab animi paſſionibus, & victu copioſo, ac frigido.

In ardentibus febri. ſal Prunell. ſpecificum eſt.

In anaſarca ſine febre unice præſtant ſtuphæ ſiccæ, ſive ſudatoria in lecto, ſecund. art. facta.

Superpurgationem ſive hypercatharſin periculoſam, & copioſam ſtatim ſedat theriaca ad dradchm. 1. circiter cum vino data, ut experti ſumus ex obſerv. doctiſs. *Dodonæi.*

Duo maxima remedia in chronicis obſtructionum morbis, ſunt chalybs, & rhabarbarum. Ego ita utor. ℞. *calyb. ſulphur. vel alterius, gr. xv. rhabar. pulv. ſcrup. 1. m. f. pil. ſ. a.* cui ſuperbibe brodium amarum, & diureticum, non poſthabita interim exercitatione horis matutinis.

Morbi chronici viſcerum naturalium magna ex parte ſanantur equitatione in aere reſticano, & locis amœnis, præſertim ſi ex animi paſſionibus dependeant; adminicula namque, quæ a remediis petuntur, fruſtranea interdum ſunt, quandoque vero noxia; quod quidem familiare eſſe morbis ex animo curis agitato pendentibus, ſeq. cap. dilucidabimus.

CAPUT XIV.

De Medendis animi Morbis, & inſtituendæ eorumdem hiſtoria.

§. I.

OMnes homines ſua cura vexat, & ſingulis incumbit dura neceſſitas, per dubios rerum caſus, & amaras humanæ vitæ ſollicitudines in hoc cæcitatis, ac tenebrarum carcere ætatem pene omnem traducendi. Quæ ſi vera ſunt, verum pariter & illud eſſe quis non videt, quod ſcilicet magna morborum pars ab eo, quod ſingulorum cervicibus impendet curarum, jugo, aut producatur, aut foveatur, præſertim in illis, qui fortuna utuntur lautiori; hi namque animi potius, quam corporis motibus afficiuntur, eorumdemque corporis morbi animi morbis frequenter augentur. Etenim ut optime docet Seneca de tranq. anim. cap. x. *Omnis vita ſervitium eſt. Aſſueſcendum itaque conditioni ſuæ, & quam minimum de illa quærendum, & quicquid habet circa ſe commodi, apprehendendum. Nihil tam acerbum eſt in quo non æquus animus ſolatium inveniat. Adhibe rationem difficultatibus, poſſunt & dura moliri, & angusta laxari, & gravia ſcite ferentes minus premere.* Quamobrem cautos, & diligentes eſſe velim Medicos in interpellandis ægrotis de cauſa occaſionali, præſertim de animi paſſionibus, neque abſque ullo facto examine, ſingulorum morborum originem a repletionis, & cacochymiæ fabula indiſcriminatim deducant. Nam pro varietate cauſarum externarum, & occaſionalium,

curatio quoque morbi varie erit dirigenda; ut fuſe lib. 2. cap. de cauſis. Ceterum omnes morbos a repletionibus deducere velle, methodumque curativam ad eas ſemper dirigere, uti multi conſueverunt, a rei veritate ſummopere alienum puto. Multi, fateor, ob repletiones in morbos incidunt; ſed multo plures ob animi pathemata, & potiſſimum ſi aut Patres familias, aut rei familiaris cura diſtenti, aut in dignitate conſtituti fuerint, aut in aula vivant; quorum plurimi longe alia cogitant, quam ſtomachum crapula, & ebrietatibus quotidie replere.

II. Ad majorem hujus argumenti elucidationem tria ſolvenda erunt, ſcilicet, an paſſiones animi agant in corpus, quomodo agant, & quibus mediis curandi ſint morbi ab iiſdem producti. Quod agant, certiſſimum eſt, & quotidiana conſtat experientia. Vidimus ann. 1690. dum Venetias navigabamus, in Dalmatia Juvenem graviſſimis correptum convulſionibus, propterea quod inſpexerat ſolummodo alium Juvenem, dum epilepſia humi contorqueretur. De viribus imaginationis in organa corporis pleni ſunt Auctorum libri, ad quos remittimus Lectorem. Multi ceteroquin ſani, & robuſti parce atque timide cibum ſumunt ob metum ne in cruditates & exinde in morbos delabantur, cum revera ob illum ipſum vanum timorem, morboſamque imaginationem, non ſolum exiguum illum cibum male digerunt, ſed ob hoc in morbos incidunt. Contra Fatui, aliique ſuæ ſalutis non admodum ſolliciti, quamvis nimium repleantur cibis, eoſdem tamen bene digerunt, optimaque fruuntur valetudine; quod præ ceteris obſervamus in Ruſticis, & Plebeiis, quibus non ita gravis cum affectibus pugna, quique dolorum, curarumque ſenſum quadam vitæ negligentia ab animo norunt diſpellere. Hypochondriaci, melancholici, quique natura ſunt timidi, & inconſtantes, frequentius reliquis in morbos incidunt, eo quia affectus animi moderari recte, aut coercere neſciunt, ut fuſe inferius examinabimus. Et licet talium hominum morbi primo aſpectu pernicioſi & incurabiles videantur; ſanari tamen ſolent facile, non quidem per nimiam remediorum copiam, ſed aut per grata amicorum colloquia, aut per honeſta Ruris oblectamenta, & equitationes frequentes, aut tandem per vivendi normam a ſagaci Medico inſtituta. In principio peſtis multi hoc morbo corripiuntur, & pereunt, quia tanti mali timore, & publicæ calamitatis anxietate potius, quam contagio eumdem contraxerunt: Progreſſu vero ejuſdem repetita caſuum obſervatione impavidi, magiſque conſtantes redditi homines, non ita facile corripiuntur, & ſi corripiuntur, facilius liberantur, ut Auctores fide digni obſervarunt. Mulieres ob timidum, & imbellem illarum ſexum, morbis ex animi pathemate obnoxiæ magis ſunt quam viri, iiſdemque vehementius afficiuntur; ut præ ceteris deducitur ex morbis quos perpetiuntur Puellæ amoris ignibus flagrantes. Chloroſis frequentiſſimus illarum affectus, irritis quibuſcumque medicamentis, ſolo curatur Matrimonio, ut obſervavit doctiſſimus Panarolus Medic. Roman. Ex his aliiſque quamplurimis non abs re infertur, dari revera morbos ab animi paſſionibus productos, & quod imaginationis vis ſummopere poſſit in iiſdem tum producendis, tum ſanandis.

III. Qui laborant animi pathemate, corripi potiſſimum ſolent morbis ventriculi, ut inter ceteros obſervamus in mœrentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox vero de inappetentia, oris amaritie, & ſiti circa horas matutinas, cruditatibus acidis, & nidoroſis, flatibus & tenſionibus hypochondriorum aliiſque læſæ chyloſeos malis. Ab indigeſto, vapidoque præfatis de cauſis chylo maſſa ſanguinis pedetentim inficitur, & pro varia illius labe varii ſuboriuntur morbi, ſive acuti, ſive chronici, & præſertim obſtructiones viſcerum, ſcorbuti, hypochondriacæ affectiones, &c. Studiis operam dantes iiſdemque paulo acriter incumbentes, ex ventriculo quoque laborare primo incipiunt, ſenſim vero ſanguinis maſſa, & partibus ſolidis. Neque mirum, nam cum & nimium acres, & moleſtas cogitationes magna ſpirituum copia diſſipetur ventriculus iiſdem depauperatus, loco boni chyli; gluten acidum, viſcidum, & indigeſtum generat, & ex eodem talis pariter fit ſanguis, unde demum tot mala. Quamobrem pro corollario ſit, in morbis ab animi pathemate proſpiciendum præ ceteris eſſe ſtomacho, primiſque coctionibus; nec non in exhilarandis, excitandiſque ſpiritibus oppreſſis, ac fere conſopitis; neque indiſcriminatim omnium morborum curatio a purgantibus & phlebotomiis, refrigerantibus, & humectantibus, uti apud multos invaluit uſus, inchoanda.

IV. Si quis morbus, durante animi paſſione, ægrum corripuerit, ſolet interdum tamdiu durare, quamdiu ipſa animi paſſio; & potius in alienæ ſpeciei morbum mutabitur, quam ægrotantem liberum relinquet. Id præ ceteris obſervavi nuper in muliere quadragenaria; hæc ob graviſſimas animi paſſiones incidit in copioſum ſanguinis ab utero profluvium, a quo evaſit poſt varia remedia per tres menſes adhibita. Sed quoniam per integrum pene annum iiſdemmet animi curis, multoque vehementioribus obnoxia fuit, idcirco poſt ſanatum ſanguinis profluvium, correpta ſtatim eſt fluore uterino interdum albo, interdum vero variegato. Fluore hoc ſuppreſſo ſupervenerunt angores cordis, anxietates pectoris; extrema

trema virium resolutio, macies, inappetentia, sitis, lenta febris, defluvium capillorum, & similia, quibus per sex menses, irritis quibuslibet remediis, laboravit. Ad cumulum malorum accesserunt demum tumores pedum primo, mox vero ascites, & denique totius corporis leucophlegmatia, quibus per quinque menses miserrime affecta, & animi curis fere detrita migravit tandem ad Superos.

Quoniam spiritus ab affecta mente summopere turbantur, & afficiuntur, & fere semper distracti hinc inde sunt; nil mirum si hac de causa medicamentorum quoque vires infringantur, eaque corrumpantur potius in stomacho (spiritibus depauperato) quam desideratum levamen ægrotantibus afferant: Vita namque quamdiu in perturbatione est, remedia necquicquam proficiunt. & licet ea recipiat, viribus tamen illorum non auscultat. Morbi igitur ab animi pathemate pendentes, blande, ac leniter tractandi sunt, & a nimia remediorum copia, & vehementia quam maxime abstinendum. Spirituum cura præ ceteris habenda, atque si oppressi fuerint, excitandi, si acres, & irritati, demulcendi, si aliter affecti aliter tractandi per remedia cuilibet illorum affectioni opportuna, & præcipue per cibum optimi succi, & vina exhilarantia pro ægroti temperie parcius aut uberius assumta.

V. Quantum ad modum mechanicum, quo animi passiones morbos producunt, duo difficillima solvenda essent problemata: primo quidem quomodo, & quantum humores & corporis temperies agant in animam, ejusque motus immutent; secundo, quomodo & quantum animi motus immutent corpus, & in illud agant. Sed quoniam præclara quæque ingenia singulis ætatibus frustra circa hoc fuerunt occupata, & præter *Cartesium* pauci admodum verisimile quidpiam attulerunt, putamus nos hisce arduis prætermissis, & ad curationem morborum parum spectantibus, necessarium esse ea investigare quæ nudam puramque spectant historiam cujuscumque animi pathematis, & morborum ab eo productorum, utpote quæ a paucis in arte nostra tentata hucusque sunt. Desideramus itaque historiam morborum ab animi curis proventium, in qua scilicet explicetur, qui potissimum morbi a quovis animi motu oriantur, quibus concomitentur symptomatis, quomodo augeantur, & quomodo declinent, quantum durent, aut in qualis speciei morbum mutari soleant, quibus remediis leniantur, quibus exacerbentur, quæ medendi methodus singulis opportuna, & stabilis detecta sit, & innumera alia, quæ desiderantur, ut diximus. Nam sicuti mœror nihil aliud frequentius producit, quam diarrhæas, quæ diu persistente mœroris causa evadunt incurabiles, iisque demum superveniente febre erratica, & atrophia, ægros e medio tollunt, ad iram pariter diarrhæa superveniet, & si hæc non supervenit, febris supervenit, dummodo ingens fuerit ira. Mœror & reliqua animi pathemata immediate producere possunt malignas febres, ut observamus in obsidione Urbium, quo tempore malignæ febres in magna copia, magisque quam unquam alias periculosæ grassantur, idque sane ob mœrorem obsessorum Hominum, ut putant doctissimi ex arte Medica Viri. Sed quantum dominentur passiones, præ ceteris timor & metus in naturam fluidorum, & solidorum nostri corporis, vidimus in hoc proximo terræmotu, qui successit die 14. præsentis mensis Januarii 1703. hora 2. noctis Romæ, quo tempore additiones ad omnia opera nostra, proxime edenda Lugduni, facimus. Licet hic terræmotus Romæ insolitus neminem occiderit, nec multum passa sint ædificia: nihilominus tamen taliter Romanorum mentem percussit timor, ut hoc mense plures febre præ timore correpti perierint, mulieres quamplurimæ abortiverint, & qui tunc ægroti in lecto jacebant, morbum exacerbari manifeste in iis observaverimus. Eo die facta fuit conjunctio maxima Martis, Jovis, & Saturni in Ariete. Et sicuti durantibus animi sollicitudinibus, morbi qui producuntur, aut difficulter tolluntur, aut in alterius speciei morbos mutantur, ut supra adnotavimus; ita quamplurima hujus generis ad historiam horum morborum spectantia facillime detegentur.

VI. Restant nunc dicenda nonnulla de curatione illorum. Et quidem in ipso limine fatendum iam pene omnem in ægrotantis animo moralibus virtutibus, patientia nempe, fortitudine, prudentia, tranquillitate, & reliquis optime munito, ac instructo repositam esse: quod si non fiat, omne genus remediorum, conatus inutiles propemodum erunt, ac vani. Quæque a pharmacopolis medicamenta dicuntur exhilarantia, antimelancholica, cor, aut memoriam confortantia, ingenium acuentia, &c. adinventa sunt ad quamdam potius veluti pompam artis, quam ut valeant atras ab animo curas dispellere, vel jacentem attollere. Fateor tamen ea remedia aliquid posse contra morbos animi, quæ statum sanguinis funditus immutare valent, quæque non specificaliter agunt, sed fluidarum æque, ac solidarum corporis partium quoque loco pervadunt. Inter hæc sunt balneationes frequentes; delectus ciborum quorumdam particularium, sive diætæ morbo accommodatæ; Exercitia tempestiva; Migratio in exteras Regiones; Venationes in amœnis locis, & prope maris littora; Mora diuturnior in aere rustico, frequentesque in eodem equitationes. Pariter usus musices, saltationis, & similium in idem coincidunt; quæ quidem omnia blanda animi oblectatione, morbosam quoque corporis

conſtitutionem ſenſim reſtituunt, turbatoſque imaginationis motus in priſtinum reducunt. Quoniam vero ſæpe morbi animi oriuntur a nimia animi intentione, & eodem ſemper vitæ tenore, ſerio nempe, negotioſo, & gravi, nullis interpoſitis debitis oblectamentis, & quiete, id tanquam peſtis fugiendum eſt, potiſſimum ab iis, qui in negotioſa ſunt vita: Hæc autem quoniam optime animadverſa ſunt a Seneca Divini ingenii Viro, audiamus quæ optimus hic civilis vitæ Magiſter ad medelam animorum expertus eſt, ait itaque:

Miſcenda tamen iſta, & alternanda ſunt ſolitudo, & frequentia: Illa nobis facit hominum deſiderium, hæc noſtri, & erit altera alterius remedium. Odium turba ſanabit ſolitudo; tædium ſolitudinis turba: Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt; ſed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat, & Cato laxabat animum vino, curis publicis fatigatum, & Scipio triumphale illud, & militare ſuum corpus movebat ad numeros. Imo ut antiqui Viri ſolebant, inter luſum, ac feſta tempora tripudiabant, non facturi detrimentum, etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur.

Danda eſt remiſſio animis: meliores, acrioreſque requieti ſurgunt, animorumque impetum aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti, ac remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum hebetatio quædam, & languor. Nam, & ſomnus refectioni neceſſarius eſt, hunc tamen ſi per diem noctemque continues, mors erit. Legum Conditores feſtos inſtituerunt dies, ac ad hilaritatem homines publice coegerunt, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni Viri ſibi menſtruas certis diebus ferias dabant. Quidam omnem diem, etium inter, & curas dividebant. Ita Aſinius Pollio Orator magnus faciebat, quem nulla res ultra decimam horam retinuit; nec epiſtolas quidem poſt eam horam legebat, ne quid nova hora naſceretur, ſed totius diei laſſitudinem duabus illis horis ponebat.

Indulgendum eſt animo, & dandum ſubinde etiam, quod alimenti loco ſit, ac virium. In ambulationibus apertis vagandum, ut Cœlo libero, & multo ſpiritu augeat, attollatque ſe animus. Aliquando vectatio, iterque, & mutata regio vigorem dabunt, convictuſque, & liberalior potio. Nonnunquam, & uſque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut curas deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibuſdam, ita triſtitiæ vinum medetur, & liberat animum curarum ſervitio, & aſſerit eum, vegetioremque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini ſalubris moderatio eſt. Aliquando enim in exultationem, libertatemque extrahendus eſt animus, triſtiſque ſobrietas removenda pauliſper. Nam ſive Græco Poeta credimus, aliquando & inſanire jucundum eſt: ſive Ariſtoteli, nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuit. Non poteſt grande aliquid, & ſupra ceteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria, & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum cecinit aliquid grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam, & in arduo poſitum contingere quamdiu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet a ſolito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere: Seneca, de tranquillitate anim. cap. 15.

VII. Quod autem tota vis curationis in morbis animi reſideat in animo ipſo, ex ſequentibus, quæ per experientiam innotuerunt, patebit. Aſſerunt docti Viri, plures morbos, irritis quibuſcumque medicamentis, ſola demum ægrotantis patientia, animique tranquillitate fuiſſe ſuperatos. Hinc eſt quod qui curis domeſticis ſummopere diſtenti, aut animi paſſionibus affecti ſunt, ſi corripiuntur morbis, vel difficulter ab iis evadent, vel graviter, ac modis quibuſdam inſolitis afficientur, niſi dictas cauſas vel omnino diſpulerint, vel debita tranquillitate fuerint moderati. Idque ab omnibus Medicis notatum velim, dum ſuis ægrotantibus adſident, nam ſi id contingit, remedia nec quicquam proſunt, imo fortaſſe nocebunt, ſi aut vehementia, aut in magna copia præſcripta fuerint. Mulieres quæ formidoloſæ non ſunt, non adeo faciliter fœtum in utero ſignant, nec nimium imaginationis affectibus ſubjacent. Vir conſtans, & immotus animo, quique

. . . . mediis tranquillus in undis, ſublime illud & heroicum *NEC SPE, NEC METU* perpetuo repetit, raro incidit in morbos ex animi pathemate, & ſi incidet, eadem felicitate qua circumfuſos humanarum perturbationum tumultus ſuperat, ſuperabit & illos, atque ſane ſine ulla Medici, aut medicamentorum ope. Contra timidi, molles, delicatuli, iracundi, impatientes, quique animum male affectibus mancipant, non ſolum frequentius ceteris in morbos incidunt, ſed iiſdem gravius, quam reliqui ægrotant; ingenſque Medico faceſſunt negotium, eo quia aſſidua illa curarum inter ſe velitantium pugna morbi ſenſum perpetuo refricant, & per continuas ſpirituum turbationes mille modis ordinariam, debitamque morbi ac ſymptomatum periodum variant, atque perturbant. Porro multi quamvis graviter vulnerati fuerint, quoniam tamen patienter, & impavide ſuſtulerunt vulnera, brevi ac feliciter curati ſunt; dum alii quamvis leviter vulnerati, ob conceptum exinde horrorem, & ex timiditate deſperationem, paulo poſt perierunt. Nonnulli morbos leviſſimos indignatione, & impatientia in diuturnos, aut lethales commutant; ita tuſſis ex indignatione, atque ex abuſu tuſſiendi facta, facillime in phthiſim delabitur. Contra alii morbos revera graviſſimos ſtrenue ſuperarunt, non alia prorſus de cauſa quam quod eoſdem heroica animi conſtantia, & tranquillitate ſuſceperunt, imo tanquam præcipua corruptionis noſtræ monumenta patienter ſuſtulerunt. Et certe ſi in aliis rebus humanis perferendis divina animi vis,

atque

atque constantia necessaria est; in perferendis morbis non necessaria tantum, & utilis profecto est, sed ipsius curationis adjumentum. Constantia revera virtus est in civili vita præ omnibus aliis magis optanda, nam multa inde fluunt emolumenta, & quamdam veluti venerationem conciliat, ut egregie docet magister meus Seneca, qui tom. 2. epist. 41. sic ait. *Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo deos, non subibit te veneratio ejus? Nonne dices ista res major est, altiorque quam ut credi similis huic, in quo est corpusculo, possit? Vis isthuc divina descendit; animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quicquid timemus, optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat; non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque major sui parte illic est, unde descendit, &c.* Sed hanc supremi numinis in nobis præsentiam idem Seneca eadem epistola multo elegantius expressit his verbis. *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In unoquoque virorum bonorum habitat Deus, qui autem Deus, ignoro?* O pulchra, o divina Senecæ verba! Constantiam itaque præ ceteris opto in ægris meis ad perferendos morborum insultus, si citius, commodiusque sanari velint. Constantis enim Viri proprium est mederi malis, non irasci, &c.

Ad quod animadvertens idem Seneca meus, taliter loquitur epist. 67. *Demetrius noster vitam securam, & sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habeto ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denuntiatione, & incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcussa jacere, non est tranquillitas, sed morbus. Attalus Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. Torqueor, sed fortiter: Bene est. Occidor, sed fortiter: Bene est. Uror, sed invictus. Quidni optabile sit, non quod urit me ignis, sed quod non vincit? &c.*

Animi igitur securitas, & constantia, ceteris aliis præsidiis ad salubrem, & longævam vitam præcipue conducunt: hoc enim proprium est rerum humanarum, ut nunquam eodem tenore consistat, sed singulis momentis mille subjiciantur mutationibus: cujus veritatis optime gnarus Virgilius cecinit in Æneid.

O passi graviora, dabit Deus his quoque finem:
Durate, & rebus vosmet servare secundis.

VIII. Certum igitur est, quod morbi ab animi curis & sollicitudinibus producti, difficulter cedere medicamentis poterunt, nisi tranquilliori reddita mente, & de affectibus jam triumphante, spiritus turbulenti & quasi furentes, pristinam quietem, & harmoniam nanciscantur. Idcirco quando morbus aliquis remediis debite præscriptis cedere nolit, insolitisque quibusdam modis, atque a sui natura valde remotis progreditur; suspicandum erit de occultis animi passionibus, de quibus certior fieri poterit Medicus ab Adstantibus, & amicis ipsiusmet ægrotantis. Interdum suspicabitur de lue gallica, vel si mulieres sint, de fomite hysterico; si pueri, de vermibus: sed de his inferius lib. 2. c. de causis. Ex his tanquam corollarium deducimus, quod qui molesta quæque patienter ferunt, exercitiis utuntur tempestivis, & in victu sobrii sunt, difficillime in morbos incident; & si incident, consueta animi tranquillitate & patientia, nec non sagaci remediorum usu, brevi eosdem eliminabunt. Deducitur pariter, quod Medici, qui animi pathemata in ægris perite superare noverint, illi morbos eorum, vulgo habitos incurabiles, feliciter eradicabunt. Ceterum animadvertimus methodum hanc tunc potissimum adhibendam, quando ægri sunt mentis compotes, neque gravibus malignis, acutis, aut cum delirio conjunctis morbis afficiuntur; quod si hæc aderint, remediis utendum cuilibet morbo opportunis, semper tamen quantum fieri possit blande ac leniter tractandi; nam cum a spirituum, humorumque turbationibus tales morbi ut plurimum oriantur, per fortia medicamenta flammam oleo extinguere tentabimus.

Constat ex antecedentibus, quantum possint animi passiones in morbis tum producendis, tum fovendis; quantum contra constantia, & animi tranquillitas in iisdem superandis: quoniam vero talia præsidia, non nisi ab ipso ægrotantis animo magna parte peti possunt, ut fuse probavimus ex Seneca loc. cit. & aliis, restat nunc, ut quæ ad Medicum spectant, exponamus. Præcipua Medici sagacitas, & solertia in dirigendo ægroto animi passionibus laborante, eo potissimum spectare debet, ut jacentem ejusdem animum quibusvis artibus attollere procuret; idque vel blandis eum leniendo colloquiis, vel gratis recreando medicamentis, fingendo quod talia remedia summopere valeant ad morbum illius unice eradicandum; vel humanæ mentis præstantiam, & sublimitatem deprædicando, quæ vix pati potest, ut syderea origo sua ab imperio sensuum deprimatur, qui auctores in nobis sunt confusæ, & perturbatæ vitæ; vel tandem si curis domesticis domus, Liberorum, Patriæ, aut Dignitatis graviter obnoxius fuerit, Ruris oblectamenta eidem suadendo, utpote præcipuum curarum pharmacum, & anodynum. Ceterum in hujusmodi ægris curandis præstare maximopere debet Medicus, ut quæcumque remedia, aut præcepta curationem spectantia ægroto proponit, ea tali arte, & intrepida dicendi libertate proponat, qua illum ad patientiam, & tranquillitatem componere, & ad summam medicamentis præbendam fidem hortari valeat. Siquidem fateri vix possem, quantum verba Medici dominentur in mente ægrotantis, ejusque phantasiam transmutent; medicus

namque ſermone potens, & artium ſuadendi peritiſſimus, tantam vim dicendi facultate medicamentis ſuis adſtruit, & tantam doctrinæ ſuæ fidem in ægro excitat, ut interdum vel abjectiſſimis remediis difficiles morbos ſuperaverit, quod Medici doctiores, ſed in dicendo languidi, molles ac pene emortui nobilioribus pharmacis præſtare non potuerunt. Hinc etiam fit, ut diverſi Medici, abiiſdem remediis, non eoſdem experiantur effectus, ſed alii fauſtos, alii infauſtos; ſiquidem alii fidem, & ſpem in ægro excitare optime norunt, dum alii inefficaces, ac pene elanguidi, illius imaginationem ne quidem attingunt. Inter ſolatia ægrorum animo laborantium, magnam vim obtinet Muſica, ut omnibus conſtat. Hinc notandum eſt, quod affert Alexander ab Alexan. dier. genial. liber 6. c. 5. dicens: *Aſclepiadem nulla re magis quam ſimphonia, & vocum concentu Phreneticos, mente imminuta, valetudine animi affectos, reſtituiſſe ad priſtinam ſanitatem, &c.*

CAPUT XV.

Paraneſis ad Medicos de inveſtiganda, & ſtabilienda medendi methodo Popularibus ſuis præceteris accommodata. Ubi obiter de natura Aeris Romani, curandiſque Romanorum Morbis.

§ I.

SIcuti pro climatum, & victus rationum varietate, varia in hominibus oriuntur temperamenta, ita pro varietate temperierum, medendi quoque methodus aliqua ex parte varianda erit: aliter innumeri in praxi medica committentur errores. Quæ cum vera ſint, ſummopere miror quarumcumque Regionum Medicos negligentes hucuſque fuiſſe in inveſtiganda Medicina indigena, ſive medendi methodo, & medicamentis Popularium ſuorum naturæ potiſſimum convenientibus, necnon deſcribenda hiſtoria morborum, quibus illi frequentius obnoxii ſunt; ſed indiſcriminatim iiſdem medeantur per præcepta quædam generalia, & medendi methodum, quæ fortaſſe commoda eſt illis in Regionibus, in quibus Auctores ſcripſerunt, ſed in certum, an in omnibus. Exactiſſimas Regionum novi Orbis hiſtorias, & hiſtorias naturæ univerſales perficiunt: Hiſtoriam vero Regionis, & Patriæ, cui vitam debent, & ſanguinem, nec inveſtigant nec tenent. Trahimur peregrinis, & exoticis: domeſtica vero, & indigena deſpicimus. Una, eademque methodus, ſive remedia præſcribendi, ſive diætam inſtituendi, ſingulis Regionibus non quadrat, ſed varia variis; aliter enim in moribus curandis tractandi ſunt Itali ſub aduſto climate, & ſobrie viventes; aliter Gallii, Hiſpani, Angli, Germani, aliique ſua quique utentes aeris temperie, & ſuo quique victus genere. In Gallia futura tendinum vulneratorum, operatio bubonoceles cura ulcerum chicronorum &c. feliciter ſuccedunt, ut ab oculatis teſtibus audivimus.

Contra in aere Romano, etiam ſi ea ſolertiſſimis Archiatris præfatæ operationes inſtitutæ fuiſſent, in ſummum vitæ diſcrimen conjiciebant ægrotantem. Febres ſemitertianæ, quæ alibi raro in malignas tranſeunt, Romæ magna ex parte ſunt malignæ, vel potius valde periculoſæ, quod & olim *Galeno* Romæ degenti innotuit.

II. Quod in Græcia olim perfecte ſuccederent criſes in acutis morbis, tribuendum potiſſimum erit inſigni puritati tenuitatique aeris Græci, & adjacentis Orientis; qui cum præditus ſit elatere valde agili, motus pariter humorum vitalium, quibus aer intermiſcetur, neceſſe eſt ut ſint maximopere expediti, & agiles; nec ullus externi ambientis contrarius occurſus conſtantiam legum naturalium iiſdem impreſſarum, ita facile valeat perturbare. Contra in aere aqueis, craſſiſque impuritatibus fœdato, qualis eſt Septentrionalium, & ad paludes jacentium Regionum, cum humores humani corporis maximis quoque afficiantur impuritatibus, ac veluti confundantur debitæ illorum fermentationes a tam fœdo aeris influxu: nil mirum quod illi, dum morbificis imbuuntur particulis, ad debitum criſeos, ſive deſpumationis negotium fere nunquam poſſint pervenire; nam ut diximus impreſſæ aeris impuritates, regulares illorum motus perpetuo diſtrahunt, & conturbant. Antedictæ criſium felicitati præter aeris puritatem, maxime quoque contribuebat excellens Græcorum in medendo prudentia, quibus ſolemne erat naturæ motus habere pro vero, & Duce illius indice viæ, qua progrediendum eſt in cujuſvis morbi curatione, nec unquam medendi methodum mutabant, niſi per novos naturæ motus admoniti fuiſſent, quid, quando, & quomodo agendum eſſet. Quamobrem, cum pro axiomate perpetuæ veritatis habuiſſent naturas eſſe morborum medicatrices; paucis admodum utebantur remediis in acutorum curatione, ne ſcilicet regulares eorumdem motus, per incongrua forſan remedia turbarentur, & debiti naturæ conatus impedirentur. Hac methodo in principio tractati, nil mirum quod dum ad ſtatum perveniebant, criſibus juxta naturæ leges inſtitutis feliciter ſolverentur; Et ita veluti animadverterent Medicos, criſes, dieſque criticos non eſſe chymericum quid ſed motus quoſdam neceſſitate phyſica cuilibet morbo communes, utpote per quos ad debitum ſolutionis, maturationiſque terminum perveniunt. De cujus rei veritate per experientiam certiores facti Græci, præfatam criſium doctrinam, docte admodum excoluerunt, & ſtabiliverunt. Sed hodie cum omnia turbata ſint in re medica, hæc pariter criſium doctrina non exiſtimatur amplius tanquam oraculum

culum naturæ docentis, ſed tanquam inane Græcorum commentum deridetur; unde tot tantique in curandis febribus errores, ut fuſe inferius lib. 2. de criſibus.

III. Ut res exemplo fiat clarior, exponemus breviter, quæ nos Romæ circa aeris temperiem, & medendi methodum quotidiano uſu experimur: Aer Romanus ſeprem collibus Orbis Dominis hodie intercluſus natura humidus eſt & gravis: experimento namque conſtat, quod ſi quis paulo longius a frequentia tectorum proceſſerit, quamdam cœli gravitatem, atque intemperiem manifeſto concipiet. Salibus vitriolicis, & aluminoſis potiſſimum abundat, ut ex plantis, quæ in eodem vegetant, mineris aluminis, & vitrioli, & aquis Solum Romanum irrigantibus deducimus. Inſaluberrimis Auſtri, Africi, atque Euronoti flatibus obnoxius, ab æſtivis caloribus interdum tantopere exardeſcit, ut mirum non videatur, ſi Conſulibus L Valerio Potito, & M. Manlio, peſtilentia orta ſit in agro Romano, ob ſiccitates, & nimios ſolis calores, teſte Livio lib. V. His, aliiſque de cauſis infra dicendis, Incolæ Urbis temperamento præditi ſunt melancholico, ſubfuſco, & nonnulli ſubpallido cutis colore, habitu corporis macilento potius, quam pinguilevi de cauſa capite afficiuntur, & iis morbis potiſſimum ſubjacent, quos aeris gravitas ſolet producere, ſicuti ſunt pulmonis vitia, febres malignæ, cacheſiæ, pallores vultus, Incubus, Tabes, & conſimiles. Porro aer Romanus ſquallidus quoque eſt & inſalubris, non quidem omnibus in locis, ſed iis potiſſimum, quæ deficientibus ædificiis, pigro atque immoto aere ſordeſcunt; multo magis ſi Tiberi adhærent, vel convallium inſtar montibus obſepiuntur, aut exhalationibus ſubjacent, quas veteres parietinæ, cryptæ & antiquorum ædificiorum rudera emittunt. Ex quo patet Regionem Circi Maximi inter Palatinum, atque Aventinum ſitam, omnemque illum campum, qui inter Aventinum, ac Tiberim, portamque Oſtienſem jacet, plane noxium eſſe, & damnabilem. Sed ut rem univerſe definiam: Quæcumque loca crebris ædificiis ambiuntur, atque editiora ſunt, in ſepetentrionem, atque orientem ſpectant, & multum a Tiberi diſtant, ſalubriora: Contra, quæ ſejuncta ſunt, & remota a frequentioribus tectis, ſituque ſunt humili, ac maxime convallibus, tum propiora Tiberi, in meridiem, atque occaſum ſpectantia, minus ſalubria judicantur; Quibus etiam in locis (quod ſane mirum) breviſſimi intervalli diſcrimine, hic aliquantum ſalubris exiſtimatur aer, illic contra noxius, & damnabilis.

IV. Inſalubritatem hanc urbani aeris, fovet magna ex parte adjacens Latium, quod undequaque corona montium circumcingitur, excepto tractu illo, qua ad mediterraneum vergit, ubi in planitiem deſinit. Vetus enim Latium deſertum fere hodie eſt, & ſquallidum; Auſtri flatibus immediate objicitur, & variis ejuſdem in locis, inſaluberrimus aer obſervatur, utpote circa Oſtiam, & Portum, æſtivo præſertim tempore: quo quidem ſi aliquis in præfatis aliiſque Latii locis pernoctaverit, & exinde Urbem revertatur, corripitur ſtatim maligna febri, quam vulgo, ex mutatione aeris dicunt, eſtque febris hæc ſui generis, ab aliis febribus, alias agnoſcentibus cauſas ſummopere differens, cum in methodo curativa, tum ſymptomatis eandemc oncomitantibus; cum enim coagulationis ſigna in eadem appareant, ideo obſervamus uſum veſicantium, & alexipharmacorum eidem ſummopere prodeſſe, contra ſanguinis miſſionem eſſe quam maxime pernicioſam. Cibi, qui in Romano ſolo naſcuntur, exigui ſunt nutrimenti; unde non ſolum primis viis inſignem fæcum copiam producunt, ſed ipſam ſanguinis maſſam vappidam, & ad motum ineptam reddunt. Ob antedictam aeris humorumque conſtitutionem Incolæ Urbis, non admodum voraci appetitu præditi ſunt: Ipſique exteri homines, qui in Patria Comeſſationibus, Compotationibuſque, abſque ullo, vel exiguo pene ſalutis diſcrimine indulſerunt; ubi Romam venerint, non ſolum voracem ciborum appetitum ſenſim imminui obſervant; ſed exulatis omnibus intemperantiis, neceſſe eſt, ut conſuetam Urbis ſobrietatem amplectantur, niſi pœnas malorum incurabilium velint perſolvere, &c. Incolæ Urbis ſi laute prandeant, oportet ut cœnam valde ſobriam, & quæ ſeptem unciarum pondus vix excedat, inſtituant, & ab eſu carnium veſperi ſummopere abſtineant, aliter cruditatibus, & pravis humorum collectionibus anſam dabunt indelebilem. Eiſdem inter cetera conducit exercitatio, horis potiſſimum matutinis, ac veſpertinis, utpote in quibus coctio ciborum peracta jam eſt, & ſecretio puri ab impuro jam incipit abſolvi. Experimento namque conſtat, quod ſi poſt lautius prandium non inſtituatur veſperi neceſſaria corporis exercitatio gravitates capitis, laſſitudines membrorum, labores circa hypochondria, cruditates, mœrores inſueti, & reliqua hujus generis ſupervenient. Cum igitur aer ob innatam ejus gravitatem parum conferat ciborum coctioni, humorumque volatilizationi, ideo qui copioſis ciborum ingeſtionibus abſque noxa indulgere cupient, oporter ut vel multum exerceantur, vel alvum bis, terque in die ſolutam procurent: Siquidem uſu conſtat, eos præ ceteris optima frui valetudine in Urbe, qui & ſobrii ſunt, & alvo ſingulis diebus bene ſecedunt.

V. Ab Hygiæreticis hiſce obſervatis deſcendendum breviter ad pathologica, ideſt ad ea, quæ ſpeciatim obſervamus in ægris, circa remediorum uſum, & medendi methodum. Incolæ Urbis difficillime ferunt medicamenta ſpirituoſa, & maxi-

ximæ activitatis ; qualia ſunt ſalia volatilia, ſpirit. s, & generaliter medicamenta nimium aromatica, aut acria; ab horum uſu, non ſolum offenditur caput cum doloroſa gravitate, & inſignibus nervorum affectionibus; verum etiam in ipſis viſceribus naturalibus tenſiones, ardores alvi, ſiccitates, &c. excitantur: Si tamen alicujus morbi natura, talia remedia revera poſtulaverit, ne præfata incommoda producant, ſolemus ea diluentibus unctuoſis, aliiſque nimiam illorum activitatem reprimentibus temperare: quo pacto votis medicorum optime reſpondent. Verbo dicam; remedia ſpirituoſa, quæ aliqua unctuoſitate ſimul pollent, ideſt ſpirit. oleoſa utramque paginam in noſtris ægrotantibus adimplent. Emetica vehementia quam maxime ſuſpecta hic ſunt, ob gravia, quæ inde ſuccedunt ſymptomata: eadem ratione de fortibus purgantibus judicato. Purgantia in forma pilulari exhibita, nec copioſe, nec feliciter ventrem ſolvunt, contra forma potabili, & mediocri doſi, magnam afferunt utilitatem. Purgantia vim ſuam abſolvere non poterunt (præſertim ſi pilulis, aut bolo propinentur) niſi incipiente eorundem operatione, diluentia ex quinque, aut ſex libris aq. nucer. vel alterius facile permeabilis, aut ſaltem brodii tenuis frequentes hauſtus propinaveris: diluentia namque purgantibus intermixta, non ſolum purgationem cito perficiunt, ſed ea omnia inhibent ſymptomata, quæ a ſolis purgantibus produci ſolent, ſitim nempe, tenſiones, & labores hypochondriorum, nauſeam, vigilias ſubſequentes, ardores internos, &c. Hic diluentium uſus, non ſolum judicatur neceſſarius in purgantium præſcriptione, verum etiam in aliorum quorumlibet remediorum forma ſicca, & ſpirituoſa indole præditorum, ut ita inhibeantur graves capitis, nervorumque affectiones, quæ exinde ſubſequi frequentiſſime ſolent. Generaliter quoque obſervamus in curatione morborum præſertim acutorum, impetum facientium, & ab acrimonia pendentium, ceteris antecellere remedia diluentia, emplaſtica & gelatinoſa, ſcilicet gelat. corn. C. ol. amygd. dulc. recenſ., emuli. ſemin. & amygdal. recent. ſyr. viol. cremores, aliæque ex hordeo præparationes diætam lacteam, uſum balnei, &c. remedia pariter ſpirituoſa, ſed oleoſis, aut diluentibus temperata; contra medicamenta volatilia, acria, ſpirituoſa, aromatica, nimium ſolventia, & magnæ activitatis generaliter obeſſe, quamvis in exigua propinentur quantitate.

VI. Sed ut rem breviter contrahamus, a nullo remediorum genere tantam utilitatem percipiunt Urbis Incolæ, quantam ab exercitio, & prudenter repetito lenium purgantium uſu: alvus igitur libera, & exercitatio, præ ceteris commendantur noſtris Popularibus. Quorum omnium non ignarus doctiſſimus *Petronius* adinvenit electuarium purgans, ab ejus nomine Alexandrinum, quo mira præſtabat in curandis Romanorum morbis. Hic idem *Petronius* nobile dedit opus elapſo ſæculo de Victu Rom. in quo poſtquam aeris, aquarum, alimentorumque hujus climatis varia commoda, & incommoda diligenter adnotavit, quamplurima alia ſcitu digna, circa medendi methodum, & remediorum uſum in curandis Romanorum morbis propoſuit, aſſeritque ſe diuturna edoctum experientia obſervaſſe, tres eſſe potiſſimum morbos, qui Urbis incolas fere perpetuo afficiunt, ſcilicet continuam quamdam capitis gravitatem, ſive, ut ipſe ait, capiplenium: ſecundo membrorum laſſitudinem: tertio demum alvi ſiccitatem. Ex quibus omnibus ſat ſuperque deducimus toties repetitam aeris gravitatem craſſitiemque, necnon humorum inertiam, & vappiditatem, ob vitriolicas, & aluminoſas particulas eiſdem nimium adjunctas hic regnare. In curatione vulnerum, atque ulcerum cavendum erit ab uſu unguentaceorum remediorum, per quæ ruunt ſæpe in pejus. Juvant contra balſamica, decoctiones vulnerariæ; ſpiritus vulnerarii, & reliqua hujus generis, quæ partem læſam roborando, & amiſſum fibris tonum reſtituendo, cicatrizationem facilitant, &c. Pedum ulcera hic ſunt fere incurabilia; vulnera pariter harum partium difficulter ſanantur, præſertim ſi unguentaceis utaris præſidiis, contra ſi capiti tales morbi ſuperveniant, facili negotio ad ſanitatem perveniunt. Ex paucis hiſce in Romano climate factis obſervationibus facile percipiunt Medici, qua via progredi debent in detegenda, ſtabiliendaque medendi methodo, Regionum ſuarum Popularibus præ ceteris familiari.

VII. Pluribus demonſtrare velle hujus hiſtoriæ medicinalis indigenæ neceſſitatem, ſupervacaneum fore arbitror, nam res ipſa clare loquitur. Et ſane multi errores, quos vel in diætandi ratione, vel in determinanda remediorum quantitate, & uſu committimus, non aliunde interdum proveniunt, quam ex talis hiſtoriæ ignoratione; quicquid alii dicant, qui talium errorum cauſas attribuunt vel principiis remotiſſimis, vel nullam habentibus analogiam cum morbis productis. Hæc climatum vis in producendis morbis, mutandaque hominum temperie, ipſa conſtat experientia. Generaliter enim nonnullarum Regionum Populi afficiuntur morbis quibuſdam particularibus, qui aliarum Regionum Populares aut nunquam, aut raro invadunt. Ita Septentrionales Scorbuto; Poloni plica; Angli rachitide, & ſudore anglico; Græci, Ægyptii, & Syri elephantiaſi; Mentagra Romani tempore Plinii; in Alpibus Bronchocele; ſtrumis Hiſpani, &c. Contra alii populi aut nunquam, aut raro certis quibuſdam morborum generibus ſubjacent. Ita Scoti raro febris quartana corripiuntur: Hungari morbo comitiali, &c. *teſte Donio fol. 7. de reſt. ſalub. Urb.* idque ſane propter ſpecificas talium climatum conſtitutiones,

tiones. Porro nonnullæ gentes certa quædam remedia ferunt, quæ alterius Regionis Incolas forsan e medio tollent. Germani Medici emetica remedia in summo habent usu, eorumque vires in singulis depellendis morbis & publice, & privatim deprædicant: quia forsan in suo climate fere perpetuo hyemante, & Popularibus nimium gulæ indulgentibus, felici comprobarunt experientia: eadem de causa populares illi facile ferunt medicamenta chymica cujuslibet activitatis, diætam lautiorem, &c. quæ omnia cum in Italia præsertim Romæ juxta descriptam a Germanis methodum pluries tentata fuerint, & ægri voto suo, & nos spe nostra sæpius excidimus. Sicuti Germani, ita & aliarum Regionum Medici jactant remedia quædam generalia, & diætandi genus, a quorum usu insigne levamen sentiunt sui ægrotantes: ita vidimus Hispanos jactare sanguinis missionem, Anglos usum Oppiatorum, Batavos medicamenta diaphoretica, & ita de reliquis. Neque sane sine ratione talium remediorum usum deprædicarent, nisi felices ex illis eventus in Popularium suorum curatione observassent. At qui indiscriminatim iisdem uti vellent in suis ægrotantibus, non examinata prius sui climatis natura, & qualitatibus, aliisque infra dicendis, quid mirum, si effectus ab expectatione sua longe diversos in morborum curationibus experientur? Ob hanc eandem climatum, victusque rationum diversitatem eveniet fortasse, quod Hippocratis aphorismos, & solida illius præcepta non observemus interdum vera, sed modo dubia, modo inconstantia. Hoc idem de aliorum Auctorum præceptis, atque monitis dicendum, si fortasse recte non contingant in nostris ægrotis. Ut taceam tot varias, & inter se pugnantes medendi methodos, quibus utuntur Medici, quibusque frequentissime talium præceptorum constantiam perturbant.

VIII. Quamobrem cum tria sæpius recensita, aer, vitæ genus, & ciborum indoles varia pro varietate Regionum, totam fere vim habeant in morborum productione; hortamur singulos earum Medicos, ut per diuturnam observationem patefaciant medendi Methodum Popularibus suis præ ceteris opportunam, nec non remediorum genera iisdem vel familiaria, vel noxia. Et cum exteræ Regionis libros legunt, in usum non revocent illorum methodum, nisi prius cum sua adamussim contulerint, propriisque observationibus respondere animadverterint. Denique serio monemus Practicantes, ut in curandis morbis diligenter considerent, atque examinent diversas temporum constitutiones, & morbos generales, qui durantibus illis constitutionibus, aerisque influentiis regnant; nam ut observatione doctorum Virorum constat, morbi quilibet particulares tunc temporis ab influentia generali fere semper aliquid contrahunt, periodosque suas, sive invadendi lædendique modos, quasi ad illius modulum absolvunt. Porro prout variæ erunt tales temporum influentiæ, ita pariter variam medendi methodum exposcunt morbi per id temporis sævientes, ut repetita docet observatio.

IX. Præcipua argumenta, quibus hæc cujuslibet Regionis historia complectenda erit, esse debent de aere, aquis, & locis, idest de fluviis, lacubus, & fontibus, collibus, planitie, & montibus; ad Orientem vel Occidentem, aliasve Cœli plagas situ; de plantis, & animalibus in patrio solo præcipue provenientibus, nec non de mineralibus, aliisque telluris effectibus. Porro de moribus, & temperamentis Incolarum, de morbis iisdem familiaribus, medendique methodo, qua eliminantur, de medicina indigena sive de medicamentis in patrio solo nascentibus, de variis, & præcipuis tempestatum influentiis, aliisque sexcentis, per quæ morborum origines, tum foventur, tum curantur. Qui frigida, & humida loca inhabitant sunt capitones, obeso corpore, labris tumidis, buccis protuberantibus, &c. Quædam Regiones coactæ brevitatis homines producunt, quædam longos, & elatos, quædam gutturosos, & strumis deformatos. Aliæ disponunt corpora ad phthisin, & tussim ferinam, ut in Britannia contingit. Aliæ ad pestem reliquosque morbos. Pariter ab hac Regionum diversitate, non exigua inter homines morum differentia, quantum ad timiditatem, & audaciam, voluptatem, & dolorem aliasque animi affectiones spectat, observatur; quasi effectus animi motionis corporeæ affectionem subinde consequantur. Nisi hæc omnia sibi comparaverint quarumlibet Regionum Medici, vix Popularium suorum morbos ad perfectam sanationem poterunt perducere: quod quidem prævidens *Celsus*, præfat. lib. de Medicina ait, *differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galliis, &c.*

Finis Libri Primi.

D E

PRAXI MEDICA
LIBER II.

CAPUT I.

Quod erit inſtar Prolegomenon ad Librum præſentem.

§. I.

NOSTER in hoc opere ſcopus eo pertinet, ut dilucide cognoſcatur, quantum momenti in medicina afferat obſervatio; quare poſt quaſdam generales cauſas, juxta vires noſtras expoſitas, quæ hujus artis progreſſum retardarunt (alias præcipuas ſequenti capite referam, ubi proprius erit locus) neceſſarium ducimus in hoc libro noſtram ſententiam de Praxeos augmento hiſtoriæ ope habito declarare: quæ noſtra quidem ſententia ſi veritati conſonabit, gaudeo me hanc operam hominibus præſtitiſſe: ſin minus, libenter me corrigi patiar, expetoque ut quod ego nequivi, alii generi humano proſpiciant. Quoniam vero in conſtituendo alicujus morbi ſyſtemate multa concurrunt, puta cauſæ, ſigna, phænomena, indicationes, remedia, &c. de his omnibus ordinate loquemur, primum ab hiſtoria phænomenon incipientes, utpote in quibus morborum natura re vera ſita eſt. Ceterum clarius tractaturi, medicinam in primam, & ſecundam dividendam putamus. Primam dico meram malorum hiſtoriam ſola obſervatione habitam, in ipſo ægrorum lectulo, ab ægriſque ipſis indicatam. Huic hiſtoriæ nihil opus eſt ſcientiis aliis, librorumque lectione; ſiquidem cum ſcientiam per ſe, ſive propriam conſtituat, dependeatque ab obſervatione, & narratione ægrorum, quicquid extrinſecus accedit, eam penitus confundit, incertamque reddit; unde poſtea toties memorati errores oriuntur. Hinc videtur Medicus hac in re teſtis officio, qui narrat, non judicat, fungi debere, ac partite ſingulas res quantumvis minimas notare: earum enim aliæ ſtatim ac perceptæ ſunt, rectam curandi rationem oſtendunt: aliæ vero lucem quamdam dumtaxat præbent, qua ducti facile rerum magis abſtruſarum naturam inveſtigare poſſumus; unde merito obſervationes dividi poterunt in luciferas, & fructiferas. In re igitur tam gravi, nempe in inſtituenda hac morborum hiſtoria, non oportet mentem noſtram a rerum nexu, ut Poetæ faciunt, ſolvere, & qualibet ſpatiari, ſed ingenium rebus ſubmittere, naturam parendo vincere, & idioma quo ipſa loquitur diligenrer addiſcere. Medicinam ſecundam dico id omne, quod præter hanc primam in medicina continetur. Hanc juvant aliæ ſcientiæ, librorum lectio, quodque a noſtris ſcientificum dicitur, methodicum, rationale.

Nec vanam quis putet mentem hanc noſtram, dum cupimus Medicos hiſtoriam certam, & ſtabilem morborum præſcribere; objiciendo nobis morbos eſſe quoſdam irregulares naturæ deſtitutæ conatus, morboſam materiam ſine ordine certo, ac lege pellere contendentis. Etenim cum corpus animatum ſit complexio quædam actionum animalium, vitalium, ac naturalium, inter ſe concordium, & a principiis certis, ſubjectiſque naturæ legibus a Deo ordinatis dependentium; principia iſta omnia cum propter vim quandam, aut errorem a ſtatu naturali deflectunt, quos motus edent in priſtinum reditura, edent quidem in ipſo errore ordinatos. Quod ut omiſſis aliis experientia conficiamus, res omnes naturales præſertim ex genere plantarum, ſuccorum, fructuum, &c. videmus certo tempore florere, matureſcere, depurare, putreſcere; videmus etiam morbos omnes præcipue acutos certa quadam lege augere, ac deficere. Nec poteſt Medicus hunc acutorum curſum, & ſtatam periodum per medicamenta declinare, quin morbi aut graviores fiant, aut in alios periculoſiores deſciſcant: quod præ ceteris accidit in tertianis. Accedit huc quod cum Majorum noſtrorum præſertim *Hippocratis* obſervationes veras eſſe comperiamus, fieri id nullo pacto poſſet ſine certo morborum curſu, & progreſſione: qui igitur hiſce rebus adverſatur, medicinamque impoſturam eſſe aſſerit, neceſſe eſt, ut ipſe ſit impoſtor, deceptorque.

Ad majorem hujus hiſtoriæ claritatem operæ pretium eſt antiquam morborum in acutos, & chronicos diviſionem tenere. Acutos vocant, qui ſedem in fluidis potiſſimum habent, & ab effræni eorundem ebullitione pendentes celeriter motus ſuos abſolvunt, & niſi prudenter tractentur, deſinunt tandem aut in lethales, aut in diuturnos, & incurabiles. Chronicos contra, qui frequenter a ſolidis vitiatis proveniunt, vel a nimia fluidorum indigeſtione, & craſſitie; qua de re, vel tarde admodum ad coctionem perveniunt, vel raro eandem attingunt. Pro diverſo igitur in hiſce morbis ſanguinis ſtatu,

diverſa

diversa pariter esse debebit remediorum materia, nec promiscue singuli aut spirituosis, aut aqueis remediis tractandi, ut multi hodie consueverunt. In acutis cunctatio, & sagax Medici in agendo judicium magnam vim habent ad sanationem, & quamvis sæpissime sponte sua solvantur nunc casu, nunc natura favente, nusquam tamen graviores committunt errores Medici, quam in acutorum curationibus, ut fuse inferius. In chronicis contra, utpote ab effœta, atque elanguida prorsus solidorum, ac fluidorum natura pendentibus, tota vis sanationis a Medici præstantia, remediorumque energia dependet, cum in illis nec fortuna, nec natura magnopere possint.

Denique si cuilibet delicatioris palati frequens naturæ in hoc opere mentio displiceat, veluti ea confugium sit ignorantiæ, eidem ego respondeo naturæ nomine non intelligere me sapiens quoddam phantasma quacumque vagans, & consilio singula dirigens, sed complexum quemdam generalem causarum naturalium, quæ licet consilio destituantur, effectus tamen suos pariunt juxta leges a summo Conditore inditas, atque ita ordinate, ut quidem summo regi consilio videantur: Seu intelligere me ætherem, a quo omnis est motus; Vel tandem complexum accidentium essentialium scil. motum, figuram, magnitudinem, situm, quietem, a quibus omnes actiones corporeæ anima dirigente dependent. Hæc igitur est illa natura, quam crebro præsenti opere usurpamus.

CAPUT II.

Manifestantur causæ nonnullæ præcipuæ, quæ morborum historiam, sive medicinam primam hucusque retardarunt.

§ I.

Diximus antecedenti capite, nil aliud nos medicinæ primæ nomine intelligere, quam exactissimam cujuscumque morbi phænomenon, quæ debitam, & naturalem illorum historiam constituunt, descriptionem. Sed antequam talis instituendæ, atque perficiendæ historiæ regulas tradamus, investigabimus obiter, quid potissimum causæ fuerit, cur eam hucusque debite non excoluerint Medici; & quare factum sit, ut cum tot ingentia observationum volumina publici juris extent, parum admodum in eadem profecerimus. Et primo quidem distinuit eos ab experientia recte facienda ea opinio, qua permulti Recentiores Philosophi nimium abstractionibus mentis tribuentes putarunt sensuum ductum fallacissimum, rerumque particularium inquisitionem infinitum quid esse, ac sine exitu. Quod falsum esse noverimus, ubi attenderimus accessionem factam bonis artibus solum nostro hoc sæculo, non nisi sensibus, & experientiæ deberi. Quodque stupeas magis, quum multa sint, quæ casu docti sumus, majorem remediorum partem ita inventam scimus, plurimasque res in medica facultate. Quoad reliqua longum esset singula inventa numerare, pulverem tormentarium, magnetis in polos conversionem, telescopiorum usum nonne casus peperit? Quod si tantum potest casus, quid est cur id sensibus ordinate progredientibus negemus; qui quamvis errent interdum, errores tamen suos & indicant, & corrigunt? Distinuit poro antiquum odium sectæ Rationalis in Empiricam, utpote quam vilem, circumforaneam, & litterato Viro prorsus indignam semper existimarunt. Quod quidem recta ratione factum esset, si pro Empirica intelligerent experiendi rationem stupidam, erraticam, non repetitam, intellectu non fœcundatam, adeoque nil aliud educentem quam conceptus erroneos, & placita monstruosa; non ita si Empiricam rationalem, sive Empiricam doctam, litteratam, methodo non casu inventam, ab intellectu fœcundatam, & directam, & post diuturnam effectuum morborum explorationem ad veritatis culmen perductam, quam mehercule docti Viri semper laudarunt, & tanquam naturæ consonam ad majora promoverunt. 3. Non profecimus admodum in hac historia, quoniam Duce caruimus, qui vel exemplo præiret, vel facem præferret in detegenda per tot ardua, & incerta viarum, & per totidem morborum differentias experiundi methodo. Et quamvis primus *Hippocrates* eamdem subodoraverit, scriptisque publicis consignaverit, a Medicis tamen vel recepta non fuit, vel ob præconceptas illorum opiniones, & falsa idola in contrariam partem accepta. Medici rationales quandoque experientiam consulunt, sed ab eadem generalia quædam atque illa nec bene decocta, nec integre examinata sumunt, reliqua vero in agitatione mentis reponunt, ut rationi suæ accommodent; Empirici licet experientiam perpetuo jactent, illam tamen nunquam recte attingunt; nam præterquam quod sine luce, & methodo eamdem aggrediuntur, tantam inquisitionis diuturnitatem non sustinent, quanta explorandis morborum affectibus, & exinde præceptis practicis deducendis requiritur; unde nil mirum, si ex stupido, nebuloso, ac prorsus erroneo experiundi genere, talis quoque Empiricorum praxis oriatur. Nonnulli paucis experimentis, iisque angustis, & obscuris eruditi, super ea philosophiam novam, aut novam medicinæ theoriam constituunt; & si quæ sint, quæ illis adamussim non respondeant, modis tamen admirandis ad eas detorquent, & impellunt. Hujus generis sunt Philosophiæ Chymicorum paucis experimentis furno eductis superstructæ: Philosophia *Gilberti* de magnetismo: Systema medicorum *Jo. Maiow* de nitro aereo. Denique tot systemata practica super Alcali, & Acido; Triumviratum

himo-

humorum primæ regionis, Cardimelech, Microcosmetorem, & similibus fundata.

II. Multi experientiæ rumores affectant, sed prius decernunt quod mente conceperant, quam experientiam consulant, illamque postea talibus decretis mire adstringunt, atque pro sui modulo accommodant. Et prout area phantasiæ exposita, aut a præjudiciis occupata fuerit, ita de suis, aliorumque experimentis varie judicant, propriisque meditationibus aut obscurant, aut enervant. Sunt qui Astrologiæ, Magiæ, aliisque superstitiosis, & captum nostrum pene effugientibus disciplinis incumbentes, vera morborum phænomena superstitiosis illarum traditionibus perturbarunt. Ex his igitur omnibus triplex eorum soboles, sive medicina falsa triplex. Sophistica nempe, Empirica, & Superstitiosa emanavit.

Porro licet tam copiosa, & ingentia observationum volumina ab Auctoribus congesta fuerint, historia tamen prima cujuscumque morbi parum exinde perfectionis, & incrementi accepit. Nam in peragendis observationibus methodum, atque ordinem non adhibuerunt, sed prout faciunt homines in tenebris, qui omnia confuse palpant, & pertentant, donec casu rectam viam inveniant; vel prout homines in Eremo, qui a fortuito rerum occursu consilium capiunt; ordine interrupto, ac præposteto easdem hinc inde petentes, atque adnotantes; quid mirum quod creperam, non vero constantem, & claram effectuum morborum lucem exinde mutuarint, nobisque communicarint? 3. Observationes illæ sunt quædam veluti undæ instabiles experientiæ vagæ, in tribus, quatuorve ægrotis repetitæ, nec ad centenos atque millenos constanti ordine productæ, ut fecit Schola Coa. 3. Quamplures licet observationem sapiant, theoriarum tamen formulis sunt adeo turbatæ, ac confusæ, ut peritissimi quique distinguere vix possint, natura ne loquatur, an homo 4. Praxis, qua usi sunt nonnulli, speculativa magis, atque hypothetica fuit, quam ad naturæ methodum comparata. Unde credibile est morbos absolvisse periodos suas, non per leges sibi inditas naturales, & constantes, sed prout a diversis illis praxibus varie fuerunt tractati; idest progressus, exitus, atque symptomata eorumdem magis deberi talium praxium methodis, quam immutabili, & individuæ eorumdem naturæ: Ita qui pleuritidis curationem per purgantia, aut diaphoretica vehementiora incipiunt (methodum sane infidam, atque infaustam) quæcumque symptomata post hæc data remedia supervenient, eisdem tribui magis debebunt, quam genuinæ, & individuæ talis morbi naturæ. Quamobrem observationes omnes factæ super morbis contrario methodo curatis, inutiles prorsus erunt ad promovendam historiam naturalem eorum; utpote quæ rem aliter ac in se est & esse deberet, adnotant, & exprimunt. 5. Obanteceptam a præfatis hypothesibus mentem factum est quoque, ut multa symptomata eisdem non recte quadrantia omitterentur, multa contra eisdem magis magisque confirmandis necessaria ad libitum fingerentur; Idcirco historia morborum pura, & exacta, idest prout ab ipsa rei natura profluit, & prout ab ipso ægroto nobis describitur, inveniri vix potest in libris, siquidem ut diximus, morborum descriptiones, magna ex parte e cerebro Auctoris, non ab observatione, & facto rei prodierunt: multaque symptomata, vel ab opinionum licentia, vel ob negligentia practicantium talibus morbis adscribuntur, quæ neper somnium quidem ad eos pertinent, ut quotidiana constat experientia. Id quod vel in sola affectione hypochondriaca manifeste deprehenditur, cujus hypothesis de hepate calido, & Stomacho frigido ut salva esset, & constans, quanta finxerint Galenici, nemo est, quem lateat.

III. Qui de morborum historia per aliarum scientiarum, quibus potissimum delectantur, regulas atque leges differunt, in [illegible]dis observationibus nunquam proficient, & per eas nunquam morborum naturam elucidabunt, ut cap. 1. præsentis libri fuse tetigimus. Quantum obfuerit historiæ naturali in genere, ejusdemque incrementis, Platonem Philosophiæ suæ inseruisse Theologiam, sive de rebus philosophicis per ideas abstractas, & theologicas judicasse, Aristotelem logicam, &c. inter ceteros longe conqueritur Cl. Verulamius. Ita id re nostra, cum elapso sæculo dialectices doctrina summopere floruisset, Medicique de historia, & curatione morborum, per austeras illius leges differuissent, quantum a veritate aberrarint vel exinde liquet, quod post susceptos tam ingentes de re medica labores, non res novas, aut novarum rerum indicia, sed quæstiones ex quæstionibus, & ex argutiis fallacias inutiliter attulerunt, remque medicam ad sophistas prorsus relegarunt. Sed quod ad dialecticam spectat, hæc licet in artibus, & rebus civilibus, quæ in opinione fundamentum habent, optime adhibeatur, naturæ tamen subtilitatem difficulter attingit, & in historia naturali ad errores confirmandos potius, quam evellendos conduxit. Unde non immerito D. Gregorius: *Omnibus perspicuum est, ait, dialectices argutias pares in utramque partem vires habere, tam ad everstionem veritatis, quam ad accusationem mendacii: quo fit, ut ipsam veritatem, quando tali arte profertur, habeamus suspectam, ut plurimum, quasi istius sophistæ mentis nostræ oculos perstringat, & a veritate avertat*: hæc ille.

Quamvis multi observationum reique medicæ Scriptores dictis de causis parum contulerint

eluci-

elucidationi, & incremento hiſtoriæ morborum, ſingulis tamen ætatibus, & potiſſimum hac noſtra, atque antecedenti, non deſuerunt nonnulli, qui vel optimo prædiți judicio, vel ſub optimis eruditi præceptoribus, vel in legendis *Hippocratis* libris de rei veritate admoniti, in peragendis obſervationibus optime ſe geſſerunt, & per præcepta practica longo uſu confirmata tum hiſtoriam prædictam, tum praxim ipſam ſummopere illuſtrarunt. Inter hos recenſeri poſſent *Euretus*, *Hollerius*, & *Jacotius*. *Ballonius*, *Mercurialis Vir doctiſſimus Italus*, *Foreſtus*, *Etmullerus*, *Valeſius*, *Aretæus Cappadox*, *Cælius Aurelianus*: taceo medicinæ Principes *Hippocratem*, *Galenum*; & qui ex hiſce fontibus aquas hauſerunt, *Celſus*, *Avicennas*, & reliqui innumeri. Martianus, Sydenhamius, Septalius, Mortonus, Mangetus, Valeſcus de Taranta, Tulpius, Nicolaus Cheſnau, Riverivs, Jodocus Lomius Tezzi, Valſchmidius, aliique hiſce Analogi, quos tanquam veros Practicantes Juvenibus imitandos anteponimus.

CAPUT III.

Traduntur regulæ inſtituendi, & promovendi hiſtoriam morborum, ab eademque deducendi aphoriſmos curativos.

§. I.

SCholæ Medicæ, quæ floruit apud Coos, ſumma fuit ſemper apud omnes Medicos auctoritas atque exiſtimatio. Neque ſane immerito; nam ſive rei tractatæ pondus atque methodum, ſive rerum inventarum copiam ſpectes, ſcholas omnes hac in re ſuperaſſe profecto facto fatendum. Inter ceteros eximios Viros peperit Hippocratem ex Aſclepiadeorum familia oriundum, vigeſimum a Jove, decimum octavum ab Æſculapio, & nonum a Rege Chryſamide. Hic ſcholæ illius veſtigia ſecutus in obſervatione fuit multus, in hiſtoria morborum fideliter exacteque delineanda diligentiſſimus, in ſtabiliendis demum præceptis practicis longo uſu confirmatis ſupra ceteros mortales ſapientiſſimus, ac ferme mirabilis. Methodum hanc præceptivam, aphoriſticam & gravem non alia de cauſa ita conſtanter in ſingulis ſuis libris retinuiſſe puto, quam ut nobis tacite ſubindicaret illam præ ceteris tum augendæ, tum confirmandæ Medicinæ fore peropportunam. Ceterum priſci Medicinæ Parentes nobis cum aperte non ſignificarint leges cautioneſque talia determinandi præcepta, neque ingentem obſervationum ſylvam, e quibus educta fuerunt, reliquerint; arbitror ſane illos æque nobiſcum egiſſe, ac ſolent in elevandis Obeliſcis, aut ædificiis conſtruendis Architecti; hi pro talibus perficiendis Operibus ſcalas, trabes, funes & innumera alia ædificandi adhibent inſtrumenta; Opere abſoluto omnia ſubmovent: unde poſteri licet ædificiorum magnificentiam admirentur, ignorant tamen eiſdem perficiendis adhibita inſtrumenta. Juvenes ſuſpiciunt, & admirantur divini opera *Hippocratis*, ſed quibus gradibus ad tantam pervenerit ſapientiam, quibuſve inſtrumentis uſus fuerit in ædificio tam nobili conſtruendo, ignorant ac ſtupent, Nos quoad tenuitati noſtræ licebit, proximis capitibus hæc omnia elucidare conabimur, indicabimuſque vias, olim ab *Hippocrate* in uſu forſan habitas ad promovendam perficiendamque Medicinam per obſervationes, hiſtoriam & præcepta.

II. In efficienda alicujus morbi hiſtoria quatuor ſunt potiſſimum neceſſaria; primo ſcilicet infinita particularium obſervationum acquiſitio; ſecundo earundem diſpoſitio; tertio maturatio ac digeſtio; quarto demum ex iiſdem abſtractio præceptorum, & axiomatum generalium. De his omnibus ſigillatim agemus.

Infinita particularium exploratio, & deſcriptio prima baſis eſt hiſtoriæ morbi, de quo tractare quis velit. Hanc igitur tentare primo debet ejuſdem Hiſtoriographus, pluresque annos impendere in copioſo obſervationum numero comparando; tunc nihil cogitet neque de afferenda ornato dicendi genere Lectoribus delectatione, neque ægrotis utilitate, ſed tantummodo ut tanta particularium copia congeratur, quanta ſufficit ad vera deducenda axiomata, ſtatuendamque ideam claram, naturalem, & perfectam ſyſtematis morbi tractati. Obſervationes deſcribat ſtylo rudi, & incomto, ideſt iiſdemmet loquendi formulis, quibus ægrotantes nobis ſuas exprimunt affectiones: Minima quæque adnotet quantumvis vilia, aut inutilia videantur: Nil de ſuo addat, ideſt quod illi vel ſubtilis diſputandi ratio, vel inanis eruditionis ſpecies poſſent ſuppeditare, ſed tanquam Scriba fidelis leges a natura latas diligenter colligat, iiſdemque prorſus modis, quibus locuta eſt natura, deſcribat: atque ita prorſus ſe gerat, ut fieri ſolet in Civilibus, in quibus tunc optima ſunt judicia, cum minimum licentiæ, aut eloquentiæ Oratorum tribuitur, ſed in teſtibus omnis opera conſumitur; ita judicia, quæ de morborum natura proferuntur, tunc optima erunt, cum ab evidentibus coacervatiſque prodierint experientiæ teſtimoniis, ac ne minimum ab Auctorum licentia fuerint alterata, in quorum quidem teſtimoniis libido, & præjudicium prævalent, rerum autem teſtimonia, & reſponſa interdum obſcura, & perplexa, ſed incorrupta ſemper, ac ſincera.

Rude hoc, & incomtum ſcribendarum obſervationum genus, necnon longa mora in iiſdem acquirendis notandiſque, puto, quod legentem æque, ac ſcribentem deterrebunt, eiſque

que moleſtæ videbuntur, & inutiles. Sciant tamen talium obſervationum aggregatum eſſe quoddam veluti horreum ſive promtuarium rerum in morbis notatarum, in quo quidem non eſt cum voluptate permanendum; ſed tunc diſcedendum, cum aliquid aut ad conſtructionem axiomatum, aut ad curationem morborum hauriendum ſit. Neque quidpiam magis hiſtoriæ naturalis medicæ veritatem, fidelitatemque labefactavit, quam libido Auctorum in eadem exornanda novis, & elegantibus loquendi formulis, ſubtilibus ſpeculationibus, copioſis Auctorum citationibus, ſimilibuſque Lectorum gratia excogitatis. Expedit itaque infantiam medicinæ ſub hiſtoria, & narrativa caſuum, quaſi nunc ea naſcatur, tractare, nam quæ in libris hodiernis tanquam per nubem pellucet morborum hiſtoria, ea indiget expurgatione, qua Philoſophiam indigere jamdudum notavit Franc. Baco fol. 84. *Satis ſcimus*, inquit, *haberi hiſteriam naturalem, varietate gratam, diligentia ſæpius curioſam, ſi quis tamen ex ea fabulas, & antiquitatem, Auctorum citationes, inanes controverſias, ſuperſtitionem, philologiam denique & ornamenta eximat (quæ ad convivales ſermones, hominumque doctorum noctes potius quam ad inſtituendam Philoſophiam ſunt accommodata) ad nil magni res recidet*. Hæc ille.

Ad complementum veritatis hiſtoriæ cujuſcumque morbi primo neceſſe eſt, ut Hiſtoriographus in peragendis obſervationibus non ſolum adnotet minima quæque accidentia de die in diem in morbo apparentia, eorumque vehementiam, progreſſum, & exitum in melius, vel deterius, verum etiam minimas quaſque circumſtantias temporis, & loci, in quo fiunt obſervationes, conſtitutionis, anni, cauſarum antecedentium, & præſentium, methodi & remediorum adhibitorum, verbo dicam rerum omnium, quæ morbum antecedunt, concomitantur, & conſequuntur. Nam quæcumque vel minima circumſtantia, quæ negligitur, ſolet totius obſervationis effectum morari, aut perturbare, quin etiam veram hiſtoriæ ſeriem interrumpere. Hæc inquam omnia adeo diligenter deſcribenda ſunt, ut ſi quid dubii, aut præter ſpem in aliqua obſervatione ſupervenerit, reticeri, aut ſupprimi non debet (quod ſane vitium commune fere eſt omnibus Obſervationum Scriptoribus) ſed plene, & perſpicue deſcribi titulo MONITI, aut NOTÆ. Veritatem enim aut falſitatem experimentorum, veritas, vel falſitas axiomatum paulo poſt manifeſtabit. Imo quo magis de veritate, integritateque obſervationis conſtat, ipſemet obſervandi modus exponendus erit, ut ita liberum ſit hominum judicium in examinando, utrum methodus illa obſervandi fida ſit, vel fallax; nec non ut excitet ingenium eorumdem ad inveniendas methodos accuratiores. Denique nil magis conducit hujus hiſtoriæ perfectioni, quam ut hæc particularium ſylva valde abundans ſit & fertilis, nam ita facillime, & via maxime expedita tentabitur inquiſitio, & axiomatum conſtructio; ſecus vero ſi ſterilis fuerit, & immatura.

III. Poſtquam debitum tempus in peragendis obſervationibus inſumſerit Hiſtoriographus, & per annos quamplures morbi tractandi naturam diligenter examinaverit, & hæc omnia ſcriptis exacte mandaverit; tunc diſpoſitionem aliquam tentare debet, & Empiricam mere ſtupidam ad gradum Litteratum ſenſim promovere. Tales etenim obſervationes veluti litteræ Alphabeti, licet per ſe inutiles ſint, varie tamen collectæ, & inter ſe collatæ ac diſpoſitæ, verum naturæ idioma conſtituunt. Diſpoſitio in eo potiſſimum conſiſtit, ut res majoris momenti per titulos & locos communes ſeparentur, & quidquid obſervando compertum eſt, collocetur debite ſub titulo appropriato: v. g. poſtquam mille vel bis mille obſervationes de Colica fecerit Hiſtoriographus, dividat aggregatum illud obſervationum in ſigna Diagnoſtica, Prognoſtica, conſtantia, & inconſtantia; Cauſas varii generis, & varie influentes; Conſtitutiones anni tunc temporis prædominantes; Symptomata morbum perpetuos concomitantia, & eumdem paſſim derelinquentia; Eventus fauſtos, atque infauſtos indicationum in morbis ſumtarum; Eventus fauſtos, vel infauſtos remediorum præſcriptorum; fiantque hujuſmodi alii articuli, quos inquiſitionis articulos appellabimus; & quod in peracta jam hiſtoria rebus determinato titulo ſignatis accommodatum erit, iiſdem ſubſcribatur, ut ita adhibitis debitis hiſtoriæ ſeparationibus, inductio ad conſtitutionem axiomatum, ſive præceptorum generalium fiat ordinata, & ſine fallaciis.

IV. Methodus digeſtionis nil aliud ſibi vendicat, quam ut præfata particularium experientia erratica, & indigeſta, factis debitis diviſionibus, & rejectionibus evadat tamdem ordinata, & digeſta, ſive utsa quæ dubiæ ſunt fidei, inconſtantes, communes aliis, quibus videntur ſimiles, cautionibus opportunis muniantur, omnino falſæ rejiciantur, & ſic deinceps. Diuretica in morbis pectoris generaliter optima ſunt, rejectis tamen diureticis acidis, quæ noxia, & infida, pulmonemque erodentia, ac ſanguinem in eo figentia, ut experientia conſtat. China chin. eſt remedium profecto herculeum in curatione intermittentium; dummodo tamen non detur, ſi aderit ſuſpicio inflammationis alicujus viſceris, vel abſceſſus interni, vel etiam morboſa partis alicujus debilitas, & diſpoſitio; nam talibus in caſibus non tollit, ſed auget febrim; omnemque morboſam materiem in affectum locum deponendo, ac figendo, inflammationes lethales, ac demum gangrænam producit. Utilis quoque chin. chin. uſus in intermittentibus eſt, dummodo tamen non præſcribatur in principio earumdem, crudis adhuc exiſten-

existentibus humoribus; interdum namque febrem non tollit, & si tollit, paucis interpositis diebus denuo redintegrat, & quod his pejus est, novos morbos frequenter producit, asthmata scilicet, hydropes, dysenterias, rheumatismum, suppressionem consuetarum evacuationum, similesque alios, ut matura recentiorum experientia compertum est. Ad demulcendos vehementes partium dolores insigne remedium est bezoarticum joviale, momento namque impetum spirituum & salium furentium coercet. Cave tamen, ne dolores illi podagrici sint, aut venerei, vel similes, quorum detenta materies pejores morbos posset excitare: cave pariter, ne illud exhibeas in nervorum, & nonnullis gravibus capitis morbis v. g. apoplexia, paralysi, &c. quippe quod nervis, & cerebro infensum est, ac noxium. Eodem prorsus ritu procedendum est in muniendis per debitas cautiones rebus majoris momenti, historiam antedictam constituentibus, ver. gr. signis diagnosticis, prognosticis, symptomatis præcipuis, causis cujuscumque generis, &c. Inductio namque quæ fit per simplicem observationum enumerationem nullis additis cautionibus rebus dubiis, & analogiam habentibus cum phænomenis alterius morbi, sub cujus specie illudunt, vel non rejectis falsis, & inconstantibus, imperfecte concludit. Contra inductio laudata est, *Verulamio* teste, quædam demostrandi forma, quæ sensum tuetur, mentem illustrat, ac perficit in conclusionibus recte deducendis, naturæ imminet, ac fere immiscetur.

V. Comparata jam sufficienti particularium copia, eademque debite ordinata, separata, ac digesta, observatur demum judicio suo uti, & de constituendis præceptis generalibus summam & pondus artis re vera continentibus, cogitare incipiat. Atque si alicubi, hic sane est opus mente, velut igne quodam divino, qui vastam hanc, & caliginosam particularium Eremum, tam fallaci rerum, signorumque similitudine, causarum implicatione, viarumque ambiguitate interceptam virtute sua irradiet: ut ita nos judicium cohibentes & sustinentes, gradatim ascendentes, & rerum morbosarum veluti montium juga unum post aliud constanti labore superantes, perveniamus tandem mature ad summitates naturæ, in quibus & statio serena, & verus morborum prospectus, & ab eodem ad praxim facilis, mollique clivo ducens descensus.

VI. Præcepta generalia antiqui nomine aphorysmi significabant. Hi tanquam indices viæ regiæ, & tanquam tabulæ naufragii securæ, & stabiles in superandis arduis morborum curationibus, nonnisi a Viris doctissimis longo senio, sed longiori praxi pene confectis, quique habebant mentem satis fixam, atque intentam ad differentiarum subtilitates observandas, in dubitando patientiam, in asserendo cunctationem, in disponendo prudentiam, &c. olim tractabantur. Hodie vel vilissimus Pharmacopœi servulus, jus in medicina dicendi per aphorysmos & sententias sibi arrogat. Hodie ab uno, vel duobus experimentis tanquam per jocum factis, propositiones generalissimæ a medicis decernuntur, quanto id præstantissimæ artis detrimento, Medicorum dedecore, vel me tacente, quilibet abunde cognoscit. Sed ad rem.

Observator postquam in copiosa observationum silva sat superque se exercitaverit, & Abecedarium naturæ morborum optime didicerit, non debet ad maxime generalia advolare via compendiaria, & præcipiti, ad naturam impervia, disputationibusque proclivi; sed ascendendo, & descendendo, massam particularium sufficienter penetrando, sensim denique, & continenter ad eamdem pervenire, ab iisque postea propositiones medias, & axiomata deducere. Hujusmodi abstractiones a particularibus non recte cognitis, nec debite examinatis ad generalia modo affirmativa, modo negativa abunde observantur in scriptis Recentiorum. *Henricus Screta* observatis aliquoties in visceribus nonnullorum maligna, aut inflammatoria febri extinctorum inflammationibus, & abscessibus, non dubitavit asserere omne genus febrium a latentibus partium inflammationibus produci. Et quoniam ab eodem fonte hecticarum quoque originem deducit, in hic pariter diaphoretica, & aperientia varii generis perpetuo præscribit, quo suppositas latentes inflammationes, abscessusve dissolveret. Vere quidem, dum a talibus causis hecticæ fiunt; non ita tamen, dum ab aliis longe diversis utpote sudoribus nimiis, a gonorrhæa simplici, & fluore albo, a lactatione nimia in Nutricibus, dysenteria, & diarrhæa, diabete, salivatione nimia, nimia pariter diæta, vigiliis nimiis, & exercitationibus, similibusque producuntur. Quo in casu non latentes abscessus, ut Screta arbitratur, sed nimia succi nutritii subtractio hecticas fovet; & prout variæ erunt tales causæ, ita curatio hecticarum variare debebit. Plures hujusmodi intempestivas abstractiones a particularibus recensere superfluum.

Axioma ut stabile sit ac perpetuum, fieri debet ad mensuram particularium, a quibus elicitur, iisque nec altius, nec inferius, sed quantum patitur ipsorum particularium vis, varietas, & amplitudo; idest nec ita altum ut desinat in abstracta, & inania; nec ita angustum, ut nulla facta abstractione in ipsa particularium confusione, stupiditateque hæreamus. Fiat igitur aquarum more, quarum ascensus in fontibus tantus est, quantus fuit descensus e clivo, unde oriuntur. In hujusmodi abstractionibus curandum præ ceteris, ut mens per continuum ad particularia intuitum a prudentia dirigatur, nec sibi permittatur, utpote quæ ex natura sua facillime attollitur in abstracta, mediis recte non consideratis. Ad hanc adamussim facti omnino sunt

Hippocratis aphorismi, præsagia, Coacæ, & reliqua fere divini Senis monumenta, nobisque pro modulo esse debent in novis, atque novis instituendis axiomatibus; quibus hodie summopere redundaret ars nostra, si per ætates jam elapsas naturæ utero adhærens saluberrimum observationum lac perpetuo fluxisset; sed quoniam ab utero naturæ avulsa fuit, & in scholis disputationum educata, quid mirum igitur si illam hodie variatam habeamus, non auctam? quid mirum pariter si quæ post scholam Coam Arabes, & nonnulli inter Latinos indocti, ac contentiosi adjecerunt, nil aliud revera sint, quam verba *otiosorum Senum ad imperitos Juvenes*.

VII. Cæterum nil magis ad veritatem axiomatum conducit, quam exacta, ac prorsus austera symptomatum omnium, utut minimorum, utut vilium, ac pene inutilium in morbo observatorum descriptio: Et mehercule nil magis historiæ morborum perfectionem progressusque retardavit, quam præposterum Medicorum studium in notandis, amplificandisque iis, quæ patent; negligendis è contrario, quæ obscura, aut vilia videntur Natura nil frustra molitur, minimaque sunt sæpius magnarum rerum initia, & minima quoque ad notitiam grandium nos conducunt. Flatus pedendo emissi judicantur motus viles, & nullius ad curationem momenti, & tamen si in dysenteria, flatus, qui prius non aderant, per inferiora exire incipiant, brevi sanitatem promittunt, ut nos aliquoties observavimus. Iliaco pessime habenti si flatus multi, & fœtidi pedendo erumpant, brevi mortem minantur, quale exemplum vidimus Romæ 1693. in Iliaco sexagenario. Si pueri frequenter manu ventrem contrectent, vermium ibidem latentium indicium est. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres, *Hipp. sect. 4. aph.* 53. Nares rubras habentes eis lumbrici sunt in corpore. *Hipp. epidem.* Sudor multus per somnum citra causam manifestam factus, copiosiore alimento corpus uti significat, quod si cibus non assumenti hoc accidat, vacuatione indigere significat. *Hipp. 4. aph.* 41. Quamplura hujus generis si inter curandum appareant, prætermittuntur a Medicis tanquam inutilia, & exigui momenti: cum talia revera non sint, sed lucifera æque ac fructifera, ab iisque diagnoses, progoses, indicationesque curativæ æque bene deducuntur, ac a rebus patentioribus, majorisque momenti.

CAPUT IV.

De erigendis Academiis promovendæ Praxeos gratia.

§. I.

CUm opus antea delineatum ob ingentes labores, multamque meditationem quam sibi vendicat, non unius, aut paucorum hominum, sed integri cœtus doctorum Virorum negotium sit, necessarium fore putamus ut Principes in Urbibus suis præsertim celebrioribus, quibusque ingentia extant Xenodochia, Medicorum Academias promovendæ Praxeos gratia per historiam observationesque excitent; non absimili ratione, qua reliquis hoc sæculo tum artibus, tum scientiis, illorum liberalitate factum videmus. Tale Medicorum Collegium, sive Academia Practica in duo veluti membra distinguenda est, quorum alterum legendis libris morborum observationes continentibus incumberet, alterum contra novas quotidie instituteret, & adnotaret. Et quoad primum (quod vocabimus membrum litteratum) illorum Auctorum libros sibi legendos proponat, qui morborum historias non paradoxas, non raras, non admirationis movendæ causa traditas exponunt: sed morborum frequenter occurrentium fideliter, & ad vivum delineatas, & in quibus Auctor ille adnotaverit constitutionem anni, causas morbi antecedentes, sive occasionales, ortum, progressum, & declinationem ejusdem, symptomata de die in diem succedentia, mutationem symptomatis unius speciei in symptoma alterius singulis morbi temporibus, quid boni, aut mali ægroto supervenerit a cujuslibet novi symptomatis adventu, post quælibet data remedia, quovis morbi tempore, post quamlibet medendi methodum, &c. an scilicet sanitas, vel mors, diuturnitas morbi, vel brevitas, aut potius mutatio illius in morbum speciei longe diversæ, ac prorsus remotissimæ. Unicuique membri hujus litterati Sodali, unus dumtaxat morbus tota sua vita tractandus committatur, in quo quidem negotio hac ratione se gerat. De pleuritide v. gr. tractaturus legat omnes historias pleuritidum ab Observatoribus, aliisque doctis Medicis descriptas, easque in manuscriptum aliquod de industria ad id comparatum adnotet. Adnotatas, iterum atque tertio perlegat, attente consideret, & tandem investiget sequentia; Naturam, sive ideam morbi in genere, signa diagnostica, & prognostica, monita & præcepta generalia, medendi methodos accuratiores, remedia selectiora, ac ferme specifica, symptomatum, atque morborum mutuas inter se transmutationes, diuturnitatem vel brevitatem eorumdem, naturæ conatus, methodum, & ordinem in expulsione materiæ morbosæ, aliaque magis præcipua, paulo ante, & fusius cap. antecedenti animadversa; singulaque in suas classes, sive titulos magis principales dispertiat, & adnotet, prout etiam antecedenti capite significavimus. Ita v. grat. percurrendo singulas historias pleuritidum deprehendet Pleuritides siccas ac sine sputo difficiles esse, & pernicioſas. Omne sputum non solvens dolorem, malum, solvens vero, bonum. Dolores lateris in senibus ut plurimum lethales, præsertim quia ob vires jam fractas expurgare nequeunt. Qui purgant in acuta, & nimis inflammato-

matoria pleuritide, tenentur lege Aquilia; ſputum enim ſupprimunt, inflammationem adaugent, viamque ſternunt ad phthiſim, & ſuppurationem. Purgantia in morbis pectoralibus generaliter noxia, præſertim ſi ii inflammatorii fuerint, utilia e contra diuretica, & ſputum moventia, & balneationes pedum, &c. Sanguinis miſſio repetita, & exinde hauſtus decocti pectoralis, quantum fieri poterit calide ſorbillati, pleuritides vel pertinaciſſimas, ac fere ſtrangulatorias brevi ſolvit. Qui laborant alvi fluxu in pleuritide, plerumque intereunt. In pleuritide dolor ut plurimum aſcendit ad jugulum, præcordia, dorſum, &c. Qui ſæpe fit pleuriticus, ſæpe moritur ex pleuritide, vel peripneumonia. Quo citius apparet ſputum in pleuritide, eo citius curatur. In pleuritide maligna tutius erit ſanguinis miſſionem omittere. Potus frigidi multos enecant pleuriticos, ut Medici mortis cauſam aliis occaſionibus attribuant. Hæc aliaque innumera talibus inveniet in hiſtoriis, quæ quamvis erraticæ, & indigeſtæ, ſemper tamen continent quidpiam naturæ munera redolens, ejuſque legibus adamuſſim reſpondens.

Methodum illuſtrandi, amplificandique hiſtoriam morborum per obſervationes e libris petitas ideo tradimus, ne tot e naturæ officina eductæ merces, parcius, & uberius, prout Auctores illi ſolidioris, aut levioris fuerint judicii, conſepultæ jacerent, totque congeſti doctiſſimorum Virorum labores ad perpetuam oblivionem damnarentur. Imo cum vires unius vix ſufficiant tantæ alicujus morbi provinciæ illuſtrandæ, aliis, quoque una nobiſcum incumbendum, ut tanquam per Procuratores & Mercatores undique conquirantur, & afferantur infinita particularia. Quod ipſum ſubodoravit etiam *Galenus*, expreſſitque ſequentibus verbis de ſubfigur. empir. cap. 9. *Cum enim*, ait, *unius hominis vita ad omnium inventionem ſufficere nequeat, longi temporis obſervationes hiſtoria colligit, ut ejus beneficio, tanquam ex multis tot ſæculorum hominibus unus efficiatur eruditiſſimus*: hæc ille.

II. Alterum Academiæ membrum (quod dicimus Practicum) totum ſe in exquirendis de novo, notandiſque morborum obſervationibus collocare debet, & eodem prorſus ritu hac in re ſe gerere, quo membrum litteratum ſupradictum, ſcilicet; Quot fuerint membri hujus ſodales, totidem morbi ab unoquoque illorum tractandi ſunt. Quomodo facienda ſit morborum hiſtoria per obſervationes ab ægrorum lectulis petendas, & quomodo ab iiſdem deduci debeant aphoriſmi, ſive præcepta generalia, ſuperiori capite fuſe tetigimus, eoque Lectorem remittimus. Sed ut res clarius conſtet, quæ inibi uberius diſputavimus, ſummatim hic complectemur. Et quoniam hiſtoria morborum in eorumdem ſymptomatis, ſive phænomenis pro tempore apparentibus conſiſtit, debet Hiſtoricus omnes animi vires intendere in iiſdem utut minimis ad vivum, ſive prout ſunt, & prout ab ipſo ægro referuntur, delineandis: Qua in re quantum peccaverint hucuſque Scriptores, libri illorum aperte fatentur. De morbo enim aliquo tractaturi, libros, & phantaſiam propriam conſulebant, neglecta prorſus experientia, & libros naturæ: unde ſymptomata, quæ morbis adſcribebant, quid mirum ſi nos in praxi vel non obſervemus, vel potius longe diverſa ab ipſorum opinione? Debet 2. inquirere, ac poſt longas inquiſitiones determinare, quæ ſymptomata ſint conſtantia, ac veluti diagnoſtica perpetua morbi tractandi, eaque diſtinguere a fortuitis, communibus aliis, & pendentibus potius a diverſa medendi methodo, concurſu cauſarum pene infinito, &c. quam ab ipſa morbi natura. Debet 3. adnotare, quæ indoles, quæ vehementia, qui progreſſus & exitus ſymptomatum, quæ demum unius in aliud mutatio ſingulis morbi temporibus appareat. 4. Quæ facies, quæ vehementia, qui progreſſus & exitus, quæ tandem mutatio in melius vel deterius in ipſo morbo ſuccedat, poſt cujuſcumque ſymptomatis adventum, aut receſſum. 5. Quæ ſymptomata recedant, quæ augeantur a quovis adhibito remedio, & a quacumque medendi methodo, qua uteris ſingulis morbi temporibus. Hæc eadem obſervanda pariter ſunt in ipſo morbo principali, poſt quælibet ſcilicet remedia & methodum præſcriptam. 6. Quæ ſymptomata comitantur morbum uſque ad finem, & qua vehementia quovis illius tempore: e contrario quæ brevi illum deſerunt, & quo illius tempore. Demum qui eventus obſervantur in morbo dum illum deſerunt, vel quando iterum regrediuntur. Debet 7. horum omnium inquiſitionem ad centenos atque millenos ægrotantes perducere, ut ita de rei veritate certus omnino fiat, axiomata generalia facile conſtituat, ipſaque ars Medica, tanquam planta quædam vivax, ac vegeta, ſuiſque inhærens radicibus, perpetuo creſcere poſſit & confirmari. Eodem tempore quo phænomenis morborum obſervandis notandiſque incumbit Hiſtoricus, cogitare quoque debet de perficienda ſigillatim hiſtoria cauſarum, ſignorum diagnoſticorum, indicationum ſolidarum, ſive methodi curativæ, remediorum ſpecificorum, aliorumque ad eſſentiam morbi tractandi ſpectantium, de quibus nos inferius propriis capitibus diſſeremus. Atque hæc erunt Topica præcipua, ſive articuli inquiſitionis novorum operum in amplificanda morborum hiſtoria per phænomena ſua, aliaque recenſita. Qua quidem in re quam oſcitanter ſe geſſerint Medici, præſertim hoc ſæculo, pluries ac fere ad nauſeam hoc opere animadvertimus. Unde medicinis illorum apprime mihi videtur quadrare priſca fabula de Scylla, quæ ſpecioſæ Virginis vultum, pectuſque referebat, circa uterum tamen monſtra latrantia ſuccingebantur. Ita medicinæ hodiernæ quamplu-

res, aſpectu & apparatu exteriori; non ſolum ſpecioſæ, & plauſibiles videntur, ſed magna de ſe promittunt; cum vero ad uterum illarum, ſive ad partes generationis ventum eſt, nec Praxeos fructus producunt, nec novam lucem inveniendorum fructuum aperiunt, aut indicant, ſed latrantes quæſtiones, horrida opinionum monſtra, rerumque antea inventarum repetitionem ad nauſeam uſque conferciunt. Expertus igitur, fateare; artem enim experientia fecit, *exemplo monſtrante viam*, teſte Manlio: Et in medicina majorem vim habet experientia, quam ratio; ratio contra majorem, quam auctoritas; idque præter morem rerum legalium, in quibus auctoritas, & decreta Patrum pluris habentur, quam quælibet rationum momenta.

III. Antequam dicendi finem faciam præfanda eſſent nonnulla de hujus Academiæ legibus. Sed hæc non multum diverſæ ſunto ab aliis doctorum Virorum cœtibus, præſertim quoad generalia inſtituta. Quo ad particularia, id unum præ ceteris monendum puto, ut ſcilicet unicuique Academiæ, tam Practicæ, quam Litteratæ Sodali, unus dumtaxat morbus toto ſuæ vitæ ſpatio tractandus modo ſupradicto committatur, poſtulante id potiſſimum rei magnitudine, & neceſſitate. Etenim cum in comparanda particularium ſilva modiſque recenſitis diſponenda, dirigenda, determinandaque multum temporis impendatur, multumque meditationis, prudentiæ, ſedulitatis, judicii, cunctationiſque requiratur; aperte conſtat unius hominis vitam, vix ac ne vix quidem futuram ſatis ad unum dumtaxat morbum perfecte illuſtrandum. Unde qui plurium aſſumeret negotium, fieri vix poterit, quin ob anguſtias temporis in turpe vitium incidat ab aliis impune, indocte, & inutiliter tranſcribendi, plura ad arbitrium fingendi, onerosa volumina, quæ artem oſtentant non augent, congerendi; longæque inquiſitionis tædio in eos delabatur errores, in quos majores noſtros incidiſſe, pluries hoc opere ſubindicavimus. Quamobrem non abs re factum fuiſſe puto ab Ægyptiis, dum unicuique Medico unum dumtaxat morbum curandum præſcribebant.

Statuto tempore, & ſaltem ſemel in menſe convenire ſimul debent Academiæ Sodales, Cenſoribuſque examinandas proponere obſervationes anteactas. Cenſores creentur ex Sodalibus Seniores, doctiores, judicio maturi, & longa praxi exercitatiſſimi. Penes hos jus eſto corrigendi quicquid peccatum fuerit contra leges hiſtoriæ, & methodum eidem perficiendæ præ ceteris opportunam. Reliqua ad amplitudinem ſplendoremque tum Academiæ, tum praxeos pertinentia decernuntor a doctis Viris, qui pro tempore ſimul erunt conventuri.

CAPUT V.

Solvuntur argumenta, quæ nobis objici poſſent;

§. I.

PLura contra hoc noſtrum de hiſtoria morborum inſtitutum objici poſſent a doctis Viris. Hoc eſſet præcipuum. Morbi ſunt effectus quidam confuſi, inſtabiles, inordinati, motuſque naturæ deſtitutæ, ac ſe defendere neſcientis; unde qui ordinatam, & ſtabilem de illis abſolvere conaretur hiſtoriam, inanem cum iis, qui Siſiphi ſaxum volvunt, operam luderet. Egregium profecto argumentum, ſed contra experientiam. Nam ſi tentatum jam hoc opus tanta ſui gloria videmus ab *Hippocrate*, cur ab aliis fieri non poſſit, non video. Porro quotidiana Noſtrum omnium experientia nil magis conſtat, quam morbos æquabilem quamdam, certam, & individuam in motibus periodiſque ſuis conſtantiam ſervare; certas pariter in progreſſibus maturationibuſque regulas. Et ſicuti hæc omnia oriuntur a ſpecifica quadam, & cuilibet propria exaltatione, ſive ut dicam ſpecificatione humoris peccantis; ita neceſſario tales ſpecificationes debent habere certos, & individuos invaſionis, maturationiſque modos, una cum ſymptomatis eaſdem concomitantibus, toto, quod ajunt, cœlo differentibus a modis invaſionis maturationiſque cum aſſeclis ſymptomatis aliarum exaltationum humoralium in aliis morbis. Suntque hæ humorum in morbis nonnullis ſpecificationes ita conſtantes, ut qualemcumque demum partem morbus occupet, & qualemcumque perſonam induat, ſemper tamen manifeſtatur per characteres quoſdam ſpecificationi ſuæ individuos, ac indivulſos. Exemplo res fiet clarior.

II. Specificatio illa, ſive determinata humoris, qui tertianam intermittentem producit affectio, maxime profecto differt a ſpecifica affectione humorum hyſteriam, luem gallicam, reliquoſque morbos producentium. Ex vi ſpecificationis morboſæ humoris tertianarii, tertiana febris tum antiquis, tum noſtris temporibus ita progreditur: Incipit cum rigore, & vomitu, mordaci calore urit, 12. horis particularis acceſſio finitur, & ſeptenis circuitibus acceſſio univerſalis, ſive totus morbus, dummodo Medicus non erraverit in methodo. Purgationem & phlebotomiam in principio reſpuit; acceſſio particularis ſudore, ut plurimum terminatur, nonniſi elapſo 13. die febrifuga patitur, urina lateritio colore, ſive impenſe rubicundo tingitur, eſtque talis color ſignum fere pathognomonicum hujus, aliarumque intermittentium, & ſic de reliquis. De hac urina obiter notandum, me repetita didiciſſe obſervatione morbos omnes, in quibus illa apparebit, ſi non omnino, ſaltem magna

ex

ex parte produci a fomite febribus intermittentibus ſpecifico. Nec mea me fefellit opinio, ſæpe namque obſervavi periodicos quoſdam dolores, alioſque morbos periodice ſe exacerbantes (quaſi eſſent ſoboles febrium periodicarum) præfatam urinam lateritio colore, ſive impenſe rubro tinctam, comitem habere, irritiſque aliis remediis per diuretica, incidentia, amaricantia, & febrifuga prudenter ideſt tempeſtive, & cum diureticis, aut purgantibus mixta, more febrium intermittentium feliciter curatos eſſe. Quod de tertianarii humoris ſpecificatione diximus, intelligendum quoque de reliquis aliorum morborum; conſtat id clare in hyſteria. Hyſteria ſicuti a ſpecifica quadam, ſibique propria humoris exaltatione producitur, ita remediis ſibi præ ceteris familiaribus curatur, invaditque patientem ſymptomatis ſibi maxime frequentioribus, gulæ ſcilicet ſtrangulatu, paſſionibus cordis, ſenſuum oppreſſione, motibus convulſivis tum abdominis, tum reliquarum corporis partium, ſenſu frigoris in vertice capitis (quod inter maxima recenſeto hyſtericarum dignoſtica), refrigeratione extremorum.

Præfata omnia ſuccedunt quando hyſtericus humor hinc inde vagatur, necdum ſedem fixit; at ſi contingat ut aliqua in parte conſiſtat, morbos producet una cum ſymptomatis, tali parti præ ceteris eſſentialibus. Ita ſi caput occupaverit, vel apoplexiam, vel dolorem, vel alios capitis morbos ſimulabit. Si nervorum ſyſtema, motus convulſivos. Si cor, palpitationes & angores. Si pulmones, tuſſim, aſthma, & reliquos illorum morbos. Si colon inteſtinum, dolorem colicum pertinaciſſimum. Si renes aut lumbos, dolorem nephriticum adamuſſim ſimulabit. Si veſicam, urinæ ſuppreſſionem. Si ventriculum aut inteſtina, vomitum, & diarrhæm, & ſic de reliquis. Quamobrem ſi Medicus valde ſagax, & doctus non fuerit, neſciveritque cauſam ſpecificam unius morbi ſæpiſſime ludere ſub perſona alterius longe diverſi, putabit morbos antedictos a cauſis, ſibi, vel affectæ parti propriis productos eſſe, præſcriptiſque vulgaribus remediis laterem ut ajunt lavabit, ægroſque magnis afficiet incommodis. Cum revera illi a fomite hyſterico immediate pendeant, irritiſque quibuslibet remediis per ſola antihyſterica momento temporis curentur. Idem de lue gallica, & reliquis hujuſmodi morbis magis principalibus ſentimus, ut fuſe inferius cap. de cauſis.

III. Porro tanta eſt morborum in motibus ſuis conſtantia & ordo, ut non ſolum in invaſione, & progreſſu ordinem ſervent, verum etiam in declinatione, & exitu. Ideo videmus ex cauſis morboſis maturationem, depurationemque ſuam abſolvere, alias ſpatio horarum, alias dierum, aut menſium, alias annorum: & ſi valida fuerit natura, interdum ſponte ſua, & abſque medicis auxiliis deſinere. Ita tertiana exquiſita teſte Hipp. & experientia, ſi ſibi permittatur, quatuordecim diebus terminabitur, tantum enim temporis inſumit tertianarii humoris ſpecificatio ut ad depurationem perveniat. Et qualemcumque adhibueris methodum, qualiacumque præſcripſeris remedia, ut ante ſtatutum illud tempus tertianam eradices, irrita erunt omnia. Neque mihi objicias uſum febrifugorum, quibus eam veluti in ovo jugulare contendunt rudes Medici. Fateor talia interdum ſuccedere. Sed quid? Paucis interjectis diebus, vel ipſa erumpit ferocius, vel ipſius loco quamplures graviſſimi morbi, aſthmata, hydropes, febres lentæ, phthiſes, &c. qua de re experientiam conſulant, & certiores fient; ſed de his fuſius paulo infra. Eadem de cauſa purgationes, & phlebotomiæ pernicioſæ quoque ſunt in principio intermittentium, a quarum uſu, vel duplicantur ſtatim, vel ruunt in pejus, ut quotidiana, & conſtanti certum eſt experientia. Quod ſi contingat interdum (contingit autem ſæpiſſime) tertianas exquiſitas ultra quatuordecim dies progredi, & extendi etiam ad menſes; Pleuritidem ultra ſeptem, aut quatuordecim, & ſic de aliis morbis; tribuendum id erit vel contrariæ medendi methodo, ſcilicet quando per initia purgantibus, phlebotomiis, & diaphoreticis impetuoſis, naturæ curſum in lente ſeparando humore peccante interturbamus, quo in caſu humoris tertianarii ſpecificatio deletur, novaque exoritur cum novo ſymptomatum apparatu, & novo pariter periodorum ordine, eaque tamdiu durabit, donec ſponte ſua impuri humoris ſeparatio ſtatutis naturæ legibus abſolvatur, vel donec incidamus in remedium talem ſpeciem directe extinguens: ex quo quidem ſponte ſpecificorum remediorum doctrina emanavit: Vel tribuendum erit novis & tunc vigentibus aeris conſtitutionibus; Vel graviſſimis in victu erratis; Vel tandem cauſis aliis nimium vehementibus quæ regularem humoris tertianarii motum, ac ſpecificationem perturbare, & a proprio ſibi maturationis termino diſtrahere valent.

IV. Quæ de tertiana diximus, de reliquis quoque morbis præſertim acutis intelligendum, utpote in quibus præfatæ humorum peccantium mutationes, ſeparationeſque planius abſolvi videntur, quam in aliis ad chronicos accedentibus. In hoc denique maturandorum morborum negotio eadem prorſus ratione ſe gerit natura, ac in plantarum, animalium, & ceterarum rerum productione maturationeque conſuevit, ordine ſcilicet certo, conſtanti, & ex ſuo jure immutabili (niſi forſan a cauſis vehementiſſimis perturbetur, unde monſtra, & abortus, *ut lib. 1. c. 2.* adnotavimus). Et ſicuti animalia, plantæ, &c. ſpecificas, ſibique proprias mutationes ſubeunt, conſtanti ordine naſcuntur, & florent, illa Majo menſe, hæc Julio, & ſic deinceps, ſemina & fructus producunt, ac demum intereunt; ita morbi ob ſpe-

cificam ſibique propriam humorum exaltationem ſuos quoque periodos conſtanter abſolvunt, propria ſecum ducunt ſymptomata, &c. Pleuritidem quinque ſigna conſtantia comitantur; hydropem, alioſque morbos ſua propria, neque id tantum noſtra ætate, ſed antiquis uſque temporibus, ab ipſis mundi initiis obſervatum eſt in aliis, ut Scriptores teſtantur. Non deſperandum igitur de conſtituenda ſtabili, & exacta morborum hiſtoria ob antedictas objectiones, nam ex probatis natura in ſingulis rebus ſuis ordine gravi, conſtanti & perpetuo progreditur; & ſi ob cauſas vehementes cogatur recedere, in monſtra, abortus, & errores manifeſtos delabitur: ſed hæc raro.

V. Ulterius objicere quis poſſet, difficulter talem hiſtoriam abſolvi poſſe, tum propter cauſas & circumſtantias pene infinitas, quæ ad producendos morbos concurrunt, tum propter varias medendi methodos quibus curantur. Quoad primum fatemur non ſemper futuras adeo confuſas & irregulares, ut tandem poſt longas obſervationes inveſtigare non poſſimus veros moborum motus, progreſſus, atque exitus; aliter nec *Hippocratis* aphoriſmi, præſagia, coacæ, &c. determinari potuiſſent, ſi talis cauſarum confuſio ſingulis in ægris fuiſſet perpetua. Quoad ſecundum, certum eſt vi methodi variam in morbis apparere faciem, & varia pariter ſymptomata; ſed ſymptomata, quæ vocantur ſecundaria, advertentia, & aliis communia, non vero fixa, & characteriſtica; quod ſi etiam hæc, id certe raro fiet. Nam qualemcumque methodum in curanda pleuritide adhibueris, dolorem lateris punctorium, ſpirandi difficultatem, pulſum durum, tuſſim, aliaque illius characteriſtica delere vix poteris, & ſi delebis aliqua, omnia certe nunquam. Ceterum ut in methodo non erres, vel falſis indicationibus morbos aliter moveri facias, ac revera, & ex propria natura moveri deberent, illos tibi Auctores legendos conſulimus, qui cum natura perpetuo cohabitantes, & majori diligentia, quam ſtrepitu morborum naturam, curationemque inveſtigantes, ſolidam, inconcuſſam, & perpetuam medendi methodum decreverunt. Inter Græcos ſunt *Hippocrates*, *Cælius Aurelianus*, *Ætius*, *Aretæus*, & *Galenus*, dummodo caſtus ſit a fumis ſpeculationum. Inter Latinos *Celſus*, & reliqui ſuperius *cap.* 2. laudati. Igitur neque hac de cauſa deſperandum erit de perficienda morborum hiſtoria modo recenſito.

VI. Ad calcem denique monemus, ſectionem cadaverum morbis denatorum ſummam lucem afferre ad detegendas morborum occultas cauſas, nec non ad perficiendam, atque amplificandam hiſtoriam ſupradictam. Cadavera tamen non ſunt obiter, atque tumultuarie ſecanda, ut multi conſueverunt, ſed cujus cadaver ſecabis, illius & morbum privata in ſcheda deſcribere antea debes, notando ſcilicet, quæ fuerit morbi cauſa occaſionalis, qui apparatus ſymptomatum, qui progreſſus, & exitus, qui morbi motus, quæ adhibita medendi methodus, & qualis remediorum exitus, & reliqua ſupra deſcripta. Hiſce cognitis ad cadaveris ſectionem te accinge, & inquire morbi ſedem & cauſam, id eſt fluidane an ſolida in productione morbi peccaverint, qua parte morboſa materies lateat, quænam illius natura, quis gradus læſionis in ſolidis deprehendatur, flaccidane ſint, an tenſa; obſtructa, an pervia; convulſa, an aliter affecta; an talis læſio cum aliis partibus licet remotis communicet, & reliqua hujus generis. Et ſane fateor morbos quamplures chronicos atque obſcuros vix ac ne vix quidem certo manifeſtari poſſe, niſi cadaver ſecetur, eorumque hiſtoriam nunquam futuram fore perfectam, atque integram, niſi ante ſectionem prænotentur paulo ante recenſita; cadavera enim obiter ſecare, nec antecedentem præſcire morbi hiſtoriam, ad ætiologiam atque pathologiam illuſtrandam ne minimum conducit; ſed de his fuſius in tract. noſtro de fibra motrice, morboſa.

CAPUT VI.

Specimen Hiſtoriæ primæ in deſcribenda Podagra ejuſque aphoriſmis practicis breviter expreſſum.

§. I.

QUæcumque ſuperius de modo hiſtoriam primam morborum inſtituendi, deducendique ab eadem aphoriſmos practicos ſubindicavimus, planius conſtare non poterunt, quam ſi noſmetipſi ſpecimen aliquod hiſtoricum de certo quolibet morbo tradamus, ad cujus modulum ceteri quique delineari atque abſolvi poterunt. Et quoniam communis hominum querela eſt podagram plures interficere divites, quam pauperes, plures ſapientes, quam fatuos, de illa breviter diſſeremus, quæque nobis obſervando innotuerunt aperte communicabimus, præſertim cum diſſentientem non habeamus *Cl. Sydenhamium*, cujus methodo inhæremus.

II. Podagra doloroſus articulorum morbus illos præ ceteris invadit ſenes, qui poſtquam meliores vitæ annos mollius, ac delicatius tranſegerint, otio, crapulis, veneri, vino, aliiſque ſpirituoſis liquoribus uberius indulſerint, ingraveſcente jam ætate ab exercitiis diſſueſcunt, & vitam omnino otioſam degunt. Licet interdum corripiat Juvenes, eoſque graciles, & macilentos, raro tamen id fit, atque his potiſſimum de cauſis, ſcilicet vel ob labem hæreditariam, vel quia veneris voluptatibus intemperantius, ac præmaturius indulſerunt; exercitationes ſibi antea familiares omiſerunt; nimium edaces fuerunt; vinum & liquores ſpirituoſos uberius biberunt; exinde ad liquores refrigerantes, & hume-

humectantes derepente ſe contulerunt; primæ coctionis munera per ſeveriora litterarum ſtudia, aut graviores animi curas, vexationeſque labefactarunt. Podagræ obnoxii crania habent grandiuſcula, habitum corporis ut plurimum pleniorem, humidum, & laxum, ſalacem & robuſtam corporis conſtitutionem. Dum ſenes invadit, non ita graviter eos affligit, ſicuti ſolet Viros, aut Juvenes. Pueri, Eunuchi, & Mulieres aut nunquam, aut raro podagra laborant. Circa æquinoctia, & ſolſtitia generalem paroxyſmum ordinario renovat; præ ceteris vero in eunte Februario, aut circa Kalendas Martias. Errata in victu, animi pathemata, & cauſæ vehementes latentes paroxyſmum excitant, qui ſicut derepente fit, & abſque præviis ſignis illum manifeſtantibus, ita brevi definit, & præſertim cauſis prædictis omnino ſublatis. Aliquot ante paroxyſmum generalem ſeptimanis, aut diebus ſenſim corripitur æger apepſia, ventriculi cruditate, gravitate corporis, & intumeſcentia ejuſdem quaſi ventoſa, quæ omnia quotidie, ſenſimque augentur, donec tandem erumpat paroxyſmus.

III. Paroxyſmus autem ita procedere ſolet. Paucis diebus ante illius inſultum torpor quidam, & veluti flatuum deſcenſus per femorum carnes, cum affectione quaſi ſpaſmodica præcedunt. Pridie paroxyſmum appetitus voracior eſt, ſed præternaturaliter; licet ſanus lecto ſe commiſerit Patiens, circa mediam tamen noctem excitatur a dolore pollicem pedis ut plurimum, quandoque vero calcaneum, ſuram, aut talum occupante; paulo poſt rigor, horror, & aliqualis veluti febricitatio ſuperveniunt, quæ omnia ſenſim remittunt; dolor vero gradatim creſcit, donec ad ſummam vehementiam circa Solis exortum perveniat, & oſſicula tarſi, ac metatarſi varie occupaverit, cum ſenſu veluti canis rodentis, aliquando preſſuræ, & coarctationis, quandoque vero veluti dilacerationis talium ligamentorum. Dolor ille, quem patiens primo expergefactus ſentit, refert eum, qui talium oſſium luxationem ſequitur, cum ſenſu quaſi aquæ frigidæ, dolenti loco ſuperaffuſæ. Pars affecta adeo acutum doloris ſenſum nanciſcitur, ut nec leve pondus linteorum, nec fortiorem per cubiculum ambulationem ſuferre valeat. Tota nox inquieta eſt, corpus, & affecta pars hinc inde per lectum aſſidue agitantur propter impatientiam doloris, qui ſedari incipit circa horam primam, aut ſecundam matutinam, ſerius, vel citius pro materiæ peccantis copia, & craſſitie, quo tempore etiam leni madore perfuſus patiens ſomno corripitur; a quo evigilans licet dolorem imminutum habeat, affectam tamen partem tumore occupatam videt. Ante paroxyſmi inſultum nulla inſignis intumeſcentia partis obſervatur, ſed dumtaxat quædam venarum protuberantia affecto loco circumpoſitarum, quæ quidem omnibus paroxyſmi inſultibus familiaris eſt, & ſingulos præcedit; eſtque ſignum veluti characteriſticum jam jam adventis paroxyſmi podagrici, ut quiſquis obſervare poterit.

IV. Per duos, aut tres ſubſequentes dies dolor affectum locum vehementer affligit præſertim die adveſperaſcente, levatur tamen ſub Galli cantu, vel paulo ſupra mediam noctem; ſi vero materia podagræ fuerit copioſior, ad plures dies extenditur dolor magis minuſque intenſus. Elapſis paucis diebus pes ſocius eodem dolore corripitur, graviore, aut leviore, breviore, aut diuturniore, prout antea pes alter magis minuſque indoluerit. Pedes modo ſupradicto ſucceſſive ut plurimum affici ſolent; veruntamen ſi peccans materia abundantior fuerit, ambo pedes eodem tempore doloribus corripiuntur, æquali prorſus vehementia. Primi podagræ paroxyſmi, & quoad invaſionem, & quoad durationem ſibi correſpondere ſolent: ſed poſtquam utrumque pedem vehementius invaſerit podagra, ſequentes paroxyſmi nullam inter ſe proportionem ſervant; hoc tamen in ſingulis obſervavimus noctu recrudeſcere, mane vero leniri. Habemus in podagra paroxyſmum generalem, & particulares, qui univerſalem illum conſtituunt. Particulares ut diximus ſingulis diebus recrudeſcunt hora potiſſimum veſpertina, & poſtquam ægroti per integram noctem exercuerunt patientiam, poſt Galli cantum, aut circa Auroram ſenſim miteſcere incipiunt. In his particularibus paroxyſmis obſervavimus, poſteriores & mitiores, & breviores prioribus quotidie eſſe, donec conſumta protinus materia podagrica, æger perfectæ ſanitati reſtituatur. Periodus paroxyſmi generalis varia eſt, prout varia erit ætas ægrotantium, diſpoſitio corporis, concurſus cauſarum extranearum, & hiſce analoga. Frequenter tamen hoc jure procedit. Dum aggreditur florentes ætate, & rarius podagræ obnoxios, quatuordecim dierum ſpatio generalis paroxyſmus terminatur; dum vero ſenes, & frequenter eadem laborantes, ad duos menſes extenditur. Dum tandem, vel ætate, vel diuturna hac affectione pene jam fractos invadit, non recedit, niſi eoſdem ad mediam pene æſtatem miſerrime fatigaverit.

V. Urina podagricorum primis quatuordecim diebus rubicundior eſt, depoſitque ſedimentum rubrum, ac velut arenulare; imo æger tantummodo tertiam potulentorum aſſumtorum partem per urinam emittit, reliqua intus detinentur: alvus pariter primis diebus obediens eſt: Appetitus languet: Sub veſperam rigor per totum corpus oberrat: & durante paroxyſmo ſingula fere membra gravitate, & moleſta quadam ſenſatione afficiuntur. Recedente paroxyſmo pars affecta pruritu vehementi corripitur in formam furfuris, ac veluti anguis deſquammatur pes. Morbo jam ſuperato paulatim recedunt appetitus, ſomnus, alvi laxitas, & reliqua perfectæ ſanitatis indicia.

VI. Dum podagra regulariter procedit, modo antedicto procedit. Contingit tamen sæpissime, vel propter contrariam medendi methodum, vel diuturnam morbi pertinaciam, cujus de causa corporis substantia in talis morbi naturam quasi commutatur, regularem illum podagræ progressum cum suis symptomatis fere perverti, & podagram ipsam tum in modo invadendi, tum in symptomatis, quæ eam comitantur, longe diversam esse a se ipsa, dum regulariter procedit, & naturam impotentem esse eidem consuero more eliminandæ. Pedes itaque cum sint præcipua sedes materiæ podagricæ, si eos dereliquerit, vel cum iis alias partes invaserit, signum, est vel in methodo medendi erratum fuisse, vel corporis vigorem imminutum esse, podagræ vero fomitem ingenter adauctum: quo in casu reliquas quoque partes invadit, scilicet manus, cubitos, genua, & reliqua corporis tum interiora, tum exteriora spatia. Irregulariter itaque procedendo, dum deponit in digitos suum fomitem podagra, gradatim eos tumefacit, & postquam sufficienter illorum articulos impleverit, tunc digiti ad instar pastinacæ contorquentur, motu privari incipiunt, & demum tophaceæ concretiones in exteriori articulorum superficie manifestantur, quæ quidem temporis progressu postquam cutem & cuticulam articulorum acrimonia sua exederint, aperte se exhibent in formam calcis concretæ, aut pastillorum cornu cervi. Neque digitorum articulis infesta dumtaxat est, sed articulationi cubiti, in qua tumorem subalbum excitare solet magnitudine ovi gallinacei, qui frequenter inflammatur, aut insigni rubore suffunditur. Dum femoris articulationem invadit, simulat molestam sensationem, veluti si ingens pondus appensum esset femori absque tamen doloris vehementia, cum vero exinde descendit ad genu, graviter illud exercet; nam & dolorem gravissimum affert, & motum propemodum inhibet, adeo ut ægrotantes, veluti clavo affixi, hinc inde moveri nequeant, & si moventur indicibiles dolorum cruciatus persentiant, cum molesta totius corporis inquietudine, huic morbo præ ceteris familiari.

VII. Podagra, quæ regulariter procedendo circa finem hyemis, citius, vel serius apparebat, paucorumque dierum, vel mensium intervallo paroxysmum generalem absolvebat; dum irregulariter incedit altasque radices in corpore fixerit, per integrum annum affligit Patientem, exceptis duobus, aut tribus mensibus æstatis. Paroxysmi particulares non amplius 24. horarum spatio adinvicem aut excipiuntur, aut finiuntur, sed dierum quatuordecim citius, vel serius, eoque tempore miserrime, & assidue affligunt partem, quam invadunt, præsertim si pedes aut genua fuerint. In tanta paroxysmorum diuturnitate artus contrahi incipiunt, & ad motum ineptiores reddi, & quamvis baculo aut Adstantibus suffultus per conclave progredi cogatur Patiens, insigni tamen molestia, & dolore hæc omnia exequitur. In hoc morbi statu contingit sæpissime, quod si Patiens aliquantisper per cubile modo antedicto se exercuerit, & pedes hoc pacto firmaverit, sive roboraverit, ne ad fluxiones podagricas recipiendas sint adeo proclives; podagrica materies in pedes deponi solita, nec per alias vias sufficienter eliminata, ad interiora viscera remigrat, lethalesque stagnationes ibidem quam sæpissime producit. Interea temporis variis quoque symptomatis obnoxius est Patiens, quæ tanquam soboles redivıva diuturnitatis podagræ, cervicibus ægrotantis perpetuo impendent, utpote sunt dolor, aut tumor hæmorrhoidum, & lassitudines membrorum. Primis diebus paroxysmi particularis gravissima inappetentia, sequentibus vero cruditates cum ructu nidoroso, ac veluti cibi in ventriculo putrefacti, præsertim si patiens aut paulo uberius, aut difficilioris coctionis alimenta devoraverit: semper tamen aliqualis prostratio appetitus observatur. Dorsum, & reliquæ corporis partes molesto pruritu afficiuntur, præsertim circa horam somni. Urina antedecenter pauca, & maxime rubicunda, in hoc morbi statu & decolor fit & copiosa; imo colore æque, ac copia æmulatur eam, quæ in diabete mingitur.

VIII. In antedicto pariter morbi statu æger somno expergefactus, horis potissimum matutinis, ligamenta ossium Metatarsi vehementer convelli sentit, ac si fortissima manus compressione, coarctationeque afficerentur. Nonnumquam dum somno committitur, derepente excitatur cum ejulatu, a dolore quasi clavæ Metatarsum confringentis. Interea vero tendines musculorum, qui tibias suffulciunt, spasmo quodam adeo vehementi, & doloroso corripiuntur, ut vel Stoicorum patientiam superaret. Morbo ad supremum jam diuturnitatis, afflictionisque fastigium perducto, ægroque jam senescente, paroxysmi, qui subsequuntur, non amplius sunt adeo dolorosi, & intolerabiles, tum quia ob spirituum deficientiam impotens natura est ad extremitates dimittendi morbosam materiam, unde in visceribus remoratur; tum quia ob continua tum materiæ appulsum, insensibiles fere atque obstructæ evaserunt fibræ carneæ & membraneæ affecti loci. Quamobrem loco doloris superveniunt gravis quædam membrorum lassitudo, dolor ventris, & nonnumquam diarrhæa; hisce apparentibus symptomatis artuum dolores leniuntur, cedentibus vero iterum excitantur, & modo has, modo alias partes invadunt, ægrique patientiam perpetuo exercent, adeo ut non rectius podagræ, quam iracundiæ, mœstitiæ, timoris aliorumque graviorum animi pathematum paroxysmum diceres; a diuturna enim corporis ægritudine, mens quasi enervata, a quolibet

libet affectuum motu facillime laceſſitur, & ſpem ulterius ſufferendi fere deſpondet. Præfata commutatio morborum articularium in morbos ventris & contra, familiaris quoque eſt aliis prope podagram affectionibus, ut in hoc opere ſæpius animadvertimus, adeo ut morbi articulorum per medicamenta ventrem moventia, contra ventris morbi per ea, quæ ad cutim movent, tanquam per viam regiam, ab ipſa natura indicatam, curari feliciter ſoleant. Pluries obſervavi in nonnullis podagricis, quod cum derepente materia podagram efficiens evanuerit, ſive retroceſſerit, inciderunt in vehementes ſtomachi dolores, & vomitus bilioſos, exinde vero in icteritiam, a qua brevi evaſerunt, repetito ter, quaterque rhabarbari uſu. Dum primo invadit podagra Patientem ſæviſſimos dolores parit, progreſſu vero ætatis, & diuturnitatis morbi leniores quidem ſunt, ſed loco dolorum mille malis ſupradictis exercentur ægrotantes; licet per primos podagræ annos dolores fuerint atrociores, atrocitas tamen illa penſabatur a longa paroxyſmorum intermiſſione, & priſtinæ ſanitatis recuperatione, quod in adulto jam morbo, ſeneſcente ætate non contingit. Sive ob ſupinum decubitum; ſive ob læſas viſcerum aliarumque partium ſecretiones depurationeſque ſuperfluitatis morboſæ; ſive ob analogiam materiæ podagricæ, & calculoſæ, ægrotantes demum calculo renum corripiuntur, arenulaſque copioſas mictu ejiciunt, atque tunc temporis podagra, & calculus viciſſim excipiuntur, & choream veluti paroxyſmorum incuntes, dolorum, & perpetuæ ſollicitudinis tragœdiam Patienti afferunt. Nonnumquam tamen præter calculum, & arenulas, alios quoque veſicæ morbos podagricus ille ſomes producit, nempe iſchuriam, diſſuriam, pruritum ſcroti, mictum ſanguineum, & ſimilia; & ſi copioſus fuerit, diuturnam parit inappetentiam, pallorem vultus, pedum tumores, linguæ viſciditatem, interdum cum amaritie, interdum vero cum ſalſedine, aliaque quamplura pro partium diverſitate, & prout æger in victu, & ſex rerum nonnaturalium uſu intemperantior fuerit, &c.

IX. Longum eſſet recenſere præſenti capite uberrimam illam ſymptomatum ſeriem, quæ in variæ ætatis, temperamenti, vitæ generis &c. ægrotantibus obſervantur, & quæ ad completam podagræ hiſtoriam neceſſario conducunt. Siquidem hujus loci inſtitutum non aliud eſt, quam breviſſimum quoddam hiſtoriæ primæ ſpecimen proponere, ut Tyrones inſtruantur de modo prima morborum elementa comparandi ea potiſſimum ſimplicitate, & veritate, qua ab ægrotantibus ipſis cuilibet Medico manifeſtantur. Et ſi quis modulum hunc hiſtoriæ podagricæ ſedulo conſiderabit, videbit ſane me a legibus, & methodo ſuperius traditis ne minimum declinaſſe, ſed legitim am in obſervando, deſcribendoque ſeveritatem ubique ſuſtinuiſſe. Porro ut rem demum abſolvam, fœminæ raro afficiuntur podagra, & ſi afficiuntur, eæ vel Viragines ſunt, & in ſenio conſtitutæ, vel rheumatiſmis, & hyſtericis affectibus præ ceteris obnoxiæ, a quorum morborum fomite dolores articulares ſolent excitari. Pueri quoque, & Adoleſcentes rariſſime eadem corripiuntur, verumtamen ſi a Patre vehementer podagrico generati fuerint, nil mirum ſi aliquando per ipſa ætatis initia leviter corripiantur, uti ex obſervationibus conſtat. Dum ſanguis podagricorum ob diuturnam viſcerum affectionem, impeditaſque excrementorum debitas ſeparationes, aliaſque cauſas ſuperius recenſitas, ad extremam impuritatem, ac veluti fæculentiam pervenerit, tunc mors Podagricis præ foribus imminet, & per ſupervenientem febrim, aut alium morbum a podagrica excitatum materia, e medio tolluntur.

X. *Cui inteſtinum colon in dextra primo dolebat, articulari morbo correptus quietior erat; poſtquam vero hic curatus fuit, inteſtinum magis dolebat. Cous lib. de humoribus in fine.* Ex quo arguitur magnus ille conſenſus ab inteſtinis ad ambitum corporis, & contra, toties a nobis in hoc opere repetitus, nec non ab inteſtinis ad urinam juxta illud Hippocratis: *Cholerici facti dyſſurioſi omnes judicabantur.* Multis ante invaſionem paroxyſmi podagrici ſuperveniunt dolores colici, quibus evaneſcentibus ſtatim manifeſtatur podagra; ideo magis magiſque confirmatur conſenſus prædictus inter glandulas cutis, & glandulas inteſtinorum &c. *Qui ab alvi profluvio una cum tuſſi multo tempore detinentur, non liberantur, niſi dolores vehementes pedibus inciderint. Cous lib. de judicat.* Non ſolum inter morbos cutis, & inteſtinorum magnus conſenſus, & tranſmutatio adinvicem obſervatur, verum etiam maximus obſervatur conſenſus inter pectus, & pudenda, inter pectus, & tibias, & ſic deinceps, unde merito ait *Hippocrates*: A dolore forti ad teſtes irruente, tuſſis ſicca ſolvitur. *Cous lib. 2. epid. ſect. 5.* Si teſtium inflammationi tuſſis ſuperveniat, inflammatio ſolvetur, & contra. *Cous lib. 2. epid. ſect. 1.* Cum teſtis a tuſſi intumeſcit, memoriam renovat ſocietatis pectoris, mammarum, genituræ, & vocis. *Cous lib 2. præſag. 67.* Abſceſſus qui per vehementes, & periculoſas pulmonias in crura erumpunt, omnes quidem utiles ſunt. *Cous lib. 2. prognoſt.* Hydrocele diſcuſſa, & male ſanata ſupervenerunt hydropes pectoris. *Marg. hiſtor. Med.* Si habenti ulcus in una ex tibiis, ſordium ſeroſarum fluxu privetur, ac purum, & aridum evadat, deinde lateris, & pectoris dolor directo tibiæ affectæ ſuperveniat, lethale. *Cous de morb. pror. lib. 4. in principio.* Poſt ſanatum ulcus pedum & tibiarum, ſanguinis ſputum ſupervenit. *Rhodius cent. 2. obſ. 84.* Ex ulcere inveterato in crure ſiniſtro ab Empirico ſanato ægrotus poſt menſes aliquot

pleuri-

pleuritide in ſiniſtro latere correptus fuit, atque inde mortuus eſt, & morbo durante talia ſpuebat, qualia ex ulcere antea prodire ſolebant. *Hildanus obſerv. medic. chirurg. cent. 3. obſ.* 39. Nos quoque in Xenodochio Italiæ Viro ab herpete pedis ſanato, mortem ſuperveniſſe vidimus anno 1691. Ex his igitur omnibus magnus ille conſenſus pectoris, tibiarum, & pudendi ſat ſuperque confirmatur. Sed hæc obiter dicta ſunto, utpote parum ad hiſtoriam podagræ pertinentia.

ARTICULUS UNICUS

Proponens Aphoriſmos practicos, ab Hiſtoria prima podagræ eductos.

§ I.

BReviſſimam hanc, ſimplicemque accidentium, ſive Hiſtoriæ primæ affectionis podagricæ narrationem, eo potiſſimum nomine tradidimus, ut indicaremus legentibus viam, qua progrediendum eſt in reliquorum morborum, & ipſiuſmet podagricæ affectionis hiſtoria per novas, & perpetuo multiplicabiles obſervationes locupletanda. Reſtat nunc ut proponamus præcepta generalia, ſive aphoriſmos practicos, qui per repetitas obſervationes in cujuſcumque ætatis temperamentis, vitæ generis, &c. patientibus inſtitutas, ex hiſtoria prima podagræ a graviſſimis Auctoribus educti ſunt, quique conſtanti via ad morborum diagnoſim, prognoſim, & curationem nos manuducunt. Sint itaque: Qui pane hordeaceo veſcuntur, raro podagra, aut doloribus articulorum laborant. Dolente podagra, abſtineto a medicamentis anodyno-emollientibus copioſe adhibitis, ſiquidem ex nimio eorum uſu primo generantur tophi in articulis, ad tophos exinde contracturæ talium partium ſuccedunt. Admirandus quidam ac fere occultus eſt conſenſus inter articulos, & inteſtina, quarum partium morbi viciſſim commutantur, ideo Hipp. lib. de humoribus ait: *Viro cuidam dolor erat in dextera colli parte, & quando dolor ad articulos diffluebat, dolor colli quietior erat.* Et 6. epid. 43 habet. *Qui articulari morbo detentus, inteſtini dolore dextera parte vexabatur, levius habebat; ubi vero hic curatus fuit, magis dolebat*, &c. Non ob podagram, ſed quia podagra ad articulos non defluit, moriuntur ægrotantes. Ante podagram, & quandoque poſt eamdem jam ſanatam, ſolet ſupervenire tumor pedum ædematoſus, cujus cauſa a fomite materiæ podagricæ dependet; quam quidem natura legibus ſibi ſoli notis, ac veluti per criſim debite inſtitutam ad pedes ſecernit ſub ſpecie tumoris pedum ædematoſi. In hiſce itaque tumoribus pedum ante, aut poſt podagram apparentibus, nullum omnino, nullum inquam, neque internum neque externum adhibeas remedium, eo potiſſimum nomine ut materiam illam a pedibus averteres. Siquidem obſervavimus ſæpiſſime poſt exhibita purgantia, diuretica, aut ſudorifica materiem illam a pedibus ad interiora retroceſſiſſe, & apoplexiam, aſthmata, febres, aut mortem repentinam produxiſſe; idque infallibiliter, ſi topica, aut reſolventia, aut alterius generis, (ut fieri ſolet) externa remedia ædematoſis pedibus adhibueris. Piaculum igitur erit in hiſce caſibus topica præſcribere, & naturæ curſum perturbare, quæ veluti per criſim, noxiam materiem ad pedes ſecernit. Conducit itaque in podagrico hoc pedum ædematiſmo, omnia naturæ committere, primis coctionibus proſpicere, diætam, & exercitium inſtituere; hac ſiquidem via feliciter evanuiſſe præfata ædemata ſæpius obſervavimus Romæ, & alibi.

II. *Sennertus* in praxi tract. *de arthritide c.* 4. innumera mala recenſet, cum materia podagræ ſufficienter ad articulos non defluxerit, quem vide, & ſedulo perpende. Dyſenteria, ſanata podagra, & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad inferas ſedes repunt. *Hippocr. 2. pror. &c.* Qui podagrici fiunt, iis a magno pedis digito fere ſemper prima vice incipit morbus. Arthritis mutatur interdum in colicam, & colica in arthritidem. Arthritis ſolet aliquando degenerare in hydropem, & anaſarcam, &c. Ante invaſionem paroxyſmi podagrici, urina, ſudor, ſputum, &c. parcius procedunt; inappetentia, & laſſitudo aliqualis obſervantur, venæ partis, ad quam mox ventura eſt podagra, intumeſcunt aliquantum, & diſtenduntur, &c. Varices doloribus articulorum ſupervenientes liberationem ab his promittunt ægrotantibus. Senes, & a chronicis morbis convaleſcentes, proclives ſunt in podagram; cum propter errata ſex rerum non naturalium, viſcerum coctiones labefactant, atque proſternunt. Ira vehemens ſolet excitare paroxyſmum podagricum graviorem, quam antea fuerit. Qui ſæpe calcat uvas, aut in recenti muſto balneat pedes, rariſſime afficitur podagra. Qui vehementer exercitantur poſt cibum in articulorum morbos diſponuntur, & jam factos adaugent. Quamvis podagra cuilibet ætati ſit incommoda, magis tamen eſt incommoda Senibus, iiſque luxurioſis, otioſis, & gulæ nimium indulgentibus. Puer podagra non laborat ante uſum venereorum. *Hipp. ſect. 6. aph* 30. Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt. *Hipp. ſect. 6. aph.* 28. *&c.* Quod Pueris ſunt exanthemata, Juvenibus hæmorrhagiæ, idem ſunt ſenili ætati articulorum dolores, quibus ſupervenientibus a magnis morbis liberant ſenes; contra, ſi non ſuperveniunt ad magnos morbos diſponunt; idem dic de nonnullis naturis in arthritidem proclivibus. Qui debili ſunt ventriculo, & generandis cruditatibus obnoxio, ab articulari morbo non ſanantur, niſi reſtituto priſti-

priſtinæ ſanitati ventriculo, &c. purgantia, & diaphoretica fortiora non ita bene cedunt arthriticis, & quantum diligenti obſervatione colligere potui, optima ſex rerum non naturalium inſtituta diæta, nec non remedia ſtomachica omnem abſolvunt paginam in podagricis, & arthriticis. Cum paroxyſmi podagrici circa æquinoctia, & ſolſtitia exacerbari ſoleant, præſervationem aliquam, vel circa diætam, vel blandiora lenientia ægrotantibus tuis antecedenter inſtituto: nam vel jugulabis fomitem jam jam erumpentem, vel mitius procedere facies. Vinum, venus, & otium podagram faciunt. Sanant vero aquæ potus, lac, & exercitium. In morbis articulorum fonticuli maximam opem nonnullis attulerunt. Mature lectum petant præſertim hyemali tempore, qui podagræ ſunt obnoxii; nocturnæ enim vigiliæ, nec non perturbationes animi, primas coctiones lædunt, & uberrimum fomitem affectionis podagricæ producunt. Plura de hoc morbo generalia præcepta ſuperius *lib.* 1. fuſe adduximus, quo remittimus Lectorem.

CAPUT VII.

Schedula monitoria de iis, quæ deſiderantur adhuc in arte noſtra.

§ I.

NIhil magis præſtitimus toto hoc opere, quam ut hortaremur Medicos ad ſuſcipiendam tractationem eorum, quæ ſunt gravioris in medicina momenti, quæque alii, vel tanquam inutilia neglexerunt, vel tanquam ardua timuerunt. Hujuſmodi igitur graviorum, & in arte noſtra adhuc deſideratorum ſeriem, breviter mox ad clariorem Lectorum intelligentiam proponemus; reliqua vero quæ deſiderantur, ipſi Lectores ad hanc noſtram ſeriem adjicere poterunt, prout ipſis in mentem venient.

Deſiderantur itaque,

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica, & curativa morborum, ſymptomatum, a ſolidis dumtaxat vitiatis productorum.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica & curativa morborum a fluidis dumtaxat vitiatis.

Hiſtoria morborum prout a diverſis cauſis, vel morbis principalibus producuntur.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica &c. urinarum, & ſtercorum in quolibet morbo.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica &c. affectionum linguæ, nec non affectionum, & qualitatum mutatæ cutis, oculorum, & aliorum ſenſuum in quolibet morbo; &c.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica, & curativa morborum cum ſociis ſymptomatis a quovis animi pathemate pendentium.

Hiſtoria diagnoſeos facilis morborum, ſymptomatum difficilium.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica, &c. ſingulorum morborum prout ſunt in variæ ætatis ægrotantibus, varia fortuna, ſeu vitæ ſtatu præditis, vario ſexu diſtinctis, vario victus genere utentibus, & præſertim paucis illis ante morbi invaſionem diebus, a variis evacuationibus ſuppreſſis productorum, & ſic de reliquis.

Hiſtoria diagnoſtica, prognoſtica, &c. utilitatis, & noxæ in partibus quibuſdam principalibus, utpote corde, pectore, capite, nervis, &c. a remediis quibuſdam principalibus frequentius uſurpatis, in morborum fere omnium curatione, qualia ſunt phlebotomia, purgatio, ſudorifera, &c.

Hiſtoria cautionum, & præceptorum utilitatis & noxæ nec non methodi præſcribendi ſingula remedia; demum cautionum, & præceptorum in effectibus, qui ſupervenire ſolent, dum remedia miſcentur ad invicem.

Hiſtoria invaſionis, progreſſus, curationis, & exitus morborum cum ſociis ſymptomatis, quovis anni tempore magis familiarium, & ſe exacerbantium, ac ut dicam periodicorum.

Series Hiſtorica morborum vere acutorum, vere chronicornm, & vere incuriabilium: Incurabilium inquam vitio ſolidi, & ex impoſſibilitate, non vero vitio fluidi, aut ex ignorantia.

Hiſtoria accidentium omnium, quæ circa mortem Patientis ſingulis in morbis obſervari præ ceteris ſolent.

Hiſtoria cauſarum, quæ hos, & non alios morbos fere ſemper, aut frequentius producunt.

Hiſtoria morborum, in quibus ægroti liberum ſenſuum & rationis uſum uſque ad ultimum vitæ ſpiritum exercent, & in quibus illum prorſus amittunt multis ante mortem diebus, &c.

Hortatoria ad Medicos in deſcribenda perpetuo hiſtoria, & curatione morborum a novis, & generalibus aeris influentiis, & antecedentis anni temporum ſtatu pendentium.

Hortatoria ad Medicos in deſcribenda hiſtoria naturali ſuarum quique Regionum, ideſt de temperie incolarum, morbis illorum endemiis, methodo medendi eiſdem potiſſimum accommodata, medicamentis indigenis, & reliquis hujuſmodi Patriæ ſuæ peculiaribus obſervatis.

Hortatoria ad Medicos in inveniendis novis modis ad ſanandos morbos vulgo dictos incurabiles.

Hortatoria de inveniendis novis modis ad retardandam ſenectutem.

Hiſtoria morborum naſi, oculorum, oris, aurium, ventriculi, hepatis, nervorum, aliarumque hujuſmodi partium magis principalium ſigillatim. Atque hæc mihi videntur præcipua, quæ deſiderantur ut Praxis majora ſuſcipiat incrementa, ſi quæ aliis in mentem venient, præſertim ad reliquas Medicinæ partes ſpectiantia, ſupradictis adjicere ne dedignentur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De signis morborum Diagnosticis, & fontibus eorumdem.

§. I.

Sicuti jurisperitis ex facto jus oritur, ita nobis a recta morbi cognitione universa curationum argumenta manifestantur. In curatione morborum, qui moram aliquam admittunt, hoc ordine progredior. Prima die totus sum in examinando adamussim ægro circa causas occasionales, omnesque morbi antecendentes, ac præsentes circumstantias; quo tempore nihil remediorum impero, ne per illorum usum forsan incommodum, ordinaria morbi periodus, signorumque constantia perturbetur, morbusque aliena facie mihi sistatur, quam re vera deberet; & si quid præscribo, procuro, ut illud generale aliquid sit, & innoxium, imo per observationem juvandi, aut lædendi, valeat quoque, ad indolem morbi aperiendam. Secunda die diligentius consideratis rebus antedictis, morbi speciem tandem decerno, & exinde remedia opportuna præscribere incipio. Igitur, si verum fateri decet, Prima basis curandorum morborum est recta eorumdem cognitio, atque debitum unius ab alio discrimen; latent enim velut in alta nocte prima morborum stamina, nec arte magistra in curationem eorumdem perveniemus nisi facem præferat solida diagnosis. Calculum vesicæ cognosere, ac præsagire nonne gloriosum est, nonne ad Medici famam utilitatem & commodissimum est? Ita pariter alios quoslibet dignoscere, ac præsagire morbos pene divinum dixerim.

II. Inter Græcos, qui post *Hipp* praxim medicam solide locupletarunt, solus profecto numerari poterit *Cælius Aurelianus*; is sectæ methodicæ Princeps hodie superstes, & Vindex, tanti fecit Signorum in curandis morbis necessitatem, ut videatur nulli rei tam serio mentem intendisse, quam detegendis signis, & circumstantiis morbos ad invicem distinguentibus, qua quidem in re ceteros Græcos æque, ac Latinos, consensu doctorum hominum superavit. Illius enim opera nil aliud vere sunt quam utile signorum diagnosticorum, graviumque præceptorum Seminarium. Imo si nonnullos illius titulos diligenter perpenderis, videbis quod per totam talis capituli seriem se diffundit in describenda exactissima signorum illius morbi natura; de cetero ne verbum profert. Contra in nonnullis aliis historiam morbi fideliter, ac veluti penicillo naturæ adumbrat, quam nullus unquam Auctorum post *Hipp.* fecerit, si *Sidenhamium* excipias, qui ab *Aureliano* tractandorum, describendorumque morborum methodum videtur desumsisse. Et quamvis post stabilitam a *Galeno* sectam rationalem, methodica per plures ætatum successiones fere obmutuerit; præsenti tamen sæculo iterum resurgit; coagulatio enim, & dissolutio fluidorum, tensio, & flacciditas solidorum, quibus morborum originem Recentiores attribuunt, cum Methodicorum stricto, & laxo adamussim congruunt, quæquæ hodie a sagacioribus per Italiam exercetur praxis, tali super stricturn & laxum per mechanices regulas explicatæ hypothesi innititur, qua de re instar omnium legi merentur doctissimi Italorum, qui hoc sæculo Neapoli, Romæ, & Pisis medicinam ad leges mechanices solide restituerunt, eosque superius laudavimus.

III. Arcana necessitatis signorum diagnosticorum ii dumtaxat agnoscunt, qui ad curationem morborum vel complicatorum, vel obscure procedentium, vel similitudinem cum aliis morbis habentium vocati, in tanta confusione statim hærent, & post molestas vexationes mentis, ab ea longe distant, quam putabant jam habere pro comperto, unumque morbum pro alio curantes, catalogum morborum incurabilium in infinitum adaugent. Sed omnes hæ nubes brevi diluuntur, si in solertissimum Auctorem incident, qui vera morborum diagnostica, sive diagnosim facilem morborum difficilium longo usu didicerit & candide legentibus proposuerit. Fluor albus uterinus, & gonorrhæa gallica, adeo similibus concomitantur symptomatis, ut quisquis Medicorum fere semper decipiatur in illorum diagnosi: præsertim cum Mulierculæ verecundia perfusæ gonorrhæam per impurum coitum contractam fluoribus uterinis mentiantur. Ne succedant imposterum hæc incommoda dabo signum infallibile tales morbos ad invicem distinguendi. Pete a Muliere an superveniente menstruo Sanguinis fluxu perseveret quoque eodem tempore fluor ille albæ materiæ; si dicat, quod sic, significato eidem quod morbus, a quo divexatur, sit gonorrhæa gallica; si vero durante menstruatione fluor albus evanescat, & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas mulierem fluore albo uterino laborare; cetera signa fallunt, hoc vero constans est, & Mulierum dolum aperte deludit. Inter signa fœtus mortui in utero, hæc potissima judicantur ab Auctoribus, nempe frigiditas pectinis muliebris, fœtor oris cadavericus, conversio fœtus hinc inde ad latera, & alia hujus generis, quæ quoniam sæpissime decipiunt medentes, infallibile omnium recensetur *Cælius Aurelianus cap. de fet. mort.* Si mulier gravida ingenti conatu fæces evacuandi ideat tenesmo detineatur, aliaque signa etiam aderint, pro infallibili habeto fœtum in utero esse mortuum. Hujus assertii veritatem ipse quoque observavi, semel Patavii, & iterum Romæ. Signa hydropis pectoris valde obscura sunt, & dubia; si tamen ægrer dyspnæa afficiatur, hora somni potissimum ingravescat

ſcat ità ut poſt paucas horas ſomno impenſas derepente expergiſcatur, expergefactus ſuffocari ſe ſentiat, feneſtras aperiat, & liberum aerem exoptet, pro certo & infallibili ſigno habeas ægrum hydrope pectoris laborare, nam pedes intumeſcent, aliaque minus conſtantia aderunt: Et ſi fidem tibi præſtare noluerint, ſubſequens morbi progreſſus, & apertio cadaveris, de ſolida hac veritate eos erudiet. Nullius membri affectiones tam obſcuris adinvicem confunduntur ſignis, quam morbi pulmonum, unde ſæpiſſime unum pro alio curare ſolent ignari Practicantes; præ ceteris tamen magna errandi occaſionem præbet tuberculum pulmonum; de quo *Hipp. lib. de medic.* hæc habet. *Tubercula equidem pulmonum deprehendere, & diſſolvere poſſe maxime artificioſum habetur, itemque collectiones illorum impedire*, &c. *Villiſius* cap. de vomica pulmonum; diſſerens de tuberculo, ait: *Vitium hoc latet inter inditia ita elanculum, ut vix ulla ſui proferat inicia, ſed tota ejus res in inſidiis eſt*. Idem ſentit *Tulpius* & alii docti Practicantes, qui fere deſperant de inveniendis ſignis pathognomonicis, ac pene infallibilibus tuberculi pulmonum; præſertim cum eadem quaſi habeat morboſa puimonum coſtis adhæſio. Verumtamen quantum nos obſervare potuimus, inter conſtantiora ſigna hæc potiſſimum recenſenda: Tales ægrotantes de cetero bene ſe habentes difficulter ſpirare incipiunt, difficilis ſpiratio ſenſim augetur, inter ſpirandum non ſtertunt & nihil expuunt, dolorem quoque in pectore ſentiunt continuum, & dolentem in locum decumbere non poſſunt, ſicca tuſſi laborant, tandem genæ rubent, febricula ſupervenit, & negotio ad ſuppurationem vergente, alia ſuppurationis ſymptomata accedunt. Duo tamen tanquam pathognomonica crudi, & adhuc incipientis tuberculi ſigna ſunt, tuſſis ſicca, & dolor lenis in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini Senis *text. 63. lib. 1. de morbis*. Et quamdiu quidem tuberculum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, at tuſſim ſiccam inducit, &c. Qui tuberculo pulmonum laborant, ſæpiſſime derepente moriuntur, nam ſuppurato tuberculo pus erumpit in trachæam, & ſuffocat. Hinc quo longius a trachæa, & pulmonum centro diſtat, eo minus periclitantur de ſuffocatione; pus enim in cavitatem pectoris erumpet, aut per urinas eliminabitur. In Tabidis ſi dolor vehemens lateris derepente ſuperveniat, brevi delirabunt, febris magna accendetur, & paucis poſt diebus moriuntur. Scias tamen, quod quando dolores illi lateris vehementes in tabidis ſuperveniunt cum aliis præfatis circumſtantiis, ſcias inquam talem tabem oriri infallibiliter a connexione præternaturali pulmonum cum coſtis; eamque prognoſticari poteris, idque repetita cadaverum Tabidorum ſectione abunde cognovimus.

IV. Utinam ſinguli morbi, duo vel tria ſigna infallibilia haberent, prout nuper recenſiti. Utinam, inquam, hanc ſignorum provinciam quovis ſæculo nonnulli ex Medicis locupletare tentaſſent; certe medendi ars a multis jam retro ſæculis perveniſſet ad ſtatum, ſaltem quantum patitur Mortalium conditio. At ipſi ſatius duxerunt in ſchola *Galeni* Adverſarium diſputationibus vincere (quas ſubtilius eſt contemſiſſe, quam ſolvere) quam in ſchola naturæ, naturam ipſam factis ſuperare, & novis ſignorum explorationibus. Porro ſi duo morbi ſub eadem ſpecie poſiti difficulter curantur (ut paſſim hoc opere ſubindicavimus) niſi rite ſpecificatio ſingulorum per ſingula opportuna nobis conſtiterit, quanto difficilius ergo ſi ſub ſpecie fuerint remotiſſima, & longe adinvicem diſtincti? Detecto igitur fonte diagnoſtico cujuſcumque morbi, remedia indicationeſque curativæ ſtatim manifeſtantur, eodem vero neglecto, aut latente, morbus unius ſpeciei curatur pro alio ſpeciei fere remotiſſimæ: qua de cauſa cum eventus non reſpondeat opinioni præconceptæ, ignari Medici morbos quamplures tanquam incurabiles deſerunt, medendi methodum laceſſunt, medicinam incertam eſſe dicunt, dierum criticorum doctrinam irrident, artem prognoſticandi nec addiſcunt, nec tenent, de omnibus denique temere atque inconſiderate judicant. Doctores Medici, opera invenienda, non argumenta, indicationes novorum operum, non rationes probabiles; ratiocinia enim veſtra ſæpiſſime cogunt, & capiunt intellectum, rei vero naturam non attingunt.

CAPUT IX.

De cauſis Morborum.

§. I.

Prolegomena ad hiſtoriam, diviſionemque cauſarum opportuna.

I. POſt abſolutam methodum perficiendi hiſtoriam morborum per phænomena ſua, proximum eſt, ut eandem inſtituamus per cauſas illos producentes; atque in ipſo orationis veſtibulo animadvertendum eſt, graviter errare Medicos, qui putant, nonnullos morbos eſſe morbos primarios ab iſdem cauſis ſemper productos, & eamdem medendi methodum ſemper expoſcentes; cum per repetitas graviſſimorum Medicorum obſervationes certo jam conſtiterit morbos præfatos non eſſe ſemper primarios, & ab iiſdem cauſis; ſed ſecundarios, & a diverſis cauſis pendentes; adeoque tot in ſpecies eſſe diviſibiles, quot ſunt morbi principales, & cauſæ conſtantiores, quæ illos produxerunt; imo ſingulas prædictas, in quas ſubdividuntur ſpecies, propria, & ipſis familiaria habere ſymptomata, proprios pariter invaſionis, augmenti, & declinationis modos, medendi denique methodum ſingulas a reliquis aliis toto cœlo diverſam expoſcere. Rem exemplo clarius aperiemus.

II. Sit

I. Sit pro exemplo Phthisis. Hanc superiorum temporum Galenici primarium, atque unum specie morbum ab uno causarum fonte semper provenientem, distillatione humorum a capite ad pulmones, eademque medendi methodo semper indigere existimabant. Qua quidem in re quantum a veritate aberrarint, abunde nobis aperiunt diligentes observationes a *Cl. Morton*o, & reliquis Recentioribus publicæ luci expositæ. Per eas enim utpote e naturæ penu eductas certo constat phthisim sæpissime esse morbum secundarium a variis morbis principalibus v. g. lue venerea, scorbuto, ictero, chlorosi, asthmate, sputo sanguinis, ulceribus internis, & externis, febribus, melancholia, variolis, hydrope, dysenteria, animi pathematis, studiis severioribus, vel aliis innumeris hujus generis occasionibus pendentem; Et prout a variis hisce morbis, aut causis fovetur phthisis, ita varia secum ducit symptomata omnino diversa a phthisibus alterius speciei; variam quoque medendi methodum, & remedia a reliquis phthiseos speciebus longe distincta exposcit; Et nisi phthisim unius speciei, a phthisi alterius sedulo distinxeris, sed medendi methodum, & remedia unius adhibueris præposterc phthisi alterius speciei fere remotissimæ, in evidentem perniciem conjicies ægrotantem, aut magno tui dedecore curationem non perficies.

II. Quicquid de phthisi indicavimus, intelligendum quoque erit de reliquis morbis, præsertim chronicis. Et sane inter præcipua artis nostræ desiderata illud merito reponimus, ut scilicet singuli quique morbi in tot species subdistinguantur, quot sunt morbi primarii; a quibus foventur, aut causæ vehementes constantesque, a quibus producuntur; & singularum proponantur signa characteristica cum historia prima earumdem, nec non medendi methodus cuilibet opportuna, & stabilis; eadem potissimum ratione, qua id factum videmus a Botanicis; qui sub generali nomine alicujus plantæ v. g. Cardui, plures carduorum species comprehendunt, suntque adeo sedulo in describendis magnitudine, figura, colore, sapore, aliisque plantæ accidentibus, quibus unam cardui speciem ab alia distinguant, ut insigni laudum ornamento digni profecto videantur. Contra Medici morbos nonnullos, qui in tot species distingui deberent, quot sunt morbi principales, aut causæ vehementes, a quibus foventur, quia in nonnullis symptomatis sibi similes videntur, sub uno generali titulo comprehendunt, eademque medendi methodo in singulis utuntur; cum revera & natura diversi adinvicem sint, & diversam medendi methodum exposcant singuli, & singuli pariter sub propriis reponi titulis debeant, prout de cardui speciebus superius consideravimus; quæ omnes licet sub uno cardui genere complectantur, singulæ tamen tractatum proprium jure quodam exoptant.

IV. Diligentiam hanc veteres Medici in aliquibus morbis adhibuerunt, in quamplurimis neglexerunt. Morbus soporosus licet unus genere videatur, in plures tamen species accurate illum distinxerunt, quales sunt cataphora, coma vigil, coma somnolentum, lethargus, carus, apoplexia, &c. singulisque speciebus signa diagnostica, & prognostica, medendi methodum, aliaque ad complementum illarum historiæ maxime necessaria adscripserunt. Pleuritis & peripneumonia, quamvis & loco affecto & causa producente nonnullisque aliis inter se similibus symptomatis, unus idemque genere morbus sit, a priscis tamen Medicis in duplicem distinctum speciem, duplici titulo, & historia diagnoseos, prognoseos, curationisque cuilibet opportuna insignitum videmus. Convulsio quamvis generalis sit morbus, in plures quoque species eumdem distinguere Recentiores æque, ac Antiqui Medici consueverunt: nam præter magnum illud, herculeumque epilepsiæ malum, dantur tres convulsiones generales, Opistotonos, Emprostotonos, & Tetanos; dantur pariter convulsiones oris, & oculi, Asthma convulsivum, Colica convulsiva, Hysteria convulsiva, Convulsiones musculorum abdominis (quæ licet oppido raræ sint, easdem tamen in Quadragenario nuperrime observavimus, cui abdominis musculi ingenter subsiliebant & convellebantur, sanguine per hæmorrhoidas emisso, injectis clysteribus lactis, & hausta debita quantitate olei amygdal. dulc. cum syr. papaver. rhæados in longo brodio dissolutis, postridie convaluit) & complures alii morbi ab internis convulsionibus pendentes, licet propriis titulis non adhuc ab Auctoribus insigniti. Omnesque antedictas convulsionum species non solum habemus in Auctoribus propriis quasque titulis distinctas, sed singularum pariter diagnostica, prognostica, & curativa præcepta; historiamque primam eatenus descriptam, quatenus ferebant inculta illa antecedentium ætatum tempora, in quibus Medicina cum reliquis bonis artibus a transalpinis hominibus, labente jam Romano imperio, vastabatur.

V. Morbus quisque principalis, quantum ludere soleat sub persona alterius morbi, speciei fere remotissimæ, quotidie observamus in praxi. Hysteria non contenta incedere accidentibus sibi familiaribus, repentina scilicet sensuum oppressione, gulæ strangulatu, sensu frigoris in vertice capitis, convulsionibus partium, &c. sæpissime imponit Medicis sub specie doloris capitis, apoplexiæ, palpitationis cordis, aliarumque ejusdem affectionum, tussis, asthmatis, affectionis colicæ aut nephriticæ, vomitus, & diarrhææ, tumoris doloriſque tibiarum, suppressionis urinæ, refrigerationis partium externarum, gravissimorum.

rum dorsi dolorum, & hujusmodi quamplurimorum morborum, quorum personas induit, & incautos Medicos derisioni exponit, &c. Nuperrime ad Nobilem Mulierem diro asthmate laborantem accersitus, inveni eam de salute pene desperantem, propterea quod trium mensium intervallo frustra curata fuerit a Medico suo per remedia ant-asthmatica; cum igitur narrasset se affectibus hystericis frequenter obnoxiam esse, in præsenti morbi statu sensum frigoris in vertice capitis cum aliquali dolore fere perpetuo sufferre, non dubitavi asserere, asthma illud a fomite hysterico omnino dependere, quamobrem præscripto sale Jovis in aqua melissæ, nec non apposito emplastro matricali *Minsicht* (cujus compositionem sal Jovis pariter ingreditur) in regione umbilici, paucis interpositis diebus perfecte convaluit, &c. Juvenis Romanus per octimestre spatium gravi, & summopere dolorosa ophthalmia laborans, doctissimorum Medicorum remedia semper irrita expertus est; cum ad me venisset, singulasque morbi circumstantias sedulo considerassem, statim subiit dubitatio de causa aliqua vehementi, aut morbo principali, qui sub ophthalmiæ luderet persona: quamobrem a me interpellatus, an lue gallica quandoque laborasset, respondit, elapso octennio male tractatum fuisse a gonorrhæa gallica, a qua post duos menses adhibitis opportunis remediis protinus evaserat. Quoniam vero impuræ hujus luis semina per triginta, & plures annos sanguini inhærere, ægrotosque vana sanitatis possessione illudere solent; interimque sub persona plurium morborum reviviscunt, & Medicos turpiter decipiunt; statim decrevi ophthalmiam hanc gallicam esse; exhibitaque longa potione ad instar aquarum thermalium decoctionis salsi. parillæ, antimon. crud. &c. post decem dies circiter perfecte convaluit. Ex his, aliisque quas brevitatis gratia silemus historiis deduci jure poterit, magnæ utilitatis fore, ut morbi in tot species dividantur, quot sunt morbi principales, aut causæ vehementes a quibus foventur. Nam si nos haberemus exactam, & fidelem historiam signorum prognosticorum, & diagnosticorum methodi curativæ, & præceptorum generalium asthmatis hysterici, & ophthalmiæ; profecto hi duo morbi non decepissent præfatos Medicos sub persona asthmatis simplicis non hysterici, & ophthalmiæ simplicis non gallicæ, ut putabant. Non instituitis vero talibus divisionibus & multi exinde suborientur errores, & magna confusio in historia morborum.

VI. Quantis erroribus obnoxii fuerunt Veteres, dum Asthama convulsivum curabant, nec a convulsione fieri sciebant, donec tandem observaverint Recentiores illud non a viscido humore pulmonibus impacto pendere, sed a convulsione musculorum thoracis, aut diaphragmatis, vel fibrarum carnearum pulmonibus intermixtarum; qua de causa epilepsiam pulmonis vocarunt, & historiam ejus diagnosticam, prognosticam, & curativam distinxerunt. Iisdem pariter urgebantur difficultatibus in curatione colicæ convulsivæ, donec primus *Fernelius 6. patholog.* 10. detexerit colicam illam non a frigidis intestinorum humoribus, ut ajebant, produci, sed ab irritatione convulsioneque nervorum mesenterii, eamque purgantibus, clysteribus, calidisque remediis magis exacerbari; mitescere contra antinervinis, dulcificantibus, & mere anodynis. Hoc itaque modo procedendum esset singulis in morbis, præsertim chronicis, quorum fermentationes sunt diuturnæ constantioresque; acutorum contra breves, & a levioribus causis productæ, imo sub specie morbi principalis ebullitionem suam finientes, ut in febribus, anginis, aliisque hujusmodi acutis morbis, aperte innotescit.

§. II.

De causa Procatharctica, & Proigumeni, seu dispositione Corporis.

NIhil est tam arduum humanæ sedulitati, quam investigatio causæ illius primoprimæ, & proximæ, quæ singulos morbos in actum provocat, & hominem immediate lædit. Hoc est, quod erroribus gravissimis ansam præbuit incredibilem, sciscitationesque ingeniorum, quas medicinas hodierna amare collacrymatur, excitavit. Nos etenim scientia intuitiva destituti, cum mentis acie arcanos morborum motus assequi nequeamus, per fidem sensuum, & repetitum eorumdem usum, opus hoc absolvere deberemus; sed in negotio tanti ponderis varii varie se gesserunt. Patrum nostrorum memoria *Hippocrates*, & conterranei Græci tantum tribuerunt efficaciæ sensuum in Medicina locupletanda, ut quod de *Democrito* ait *Petronius*, ætatem inter experimenta consumserint, atque ita per solas, easque nunquam intermissas sensuum exercitationes ad intimiorem causæ morbosæ cognitionem pervenerunt. Ceterum licet iis omnia attingere datum non fuerit, prout apparet ex modulo operis, quod superata temporum invidia, ad nostras manus pervenit; eo tamen progressi sunt, ut morborum naturam quasi in remoto veritatis confinio constitutam, ac velut in crepusculo translucentem per tenebras, aperte nimis reseraverint, & amicam veritatis lucem, edomito nubium stupore primi exhibuerint. Reliqua vero medicorum gens, quæ per successiones ætatum contra morbos pugnavit, relicto sensu vexavit ingenium, ut illos manuduceret ad vera causæ morbosæ penetralia; sed quoniam ingenium in hæc arcana vix pertingere potest, nisi consociam sensuum operam adhibuerit, ideo quæ-

cum-

cumque de cauſarum morboſarum natura excogitarunt paulo Recentiores Medici, mera ſunt tenebrarum palpatio; atque per varias loquendi formulas morborum veſtes, & cortices variarunt, eſſentiam vero, & cauſam vere cauſantem ne attigerunt quidem.

II. Ut ordine procedamus, recipienda eſt priſca diviſio cauſarum morborum in Procatharcticam, Proigumenin ſive diſpoſitionem Corporis, & Proximam, qua poſita ponitur morbus, & ablata aufertur. Cauſæ procatharcticæ, ſive internæ fuerint, ſive externæ, a Medicis quamplurimis flocci ſæpiſſime habentur, quia producto morbo vel prorſus recedunt, vel ab ægrotantibus occultantur; quamobrem omnes illorum conatus dirigunt in conſiderandis, exaltandiſque cauſis proximis, & a criterio ſenſuum remotiſſimis, invita quidem Minerva: nam unuſquiſque noſtrum indicationes curativas haurire debet a quibuslibet vel minimis circumſtantiis, & cauſis cujuslibet generis, maxime cum continentis indolem acquirunt, morbumque aut ſuſtinent, aut fovent; quemadmodum in chronicis affectibus, & periodice invadentibus obſervamus, qui tam longa mora, & redintegratione ſubſiſtere ſane nequirent, niſi novo fomite ſenſim accedente, atque vel interna, vel externa de cauſa ſe multiplicante, cauſam illorum immediatam ad actum provocarent, quod dictum eſt generaliter de omnibus morbis fermentativis, nam ipſa etiam corpora inanimata dum fermenteſcunt, præfatis legibus ſubjacent & ſæpiſſimo externo motore indigent, calore v. g. motu &c. ut in fermentationes excitentur. Cum itaque præfatæ tres cauſæ æque concurrant ſingulæ ad morbum vel producendum, vel fovendum, quomodo a ſingulis hauriendæ ſint indicationes curativæ in præſenti aperiemus

III. Cauſa procatharctica ceteris aliis eſt clarior ſenſui; idque fidenter aſſero, quod ſi in inveſtigandis morborum cauſis, ſedulo non perpendamus, reſpiciamuſque ad cauſam procatharcticam de curatione eorumdem nunquam bene ſperandum; nam per exteriora hæc, quæ occaſionem dederunt morbo, ad notitiam interiorum via compendiaria & certiori perveniemus, dummodo tamen exteriora illa integre fuerint examinata. Si febrim ex inſolatione, vel hujuſmodi externa cauſa productam, curandam quis ſuſciperet; nulloque habito reſpectu ad cauſas procatharcticas per præconceptam Recentiorum Medicorum hypotheſim, non tantum febres, verum etiam morbos omnes ab acido pendere, alchalia volatilia uberiori doſi præſcriberet, ut præſuppoſitum febrile acidum infringeret, & per diaphraſim eliminaret, nonne profecto toto erraret cœlo, cum ebullientis ab accepta inſolatione (vel alia hujus generis incaleſente cauſa) ſanguinis motus componendi potius ſint per amica remedia, quam addendum calcar per furentia, alchalia? Apparente igitur pro diverſitate cauſarum procatharcticarum, & antecedentium diverſa facie cauſa immediata, & proxima, in hauriendis indicationibus morborum ad illas ſemper reſpiciendum erit. Aliter enim tractare debemus febrim ab intempeſtivo frigore, aliter a crapula, venere, inſolatione, animi pathematis, aliiſque cauſis productam.

IV. Valde igitur miramur Medicos hoc ſæculo totos eſſe, ac fere triumphare in aſſignandis, cauſis morborum primo primis, & proximis, necnon ab indagine noſtra remotiſſimis, quæ vero ſenſibus ſunt obvæ, nobiſque exterius obſervantibus morbo dederunt occaſionem, ad examen non revocare, ſed perfunctorie quoslibet morbos a qualibet externa cauſa productos, iiſdem legibus aggredi, & veteris diſciplinæ neglectu methodum, prioritatemque cauſarum cæco quodam impetu ſubvertere. Te latet, Lector, qualiſnam ſit, qualiterque ſe habeat textura minima, ac morboſa ſanguinis, dum homo febricitat, dum pleuritide, apoplexia, delirio, aliiſque morbis laborat, & quænam ſit cauſa illa primo prima, & proxima, quæ ſingulos ad actum producit. In morbis enim ſive acutis, ſive chronicis producendis viget occultum quid, per humanas ſpeculationes fere incomprehenſibile; & niſi juvantium, & lædentium teſtimonio in illius cognitionem perveniamus, adminicula mentis irrita prorſus experiemur. Ex hac cauſæ immediatæ ignoratione natum eſt, ut alii exiſtiment eam eſſe bilem, alii acidum, alii pituitam cum humorum quaternione, alii materiam ſubtilem & ætheriam. alii alia prorſus inania, quibus indicationes curativas ſuperſtruendo, vim ſapientiæ, quæ curationi morborum ſit conformis, indagare neſciunt, ſed promiſcua decernendi licentia nervos inquiſitioni humanæ incidentes, ex ovo malo malum corvum educunt.

V. Neque quis putet nos hic ſuſtinere Empiricos, qui cauſas evidentes, ut ſubjectas ſenſui perpetuo revolvunt, latentes vero atque internas propemodum deſpiciunt, aut aſſentiri *Hierophilo*, nullam ut ajunt morbis cauſam tribuenti, ſed ideo aliquantulum cauſis evidentibus concedere, quia cum in arte medica omnia ſint tenebris perfuſa, & judicio *Celſi* ea ſit ars conjecturalis, cui non reſpondent non ſolum conjecturæ, ſed nec etiam experientiæ &c. non abs re erit interdum iis pauliſper acquieſcere, quæ ſenſibus palpamus, & cadaverum ſectione elucidamus, ſiquidem hæc omnia cum certo conſtent, vel raro, vel non ita graviter illudere poſſunt intellectui, prout ſolent cauſæ internæ, & a criterio ſenſuum remotiſſimæ. Hiſce omnibus aſſentientem habemus doctiſſimum *Sydenhamium* in præfatione ſui operis talia proferentem. Atque ut impoſſibile ſane eſt, ut Medicus eas morbi cauſas ediſcat quæ nullum prorſus cum ſenſibus habent commercium, ita neque eſt ne-

ceſſe;

ceſſe; abunde enim ſufficit, ut ſciat unde immediate oritur malum, ejuſque ſymptomata, ut inter hunc morbum, & alium accurate valeat diſtinguere; hæc ille. Monemus itaque Practicantes, ut ægros ſuos diligenter examinent circa cognitionem cauſæ procatharcticæ, quæ internam ad actum provocavit, & morboſam fecit, nam ſicuti ea cognita curatio facillime abſolvitur, ita e contra in eadem detegenda ægrotantes vel incuria, vel verecundia confunduntur, & confundunt. Nonne inſaniret Medicus, qui ardentem febrem a nimia Venere productam, eadem methodo purgantium, venæ ſectionis &c. aggrederetur, qua ardentes aliis cauſis ortum debentes aggredi ſolet? Nobilem Virum gravi Iſchiade laborantem nuperrime curabamus, irritiſque optimis præſidiis deſperabimus de ſalute recuperanda: cum vero per tranſennam nobis ſubindicaſſet ſe 20. abhinc annis bubonibus gallicis male affectum fuiſſe, ſtatim ſuſpicionem dedit iſchiadem a fomite gallico pendere, quamobrem præſcripto decocto ſalſ. parillæ, antimon. crud. cortic. nucum, &c paucis diebus interjectis a gravi iſchiade perfecte convaluit, non ſine Aſſtantium ſtupore.

Cauſa Græcis dicta προηγουμενη, Latinis, vero diſpoſitiva, ſive diſpoſitio ſolidarum, & fluidarum corporis partium ad morbum ſuſcipiendum, licet inter cauſas jure recenſeri non poſſet, quoniam ex ſe nihil agit; nihilominus tamen quia ſæpiſſime cauſæ procatharcticæ vim ſuam exercere non valent, niſi corpus diſpoſitum fuerit ad impreſſionem illam ſuſpiciendam. ideo Auctores nonnulli talem diſpoſitionem inter cauſas adſcripſerunt, ab eaque indicationes curativas hauriendas, & dirigendas quoque fore judicarunt. Multi cum infecta Muliere concumbunt, ſed ex iis nonnulli dumtaxat inficiuntur. Multi peſte correptis famulantur, ex eorum tamen numero omnes peſte non corripiuntur. Multi in eodem crapulantur convivio, ſed ingluviei pœnas pauci tantum perſolvunt. Demum quamplures eadem communis cauſa fatigat, omnes tamen in morbum non incurrunt. Ex quibus arguimus cauſam procatharcticam, ſive occaſionalem, interdum vim ſuam corpori non illaturam, niſi in ſolidis, & fluidis antedicta diſpoſitio præceſſerit, quæ cauſam proximam ad actum reducat. Diſpoſitio hæc quandoque noſtris ſenſibus obvia eſt, quandoque occulta. Patent ſcorbuticæ diſpoſitiones, patent quoque & hyſtericæ, gallicæ hypochondriacæ, calculoſæ, epilepticæ, & reliquæ hujus generis per antecedentes morbos nobis manifeſtatæ, quas quidem in morbis de novo invadentibus deſpicere non debemus, ſed habito reſpectu ad illarum naturam, & fomitem, indicationes curativas dirigamus, & ad morbum novum, & ad diſpoſitionem veterem. Latent contra diſpoſitiones quædam cuilibet homini familiares, quas Antiqui temperaturas appellabant, diſtinxeruntque in calidas, frigidas, humidas, & ſiccas, eaſque vel ſimplices, vel compoſitas, quæ lato modo ſumtæ licet aliquid conferre videantur ad morborum productionem, nihilominus tamen omnia ad præfatas qualitates reducere, ut ſolent Pſeudo-Galenici noſtri temporis, res eſt difficilis admodum, aleæ plena, atque a ſolidioris philoſophiæ cultoribus compreſſa eſt ſufficienter inanis hæc licentia a præfatis qualitatibus morborum omnium cauſam immediate deducendi.

VII. Ceterum infinitæ ſunt, & inter ſe admodum diverſæ proprietates illæ internæ, quæ ſanguinem ad varios morbos ſuſcipiendos diſponunt; alia enim eſt conſtitutio, quæ ſanguinem ad coagulum, alia quæ ad diſſolutionem, inflammabilitatem, &c. idoneum reddit, alia, quæ ad malignam febrim, alia, quæ ad ephemeram, & ita ad reliquos morbos diſponit. Harum diſpoſitionum genuinam indolem mincrumque componentium veram ſtructuram detegere vix datur per humanas ſpeculationes. Ex anteacta tamen vita, & ſex rerum nonnaturalium uſu, aut abuſu divinare poterimus generalitatem quamdam talium diſpoſitionum: terreæne ſint, an acres, acidæ, humidæ, inflammabiles, denſæ, coagulabiles, &c. Qui crapulis indulſit, nec non inſuetis vigiliis, exercitiis, iræ, & hujuſmodi impetuoſis occaſionibus, nonne indicabit ſanguinem ipſius ſummopere activum, acrem, & inflammabilem evaſiſſe? quippe per id temporis ſuccedit, morbos ab exarata diſpoſitione aut produci, aut foveri, & quæ indicationes in producto morbo ſuſcipiuntur, ad eandem diſpoſitionem reſpicere quoque debere. Antiqui ſigna dederunt primarum, & ſecundarum qualitatum, in corpore excedentium, illudque ad morbos diſponentium, vocabantque intemperies, atque eas vel cum, vel ſine materia, &c.

VIII. Quo major, aut diuturnior fuerit præfata diſpoſitio, eo graviores, longioreſque erunt morbi ab eadem pendentes. Conſtat id experientia illorum, qui crapulis, veneri, vigiliis inſuetis, laboribus intempeſtivis, animi paſſionibus, aliiſque hujuſmodi incommodis ſupra mediocritatem indulgentes, & longius, & periculoſius ægrotant, quam qui ſobrie ceteroquin viventes, præfatis erroribus anſam nimiam non præbuerunt. Cognita igitur ex diſcurſu ægrotantis cauſa occaſionali de inducta per eam in ſolidis, aut fluidis morboſa diſpoſitione, hariolari aliqua poterimus de prædominante qualitate, acri ſcilicet, aut acida, viſcida, inflammabili, coagulante aliiſque infinitis; ad quorum omnium majorem elucidationem oportet quoque præſcire naturam ægrotantis temperiem, calidane ſit, frigida, humida, aut

ſicca (retineamus quæſo antiqua nomina, nec litigemus de inanibus) ſive juxta mentem Recentiorum an ſanguis humidis abundet partibus, aut potius terreis, igneis, fixis demum, ſeu ad motum inertibus, quæ omnia Antiquorum qualitatibus optime reſpondet. Eodem temperaturæ nomine, conſiderandæ quoque veniunt partes ſolidæ; flaccidæne ſint, an tenſæ, convulſionibus, an relaxationibus obnoxiæ, cordis impulſui proximæ, an remotæ, uberiori, an pauciori ſanguinis copia irrigatæ, fibris carneis, an nerveis abundantiores, &c. quæ omnia ad eruendam intimiorem partium diſpoſitionem præ ceteris conferunt, & niſi recte conſiderantur, innumera damna ab uſu remediorum ſupervenient, quæ quidem varie temperanda erunt, prout variæ erunt tales fluidorum, aut ſolidorum temperaturæ, & cauſæ morbi antecedentes, &c.

§. III.

De cauſa proxima morborum, necnon de fontibus præcipuis eamdem inveſtigandi.

I. IN antecedentibus cauſæ procatharcticæ, & proegumenis naturam expoſuimus; breviter nunc examinanda venit cauſa primo prima, & proxima, qua poſita ponitur morbus, & ablata aufertur. Hæc eſt cauſa illa pro cujus determinatione tam acerba vulnera inter Medicos quotidie refricantur, & ſingulorum animi tam fœda diſſenſione commoventur. Quoniam vero per cognitiones noſtras non ita facile aſſequi poſſumus, quæ intus in nobis geruntur, admonicula petenda erunt a certioribus viis. Viri doctiſſimi cum diu fruſtra inſudarint in cognoſcenda cauſa proxima, & determinanda natura fermenti peregrini, ſingulos morbos immediate producentis, decreverunt tandem, dummodo conſtaret quibus indicationibus, & remedio curandus ſit morbus, parum conferre ſi cauſam illius immediatam, & a ſenſibus remotiſſimam ignoremus. Hujus aſſerti fidem faciunt Empirici, qui eruditas Rationalium Medicorum ſpeculationes de cauſis morborum proximis ſpernentes ſæpiſſime æque bene morbos ſanant cum ſecretulis ſuis, ac faciunt Rationales methodis ſpeculationibuſque accuratioribus. Idem quoque teſtantur morbi epidemici a prava aeris conſtitutione producti, cujus malignum fermentum humoribus afflatum licet a nobis nec explorari, nec determinari poſſit; non proinde tamen ſequitur ut ignoremus quoque methodum, qua morbi ab ignota talium Epidemiarum cauſa primoprima producti eliminari debeant; ſiquidem poſt ſedulam, & prudentem juvantium, & lædentium obſervationem in tales methodos facillime incidimus. Demum quis erit ex Medicis moleſti ingenii, qui non fateatur ſe internam, ſive immediatam morborum cauſam prope ignorare; contra vero quotidie curativa methodo longo uſu comparata illorum curationem feliciter abſolvere?

II. Hiſce non obſtantibus plures indicari poſſunt viæ, quæ ad elucidandam ſingulorum morborum cauſam immediatam nos manuducant. Idque primo cognita cauſa procatharctica, & diſpoſitiva, de quibus fuſe in antecedentibus, Secundo plures morborum cauſæ immediatæ facillime manifeſtantur, prout in Hydropicis aqua; in Empiematicis ſanies, in Nephriticis calculus, quibus ablatis, ipſi quoque morbi protinus auferuntur. Hæc tamen felicitas ſæpiſſime non contingit; nam alia cauſa remotior in hydropicis aquam, in Empiematicis ſaniem, in Nephriticis calculum, aliiſque in morbis aliæ cauſæ fovere alia ſolent, quæ ſpeculationibus noſtris prorſus ſunt inacceſſibiles, quo in caſu utendum eſt artificiis mox dicendis. Tertio ab excretis, & retentis, aliiſque per oculorum fidem ſe manifeſtantibus, utpote linguæ, oculorum, faciei, aliarumque partium affectionibus. Quarto a juvantibus, & lædentibus, ſive methodo curativa tali morbo appropriata. Quinto indagando naturam eorum, quæ juvant, & eorum quæ nocent, qua cognita, facillime ſenſuum, aut cogitationis opera perveniemus ad minima cauſæ immediatæ componentia. Sexto ex mutatione unius morbi in alium, ſpeciei vel ſimilis, vel remotæ. Septimo ex læſione operationum principalium, utpote pulſu, reſpiratione, robore, aut languore virium, &c. Octavo a ſymptomatis morbum concomitantibus, eorumque natura, & vi, &c.

III. Et primo, quod ſpectat ad excreta, & retenta, inter ea principem locum obtinent ſtercus, & urina, ſputum, ſudor, vomitus, ſanguis venæ ſectione extractus, color cutis, unguium, oculorum, &c. Quibus principiis componatur urina abunde nobis patefacit analyſis chymica; præpollet tamen ceteris in naturæ ſtatu ſal indolis armoniacæ, quod urinam colorat, & ponderoſam reddit. In ſtatu vero morboſo tanta forſan eſt ſalium varietas, & mixtio cum ſuis, vel alterius generis particulis, quanta & morborum. Ex urina igitur magis, aut minus colorata talium ſalium morbos producentium copiam, vel inopiam arguemus. Qui incidunt in lethalem urinæ ſuppreſſionem, corripiuntur ſtupore mentis, tremore, & rigore univerſali, febre demum, paralyſi, aliiſque nervorum morbis: quorum omnium obſervatione admonemur, quibus morbis producendis idonei ſint urinæ ſales, dum abundant in ſanguine. In acutis morbis ſi urina derepente fiat decolor, & tenuis, phrenitidem, morboſque capitis prænunciat; in cognitionem igitur cauſæ primoprimæ talium affectionum perveniemus, ſi noverimus genuinam indolem principio-

cipiorum urinam constituentium; exinde curationem perficiemus sciendo ex Physicis quidnam contrarium sit talibus principiis. Porro stercoris odor, & color indicabunt naturam causæ proximæ, vel potius antecedentis, a qua immediate derivat proxima. Si flava nimis, vel potius viridia, nigra, &c. fuerint stercora, acido acrium, & vitriolicorum salium copiam denotabunt; si vero alba, copiosa, aut liquida fuerint, vel inertiam fermenti primarum viarum, vel salinarum, & sulphurearum partium (a quibus stercoris odor, & color) majorem quam par est inopiam. Lingua præ ceteris subindicabit intimiorem morbosi sanguinis statum. Si acidus sapor in ea redundaverit, acidam sanguinis, vel aliorum humorum ab eodem derivatorum constitutionem manifestabit; Si salsus salsam; Si amarus amaram; Si viscidus, mucosus, & insipidus, talium partium copiam. Si humida lingua fuerit, humidam, si sicca siccam, & inflammatoriam diathesim. Demum pro secreto tibi sit, Lector, me certiorem de sanguinis statu indaginem aliunde non haurire quam ex lingua; Siquidem cum sit congeries infinitarum glandularum, & papillarum nerveārum, per eas immediate manifestatur morbosum illud in sanguine superabundans, neque in itinere mutatur, prout in excretis per alia corporis emunctoria contingit; ideo magna fides linguæ affectibus, & mutationibus adhibenda in morborum cognitione, reliqua enim signa frequenter fallunt, hæc aut nunquam, aut raro. Cave igitur ne discedas ab ægro in cujuscumque morbi curatione, nisi prius linguam inspexeris, præsertim si de internis inflammationibus suspicio fuerit, quas tibi certissime explorabit lingua, utpote quæ in minima inflammationum suspicione statim reficcari incipit, & crescente inflammatione crescit pariter & siccitas linguæ.

IV. Sudor, & vomitus iisdem legibus subjacent, quibus urina & fæces; Ex illorum itaque colore, copia, &c. explorabimus indolem causæ proximæ, aut antecedentis, prout in præfatis duobus excretis fecimus. Sanguis venæ sectione extractus idem nobis aperiet: si rutilans nimium fuerit, partium volatilium, & inflammabilium, si nigricans terrearum, & fixarum copiam indicabit. In omnibus inflammationibus partium internarum, præsertim acuta pleuritide observavi, sanguini venæ sectione extracto, crustam quamdam albam veluti gelatinosam in superficie excrescere, quæ quidem nil aliud est, quam nutritia, seu chylosa sanguinis portio ob nimiam illius incalescentiam, partiumque volatilium copiam, a fœdere reliquæ massæ dissoluta, & in albam illam crustam coacta. Quamobrem in curatione talium morborum fermentationis nimia compescenda per repetitas phlebotomias, & per diluentia anodyno alchalia, ut possint hoc pacto rubicundæ æque ac nutritiæ sanguinis partes amico vinculo aduniri, dissolutionibusque hujusmodi inflammabilibus ansam omnem præscindere. Consistentia sanguinis patefaciet quoque, quæ in eo superabundent principia. Hectici rutilantem, & difficulter coagulabilem habent sanguinem, & interea macilenti sunt, insomnes, iracundi, &c. ex quibus arguimus acre quid in illorum fluidis excedere. *Veipserus exercit. de apoplexia fol.* 419. ait, *Se in cadaveribus febri continua extinctorum aliquoties, nonnunquam & in malignis sanguinem fluidum; nec post obitum coagulabilem observasse;* Simon Pauli de febr. malign. *c.* 2. *Notat sanguinem phlebotomia emissum maxime rubicundum, & colore proxime accedentem ad colorem floris Cardinalitii, sive Trachelii Indici, necnon pauco perfusum sero se pluries in ægrotantibus observasse, qui cum tali sanguine semper de vita periclitabantur.* Hoc idem in peste a plurimis notatum esse testantur historiæ Recentiorum. Color igitur, consistentia, aliæque educti sanguinis affectiones, subindicare nobis poterunt latentem causæ proximæ constitutionem.

V. Cum de natura sanguinis inciderit sermo, obiter hoc monemus, quod nemo Medicorum curationem febrium absolvere feliciter poterit, nisi ante quælibet adhibita remedia, certior factus fuerit de statu sanguinis febrientis, scilicet an sit nimium concitatus, tenuis, inflammabilis, &c. vel contra coagulabilis, lentus, malignus, &c. siquidem in tam diverso sanguinis statu diversæ pariter indicationes curativæ hauriendæ sunt; aliter enim tractandus erit sanguis ad dissolutionem, orgasmum, & nimiam ebullitionem, aliter ad coagulum, lentorem, malignitatemque accedens: neque profecto, per ipsa febrium initia, curatio illarum omnium indifferenter aggredienda est per medicamenta purgantia, primas, ut ajunt, vias, vel sanguinem ipsum mundificantia; nam per talem intempestivum purgantium usum, aut reduplicatur febris, aut abibit in malignam, sicuti experientur illi ipsi Galenici qui methodum hanc tantopere deprædicant. Imminentem hysteriam præ ceteris denunciat color urinæ, paulo ante paroxysmum ex citrina in aqueam, & tenuem mutatæ. Porro observamus in animi pathemate correptis urinam ex rubicunda desinere statim in aqueam, & pallidam; nec naturalem colorem recuperare, nisi animi passio prorsus recesserit. Invasionem paroxysmi convulsivi color aqueus antedictus in urina semper præcedit; & spasmodice affecti urinam fere semper reddunt tenuem, claram, & copiosam. Ex quibus observatis arguere possemus prædictorum morborum fomitem ab urinæ salibus suppeditari, vel augeri. Cutis per colorem nos animadvertit; si alba, pallida, flava, subnigra, fusca, similisve fuerit, talium

quoque partium in viſceribus, aut ſanguine denotabit abundantiam.

VI. Poſt excreta, & retenta, quarto interim loco ſubodorari poterit indoles cauſæ proximæ, vel antecedentis, a juvantibus & lædentibus, ſive a methodo curativa cuilibet morbo appropriata. Pro exemplo ſint febres intermittentes: Hæ autumnali, aut vernali potiſſimum tempore ſæviunt, congeſtis in maſſam ſanguinis cruditatibus, vel ob prætergreſſæ ætatis in eſu fructuum, & potu aquarum intemperantiam; vel ob antecedentis hyemis frigora, & inſuetas humiditates. Ab inſtituta ſanguinis miſſione, vel purgatione eorum initiis, duplicantur, & in pejus ruunt. Symptomata, quibus comitantur, ſunt: Frigus, laſſitudo, horror, calor mitis, lingua viſcida, ſitis moderata. Medicamenta, quæ conferunt, ſunt amara, acria, volatilia, lixivo-alchalia, &c. Quæ nocent, ſyrupi refrigerantes, victus nimium humidus, medicamenta viſcida, & inertia, &c. A cibo pravi ſucci, & intemperanter ſumto exacerbantur paroxyſmi; contra vero per abſtinentiam demulcentur. Si curationem illarum per febrifuga ſtatim incipies, in quamplurima mala præcipitabis ægrotantem, ſicut fuſe in hoc opere diſſeruimus; hic eſt progreſſus juvantium, & lædentium in intermittentibus, ex quo manifeſte deduci poterit cauſam proximam illarum eſſe quid crudum, viſcidum, & coagulabile, ut patet conſideranti, &c. Podagræ, & calculorum præcipui parentes ſunt vinum, venus, & crapula: remedium contra aquæ potus, lactis uſus, & ſobrietas, ſtomacho tamen præ ceteris reſpiciendum; Exinde arguimus cauſam immediatam podagræ eſſe quid acre, terreum, & acutum, cujus pabulum præfata lædentia facillime ſuppeditant; natura juvantium hoc idem aſſertum confirmat, ſiquidem nil efficacius partium acrium, terrearum & acutarum vim infringere valet, quam lac, & aqua, quæ partibus conſtant lenibus, flexibilibus, & facile pertranſeuntibus. Hoc examen in ſingulis morbis inſtituendum eſſet, præſertim dum ab occultis quibuſdam cauſis, aut influentiis aeris foventur; adhibitis enim per initia eorum nonnullis remediis, quæ ſine periculo tentari poſſunt, & obſervando juvent ne, an noceant, ſi brevi certior fies de natura cauſæ immediatæ, ejuſdemque inclinatione per has, vel alias vias e corpore ſecedendi, idque potiſſimum in morbis occultis, vel per recens invadentem Epidemiam, aut Sporadiam graſſantibus, in quibus vix effugere poſſumus, ut unus, aut alter ex ægrotantibus non periclitetur; donec ſedulo juvantium, & lædentium examine inſtituto, non incidamus in methodum talibus morbis congruentem.

VII. Quinto per examen naturæ juvantium, & lædentium perveniemus in notitiam cauſæ proximæ. Lac ab omnibus laudatur tanquam præcipuum remedium in Hecticis: principia illud componentia ſunt caſeus, butyrum & ſerum; Caſeus, & butyrum in lacte particulis conſtant lenibus, mollibus, alchalini ſulphureis &c. igitur particulæ morboſæ ſanguinis Hecticorum oportet, ut ſint contrariæ indolis, nempe acris, acutæ, rigidæ, &c. In febribus intermittentibus præſtant ſummopere amara, acria, lixivo-alchalia, &c. hæc conſtituuntur particulis rigidis, acutis, ſulphureis &c. neceſſe itaque eſt, ut particulæ morboſæ talium febrium a viſcida, craſſa, & inerti dependeant materie. In febribus ardentibus conferunt emulſiones ſeminum, potiones uberiores, acida mitiora, & anodyna remedia, quorum particulæ ſunt lenes, pauci impetus, & aqueæ: ergo particulæ febrim ardentem producentes conſtabunt ex volatili, acuta, acri, & impetuoſa ſubſtantia. In plurimis febribus diuturnis, & chronicis nonnullis morbis, magnam afferunt utilitatem medicamenta quædam auſtero-amara de genere fere adſtringentium, utpote ſunt chin. chin. tormentilla, radix pentaphylli, alumen crudum, chalybeata, cortex fraxini, medicamenta vitriolico martialia, aliaque hujus generis, quæ adſtringendo operantur Quæ cum vera ſint, argui jure poterit antedictas febres ab elanguido, ac pene laxato partium fluidarum, ſolidarumque tono, non vero a decantata viſcerum pendere obſtructione; hinc medicamenta ex genere ſtypticorum, amaricantium, & aliquantiſper ſpirituoſorum roborando, ac ut dicam, ſtrictiores reddendo ſolidas fluidaſque partes, eaſdem optime diſponunt, ut ſupervenienti fermento æſtuationem febrilem in ſanguine mox excitaturo fortiter reſiſtant, & per repetitas circulationes in cribris viſcerum jam roboratis commode deponant.

VIII. Ubi ſudor neceſſarius eſt, & irritis quibuſvis remediis non erumpit, mitte ſanguinem, & ſtatim erumpet, præſertim ſi id fiat a nimia humorum copia, & quaſi ſtrangulatione in vaſis. Vir hypochondriacus frequenter corripi ſolet diro aſthmate pene ſuffocante, & derepente invadente cum tenſione ventris, & flatibus hinc inde obmurmurantibus; cum ad ipſum accedo, ſtatim impero ſanguinis miſſionem ex brachio, ſanguineque vix educto ceſſant illico aſthma, tenſio ventris, & imminentis metus ſuffocationis. Multiplici experientia didici colicas convulſivas pertinaciſſimas, & veluti ab orgaſmo ſpirituum productas, poſt inſtitutam venæ ſectionem & remedia anodyna maxime diluta, brevi ac feliciter ſanari. Didici pariter apoplexias ſanguineas, ideſt a ſtrangulatione ſanguinis circa vaſa capitis productas cum faciei rubore, venarum turgentia, &c. nullo alio remedio citius ſanari, quam per ſanguinis miſſionem in ipſo curationis veſtibulo ſtatim

inſti-

inſtitutam. Quique indifferenter omnes apoplexias tum ſanguineas, tum pituitoſas purgantibus, vomitoriis, & ſpirituoſis aggrediuntur, non præmiſſa venæ ſectione in ſanguineis, indigent helleboro. Sexagenariam Mulierem hemiplegia, & linguæ paralyſi correptam hac methodo poſt triduum feliciter curavi: Evacuatis unciis decem ſanguinis e brachio lateris paralytici, hauſit hanc mixturam *aq. flor. pan. et card. s. an. unc. ſpir. ſal armon. gutt. xii. pulv. cran. hum. & ſtibii diaphor. an. ſcrup. i. m. f. potus*. Totam ſpinam, & medietatem corporis paralyticam fovebam oleo vulpino cum ſpiritu vini mixto, & calide inuncto: Gargariſma in ore detinebat ex decoct. lign. viſc. querc. & oxymelle ſcillitico: per hæc remedia triduo vix elapſo a præfato morbo liberata eſt feliciter. Ex omnibus antedictis hiſtoriolis deducimus morbos præfatos originem ſolet ducere a ſtrangulatione, ſive, ut ita dicam, arctatione humorum aut ſpirituum in aliqua parte, nullis aliis remediis adeo facile ſolubili quam per ſanguinis miſſionem in loco affecto, vel proximiori inſtitutam, cujus inter mirabiles proprietates ea eſt potiſſima, ut ſanguinem vel ſtagnantem vel ſtagnationi proximum ulterius promoveat, nimis contractum relaxet, & nativæ fluiditati reſtituat; ignis enim vitalis ſpatio liberiore conceſſo ventilatur potius, quam extinguitur, præſertim cum continuus ſit vehemenſque cordis impulſus, e quo circulari motu ſanguinis fovetur, & producitur. Ex mechanicis igitur, ſive ex ſapientiore mechanicis omnibus experientia ſtatutum eſto ſanguinis miſſiones incipientes humorum ſtagnationes ſolvere, nimiumque illorum orgaſmum momento compeſcere.

IX. Sexto mutatio unius morbi in alium ſpeciei, vel ſimilis, vel diverſæ ſubindicare facile poterit naturam cauſæ proximæ, cujus rei non ignarus doctiſſimus *Ballonius conſil.* 13. hæc habet: *Hippocrates ſucceſſiones morborum conſiderandas eſſe præſcribebat, eo quod in morbis longis multa ſymptomata contingunt, quæ bonis, & eruditis Medicis ob ſimilitudinem, & fallaciam imponunt; & novi morbi, tamquam ſoboles rediviva ex aliis ſubinde conſequantur, & repullulent: hactenus celeberrimus Ballonius*. Arthritis facillime mutatur in colicam: quare qui cauſam proximam arthritidis noverit, noſcet pariter & colicæ. Omnes calculoſi facile fiunt icterici, & e contra; cognita itaque cauſa proxima unius, facile patebit & alterius. Ex ſcabie retropulſa, vel male curata quamplures infauſti morbi ſuperveniunt, utpote ſunt ſputum ſanguinis, apoplexia, hydrops, febres longæ, &c. Proficuam hydropis hiſtoriam, a retropulſa ſcabie producti narrat *Hippocrates in Epidemiis* his verbis; *Erat homo quidam Athenis fœdiſſima ſcabie laborans, atque ut ſanaretur acceſſit Milos, ubi calida ſunt Therma, quarum uſu convaluit a ſcabie, ſed paulo poſt incidit in hydropem, & exinde mortuus eſt*; Sæpiſſime incidunt in febrem, cæcitatemque, ut expertus eſt *Sennertus Prax. part. 3. ſect. 2. c. 44.* dicens: *Puer ſcabie linimentis retropulſa in cæcitatem, & febrem incidit, qui accedente epilepſia ſupremum diem obiit*. Scabies Quartanario ſuperveniens bonum: morbus enim quartanarius brevi ſolvetur, & ipſa ſcabies nullis adhibitis remediis ſponte ſua paulo poſt recedet, ut repetita teſtatur experientia. Cui igitur nota erit cauſa proxima morbi antecedentis, nota pariter erit & illius qui eumdem ſubſequitur. Ex pruritu, cutis fœditate, victus ratione, methodo curativa, &c. deducimus cauſam primo primam, & immediatam ſcabiei eſſe quid acre, muriaticum, viſcido, aut tenui inhærens ſucco: ergo & morbi a male curata ſcabie emergentes, probabile eſt, ut eidem cauſæ ſuam debeant originem. Plures hujuſmodi apud Scriptores Medicos morborum adinvicem tranſmutationes obſervantur, ad quos remittimus Lectorem.

IX. Septimo ex læſione partium, & operationum principalium certiores fiemus de cauſa morborum proxima, vel antecedenti. Palpitatio cordis ab impedimento aliquo circa cor fere ſemper provenit. Sectis enim cadaveribus palpitatione cordis in Xenodochio extinctorum, pluries obſervavimus in ejus ventriculis, vel locis adjacentibus polypos, aneuriſmata, oſſificationes, grumos ſanguinis ingentes, tartarizationes, vermes, & conſimilia impedimenta, inter quæ elapſo quinquennio obſervavimus in cadavere ſexagenarii palpitatione cordis Patavii extincti aneuriſma ingentis magnitudinis in aorta aſcendenti, dum proxime a corde exoritur; & in cavitate aneuriſmatis polypum magnitudinis ovi anſerini. Nec in palpitatione cordis dumtaxat, verum etiam in aliis pulmonum, & cordis affectibus præfata impedimenta deteximus, aſthmate ſcilicet, pulſus intermiſſione, & conſimilibus. Obiter hic notamus, ex repetita cadaverum ſectione nos didiciſſe, antedictos cordis affectus, ſi ab organica cauſa ut pote polypo, aneuriſmate, &c. dependeant, non per intervalla, ſed continuo ægrotum moleſtare: facies pallido, aut alio colore morboſo ſuffuſa erit, gravibuſque aliis ſymptomatis hydropi affinibus ſubjicitur Patiens; Si vero fluida materies acrimonia, & irritatione peccans eoſdem produxerit, per intervalla tantummodo ægrotantem efficiunt, præſertim dum conſtitutio temporis auſtrina dominatur, aut animi pathemata ſupervenerint; color faciei naturalis eſt, nec admodum vehementibus, aut continuis mulctantur ſymptomatis; quo loci igitur prima, & repetita luſerunt ſymptomata, ibi morbum adeſſe admonemur. Corpus humanum faſciculus eſt fibrarum varie contextarum, ſibi mutuo reſpondentium, & ab intus ſe movente fluido veluti elatere quodam hinc inde flexa-

rum; unde quidem provenit conſenſus ille unus, conſpiratio una, & conſentientia omnia Magni *Hippocratis*. Neque in admirabili prorsus hoc partium conſenſu ſuſtinemus Veterum de vaporibus ſe elevantibus ſententiam a Recentioribus omnino reprobatam, ſed omnem in corpore conſenſum deducimus, vel a vicinitate partium, utpote inter pleuram, & diaphragma, veſicam, inteſtinum rectum, &c. vel a communicatione vaſorum, qualis eſt communicatio venarum, arteriarum, nervorum, aliorumque vaſorum inter ſe, aut partes proximiores, prout inter jecur, & inteſtina per ductum cholidocum, &c. vel tandem a ſimilitudine, & continuitate ſubſtantiæ, qualis eſt ſimilitudo, & continuitas alia generalis, ac profecto mirabilis inter omnes partes membranoſas noſtri corporis, cujus ope incredibilia pene, & captum noſtrum effugientia in operationibus corporis animati ſuccedunt, adeo ut ſæpiſſime cedere debeamus naturæ renuenti revelari. Conceſſo hoc infallibili partium inter ſe conſenſu, opinor, quod indicia, quæ a partibus paulo remotioribus petuntur, in inveſtiganda morborum cauſa proxima, menti noſtræ illudere non poſſint ſub ficta veri ſpecie; ſed quantum patitur noſtræ inveſtigationis ſedulitas, citius aut ſerius, facilius vel difficilius perveniemus in cognitionem eorum, quæ in remotioribus, & occultis naturæ confiniis peraguntur, præſertim ſi cauſa morboſa iis in partibus ludat, quæ publico alicui officio ſunt deſtinatæ, ntpote ſunt cor, pulmones, cerebrum, cum ſyſtemate nervoſo, &c. quæ dum afficiuntur, ſemper eodem ſymptomatum ordine, & ſpecie procedere ſolent; Hoc potiſſimum contingit in malignis febribus, quarum fomes modo in animalibus, modo in vitalibus, modo aliis in partibus reſidere ſolet; ejuſdue certiores evadent Practicantes per cognitas operationes læſis talibus partibus familiares. Atque hæc dicta ſint de inveſtiganda ſede cauſæ proximæ; de natura vero ejuſdem inveſtiganda conſulantur theſes ſuperiores.

XI. Octavo a ſymptomatis morbum concomitantibus, vel antecedentibus, eorumque natura, vi, & modo invaſionis, necnon remiſſione, aut exacerbatione ab aſſumtis remediis, cauſæ proximæ conſtitutionem elucidabimus. Apoplexia pituitoſa correpti facie palleſcunt, graviſſimo ſopore corripiuntur, pulſus habent exiles, vomitoriis, & purgantibus optime cedunt, a ſanguinis miſſione ingraveſcunt, &c. deducendum itaque eſſe quid viſcidum pauci impetus, & valde craſſum, quod has apoplexias producit: contra in ſanguinea, rubore ſuffunditur facies, vaſa ſanguifera capitis maxime turgent, ſopores non ſunt vehementes, nec pulſus adeo exiles, & a ſecta vena in melius abeunt, a vomitoriis, aliiſque impetuoſis ſolent exacerbari; ex hac ſymptomatum ſerie credi facile poteſt cauſam illarum pendere ab impedito curſu humoris ſanguinei, ſpirituoſi, & conſimilis in cerebro, aut vaſis circumjacentibus, impetumque ibidem facientis. In colica bilioſa contingit ſæpiſſime aphonia, & vox rauca, duratque interdum per totum morbi ſpatium; hæc eadem vox rauca obſervatur pariter in febribus a bile ortis; quamobrem arguere merito poſſumus raucas hujuſmodi voces, & aphonias in acutis, ſimilibuſque morbis ſubindicare nobis cauſam proximam iliorum a bile ſive partibus acribus volatilibus ſulphureiſque pendere. Iſta aphonia non raro eſſe ſolet prodromus convulſionum epilepticarum in colica. Dolores nonnumquam obſervantur ſtata periodo adinſtar intermittentium invadentes: ſi hæc ſuccedant, pro certo habeas cauſam proximam illorum aliunde advenire; nec in affecto loco generari; irritiſque quibuſvis remediis obſervavi, quod ſi tribus horis ante invaſionem doloris lene purgans exhibeatur, præſertim ſi in imo ventre tragœdiam excitet, brevi feliciterque ſubripietur; imo quicumqoe alii periodici dolores per repetitas hujuſmodi purgationes protinus recedent.

XII. Abſceſſus latentes hepatis per intolerabiles cruris, aut ſuræ dolores, nullis remediis cedentes, manifeſtantur. Hujus aſſerti plures Auctores fidem faciunt, ſed inter ceteros *Hollerius* his verbis. *Mirum forte quod nos bis, terve obſervavimus, dolores cruris aut ſuræ intolerabiles qui neque fotu, neque litu, neque cataplaſmis ceſſerunt; mortuis vero agris crura novaculis incidimus, & pus album, pallidum, ac leve erupit ſpatiis inanibus muſculorum diffuſum, & majori vena concluſum; atque ut notaretur locus unde pus hujuſmodi veniret, aperto ventre vomicoſum iecur, & putridum inventum eſt; & taliter affecti procuidubio moriuntur*: hactenus *Hollerius com. 2. ad lib. 2. coac. Hipp. fol.* 348. Idem pariter obſervarunt *Jacorius in coac. Hipp. & Bauhinus* in ſuis obſervationibus, & tabulis anatomicis. Hactenus de modo cauſam morborum proximam inveſtigandi tractavimus; qua quidem in re profecto nobiliſſima, utiliſſimaque, præcipua dumtaxat capita pro tenuitate noſtra tetigimus: reliqua vero, pro temporis brevitate, aut noſtræ in adultiori ætate, aut poſterorum ſedulitati commiſimus, &c.

CAPUT X.

De indicationibus recte inſtituendis,

§. I.

DElineata morborum hiſtoria per phænomena, & cauſas ſuas, proximum eſt ut Hiſtoricus eadem ſedulitate patefaciat medendi methodum, ſive indicationes curativas conſtantes, & a repe-

repetita morborum historia depromtas: & ut candide fateamur, prima praxeos fundamenta sunt indicationes; quibus detectis, remedia facillime depromuntur e medicinæ penu; quisque enim vel rudissimus Pharmacopœo servulus certo scit rhabarbarum purgare, stibium sudores movere, millepedes urinam, &c. Sed quandonam purgandum, quando sudores ejiciendi, quibusque cautionibus, hoc altissimæ propemodum indaginis est, & diuturnum rerum usum exposcit; quæ enim profecerunt, ob rectum usum profecerunt, inquit Medicorum Pater *lib. de arte*. Hinc patet, quam leviter se gerant Scriptores, qui libros suos remediorum formulis perpetuo conferciunt; de indicationibus vero ne verbum quidem proferentes; & si quidpiam exponunt, generale illud est, & a molesta speculationum vertigine potius, quam ex ipsa naturæ plenitudine eductum.

II. Si quid majori correctione indiget in praxi medica, jure ac merito sunt indicationes, quæ falsis hodie Hypothesibus innixæ nil aliud nobis exhibent, quam inania speculationum argumenta. Galenistæ ab humorum quaternione singulorum morborum causas deducentes, eamdem fabulam in iis curandis semper agunt. Nam ad ægrotantem accersiti primam quæstionem movent de inveniendo, inter quatuor illos, humore peccante. Post multas quæstiones, argumentationesque eumdem tandem determinant: determinato humore peccante, universa illorum sapientia hisce potissimum circumscribitur terminis, ut scilicet talis humor præparetur ad exitum, & exinde purgetur, neque hoc semel, aut bis, sed pluries atque pluries in eodem morbo fit, & ita veluti in Orbem singulorum morborum indicationes explentur. Exemplo rem aperiemus. Ex hypothesi apud eos infallibili tertianas a bile oriri, universus indicationum scopus dirigitur in evacuanda per repetita purgantia bile peccante; observavimus tamen nos, quamvis magna bilis copia evacuata fuerit, febrim magis atque magis exacerbari, & ex simplici duplicem, ex duplici chronicam, aut lethalem demum evadere. Unde legenti mihi observationes Galenicorum, duobus abhinc sæculis productas, mirum quantum me commovit præstigiosa illorum socordia, dum viderem tertianas simplices post repetita præparantia, & purgantia annuas evasisse, & tamquam incurabiles a medicis tandem derelictas; idem de quartana aliisque hujusmodi chronicis morbis notavimus. Sed quam infirmo starent talo præfatæ indicationes bilem in tertianis evacuandi, duo potissimum evincunt, primo nuperrima corticis peruvani aliorumque febrifugorum artificialium detectio, quibus prudenter & tempestive datis, febres omnes intermittentes a quibuslibet demum causis productæ felicissime eliminantur, nullis in medium productis quæstionibus præparationis, aut evacuationis humorum. Evincit secundo quotidiana nostrum omnium experientia, per quam observamus febres intermittentes ab exhibitis inter initia purgantibus vel duplicari, vel gravibus exacerbari symptomatis; & ab iisdem demum repetitis in chronicas, & lethales terminare. Ex præfata tertianarum narratione judicare quisque poterit de reliquorum morborum indicationibus, & præjudiciis gravissimis, a falsa methodo indicationes in morbis hauriendi productis. Hodie nos nullo habito respectu ad commentitias quatuor humorum in morbis omnibus generandis influentias, quamplures illorum curamus vel levissimis remediis, vel abstinentia a remediis.

III. Recentiores contra ut hosce Galenistarum scopulos effugerent, inciderunt in pejores; siquidem quamvis certo scirent (exemplo Galenistarum admoniti) medicinam ab observatione revulsam poliri fortasse, & in usum effingi, sed nil admodum crescere, nihilominus tamen ut indulgerent genio hujus sæculi a molesta alchali, aut acidi vertigine morborum omnium causas petierunt, eodemque vertiginis filo se regentes, ab alchali, aut acido indicationes omnium curativas deduxerunt, atque ignorantes propemodum quodnam acidum quemcumque morbum producat, & quodnam alchali quemcumque submoveat, sola universalitate contenti sunt. Horum omnium cogitationes quam instabiles sint quotidiana testatur experientia, cujus ope cognoscimus centena esse, quæ hominem lædunt: singulosque morbos a præternaturali quadam humorum specificatione cuilibet familiari pendere, nec ad angusta quatuor humorum alchali aut acidi spatia tantas morborum causas redigendas. Nam & amarum, & acre, & laxans, aut stringens (si cum methodicis loquamur) sive coagulans, & dissolvens, austerum, salsum, & hujusmodi centena in jus quoque vocanda sunt. Porro morborum quamplurium nulla alia causa est, quam mutatio quædam debitæ, ac naturalis texturæ sive configurationis partium componentium alicujus humoris, producta vel externa de causa, vel ab interna agitatione partium ejusdem fluidi, aut solidi in se invicem agentium, cujus ratione novum acquirentes motum, figuram, & situm, morborum causa evadunt. Et quæcumque præternaturalem illam texturam, ac tonum humorum mutatum, in pristinum restituere valent, sive calida sint, sive frigida, sive acida, sive alchalia, vel aliis viribus sibi invicem contrariis prædita, intus, aut extra exhibita, pro certo habeto morbos illos feliciter propulsatura. Ideo sæpissime miramur in praxi unum eumdemque morbum calidis æque ac frigidis, & sibi invicem contrariis tolli medicamentis; tolli quoque si methodis pariter contrariis tractetur, aqua spahana, teste *Henrico Heer*, quam-

vis in promovendis diu ſuppreſſis menſtruis expertiſſima ſit, eorumdem tamen nimium fluxum quovis alio remedio facilius etiam, feliciuſque ſiſtit. Idem de aliis remediis aſſerere poſſumus. His omnibus experientiæ argumentis admoniti, magis magiſque impellimur, ut credamus naturas eſſe morborum medicatrices. Et ſicuti bona alimenta æquam vitæ, & interitus materiem præſtant, ita & iidem humorum motus, qui morbum intulerunt, iidem inquam poſt repetitas circulationes, ſponſores ſanitatis, & auctores evadunt, niſi ab inordinata nonnullorum Medicorum methodo ordinatus illorum curſus perturbetur. Monemus obiter quod ſi quis novum ſyſtema fingere vellet, & fingere pariter, quod remedia per novas qualitates a phantaſia excogitatas operentur: dico hunc novum Hypotheſiſtam dum praxi medicæ ſe accingeret, æque feliciter ſanaturum, & æque infeliciter occiſurum ægros, ac alii Medici hypotheſibus, ut putant, ſolidioribus innixi: nam medicamenta ſanant non hypotheſes; ſanant autem ut plurimum nullam evacuationem ſenſibilem producendo, ſed amiſſum tonum morboſis fluidis, aut ſolidis reſtituendo.

IV. Multi morbi ab exigua cauſa producuntur, & exinde in apparatum funeſtum deſinentes abſque ulla ſenſibili evacuatione ſanantur. Tales ſunt morſus viperarum, affectiones violentę quas motus, aut odor dumtaxat navis, vel auræ marinæ inſuetis producit, ut interdum in mortis agonem eoſdem conjiciat: Morbi graviſſimi ſupervenientes a ſolo aſpectu rerum exoſarum: Morbi ab animi paſſionibus producti, & hujuſmodi innumera, quæ producuntur in humano corpore abſque ullo ingreſſu, vel egreſſu materiæ viſibilis, quæ tanquam cauſa fovens accuſari poſſit, ſed ſolo externorum corporum impulſu aut vehementi imaginationis affectione. Sicut plures morbi magni a parva cauſa, quandoque inviſibili, & in corpus non introducta, vel non ſubſiſtente dependent; ita pariter plures magni morbi momento temporis ſanantur, non per evidentem aliquam evacuationem, ſed per productam dumtaxat novam mutationem in ſitu, textura, figura, aliiſque qualitatibus vim humorum, morborum producentium. Hujus generis ſunt curationes factæ vel quartanarum, vel aliorum morbum a repentinis terroribus, ab applicatione ſpecificorum remediorum partibus externis, nullamque manifeſtam evacuationem promoventibus, a mutatione aeris ex uno in aliud clima; prout nuperrime obſervavimus Romæ in Viro noſtro amiciſſimo: hic dum in aere aut Neapolitano, aut propinquiorum Regni Regionum vitam degit, ſtatim iſchiade, & fluxu hæmorrhoidum corripitur; irritiſque quibuſvis remediis tunc potiſſimum; & momento fere temporis convaleſcit, cum Terracinam, Latium vel Romam ipſam attingit. Chinenſes aliique Indiarum Medici morbos eliminant per moxam, & acus punctura; imo febres quasdam intermittentes ad miraculum fere eradicant ſola uſtione in Talo facta, teſte *Vilhelmo Tenrine. tract. de arthritide*. Hactenus enarrata exempla abunde nobis indicant centena eſſe quæ hominem lædunt, & morbos modis fere admirandis vixque a nobis perceptibilibus tum produci, tum ſanari. *Natura enim* (ut recte optimus Senex 6. epidem.) *invenit ſibi ipſi vias; non ex cogitatione, & inerudita exiſtens, facit quæ expediunt*; ſingulorum igitur cauſas ad quatuor humores, ad alchali, aut acidum coarctare Medici eſt parum prudentis, atque de rebus extrema ſentientis.

V. Teſte *Plinio* ignota ſunt per quæ vivimus: ſed ſi quid ipſe judicare valeo, ignotiora ſunt per quæ ægrotamus; nam minimum illud primo primum, & immediatum, quod morbos producit, a nobis profecto eſt incomprehenſibile. Undenam igitur in tanta rerum obſcuritate hauriendæ ſunt indicationes curativæ in morbis? Fateor, in hiſce angustiis ad ſola ſenſuum teſtimonia eſſe refugiendum, ideſt poſtquam diu, & patienter obſervaverimus, quo pacto natura ſe gerat in morbi productione, nec non in concoctione, ſeparationeque humoris peccantis, ſtabiliamus tandem doctrinam eoſdem curandi, naturæ veſtigiis adamuſſim reſpondentem, & præ oculis ſemper habeamus juvantium, & lædentium obſervationem; qua quidem in re ratio a Medicis tantopere oſtentata oportet, ut famuletur Empiricæ, ſed Empiricæ litteratura expolitæ, per plures obſervationum proceſſus vexatæ, & mentis lumine actuatæ; adminicula namque, quæ a theoria ſumuntur, inflant primo ſpem noſtram, poſtea deſtituunt. Porro quis eſt qui non fatebitur, nos poſt tanta hujus ſæculi tum anatomica, tum phyſiologica inventa, ſolidiores curandorum morborum indicationes non acquiſiviſſe? Medicoſque hodie gravius inter ſe diſſentire, dum de aſſignandis morborum cauſis & indicationibus curativis interpellantur, quam ante hoſce novitatum rumores fieri ſolebat? Praxis igitur curandorum morborum per praxim ipſam promovenda eſt: hujus rei teſtis eſt nobis diligentiſſimus poſt *Hipp.* Obſervator *Thomas Sydenhamius*, qui *ſect. 1. c. 2.* de occultis febrium cauſis diſcurrens, ait: *Hoc pro comperto habeo ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, prædictas morborum ſpecies præſertim continuas ita toto cælo differre, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa anno jam vertente ipſos forſan e medio tolles.* Et paulo

Poſt

post subjungit. *Proinde nisi ingenti adhibita cautela intentisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ut unus aut alter eorum, qui se primi meæ curæ commiserint de vita periclitetur; donec investigato morbi genio ad eumdem perdomandum recto pede, & intropidus accedam*, hæc ille. Fac igitur, ut in tanta rerum caligine, & inconstantia, theoria tua te manu ducat ad solide hauriendas indicationes, nisi per cynosuram observationum, quæ varios morborum motus & inclinationes nobis dumtaxat manifestant, genium illorum prius didiceris, & exinde curativas indicationes depromseris.

XI. Ego in principiis acutorum a purgantibus, & diaphoreticis abstineo, in intermittentibus quoque a purgantibus in prinnipio me tempero, in progressu curationis febrium postposita tanta remediorum pompa, totus sum in observando, an excitata febrilis fermentario nimium torpeat, & in coagulationes disponatur, vel nimium exardescat, & in dissolutiones viam sternat, quibus de causis coctio, & despumatio materiæ peccantis impediuntur: Et si nimium torpet, eam excito per spirituosa, & volatilia; si contra nimium æstuet, per fixantia, & humectantia coerceo; & tamdiu hæc omnia facio, donec jam certior factus sim sanguinem febrientem tanto motu præditum esse, quantus requiritur ad despumationes, præcipitationesque morbosæ materiæ suo tempore peragendas per vias naturæ accommodatas, sudorem nempe, urinam, fecessum, &c. Neque ideo hæc & similia in aliis quoque morbis facio, quia ratio, & ex hypothesi deductæ speculationes mihi hoc dictaverint; sed quoniam frequens tum mea, tum celeberrimorum Observatorum experientia me devicit acutos morbos ab adhibitis in principio purgantibus in pejus ruere, febres intermittentes statim fieri continuas, & si purgantia repetantur, diuturnas, & lethales; siquidem natura duce nunquam vidimus crises in principiis acutorum salutares fuisse; *Qua enim judicant, ne statim appareant*, inquit Optimus Senex *in Coacis*. Postremo febrium curationem certius non absolvi, quam continendo sanguinem intra eos limites, ut neque hinc plus æquo glisçat, neque illinc nimirum torpeat; quibus de causis coctio, & despumatio morbosæ materiæ impediuntur. Hisce inquam experientiæ momentis instructus, ad tales indicationes in præfatis morbis hauriendas me compuli.

VII. Ut rem contrahamus, sciendum est indicationes curativas in morbis aliunde certius deduci non posse quam a symptomatis tunc temporis gravioribus, & supra reliqua prædominantibus, quippe quæ morbi genium, & gravitatem præ ceteris aperte nobis ostendunt. Verumtamen cum in quolibet morbo quatuor sint considerandæ, morbus, causa morbi, symptomata, & vires; Medicus profecto ita horum omnium motus, originem, vim, aliasque adinvicem circumstantias callere debet, ut de indicationibus nil audeat decernere, nisi quatuor illis attente consideratis, & relatis inter se, atque urgentiori primum prospiciat. Fateor denique neminem tam cito, feliciterque indicationes curativas in morbis detecturum fore, quam qui diuturna edoctus praxi, genios illorum præcipuos, varioſque invadendi, & declinandi modos, iterum atque iterum observaverit; multo magis si antecedenter exercuerit in lectione librorum, præceptis & cautionibus abundantium, quales sunt nuper laudati, iisque analogi. Quibus omnibus si accedat fœcunda quædam, & mascula mentis vis, qua morborum motus antecedentes præsentes, subobscuri, late patentes, se excipientes, aliique, mirabili quadam detegantur solertia, de indicationibus profecto solide judicabit.

VIII. Regulæ mox expositæ iis potissimum conducunt morbis, in quibus mora omnis perniciosa est; in iisque Medici sagacitas longo morborum usu, & virtutibus remediorum tam specificorum, quam communium abundanter instructa, ineffabili quadam proprietate de rebus pluribus prudenter determinat, atque a minimis quibusque circumstantiis medendi rationes cito desumit: quæ omnia vix intelligi, aut verbis exprimi possunt. In chronicis contra, cum phænomena sint diuturna, & constantiora, non aliunde certius desumi poterunt indicationes, quam a juvantibus, & lædentibus, nec non a sedula, & fideli eorumdem ætiologia, a sectione cadavernm morbis denatorum præ ceteris desumenda. Atque ex ante dictis tamquam per corollarium deduci potest ratio, cur sæpissime videamus Practicos celeberrimos, postquam primo inspexerint ægrotantem ejusque symptomata, & affectiones sensuum tunc apparentes serio considerayerint, in cognitionem venire rerum fere incomprehensibilium, diagnosim, prognosim, & curationem morbi spectantium, idque modis quibusdam ita occultis, ut si ab ipsomet Medico rationem inquiras promtæ hujusmodi perspicacitatis, explicare profecto tibi nesciverit mirabilem vim solertiæ in inveniendo, & determinando. Quamobrem medendi methodus nil aliud revera esse mihi videtur, quam judicium practicum, adæquatum, & sagax; ideſt talium omnium fere mirabilium, & occultorum fontes a consummata praxi dumtaxat oriri: qua quidem mille rerum differentiæ momento prorsus explanantur, quamvis signa morbi varia, incerta, & generalia esse soleant, &c.

CA-

CAPUT XI.

De Remediis ſpecificis, eorumque Hiſtoria.

§. I.

CUm tantum intercedat affinitatis remedia inter, & indicationes, de curatione morborum nunquam bene ſperandum, niſi hæc duo arctiori, quam hactenus, fœdere proceſſerint. Ceterum licet indicatio abſque remediis, & remedia ſine indicatione, mutilum quid ſint; nihilominus tamen, ut fatear, quæ ſentio, *ſola remedia ſanant*; quæ quidem licet aliquando nobis videantur ſine indicatione exhibita fuiſſe, eventus tamen de indicatione vera nos abundanter admonet. Hujus aſſerti fidem primo faciunt Empirici, qui methodum, indicationeſque Rationalium ſpernentes, uſu dumtaxat remediorum, ut ajunt, ſpecificorum, quamplures ægrotantium priſtinæ ſanitati feliciter reſtituunt. Secundo, remedia a gnaris æque ac ignaris Medicis, cum indicatione vera, vel eadem ſæpiſſime falſa, exhibita, fauſtos eventus æque omnia producunt. Contra vero ſi indicationes ſine remediis fuerint, fragilitatem mortalitatis ne minimum quidem levare poterunt. Stet igitur quod diximus: ſola remedia ſanant, Doctores Medici. Inter deſiderata artis noſtræ reponenda demum erit hiſtoria remediorum, quæ non amœna quædam, & libera ingenii peregrinatio, ſed durus labor, & longo itinere conſumtus patefecerit; ſintque conſtantia, methodo præſcribendi munita, & cuilibet morbo ſpecifice, ac ferme infallibiliter reſpondentia; prout eſt in Intermittentibus cortex peruvianus, in dyſſenteria ſerum lactis, in Lue gallica mercurius, & ſalſæ radix, in affectione hyſterica ſal, aut bezoarticum Jovis. In doloribus poſt partum tinctura ſuccini cum aqua cinnamomi extracta, & exigua ſyr. cinnamomi quantitate temperata. In ictero flavo ſpir. ſal. armoniaci acidus, & ſic deinceps de reliquis ſingulorum morborum fere ſpecificis remediis, quibus amara mors longius quam fieri poſſit diſtineatur. Quorum ſane ſpecificorum remediorum, ſi morbi ſinguli unum duntaxat haberent, aperte conſtaret non fortuna medici, ſed remedio, & judicio curari; ut optime expreſſit divinus Senex his verbis.

Medicina itaque mihi jam tota inventa eſſe videtur, quæ ſe habet, & quæ docet ſingulas, & conſuetudines, & occaſiones. Quienim ſic Medicinam novit, minime fortunam reſpicit, aut expectat, ſed & citra fortunam, & cum fortuna recte faciet. Conſtans enim, ac firma eſt tota Medicina, & doctrina optima in ipſa compoſita minime fortuna egere videntur. Nam fortuna ſui juris eſt, & nullius ſubeſt imperio, neque optantis eſt ad ipſam pervenire. Scientia vero imperata facere cogitur, & facile eſt ipſam feliciter aſſequi, ſi quis ſciens uti velit. Deinde vero quid opus eſt Medicina fortuna? Si enim Morborum remedia clara ſunt, & manifeſta, ſicuti arbitror, non expectant ſane fortunam ad Morbos ſanandos, ſiquidem ſunt Medicamenta; ſi vero cum fortuna exhibere ea prodeſt, non magis medicamenta, quam ea, quæ non ſunt medicamenta una cum fortuna adhibita Morbos ſanabunt. Hipp. de loc. in hom. n. 58. &c.

II. Hiſtoricus itaque iisdem gradibus, quibus morborum, cauſarum, ſymptomatum, indicationumque hiſtoriam illuſtravit, iiſdem inquam & illam remediorum abſolvere debet modo ſupradicto; qua quidem in re ſenſuum oracula, nec non juvantium, & lædentium obſervationes ſunt conſulendæ, & ab eodem pariter fonte petendæ ſunt cautiones, & præcepta quædam ſtabilia, circa uſum, quantitatem, tempus, aliasque adhibendorum remediorum conditiones. Quod lac ſit ſpecificum remedium ad ſanguinis acrimoniam compeſcendam parum luminis afferre poteri praxi meæ in hoc morbo curando, niſi interea Auctores mihi ſignificaverint methodum, cautiones, & præcepta eidem exhibendo præ ceteris opportuna; v.g. Lac tutius exhiberi verno, & autumnali tempore, quam æſtivo, in quo ejuſdem ſerum proficuum eſt; dum lac exhibetur, cavendum ab uſu vini, & acidorum, & ſi acidi humores primis viis redundent, itidem cavendum; ſi diarrhæa ex ventriculi cruditate vigeat, abſtinendum pariter ab illius uſu; ægrotis laborantibus nervorum; aut capitis affectibus noxium maximopere eſt lac. Ita nuperrime Vir eruditiſſimus, ex copioſo lactis uſu (exulato quolibet alio victus genere per 20. dies circiter) incidit in graviſſimam oris torturam, cum tenſione dolorifica muſculorum colli, & totius pene corporis, adhibitiſque a me variis remediis poſt duorum menſium intervallum convaluit. Lac nervis, & capiti contrarium eſt; pectori familiare; infimo demum ventri flatuoſum. Ne lac aceſcat in ſtomacho, ſaccharum, aut mel eidem miſceto; Et quamvis aceſcat, non perinde tamen illius uſum ſtatim reprobare oportet, ſed per duos dies teſtacea exhibenda ad abſorbendum acidum, & exinde lac denuo præſcribendum, & ſi denuo aceſcat, viciſſim interponantur teſtacea, nam hoc pacto minus impoſterum aceſcet, & optatum finem ab illius uſu conſequeris. Aſſumto lacte quieſcendum, vel leniter deambulandum; labor nimius tam mentis, quam corporis ab illius uſu cavendus, uti & ſomnus; nam his de cauſis crudum ad caput perveniens ad varios morbos illud diſponit. Hæc, aliaque monita ſcienda ſunt ante lactis uſum, quæ quidem innotuerunt Practicantibus, non per ingenii vexatio-

xationem, ſed per diuturnam dumtaxat juvantium, & lædentium obſervationem. Et qui antedictis cautionibus deſtitutus ad uſum lactis ſe accingeret, æque peccaret, cum iis qui dubium iter in tenebris aggredi tentarent, atque nec lucem accenderent, nec diurnam lucem expectarent.

III. Quæcumque de lacte adnotavimus, ſingulis quoque remediis neceſſaria eſſe ſerio fatemur. Siquidem innumera illa incommoda, quæ ab uſu remediorum ægrotantibus interdum ſupervenire ſolent, non a prava qualitate remedii, ſed aut a falſa indicatione, aut a defectu cautionum, & præceptorum, eidem adhibendo maxime facientium, producuntur. Optima igitur remedia, optimis cautionibus confirmata, univerſam curandorum morborum rationem complectuntur; hinc eſt, ut Viri eruditionis vulgaris, & mere Empirici, remedio aliquo comprobato, aut ſolida cautione ſummorum Opinatorum glorioſam oſtentationem aliquando deludant. Remedium purgans plurium morborum domitor eſt: illius tamen imprudens uſus in principiis acutorum, aut repetitus in curatione intermittentium, magno hominum detrimento adhuc apud Medicos viget. Rudis quidam Practicus ad curationem ardentis febris nuper accerſitus in ipſo morbi principio purgans medicamentum exhibuit; æger exinde pejus habuit, poſtpoſitaque ſanguinis miſſione, circa ſeptimum diem denuo purgationem, inſtituit, a qua in deploratum ſalutis ſtatum redactus Patiens, decimoquinto morbi die quatuor libras circiter ſanguinis grumefacti alvo ejecit, ac demum migravit in hecticam: An ſanguis illuerit, indicia nobis præbe poſtpoſitis purgantibus evacuari debuiſſe in principio per phlebotomias, ſagacioribus remitto decernendum. Menſe Junio anni 1695. Mulier quadragenaria Romæ per ſeſquiannum graviter affecta lenta febri, cum ſcirrho ventriculi, &c. abuſu chalybis a Medico Sene præſcripti ſtatim incidit in hydropem, & poſt elapſum menſem mortua eſt. Nonnullis ante mortem diebus inſigni gulæ ſtrangulatu afficiebatur, adeo ut quaſi ſuffocari ſentiret, viamque eſculentis præcluderet. Aperto cadavere totam ventriculi molem ſcirrhoſam inveni, ſcirrhoſum pariter & uterum, & in abdominis cavitate aquæ fœtidiſſimæ, & ſubnigræ non exiguam quantitatem. Longum eſſet recenſere innumera damna, ægrotantibus facta a remediis, dum debita cautione, & præceptis ab Auctoribus non exhibentur, uti de chalybe in ſcirrhis ventriculi (& forſan aliarum quoque partium) & purgantibus in principio ardentium, ex antedictis hiſtoriolis innoteſcit.

IV. Diximus ſuperius, quemlibet morbum a ſpecifica, & ſibi ſoli propria humorum exaltatione, vel ab exaltatione, ſive ſpecificatione morbi principalis, cujus ille eſt ſoboles, pendere; hasque omnes humorum ſpecificationes, ita naturæ legibus ſubjacere, ut reliqua corpora ſublunaria; ſed in quibus potiſſimum conſiſtat ſpecificatio illa, ſeu minima partium morboſarum mixtio, per quam quilibet morbus in ſpeciem ſibi debitam exaltatur, id ſane me latet; per ſucceſſiones tamen ætatum aperietur forſan a ſolertiſſimis Practicantibus, ſi meditationes ad vitam activam revocaverint, nec theoriam tamquam filiolam in deliciis, perpetuo quodam ſtudio exornaverint, praxi omnino neglecta. Scio tamen morbos tum chronicos, tum acutos eum feliciter eliminaturum, qui caſu, vel diuturna praxi inciderit in remedium, per quod morbi ſpecies jugulari, ac velut in ovo extingui valeat. Neque pro hiſce explicandis afferendæ ſunt in medium primæ, aut ſecundæ qualitates, ut nonnulli fecerunt. Nam præterquam quod eſſentia morbi in talibus qualitatibus non conſiſtit, videmus frequenter morbos quamplures adhibitis & calidis, & frigidis, & humidis, aliarumque hujuſmodi qualitatum remediis, vix ſubmoveri, niſi demum incidamus in remedium, quod veluti ſpecifice morbum extinguat. Exinde eſt, ut multi morbi calidi vulgo dicti, calidis curentur remediis, frigidi frigidis, & ſic deinceps, imo & remediis juxta noſtrum cogitandi modum, naturæ humanæ prorſus contrariis: unde videmus paſſim ægrotos fuiſſe ſanatos poſt commiſſos graviſſimos errores, vel in potu, vel in cibis, vel in remediis demum ipſorum naturæ maxime contrariis. Hæc igitur omnia a præfata humorum ſpecificatione, non vero a qualitatibus per contrarietatem agentibus pendere cenſemus.

V. Antedicta ſpecificorum remediorum neceſſitas ad morbos chronicos potiſſimum ſpectare videtur. Hi enim cum ab indigeſtione quadam, craſſitieque humorum dependeant, & frequentius in ſolidis, quam in fluidis vitium lateat; natura profecto, diuturnitate mali oppreſſa fere, ac deſtituta coctionem, depurationemque morboſæ materiæ abſolvere vix poterit, niſi exhibeatur remedium aliquod morboſam illam ſpeciem prompte extinguens; vel roboretur natura per medicamenta ſpirituoſa reſtaurantia, & amaricantia: quibus, quaſi exhilarata, hoſtem cervicibus ſuis diu imminentem tandem excutiat: ideo ſæpiſſime obſervavi in praxi, methodum Recentiorum per remedia ſpirituoſa, volatilia, & impetum facientia, morbis chronicis ſummopere conferre, acutis contra ingenter obeſſe. In his enim cum fermentationes ſint celeres, & nimis activæ, nec ſolida vitiata ſint, natura ſponte ſua aut per prudenter inſtituta artis adminicula, morboſæ materiæ coctionem deſpumationemque ſat cito abſolvit, & per debite procuratas evacuationes morbi ſpeciem extinguit. Si vero acuti morbi ab occultis aeris

quali-

qualitatibus, vel novis temporum conſtitutionibus originem ſuam habeant; remedia novam illam ſpeciem extinguere valentia, non aliunde certius peti poſſunt, quam a ſedulo, & repetito juvantium, ac lædentium examine: ideo videmus remedia nonnulla certis quibuſdam morborum conſtitutionibus, & Epidemiis prodeſſe; obeſſe contra iiſdem Epidemiis, aliis annorum conſti-tutionibus.

VI. Cum de acutis morbis inciderit ſermo, monendum hic obiter, graviter errare illos, qui acutos, & inflammatorios morbos remediorum copia tandiu afficiunt, donec natura quo ſe vertat neſcia, & hinc inde tum a morbi vehementia, tum a remediorum pondere varie diſtracta tandem cogatur ſuccumbere. Nec mirum; nam morbi acuti, præſertim febres hujus generis ſæpiſſime ſponte ſua ſanantur, ut in Pauperibus, & Ruſticis obſervamus. Siquidem ille idem humorum impetus, qui febrim excitavit, ille inquam idem eoſdem diſponit ad præcipitationem morboſæ materiæ ſtato coctionis tempore peragendam, atque hæc præcipitatio, cum ſit ſolius naturæ opus, nullibi ſane tam graves, & innnmeros committunt errores Medici, quam in curatione febrium prædictarum: perturbato enim, diſtractoque motu illo ordinato naturæ, a repetitis toties, vel abſque methodo exhibitis medicamentis, nec febris minuitur, nec criſis ſtato tempore ſuccedit; ſed Patiens dubio marte colluctatus, vel in perniciem, vel in chronicos morbos delabitur.

VII. Circa remediorum uſum in acutis, & chronicis morbis, variæ præjudiciorum ſimiolæ Practicantibus obſervantur; in gratiam præſentis argumenti nonnullas recenſebimus. Multi eo potiſſimum nomine tantis utuntur remediis, propterea quod (ſicuti a plurimis non ſine animi mœrore audivi) fieri non poteſt, ut inter tot adhibita remedia unum demum non reperiatur, quod morbum valeat retundere. En Medicorum ſtupiditatem, qua permotus contineri nequeo, quin hic repetam quod *Appius* Cælius Populo Romano pacem cum *Pirrho* meditanti increpavit. *Magna patientia*, inquit, *Patres conſcripti, per plures annos cæcitatem meam ſuſtuli; at nunc me ſurdum quoque optaverim, cum vos tam deformia agitantes conſilia prenſentiam, &c.* Nonnulli ſpecioſas quaſdam, ſed fallaces in remediorum applicatione graduationes conſtituunt, alia dicentes magna, alia vero levia. Et primo a falſo putatis levioribus incipiunt, deinde ſenſim ad meliora, ſi morbus non ceſſerit, aſcendut. Præſcribunt itaque (præſertim in morbis periculi plenis) primo purgationes, deinde phlebotomias, vel e contra; enemata iniiciunt, ſyrupos adhibent, & tandiu hæc omnia, veluti in Orbem repetunt, donec obſervaverint, vel non declinare, vel in pejus ruere morbum, & tunc ad remedia, ut ajunt, magna perveniunt veſicantia nempe copioſa, ſcarificationes, ſinapiſmos, purgantia fortiora, & hujuſmodi quampiura, per quæ ſi propoſitum ne quidem aſſequi poſſunt, ad expectationem criſis ſe tandem convertunt; nec interea erubeſcunt ab ea natura criſim expectare, quam tanta remediorum laniena, & methodo tam contraria vehementer perturbarunt.

VIII. Formulæ remedia præſcribendi mutandæ ſunt, pro varietate temperamenti, habitus corporis, ætatis, regionis, cauſarum antecedentium, &c. medicamenta deobſtruentia, quamvis generaliter omnibus obſtructionibus conveniant, modus tamen eadem exhibendi varius eſſe debet, prout diverſæ erunt circumſtantiæ ſupradictæ; aliis enim prodeſſe forma ſicca, aliis potabilis, aromatica, intus, aut extra exhibita, & ſic deinceps, &c. Nuperrime curabam Romæ Virum macilentum poſt tertianam duplicem lenta febricula, & tumoribus colli graviter affectum, lingua erat viſcida, alvus adſtricta; vigiliæ aderant cum urina rubicunda, &c. Ab aſſumto pulvere cachectico ex calybe ſemel ſulphurato, cinammomo, & ſaccharo ſimul mixtis, & cum brodio ſumtis, pejus habuit, venterque flatibus diſtendebatur. Quamobrem conſideratis, & ad invicem ſedulo relatis antedictis ſymptomatis deobſtruentia ex ſuccis depuratis cichorei, boraginis, & ſonci propoſui, quibus pluries repetitis optime convaluit. E contra alium ægrotantem pariter macilentum, quamvis prædictorum ſuccorum uſu a lenta febre liberaverim; obſervavi tamen, quod per eorumdem continuationem in ſudores nocturnos profuſiſſimos incidebat, a quibus demum evaſit ſuccorum uſu intermiſſo.

IX. Contra mortis imperium nil valet habitu martio incedere, nec contra morborum violentiam terrore diſputationum pugnare. *Sola remedia ſanant*, & ubicumque ſcientiæ ſubſtiterit infirmitas, ſola remedia pondus, & majeſtatem ejuſdem reſtituent. Nil magis igitur intereſſe ſaluti hominum puto, quam ut per manus Medicorum nova in dies detegantur remediorum genera, vel jam detecta ſolidis obſervationum præceptis efficacius muniantur. Phthſis ab ulcere pulmonum, vulgo pro incurabili derelinquitur, eo quia, ut ajunt, tale ulcus internum eſt, & occultum, nec ut alia externa ulcera mundificari & a pure abſtergi poteſt; ſed quare non id agant Medici ut inveſtigent ulceris ſitum, eoque detecto ſectionem inter coſtas inſtituant ut medicamenta introduci poſſint, rationem ſane non agnoſco. Elapſo ſeptennio cum eſſem Patavii, Vir quidam accepit vulnus in dextera thoracis parte ad pulmonem uſque penetraus, quod vulneris genus quamvis lethale ſit, Chirurgus tamen ſolertiſſimus ſectionem

nem inter coſtas fecit per longitudinem fere ſex digitorum, ut ſitum vulnerati pulmonis detegeret; eo igitur detecto per vulneraria firingationibus, & turundulis introducta, elapſis duobus menſibus perfecte cicatrizavit. Eandem propemodum ſedulitatem tentare deberent Practicantes in curando pulmonum Phthiſicorum ulcere, ne tanto artis dedecore, catalogus morborum incurabilium quotidie in immenſum augeſcat. Doctores Medici, mentis vires aſſiduis cogitationibus, & uſu acuuntur; ſocordia vero & deſperatione franguntur.

X. Si alicubi, certe in Medicina, multa ſcire oportet, & pauca agere: præſertim dum ad curationem morborum vel nimis acutorum, vel complicatorum deſcendimus. Delendumque eſt præjudicium nonnullorum ægrorum, putantium morbos felicius non ſanari, quam per grandia, & copioſa remedia: dum vero facilia, vel minoris impenſæ, præſcripta vident, vel dubia mente ſumunt, vel deſpiciunt. Ignarum vulgus! Quanti hominum diuturna morborum tyrannide, & fruſtraneo remediorum eventu delaſſati, cum naturæ demum ſe commiſerunt, & anheli pectoris pallorem, & longo ſqualore concretam faciem brevi receſſiſſe obſervarunt? Quanti negligentiæ horo, vel indulgentiæ temeritate ſanarunt, quos docta manus forſan enecuiſſet? Porro primi Orbis Incolæ, qui artis noſtræ Antiſtites nec conſuluere, nec coluere, quam ſalubrem duxerint vitam, teſtantur hiſtoriæ. Parcat igitur ignarum vulgus, parcant & Medici tantis remediorum formulis; nam ſæpiſſime quies lecti, & quies a negotiis, ipſaque demum a remediis abſtinentia morbum jugulat, quem uſus illorum fruſtraneus magis exacerbaret.

XI. Reſtaret demum Hiſtorico inveſtigandum, quomodo in nobis agant remedia; ſed quoniam res hæc altiſſimæ indaginis eſt, & a ſenſibus remotiſſima, non unius hominis dumtaxat, ſed alicujus generalis Medicorum cœtus negotium eſſet; ſiquidem ad illuſtrandum præſens argumentum multa petenda forent a Chymicis, Mechánicis, Anatomicis, Philoſophiæ demum naturalis, Experimentaliſque principiis, &c. Non diffiteor tamen poſt reperitas Medicorum cogitationes, & uſum nonnullorum remediorum, effectus clarius nobis hodie, quam antea veteribus conſtare: hoc igitur de ſingulis exoptamus. Ceterum cum tanta ſit hujus negotii difficultas, fatendum naturam taliter ſe gerere cum remediis, qualiter in foveam delapſus cum ligno a ſociis porrecto, ut egrediatur e fovea; lignum varie dirigit, modo ſcilicet ad dexteram, modo ad ſiniſtram, modo pedibus ſubſternendo, modo parieti figendo, modo manibus fortiter arctando; his demum, aliiſque ſituationibus diſponit, donec foris egrediatur. Remedium a nobis exhibitum, taliter interdum actuat natura, ut eo quandoque utatur in excitandis fermentationibus pene conſopitis, in ſecernendis noxiis humoribus, in deprimendis volatilibus, in reſerandis tenacibus, & ſic pro variis explendis indicationibus remedium illud arte quadam ſibi ſoli cognita diſponit, &c.

CAPUT XII.

Centaurus, ſive de Paradoxis Recentium Medicorum in deriſione Criſium, Dierum Criticorum, &c.

§. I.

INter reliquos abuſus, qui paucis ab hinc annis creverunt, eſt deriſio criſium, dierum criticorum, motuum morborum, per dies pares, aut impares, aliarumque hujus generis obſervationum, quas priſca Medicorum gens, magno ægrorum commodo inſtituerat. Hanc veterum ſedulitatem duabus potiſſimum de cauſis deridet gens nova. Primo ob præconceptam falſam opinionem ex libris, qui tanta copia contra veterum ſapientiam hodie prodierunt, iis imbuta Lectorum mens fieri vix poteſt, quin antiqua dogmata vel falſa putet, vel genio ad ſæculi guſtum accommodato turpiſſima deriſione laceſſat, & ſub ficta veri ſpecie a vero quam longiſſime aberret. Secundo methodus curandarum febrium iiſdem fam liaris, cum ſpeculativa ſit, fallax, & pro varietate tum Hypotheſium, tum Medicorum ſemper varia, neceſſe quoque erit, ut motus naturæ in producenda criſi vel impediantur, vel perturbentur; quibus de cauſis, criticis naturæ motibus ex voto non ſuccedentibus, ſcientiam illorum tanquam inanem deident. Sed veniamus ad rem, atque ex defenſione veritatis a falſitate ſcientiam hanc tanquam præcipuum curandarum febrium fundamentum priſtino ſplendori reſtituamus. Concedunt itaque illi ipſi deriſores, ſanguinem eſſe de genere liquorum fermentantium, & dum febricitat, vel aliter ægrotat, iiſdem legibus cruditatis, ebullitionis & depurationis ſubjici, quibus ceteri liquores fermentiſcibiles. In his liquoribus naturæ lege cautum eſt, ut quiſque fermentationis & depurationis ſuæ motus determinatis diebus abſolvat, a qua quidem lege ne minimum eos recedere quotidie obſervamus. Diverſum enim eſt tempus, quod inſumit muſtum in depuratione perficienda, ab eo quod cereviſia, pomaceum, aliique liquores arte, vel natura producti. Idem de fructibus obſervamus, quorum ſinguli determinato dierum ſpatio ad maturationem perveniunt, & qualecumque demum adhibueris artificium, ut ante ſtatutum a natura tempus vel fructus, vel liquores alii fermentiſcibiles maturationem abſolvant, fruſtraneum propemodum erit, & vanum; ſiquidem eos ad corruptio-

ruptionem potius, quam ad maturationem violentia illa dispones.

II. Si per eos sanguis febricitans in pluribus circumstantiis congruit cum reliquis fermentantibus liquoribus, cur etiam congruere non debeat in exercenda depuratione, coctioneque peccantis materiæ determinato dierum, aut mensium intervallo? Rationem sane non video, præsertim cum *Hippoc.* & experientia testibus certum sit, tertianas simplices septenis circuitibus sponte sua recedere, Ephemeram 24. horis, Sinocham quatuor diebus, accessiones febrium particulares statis horis, & sic deinceps de reliquis morbis, &c. Et adeo constans est naturæ ordo in perficiendis stato tempore humorum peccantium coctionibus, depurationibusque, ut nonnullæ febres, quantacumque contra eas adhibueris remedia, prorsus cedere nolint, nisi peractum sit præfixum illud a natura tempus, pro absolvenda despumatione; imo ab adhibitis purgantibus, febrifugis, aliisque medicamentis intempestive, & imprudenter, non solum exacerbantur, vel duplicantur, sed ad mortem quoque viam sternunt, ob maximam in humoribus excitatam confusionem, regularibus naturæ motionibus pene contrariam, sicuti in acutis, & intermittentibus febribus pluries observamus.

III. Hæc sanguinis febrientis stato tempore repurgatio, crisis vocatur; solemnis nempe naturæ machina, qua post emensos cruditatis, & ebullitionis terminos peccans materies veluti per institutam despumationem foris eliminatur. In Rusticis, & qui Medicorum opere non utuntur, jucundo sane documento hujusmodi crises, sive despumationes peccantis materiæ per sudores, alvi fluxus, urinam, aliasque naturæ vias perfici, & motu prorsus ordinato finiri videmus. Quorum omnium non ignarus *Hippoc.* & Conterranei Græci, adeo religiose præfatos naturæ despumantis motus prosequebantur, ut in curandis febribus pauca admodum remediorum genera præscriberent, ne per illa inopportune forsan data, moderamen interni Rectoris conturbarent. *Hippoc.* ipse in febrium præcipue acutarum curatione pauciss mis utebatur medicamentis, & si excipias lene vomitorium, clysteres, aut simile remedium, quod circa initia adhibere cogebatur, in progressu morbi ptisana ad morbi genium varie temperata contentus, & naturæ reliqua committens, adsidens illius spectator crisim expectabat, ut constat ex illius lib. de diæta acutorum, &c.

IV. Quamobrem mirari desinant Practicantes, si hodie nec frequenter, nec perfecte succedant crises, uti olim in Græcia; siquidem illi græcarum legum vel ignari, vel obtrectatores, a principio morbi ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis, aliisque imprudenter, & intempestive exhibitis medicamentis, fere conficiunt ægrotantem; ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti ad criticæ despumationis negotium stato tempore disponantur; sed assiduis confusionibus agitati, loco criseos perfectæ in metastases præternaturales desinant; atque hac de causa nec criseos, nec dierum criticorum, nec aliorum demum naturæ motuum regulas ab Antiquis traditas in febribus observamus. Sed ajunt necessarium esse evacuantia medicamenta in principio præscribere, ut subducta portione materiæ peccantis minuatur morbus, & natura melius incumbat coctioni reliquæ. Hoc tamen contra experientiam est, siquidem evacuationes, quæ per initia, & crudo jam existente morbo succedunt, frequenter suspectæ sunt, & periculosæ; suntque, ut ait *Hippoc. judicatoriæ non decernentia*, nam nec morbi, nec symptomatum levamen exinde supervenit, sed major exacerbatio; per irritationem nanque fiunt, non per debitam naturæ separationem, idque potissimo cum eradicantia sunt pharmaca. Si igitur natura nunquam movet in principio morborum materiem crudam, tunc licet cum bonis succis confusam, multo minus ars ejusdem interpres & ministra hoc tentare debebit; quique Medici vel ignorantia, vel odio sectæ contrariæ id tentabunt, quo fortiora, vel purgantia, vel diaphoretica, vel alia hujusmodi medicamenta exhibuerint, eo majorem inducent in humoribus confusionem: cujus de causa, minima profecto a præfatis medicamentis succedet evacuatio, vel si magna, in perniciem erit, symptomata augebuntur, & morbus vel in longitudinem, vel in interitum desinet. Contra ab iisdem medicamentis, vel minima quantitate datis circa finem coctionis, non solum maxima succedit evacuatio, sed ea cum levamine symptomatum, & Patientis. Verumtamen ne omnia uno calceo metiamur, fatemur revera dari nonnullas febres, in quibus nulla expectata coctione peccans materies statim eliminanda sit per sudores, aliasque vias naturæ magis accommodatas, tum quia malignitate peccat, & sanguinem ad fatalem coagulationem disponit, unde ex diutumiori ejusdem in humoribus mora mors acceleratur, tum quia ab alimentis pravæ qualitatis, aliisque hujusmodi causis producta forsan fuerit; inter quas numerari possunt Epidemiæ contagiosæ, & malignæ, in quibus omnibus cunctatio pernicios a est, solent enim celeriter ægrotantem jugulare &c. Dicunt nonnulli necesse esse purgantia in principio exhibere, ut educantur cruditates e primis viis ibidem a cibis nimia copia indigestis cumulatæ, & ignem morbo fomitem subministrantes. Sciant hi tamen cruditates primarum viarum sponte sua d ge-

digeri, vel potius per medicamenta ſtomachica, & fermentorum digeſtivam vim acuentia, & roborantia, non vero per imprudentem catharcticorum uſum, quibus in maſſam ſanguinis magis magiſque inſinuantur, morbumque aut augent, aut fovent; unde ne quidem in hoc caſu purgantia juvant in principio.

V. Quamvis ordo naturæ in abſolvendis rerum effectibus conſtans ſit, & perpetuus, quandoque tamen ab occurſu contrariorum adeo interverti ſolet, ut coſtantiam illam ſemper eadém non ſervet, ſed variam pro varietate occurſuum. Veritatem hac in criſium negotio præ ceteris obſervavi; ſiquidem cum elapſis annis per varias Italiæ, & Dalmatiæ Urbes peregrinatus eſſem, ſeverioremque hac de re obſervationem inſtituerem, didici tandem, quod criſes licet ſint conſtantes naturæ motus, variare tamen ſoleant, prout variæ ſunt medendi methodi, varia anni tempora, regiones, vitæ genus, temperies ægrorum, & ætates, &c. Brumali tempore ſucci vitales humani corporis tum ob frigiditatem ambientis, tum etiam ob uſum ciborum craſſioris ſubſtantiæ, lenteſcunt aliquantulum, & ad motum celeriorem ineptiores evadunt, cumulatis interim in maſſa ſanguinis ob impeditam magis tranſpirationem copioſis impuritatibus. In tali ſanguinis ſtatu, & tali pariter anni conſtitutione, accenſæ febres longum temporis intervallum conſumunt, in abſolvenda perfectæ criſeos deſpumatione, imo ob antedicta partium craſſarum etherogeneaermque copiam inſigni confuſione afficiuntur humores, & hac de cauſa ad deſpumationes naturæ regulares difficulter perveniunt; tunc temporis quoque febres non ita acutæ ſunt, nec ad celerem depurationem faciles, uti ſolent eſſe æſtate. Eadem pariter de cauſa in frigidis, paludoſis, & Septentrionalibus Regionibus raro criſes perfectæ obſervantur, ut Germani, aliarumque frigidarum Regionum Medici abunde teſtantur. His igitur in caſibus indulgendum aliquantiſper medicamentis paulo calidioribus, digeſtivis, & roborantibus, quibus natura veluti exhilarata, tantum in humoribus excitet motum, quantus requiritur ad depurationem ſtato tempore, & perfecte abſolvendam. Apparente autem Verno, & Æſtivo tempore in Ruſticis & pauperculis, Medicorum ope raro utentibus, poſt inſtitutam (ſi oportebat) phlebotomiam, tenuem victum, & diluentia prudenter, & juxta acutiei morbi indigentiam præſcripta, paucis interjectis diebus per ſalutarem ſudoris, urinæ aut alvi criſim febres illorum acutas, inflammatoriaſque ſoluras vidimus. Vere namque, atque æſtate, cum ab aucto aeris elatere, auctaque exinde inſenſibili tranſpiratione, humores fiant agiliores purioreſque, ſcoriæ morboſæ iiſdem confuſæ, ac velut incoctæ celerius quoque extricantur, coquuntur, & per ſubſequentes criſes foris eliminantur. Hoc idem de calidis Regionibus reſpectu frigidarum, de temperamento calido, & juvenili ætate, reſpectu humidi, ætatiſque ſenilis, & ſic deinceps, ſentiendum erit.

VI. Antedictis pariter de cauſis in Græcia, & Aſia criſes olim feliciter procedebant; aer enim talibus Regionibus circumfuſus, & orientali plagæ proximus, cum ingenti prædictus ſit puritate, tenuitateque, non ſolum vina, & reliqui telluris fructus perfectam maturationem cito, & feliciter attingunt, verum etiam ipſa ſanguinis maſſa craſſioribus, & impuris aeris particulis non fœdata, ſed ſumma gaudens agilitate, puritateque a morboſis particulis, quibus febriliter efferveſcit, per inſtitutas naturæ criſes celerius liberatur, quam fiat in aere craſſiori, paludoſo, & frigido. Igitur quo Regio erit calidior, anni tempus pariter calidum, & aer circumfuſus tenujor, ac purior, eo citius perfectiuſque abſolventur criſes in morbis acutis. Hæc tamen omnia ad criſeos felicitatem fruſtranea, erunt, niſi ea adhibeatur medendi methodus, qua cum Græcis ſuis uſus fuit *Hippocrates* Medicorum Romulus; hic diuturna edoctus praxi, naturas eſſe morborum, præſertim acutorum medicatrices, in illorum curatione poſt præſcripta pauciſſima in principio morbi medicamenta, dum res ad ſtatum tendebat, a remediis prorſus abſtinebat (dummodo tamen morbi genius & malignitas id permitterent) & omnia naturæ committens, ſecurus criſim expectabat. Hodierni vero Practicantes talium præceptorum aut obliti, aut contemptores, non ſolum aſſiduis remediorum formulis pene conficiunt ægrotantem, ſed morbum natura ſua benignum in claſſem chronicorum aut lethalium redigunt.

VII. Illæſa, uti opinor, verecundia fateri poſſum, me inflammatorias febres præſertim varioloſas, poſt ſectam venam (ſi tamen nimius febris ardor, impetus humorum ad caput, aut alia viſcera, & alia cauſæ hiſce analogæ eamdem expoſcerent) per tenuem victum præſcriptum, & diluentia prudenter ac tempeſtive ordinata ſæpius feliciſſime curaſſe; neque quiſquam variolis laborans de vita periclitatus eſt, dummodo eumdem præfata methodo tractaverim. Eamdem quoque methodum in reliquis continuis acutiſque adhibeo; talia enim, tantaque inter initia præſcribo remedia, qualia quantaque ſufficiunt ut ſanguis febricitans intra debitos fermentationis limites coerceatur: dum vero morbus ad ſtatum vergit, tunc ſedulus ſpectator naturæ reliqua committo; & ab illius oraculo pendeo, qua progrediendum via mihi ſit, in eliminando peccante humore cocto jam, & deſpumato:

vixque

vixque fateri possum, quam jucunda delectatione per hanc methodum observaverim febriles accessiones leniter, & amice sese excipere, tempora sua juxta præscriptos naturæ ordines percurrere, ebullitionem febrilem naturali ordine semper procedere, nec furentibus symptomatis, aut intempestivis exacerbationibus remediorum perturbari; crises denique; sive despumationes singularum accessionum, necnon despumationes generales circa finem morbi adamussim absolvi. Contra vero dum continuo remediorum usu naturæ opus perturbabatur, omnia in deterius ire conspiciebam;

Finis Libri Secundi.

GEORGII BAGLIVI

Medic. Theoric. in Romano Archilyc. Prof. Soc. Reg. Lond. Acad. Imp. Leop. &c. Socii

SPECIMEN

QUATUOR LIBRORUM DE FIBRA MOTRICE, ET MORBOSA;

In quibus de Solidorum ſtructura, vi, elaterē, æquilibrio, uſu, poteſtatē, & mōrbis diſſeretur; nec non de duræ Matris conſtructione, elatere, æquilibrio, & in ſingula quæque ſolida oſcillatione ſyſtaltica.

Et obiter de Experimentis, ac Morbis Salivæ, Bilis, & Sanguinis; de Statice Aeris, & Liquidorum per obſervationes barometricas; & hydroſtatica, ad uſum Reſpirationis explicata; de circulatione Sanguinis in Teſtudine, ejuſdemque cordis Anatome,

CLEMENTI XI. PONTIFICI MAXIMO.

GEORGIUS BAGLIVIUS.

DIVINO sane consilio, CLEMENS XI. Pontifex Maxime, contigit, ut bonæ artes, atque doctrinæ, quæ vel a summis ingeniis vix comprehenduntur singulæ, Menti tuæ sese universæ præbuerint. Etenim quia ætate nostra Litteræ publicæ jam cultura ita deficiebant, ut paulatim exarescerent, atque languerent; summus fuit inter Mortales humanarum, atque divinarum rerum moderator, & arbiter ex omnibus Doctrinarum studiis excitandus, qui cum suprema Sacrorum potestate curam etiam susciperet studiorum; ut secundum res divinas mirabili providentia tua septas, atque munitas, etiam scientias, quæ ad Divinitatem proxime accedunt, veluti e solo erigeres, ac sinu complexuque tuo foveres. Cujus excelsi operis initium Sanctitati Tuæ fuit instituta dudum instauratio Romani Archigymnasii, quo assidua, & quotidiana docendi opera, quam Juris interpretibus fel. rec. Innocentius XII. injunxerat, etiam rei Medicæ Professoribus imperata, revocare conaris veterem splendorem illum, atque Studiosorum frequentiam, qua simul cum Urbis gloria universum etiam Italicum nomen apud transalpinos homines miris laudibus attollebatur. Quod sane tuum sapientissimum consilium cum in Reipublicæ, tum etiam in Ecclesiæ Universæ utilitatem auguror esse cessurum. Etenim unde litteræ, inde etiam simul affectiones, & mores arripiantur. Quamobrem Exteri ad hanc Urbem doctrinarum causa confluentes, ex ipsomet Fonte

Religionis una cum doctrinis pietatem etiam haurient virtuteſque Romanas, quas domum afferentes Eccleſiæ Catholicæ ditionem, & Sedis Apoſtolicæ gloriam ſcriptis, exemplisque ſuis in ævum amplificabunt. Cui ſane operi a te feliciter inchoato, Nos etiam, qui in eodem Archigymnaſio Pontificia beneficentia fruimur, decet omne noſtrum navare ſtudium, ac non ſolum præfinitum, atque ſolemnem laborum curſum ſtrenue obire, ſed etiam tempus vacationis ita traducere, ne noſtrum ſit otium prorſus ignobile. Quo nomine hanc de Fibra Motrice, nec non de Solidorum Morbis, Vi, Elatere, Æquilibrio, & Reſiſtentia diſſertatiunculam a meis feriarum lucubrationibus nuper ſelectam, in lucem iterum tradere, & Sanctitati Tuæ ſacrare decrevi; non ut dignum tanta majeſtate donarium, ſed ut argumentum ſit Exteris ingentis beneficentiæ tuæ, quæ etiam in meum ſterile ingenium depluens, fœtum excitavit arti Medicæ ſtudioſis neque ut ſpero injucundum, nec prorſus fortaſſe inutile futurum.

*Et ſane ſi Exteræ, atque Eterodoxæ gentes ita virtutibus tuis incredibili ubique Terrarum fama diffuſis capiuntur, ut Norimbergæ vix dum nuntiato mirabili proximorum Comitiorum exitu, Magiſtratus permiſſu nummus * in Sanctitatis Tuæ cultum fuerit excuſus; quid Nos facere oportet præſenti Virtutum tuarum imagine, ac voce, ad æternam felicitatem directos, ac beneficentia tua enutritos? Meque inter alios ab ea nuper ex minori ad ampliorem docendi gradum, nempe ad Scholam Theoricæ Medicinæ translatum? Quocirca ſi unquam antea, nunc maxime animus meus ad majora ſtudia capeſſenda prægeſtit, pudetque ſine aliqua ſpe victoriæ, obſequio, & cultu erga te certare cum Exteris. Nec me tenuitatis meæ cognitio deterret: tantam enim ſpem in benignitate tua locavi, ut quam mihi gratiam a Te labores mei promereri nequeunt, eam ardore voluntatis, atque animi contentione confidam initurum. Qua ſpe cum munuſculo me ad Sanctitatis Tuæ pedes advolvo, eoſque humillime, ac venerabundus exoſculor.*

Romæ pridie Nonas Novembres MDCCI.

* Hoc numiſma Norimbergæ cuſum, ante omnes vidit Auctor Romæ apud nobilem, & eruditum Virum Marc. Ant. Sabbatinum, & apud ſolertiſſimum Dom. de Ficoronis.

BIBLIOPOLA ROMANUS LECTORI.

PRodiere nonnulla ex hiſce Opuſculis Peruſiæ elapſo anno Jubilæi 1700. in formam epiſtolæ in 4. quam Amici ſuaſione Auctor noſter conſcripſerat. Et cum per paucorum haberentur manus, & deſiderarentur a plurimis, tum ea, tum quæ de novo nunc addidit Auctor, in unum cogere libellum, Typiſque elegantibus dare, commoditati tuæ ſatisfacturus volui. Specimen hic habes de Anatome, natura, uſu, effectibus, & morbis ſolidorum, rem profecto incultam hactenus ad uſum redactam. Et cum hæc ſolidorum Theorica ab experimentis, & naturæ obſervationibus petita ſit; commode inſervire poterit pro Theorica Praxi ejuſdem Auctoris e Bibliopolio meo, meiſque impenſis anno 1696. menſe Novembris primum emiſſa. His fruere, & Vale. E Bibliopolio in Foro Paſquini.

SERIES

Librorum, & capitum.

Præfatio in ſpecimen quatuor Librorum de Fibra motrice, & morboſa.
Animadverſiones in Practicem novam.
Animadverſiones in Theoricam veterem.
Specimen Libri primi de Fibra motrice.
Caput I. De Fibrarum origine, & diviſione.
Caput II. De variis modis fibrarum ſtructuram inveſtigandi.
Caput III. De partibus, quæ fiunt ex fibra carnea, & iis, quæ fiunt ex membranea.
Caput IV. De origine motus ſolidorum.
Caput V. De comparatione motus cordis, & duræ matris; ubi de duræ matris ſtructura, elatere, reſiſtentia, impulſu, & poteſtate in ſolida, & fluida corporis animati. Item de membranarum motu ſyſtaltico, & reflexivo.
Caput VI. de æquilibrio ſolidorum cum ſolidis, ſolidorum cum liquidis, & liquidorum inter ſe, hujuſque æquilibrii vi, poteſtate, uſu, & cognitione Medicis ſummopere neceſſaria ad bene medendum.
Caput VII. de variis Fibrarum effectibus, & primo de magna vi, elatere, & reſiſtentia ſolidorum.
Caput VIII. de motu ſyſtaltico, ſive de oſcillatione, & vi contractili ſolidorum.
Caput IX. De mira propagatione oſcillationis fibrarum, ejuſdemque inter ipſas continua permutatione ad remotas quaſque partes.
Caput X. De conſenſu ſolidorum jure originis, vicinitatis, uſus, & communicationis officii.
Caput XI. De irritatione ſolidorum; ſive de ſtimulis, & variis ſtimulorum affectibus.
Caput XII. De laxatione ſolidorum, & variis ejuſdem effectibus.
Specimen trium reliquorum Librorum, De Fibra motrice, & morboſa.
Caput 1. De morborum ſucceſſionibus.
Caput 2. de Præſagiorum originibus, uſu, methodo, & certitudine.
Caput 3. de conſtitutionibus annorum, & temporum, aeriſque influxibus inveſtigandis, ac perdiſcendis, ad morbos dignoſcendos, curandos, &c.
Caput 4. De morbis incurabilibus ex ignorantia Medicorum, & ex impoſſibilitate naturæ.
Caput 5. De morborum occaſionibus.
Caput 6. De vita ſalubri ad centum, & plures annos perducenda.
Caput 7. De apparatu, & diſpoſitione humorum ad morbos ſuſcipiendos, ſive parvis magnorum initiis.
Caput 8. De patientia ægroti, & medici ad bene curandum ſummopere neceſſaria.
Caput 9. De ciborum delectu, ſive de methodo curandi morbos quamplures, ſine opere remediorum.
Caput 10. De morbis venereorum.
Caput 11. De occultis, & lethalibus viſcerum varicibus, aneuriſmatibus, & hydatibus.
Cap. 12. De mutando aere in longis, & difficilibus morbis.
Caput 13. De febribus meſentericis; opus novum non a lectione librorum, ſed ab obſervatione naturæ petitum.
Caput 14. De methodo curandi morbos quam plures muſica, ſaltatione, equitatione, navigatione, venatione, ruſticatione, debitoque ſex rerum nonnaturalium uſu, ſine inutili remediorum acervo. Ubi de diæta Pythagoricorum.
Caput 15. De anatome, natura, & uſu pinguedinis, morbiſque ab eadem pendentibus.
Caput 16. De natura, & uſu ſalivæ, ejuſdemque morbis.
Caput 17. De uſu, & abuſu diluentium, & oleoſorum, qui nunc apud Noſtrates maxime vigent.

SERIES

Diſſertationum.

Diſſert. I. De anatome fibrarum, de motu muſculorum, ac de morbis ſolidorum, &c.
Diſſert. II. De experimentis circa ſalivam, &c.
Diſſert. III. De experimentis circa bilem, &c.
Diſſert. IV. De experimentis circa ſanguinem, nec non Canones de medicina ſolidorum, &c.
Diſſert. V. De morborum, & naturæ Analogiſmo, de vegetatione lapidum, & de terræmotu Romano anno 1703. ac Diſſertatio varii argumenti, &c.
Diſſert. VI. De anatome, morſu, & effectibus Tarantulæ.
Diſſert. VII. De uſu, & abuſu veſicantium.
Diſſert. VIII. De obſervationibus anatomicis, &c.
Epiſtolæ Varii argumenti ad Praxim ſpectantes, &c.
Santorini opuſcula quatuor ad præſentem materiam ſpectantia. I. De ſtructura ac motu fibræ. II. De nutritione animali. III. de hæmorrhoidibus. IV. De catameniis.

PRÆFATIO
IN SPECIMEN
QUATUOR LIBRORUM
DE FIBRA MOTRICE, ET MORBOSA.

CERRIMUM judicium fons, & caput eſt bene medendi, atque ex multis, quæ ad optimum conſtituendum Medicum requiruntur, ſummum eſt prudens animi ſenſus: quæ veluti quædam eſt brevis, & compendiaria via, qua diſcimus & recte, atque acriter de medicina judicare, atque in morbis gravibus, & implicitis pauca quidem, ſed tempeſtiva remedia adhibere. Id ſane non modo diuturnis ſtudiis, ſed etiam præcipua quadam ingenii dote divino beneficio accepta comparatur. Quare nihil Medico eſt bona mente optabilius, cum qua verum a falſo diſtinguere noſcat; ſine qua aut omnino deflectet a ſigno, aut illud nonniſi ſero, per labores, & ſtudia attinget. Quamobrem non ſine admiratione obſervaveris, plures Medicos naturali ſolertia deſtitutos, quo plus in arte, atque uſu Medicinæ verſantur, eo longius abduci ab eadem, majoribuſque tenebris turpiter involvi. Alios contra felici ſydere natos, artem, uſumque ratione vincentes Medicinæ penitiores receſſus brevi tempore aggredi, & penetrare, rectumque de ea ferre judicium. Quo præditi naturæ beneficio, vel in ipſo ætatis flore oſtendunt culmen ſibi nullum eſſe impervium, & inacceſſum, vanamque reddunt nonnullorum canitiem ob ingenii inopiam, erroribus, & caligine plerumque obrutam, & irretitam.

Præterea cum ars Medica ex obſervatione, atque ratiocinatione coaleſcat, obſervatione ad conſtituenda præcepta bene medendi, ratiocinatione ad evolvenda morborum phænomena, abſtruſioreſque illorum cauſas inveſtigandas, ut opportuna remedia adhibeantur, qui communis ſalutis, Hominumque utilitatis erit cupidus, de Theorica Medicina ex Geometriæ legibus judicabit; quoniam ex ejus regulis homo, reſque creatæ omneſque diſponuntur: in praxi deinde regimen ſumet a diuturna, conſtanti, diligentique obſervatione, qua ſibi via propoſita, neque in Theorica, neque in Praxi multum aberrabit. Quam ob cauſam intuemur noſtra hac tempeſtate recentiores Medicos de phænomenis morborum aperte diſſerere, cum eadem Geometriæ legibus accommodant: nec minus perſpicue ipſorum curationes dijudicant, cum firmiter inſiſtunt obſervationis legibus ab *Hippocrate* detectis, aut aliis qui viam ab *Hippocrate* indicatam capeſſerunt.

Quoniam igitur paucis admodum a natura tribuitur rectus hic animi ſenſus: acerrimum hoc judicium, cum res poſtea oſtendat, multorum praxim in hoc unice conſiſtere, ut partes, morbos, & remedia, verbo tantum noſcant, reipſa tamen neſciant. Ut re vera proficere poſſimus, neceſſe eſt, ut quiſquis ille ſit, vel cum hominibus eo ſenſu, natura præditis, atque donatis verſetur; vel eorum lectioni ſe tradat; qui ſua integritate judicii, & nativa felicitate veritatem evolverunt. Cum igitur ipſe longo meæ peregrinationis tempore varia Noſocomia, & Univerſitates Italiæ, Dalmatiæ, &c. perluſtraſſem, ingenium in phyſicis experimentis exercuiſſem, libroſque multos recentium, & veterum Medicorum lectitaſſem, unde optimam diagnoſticam, prognoſticam, & curativam aſſequerer, fateor me ex ea multiplici lectione parum utilitatis collegiſſe; quia cum peculiari quadam diligentia, fide, & methodo explanandæ ſunt ſingulæ morborum circumſtantiæ, ut a natura infuſæ, non autem improbo labore acquiſitæ videantur. Hujuſmodi rerum inopia, eorum multos temere judicantes, & ex quadam audacia meditandi diſſerentes obſervavi. Alios, Theoricæ cum Praxeos legibus confundentes, & ex unius legibus naturam alterius æſtimantes. Alios veterum dicta repetentes. Tandem paucos admodum inveni naturæ veſtigiis inſiſtentes boni aliquid proferre; etenim deſtituti firma illa, quæ ad moborum pertexendam hiſtoriam, quæque ad occurrentes difficultates perferendas neceſſaria eſt, patientia in medio curſu deficiente, aut a naturæ veſtigiis ultro deflectente, more aliorum, voluptati ſpeculationum ſeſe conceſſere. In actionum omnium initiis alacritas ingenii ſumma eſt, vires integræ, judicium acutiſſimum, ſed hæc vix ſufficiunt: neceſſe enim eſt, ut eadem animi contentione, ſtudio, diligentia ad finem uſque rem perducamus perficiamuſque. Profecto certum eſt facile quempiam

errare poſſe in tam multiplici viarum flexu, qui ſeſe offert in contexenda morborum hiſtoria: ſed patiens in obſervando methodus, methodus artium norma, & rationis magiſtra occurrere huic malo poteſt, difficilia expediendo, obſcura declarando, ardua explanando. Multa ſæpe tantum habent difficultatis diviſa, ut omnem elidant intelligentiam, quæ tamen ſuo ordine diſpoſita fiunt facillima.

ANIMADVERSIONES

In Practicem novam.

I. CUm igitur compererim hac via me nunquam ad optatum exitum fuiſſe perventurum, miſſis ceteris libris, totum *Hippocratis* me ſtudio tradidi, aliquam bene medendi rationem inde aſſecuturus. Et cum eum non ſemel relegiſſem, & prope memoriæ mandaſſem, proprio marte volui in Italiæ Noſocomiis dictorum illius periculum facere, nec ſine admiratione deprehendi Doctrinæ illius veritatem tanquam ex Tripode prodeuntem: cognovique illum demum eſſe verum Artis medicæ Ducem, Magiſtrum, & Auſpicem, diuque hanc veritatem expertus liquido cognovi, raro illum in Ægrotorum curatione aberraturum, qui omnes *Hippocratis* textus memoria comprehenderit, deinde noverit illos ſimul componere, compoſitoſque conferre ad curam, in quo certe tota Praxeos Sapientia conſiſtit. Si autem obſtiterit morbus aliquis incurabilis; *Ægroti quippe omnes ſanari non poſſunt, Medicus enim Dei potentiam anteiret, verum dolores ſedare, morbos intercipere, atque obſcurare Medico fas eſt*, ut ait Aretæus *lib. 1. diuturn. morb. cap. 1.* exitum ſaltem tunc prævidebit, divinabitque, unde maximum honoris ſuſcipiet. Igitur qui hac ratione *Hippocratem* adhibebit, optime profecto, feliciterque medebitur, etiam ſi partes quaſdam alias, & ſpeculativas Medicinæ diviſiones ignoret, quæ ſunt propemodum oſtentationes vanitatis, non peritiei in medendo. Hæ ſunt delitiæ Hippocraticæ, Tyrones mei, quarum epulis ſoli fruuntur, & ſaturantur, quibus diſcendi ſtudium eſt ab uno *Hippocrate*, cujus quidem quælibet ſententia veluti ſenatuſconſultum litem componit in arduis morborum curationibus, modo ipſas, ut optime optimus animadvertit *Duretus fol. 203.* modo inquam ipſas Medici attentiſſimis legerint animis, & intellexerint, uti ſore confido, ſi cum benignitate ad diſcendum acceſſerint. Bona enim inter Medicos opinionum diſſenſio eſt peſſima voluntatum; ſed præſtantiſſima eſt rerumque omnium ab Ægroto expetendarum præcipua par ſtudiorum, & opinionum conſenſio, quæ quidem lucet, ſplendetque in iis potiſſimum, qui ſapientiæ Hippocraticæ ſtudium diu attentiſſime coluerunt. Certe cum *Hippocratem* lego, idem occurrit animo, quod Senecæ in lectione Q. Sextii Stoici ſui temporis celeberrimi. Epiſtola enim 64. ſic ait Seneca de Sextio. *Quorumdam ſcripta clarum tantummodo nomen habent, cetera exanguia ſunt. Inſiſtunt, diſputant, cavillantur; non faciunt animum quia non habent. Cum legeris Sextium, dices; Vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiducia. Cum lego hunc, libet omnes caſus provocare, libet exclamare: Quid ceſſas fortuna? congredere, paratum vides &c.* Hæc profecto adamuſſim omnia mihi reſpondere videntur cum *Hippocratem* lego. Quod cum probe cognoviſſet *Duretus*, ſic loquitur fol. 267. *Fremant licet omnes, dicam tamen quod ſentio, majorem ſcientiæ, & praxeos ubertatem comparari a ſtudioſo Hippocratis uno die, quam ab iſtis pragmaticis uno ſæculo.* Omnes laudant *Archimedem*, ſed pauci legunt, lectumque intelligunt. Opus *Hippocratis* divinum, & admirabile ab omnibus Medicis dicitur: ſed vix e ſexcentis unum reperies, qui ſatis pro merito illud amplectatur. At videri volunt omnes, ne in ſuſpicionem ignorantiæ cadant, ſe habere aphoryſmos ad manum, dum eorum unum, aut alterum præcipitata mente, ut fere fit, nulloque judicio in medium proferunt. At hi cum ad praxim monita, legeſque *Hippocratis* volunt conferre, in contrarium tendunt. Etenim cocta, incocta, matura, crudaque ſine diſcrimine habent. Naturæ pepaſmos, ſive coctiones intempeſtivis curationibus interpellant, turbantque; & nutantes adhuc, ac ſpei dubios ægrotantes præcipitant, ſummaque in rerum confuſione verſantur. Præter jus, faſque defectis viribus cruda movent, & ea evacuando nunquam deſiſtunt, donec penitus exhauſti ægrotantes ſuprema obeant. Quibus ego cauſis impulſus optabam, ſic præſcribi certis legibus medendi rationem, ne Medicis impoſterum locus impune peccandi ſupereſſet in hominum detrimentum, & perniciem.

II. Tyrones Medici, ſtudioſus ipſe utilitatis veſtræ, cui meos dico labores, non abs re iſta prædico: quicquid enim loquor, mihi uſu eſt comprobatum. Unde ad perpetuum vos hortor *Hippocratis* ſtudium: ſolus enim oſtendere potuit, quid ſit ſapere, & cum laude in curandis ægris verſari. Ediſcite illum quæſo, & pro ingenio vobis divina beneficentia tributo ad opus, & praxim illius præcepta redigere ſcitote: confido enim vos nunquam ſpe, atque opinione veſtra fruſtratum iri. Si tam mira ipſe edidit in ægrotis curandis, fundandaque arte noſtra ad præcepta obſervationum circa ægrotantes ſine novorum inventorum cognitione: multo melius vos tanto poſt ipſum tempore nati, & cum tanta ſtudiorum, quæ diebus viget noſtris, facilitate, ejus veſtigia prementes proficietis, ſed temen

citra

citra nimiam erga res novas anxietatem, & laborem.

Pauca ſunt curandis morbis neceſſaria remedia, ſi morbus curam recipit; ſi vero fuerit incurabilis, uſu remediorum vires acquiret, ægrotumque conjiciet in diſcrimen; incongruis enim remediis digeſtionis facultas extenuabitur, & comparabitur in dies novus morbo fomes ad ægri detrimentum. Cum febres, aliique morbi in longum protrahuntur tempus, nulla eſt ratio medendi melior, quam Pharmacis abſtinere, adhibito tantum convenienti victu, quo foveatur natura, nec digeſtionis vis attenuetur. Ita multos convaluiſſe comperi.

In morbis acutis, atque inflammatoriis paucis opus eſt remediis; ſatis enim fuerit viam obſervare diligenter, qua natura exitum tentat, curamque eo perducere naturæ obſecundando, alioqui ægrotum peſſumdabitis: mutationes enim morborum inſignes, ſeu in melius deteriuſve fiant, judicia nominantur, quibus videlicet jus dici ſolet de controverſiis naturæ adverſus morbos.

III. In Chronicis pauca remedia requiruntur, cujuſque ſint generis, quæ parti affectæ conveniant, quaſi ſpecifica. Semper tamen in morborum diuturnitate conſulendum eſt digeſtionibus, alioquin victu incongruo, atque remediorum copia morbus evaſerit incurabilis.

In Febribus univerſalibus, ideſt quæ ipſo de ſanguine ſuſcitantur, non admodum laborandum eſt circa partem affectam, ut inde curativæ deducantur indicationes. Febrium ſiquidem primordia, parteſque affectæ in iiſdem nobis plerumque latent, & ſi umquam patent, oportet indicationem dirigere ad conſtitutionem maſſæ ſanguineæ febricitantis, potius quam ad ſophiſticam ſpeculationem cauſarum Proximarum, aut quæ in febribus primo primæ ſunt, quæ noſtræ aciei minime ſubjiciuntur. Ideo ſi primæ viæ ſint obductæ, eæque egerendæ, atque expurgandæ fuerint, danda opera, ut febrium fomes tollatur; ſi vero ſanguis febricitans ſit exaltatus, & vehemens, ejus reprimendus eſt impetus; ſi nimis craſſis humoribus irretitus, atque coagulatus, exaltetur, ac diſſolvatur. In hiſce enim tribus præceptis omnium prope illarum febrium cura verſatur, quæ ortum non ducunt ab organi læſione, verum ab humorum congerie, aut in ipſo ſanguine, aut in primis viis. Et cum ad criſim natura vergit, aut eas jam exciverit, tum a remediorum copia tanquam a peſte cavendum. Ex odore quem ægri ſpirant, ſoleo ſæpe utrum morbus facilis vel difficilis, brevis vel diuturnus, vel alterius generis futurus ſit, judicare.

In ægris qui morituri ſunt, nonnullis ante mortem diebus ſolet, dum pulſum tangimus, ab eorum exhalare corpore fœdus quidam ac veluti cadavericus odor, qualem ſpirant in Templis cadavera; ut ſæpe obſervavi, & velim ut ſerio animadvertant Medici.

In morbis inappetentia ſignum eſt longi, aut periculoſi morbi, ut ſæpe vidi. Vidi quoque ſingultus frequenter excitatos ex nimio ſtibii diaphoretici abuſu. Pulvis Cornachini felicius adhibetur in corporibus laxiori fibrarum compage præditis, quam duriori, ut non infrequenter animadverti. De morbis pulmonum etiamſi peritus in arte ſis, vel cenſearis, noli cum jactantia practice de illis differere, vel facilem promittere curationem. Acuti namque licet curabiles ſint, derepente temen ægrum jugulant, Medico ſtupente, ac ne cogitante. Chronici vero derepente quoque necant, curatuque difficillimi ſunt, & ſi curantur, non ab ignaris, ſed ab acerrimo præditis judicio curantur. Quæ præcepta ideo hic inſerenda, deſcribendaque duximus, quia eadem in praxi vera eſſe comperimus; idcirco Juvenes hortor ad alia invenienda, ut praxis medica, quæ jam miſere languet, opprimitur, & populis fere riſui eſt, novis obſervationibus, & novorum operum exploratoribus, majeſtate qua decet conſtituatur, & ornetur: nec non etiam ut Medicus ipſe non amplius Græcis vocabulis armatus carniſex, ſed humanæ ſalutis Reſtitutor, & Cuſtos cenſeatur. Majores noſtri, quos hodie Galenicos nuncupant, multa invenerunt, plura tamen inveniſſent; niſi multa, quæ adhunc ignorabant, ſe ſcire putaviſſent. Si enim a Galenicorum medicina hac illud obſervationum demas, quod in incunabulis ipſis Græcia dedit; reliqua ſunt erroribus, & præjudiciis ita ſuperſtructa, ut omnino immutanda videantur.

IV. Humana vita nutritur, & coaleſcit ſpiritali aura, quæ anatomico cultro haudquaquam ſubjicitur. Minimum quoddam, quoddam, inquam, minimum, unde morbi ortum accipiunt, integre percipi, neque intelligentia poteſt comprehendi, eoque minus redigi in poteſtatem anatomicæ artis; atque ſi alicubi, certe in explorandæ cauſa morborum primoprima, & proxima Virgilianum illud apprime quadrat,

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Incumbendum eſt igitur, & obediendum præceptis divini Senis totidem ſed nunquam ſatis repetitis, aliiſque, quæ ab *Aretæo*, antiquioribuſque Galenicis practicis tantum, & Obſervatoribus accepimus, ex iiſque regenda morboſorum cura ut in tuto locentur. Quamvis non deſint, qui omni prorſus antiquitate contemta, irriſaque conſtantia Textuum *Hippocratis*, per abuſum quemdam inſpecta urina, pulſuque perfunctorie explorato, tamen compoſito bene vultu, totoque corpore ad ſummam hypocriſim, vanitatem ambagibus refertiſſimam pro veritate oſtentant. Hinc nihilo.

hilominus audaciam infelix morborum exitus plurimum detegit, aperitque.

V. Qui Medicinæ ſe dedit, ſi optimæ praxis eſſe velit ſtudioſus, non erit diſtrahendus vanis quibuſdam Doctrinis, & artibus, ab ea prorſus alienis. Cum enim ſumma ſit hujus difficultas artis, curari nequeunt morbi, niſi Medicus ſuam omnem defigat mentem in expendendis minimis circumſtantiis, retinendiſque Textibus *Hippocratis*, iiſdemque, ut ſupra retuli, comparandis, componendiſque, & ad morbos referendis. Quique id negligit, ac proprio ſenſu ductus, ſcientias, eruditioneſque alias impenſe conſectatur, recte prædicendi, feliciterque curandi fiduciam omnino deponat. Mens enim aliis cogitationibus abducta, vacare nequit morbis, quorum curatio totam abſorbet hominis mentem. Imo non ſine admiratione cognoverit vetulum aliquando, rudemque Medicum vix latinam callentem linguam: prudentem vero ac diligentem, & in *Hippocratis* operibus diu verſatum; efficacis alicujus remedii uſu, opportuna, ac tempeſtiva prognoſi, nihil ad ægroti curam deſideraturum ex eruditorum Medicorum ætatis noſtræ varietate doctrinarum, linguarumque peritiam. Quid Medico, Tyrones mei, diſputare confert de veſtibus priſcorum Arcadum, de ſcuto Achillis, de Pileo Serum veterumque Brachmanum, ſimilibuſque nugis, quibus tumet animus, non proficit; ſi moritur interim æger, de cujus morbo tam concinna, tam eleganti conſultatione nuperrime diſſeruit? Doctores Medici, perampla ſunt medicinæ ſpatia, major animus, vita brevior, tempus pretioſius, quam ut in ſterilibus hiſce, & nunquam profuturis tempus impendamus.

ANIMADVERSIONES

In Theoricam veterem.

SED miſſa tantiſper neceſſitate bene medendi ex obſervationum legibus, & Coi Senis præceptis, res monet, ut meum Lectori ſenſum aperiam ſuper hiſce tractationibus, quas ſum editurus, cauſamque proferam, quæ me ad hoc opus adegit, quod Praxi a me de Novembri 1696. editæ pro Theoria deſerviet.

Inter ceteras vero cauſas potiſſimum fuiſſe ſtudium de Juventute bene merendi, ipſiuſque, & publicæ utilitatis bono viam ingredi paucis hactenus tentatam, de Solidorum natura, vi, & poteſtate producendis in morbis, animadvertendi plura, & explicandi, ex iis quæ mox dicemus, clare conſtabit.

Dum igitur meo more *Hippocratem* laſſi dua percurrerem, obſervavi in morborum curis ipſum nihil magis præcipere, quam Balnea, Fricationes, Exercitationes, Unctiones, Uſtiones, Inciſiones partium uſque ad oſſa, Ablutiones, Capitis Purgationes per ſternutatoria, ejuſdem Lotiones, Vellicationes, Suctiones, ac hujus generis remedia in ſolidis corporis humani partibus rem ſuam exercentia, quoniam in iis proxime adhibentur, non autem in fluidis, niſi ſolidorum ope; nondum rationem horum aſſequebar. Mihique ſæpenumero cogitanti quorſum, morbo in fluidis exiſtente ſæpiuſque latente, admoventur remedia iſta, quæ aut vix conveniunt fluidis, aut tantum ope ſolidorum quibus imprimuntur; per os etiam, ſi Helleborum excipias, & frequentem ſeri uſum, & lactis in morbis plurimis, pauca alia remedia adhibeat: noſtriſque temporibus, veluti exemplo ſuo ducti Indi, & Orientales fere omnes curant morbos uſtionibus, & acuum puncturis, teſte Domino *Tenrine*, & Doctiſſimo *Alpino lib. de medic. Ægypt.* Hæc, inquam, mihi cogitanti in mentem venit ſuſpicio optimum Senem, arcanam aliquam foviſſe in animo ſpeculationem de ſolidis, quam Poſteris aperire abſtinuit: quoniam de morbis, vi, & poteſtate ſolidorum curſim aliquid attigit: atque ad eam ſpeculationem præfata remedia conformaſſe. Et quia in antiquis, recentioribuſque ſcriptoribus de cauſis morborum tractantibus vix aliquid mihi de ſolidis occurrit, ſed tantum innumeræ circa fluida nugæ, & ſomnia ſeſe obtulerant, mecum conſtitui in hac ariditate materiei, nondum noſtris Doctoribus familiaris, meo marte uſum obſervare, vim, & poteſtatem ſolidorum in corpore viventi tum ſano, tum morboſo, idque per experimenta fibræ motricis viventium animalium, & potiſſimum patienti, conſtantique obſervatione circa ſymptomata ægrotantium. Illud enim mihi in animo firmiter hæret, aliter detegi non poſſe uſum, vim, & poteſtatem ſolidorum unius partis, niſi notatis, & obſervatis accidentibus, quæ ibi deprehenduntur, cum morbo eſt affecta: nemo ſi quidem noverit melius uſum, atque ſtructuram unius viſceris, niſi cum a morbo, veluti ſcyrrho, aut obſtructione fuerit vitiata: deſcriptiſque antea morbi ſymptomatis, viſcus deinde, ſecto cadavere, diligenter examinetur.

II. Hac igitur opinione ductus, me totum tradidi ſymptomatibus malorum obſervandis, taliumque ægrotorum cadaveribus aperiendis; mirumque in modum mihi perſuaſi, majorem prope eſſe ſolidorum, quam fluidorum in procreandis morbis poteſtatem; ſummamque eſſe quamplurium Medicorum negligentiam, qui adhuc tam grave negotium ſine debita animadverſione prætermiſerunt. Cumque maxima pars morborum ab immodica gula proficiſcatur, erroribuſque in ſex rebus non naturalibus, ſicubi errores hujuſmodi non præceſſerint, & in corpus incidimus ſani temperamenti, cum ſuperveniant morbi extraordinarii, dolores nempe, fluxiones, convulſiones, calores interni &c. qui præſcriptis ex communi indica-

tione remediis minime cedunt, plerumque id solidi alicujus potius vitio, quam fluidi adscribendum existimavi. Cujus rei veritatem ex instituta cura illius solidi, quod morbosum suspicabar, agnovi; præcipue cum nullum se mihi offerret signum fluidi nervei, fluidi lymphatici, ulliusve fluidi vitiosi; nec signum digestionum læsarum; nullaque suspicio morborum hæreditariorum, aliorumve subalternorum ex principalibus pendentium. Id evenit Ægro decumbenti prope Thermas Philippi, quarum rudera adhuc conspiciuntur circa ædem divi Matthæi in Merula. Is gravibus, & longis Mesenterii doloribus cruciatus, irritis omnibus remediis periit 6. Maii 1696. Qua die Innocentius XII. Summus Pontifex petiit Centumcellas, ubi Navigantium beneficio aquæductus Trajanis aquis apponi jusserat. Hoc autem anno 1702. mense Novembris dicti aquæductus perfecti jam sunt, & absoluti. In ejus Ægroti cadavere Mesenterium invenimus aridum, siccum, durum, & quasi emunctum, & sine alicujus visceris læsione; nihilominus Æger edebat, dormiebat, sanumque colorem præferebat, ac vix ullo bonæ valetudinis signo carebat. Macer vero erat natura, siccusque; plurimumque foris, & extra urbem itineris peragebat. Itaque morbum illum solidi potius, quam fluidi causam habuisse duximus, cum parum differret a morbo illius mulieris, quæ ex calculo renis interiit, cujus Historiam infra describemus. Imo si exterius callus, qui non est, nisi schyrrhosa dirities Fibræ cutaneæ, ab nullo præcedentis fluidi vitio producta, gravia parit accidentia, dolores aliquando, inflammationes, quandoque si male habeatur etiam mortem; cur non & interius pars obdurata, callosa, & crispata propter depositionem salium, aut materiarum tartarearum creare non quiverit eadem, aut diversa accidentia a vitio solidi, perinde atque callus? & cur sicuti callus curatur solis balneis illum lenientibus, ita curari non poterunt præfati morbi usu balneorum, & diluentium, quibus contractæ fibræ relaxentur?

III. Nulla re vero melius cognoverimus vim & potestatem solidorum, quam capitis vulneribus observatis. Qui vulnus capite gerit sanus creditur, & sine aliqua læsione succi nervei, acidorum fictitiorum aliarumque commentitiarum molecularum in fluidis. Inibi sæpe observatur massa, idest medullaris pars cerebri putrida, sanieque plena, cum tamen Æger nulla patiatur accidentia Lethargi, delirii, convulsionum, aut similium. Idque observavi die 20. Aprilis 1697. qua præfatus optimus Pontifex Neptunum concessit mediocri, sed gravi comitatu, visurus Antii portum, suo jusso in veteris ruderibus restitutum. Habitabat æger prope templum olim Faustinæ, nunc divi Laurentii in Miranda in Foro Romano, prope forum, & Basilicam Cæsaris; huic capite laboranti non parum detraximus cerebri putridi, posteaque convaluit perfecte; nec umquam correptus est convulsionibus, gravibusque capitis morbis; meninges enim minime fuerant graviter tentatæ. Hic tamen transfixis, inflammatis, aut sanie interspersis, continua plurima oriuntur mortalia accidentia. Ideo vulnera musculorum temporalium, qui superius pericranio teguntur, (quod productio est duræ matris) plerumque gravia, plerumque lethalia. Quamobrem dum in nostratibus Nosocomiis in capitis vulneribus meninges tactas, aut vitiatas adspicerem, illico accedere observabam motus convulsivos, deliria, tremores, &c. Animadvertens, quod si capite vulneratis lethargi avertendi causa vesicantia adhibebantur, eos confestim pessum ire, uti superioribus annis tradidi, cum de vesicantibus agerem. Cum ex mea opinione delirium ex meningum inflammationibus oriatur, idque mihi ex tot resecatis cadaveribus constet, non miror, vesicantium usum nocere potius, quam prodesse delirantibus, uti ibidem adnotavimus. Cum enim delirium procedat a solido meningum irritatarum, crispatarum, & inflammatarum; cantharidum sal acutum, & causticum eo divertens magis irritat, augetque delirium. In eodem opusculo animadverti vesicantia magis obesse viris, quam fœminis delirantibus, eo quod mulierum fibra mollior est, & flexibilior, & crispationi minus idonea, quam hominis, cujus fibra est dura atque tensior. Adeoque si delirium ab inflammatoria irritatione, crispatura, & contractione duræ Matris procedit, nihil tollendo eidem magis aptum, magisque utile deprehendi, quam emisso si opus fuerit sanguine ex salvatela, aut pedibus, balnea tepida, & emollientia ventri, pedibus, & palmis adhibere. Laxatis enim productisque fibris in partibus madefactis, ex mechanica necessitate consensus, & legum impulsus, laxari oportet, atque leniri, producique fibras interiores, contractas, crispatas, & quasi inflammatas, ita ut liber pateat transitus fluidis, proindeque minuatur delirium. Hanc fomentorum utilitatem sum in me expertus Bononiæ, mense Januario anni 1692. ætatis meæ anno 23. cum gravissime acuta febri, morboque capitis cum delirio ægrotarem.

IV. Interim quod fibra interior meningum sic affecta, crispet, convellat, contrahatque universum systema membranarum, & partes, ac viscera omnia, quæ fiunt ex membranis, quibus dura mater, qua originem trahunt, imperat, atque dominatur, id aperte colligitur ex accidentibus, quæ observantur, vel imminente vel ab actuali delirio, qualia sunt Hipochondria introrsum pergentia; ideo pluries *Hippocrates* docet, *Hypochondria suspensa delirium significare*. Item bulbus oculorum immobilis, & quasi saxeus, lingua balbutiens, & plerumque tumescens, arida-

aridaque, & ſicca, totumque corpus veluti tenſum, parumque flexile. Præterea ſemper præit gravis capitis dolor, ſuppreſſis tunc etiam ordinariis excrementis. Dum æger delirat, filtra omnia glandularum parum ſegregant. Imo liquido mihi conſtat, quod ſi capitis dolori adjungatur diminutio ſegregationis humorum in ſuis filtris, v. g. urinæ, ſudoris, ſalivæ, fæcum, tunc delirium adſtare præ foribus. Præcipue id evenit, ſi Medici utantur immodice Diaphoreticis, & Alexipharmacis igneis, ac vehementioribus, obtundendæ, ut ii prædicant, malignitati deſtinatis; quæ plerumque commentitia eſt, & falſa; ita ut multos non ea malignitas, ſed remedia illius cauſa propinata in graviusmalum, mortemque dejiciant: *Prudenti pauca.*

Omnia igitur præfata accidentia in delirantibus oriuntur ex interna criſpatura, & convulſione inflammatoria duræ Matris, quæ ſic affecta conſenſum poſt ſe trahit omnium partium ab ſe procedentium. Idque mihi maxime divinus perſuadet *Hippocrates*, qui plurimis in locis inculcat, Alvi fluxum ſupervenientem in morbis capitis ſemper bonum, quod in dies verum ego experior. Semper videlicet eſſe bonum ratione ſigni, & cauſæ; cauſæ nempe quia educitur portio morboſæ materiei; ratione ſigni, indicat enim laxari jam, molleſcere, & elongari ſolida interna, tenſa, criſpata, & convulſa, liberumque præberi tranſitum fluidis filtrandis. Quoties inſpexi capitis morbos, veluti dolores, vertigines, gravedines, convulſiones, uſu ſalium volatilium, caſtoreorum, ſpirituum cephalicorum, igneorum, in præceps ire, reddique incurabiles! Cum enim hi morbi non a commentitiis Medicorum acidis gignantur, ſed a ſolido tenſiori, & criſpato, ſicco, & convulſo, iis remediis criſpaturæ augentur, morbique in deterius ruunt.

Referam ergo quod de menſe Aprili 1701. (die decima hujus menſis optimus Pontifex Clemens XI. equo inſidens, incredibili concurſu populi e Baſilica D. Petri ad Lateranenſem conceſſit, captum de more, atque ſolemniter ſupremi Epiſcopatus poſſeſſionem) in quodam Presbytero accola Rupis Tarpejæ in Capitolio obſervavi. Is ſtatura exiguus, ſubniger, ſiccus, deditiſſimus ſtudiis Forenſibus, & in corporis, ac mentis motibus aſſiduus, de Auguſto ſuperioris anni magno æſtu graſſante capitis doloribus corripiebatur, validiſſimoque ligamine in nuca, accedentibus motibus convulſivis, & convulſionibus per omnes partes, ita ut aliquando redderetur immobilis, gravis, aphonus, & ob debilitatem concideret; initioque hujus morbi ſingulis prope diebus hiſce vexabatur accidentibus. In hoc ſtatu præſcripſerant Medici pulveres cæphalicos, ſpiritus, extracta calida, vinum cum ſaliva, extractum Hellebori, ſimiliaque vulgaribus Medicis conſueta: quibus redditus fuit protenſus, & ita toto corpore durus ac rigidus, ut vix a trunco differret. Hoc in ſtatu meam arceſſivit opem. Hiſque diligenter expenſis, morbumque oriri a criſpatura, & ſiccitate ſolidi certo deducens, & præter recenſitos errores Medicorum, plurimum ægro obeſſe autumans naturalem tenſionem, fibræque validitatem, quæ ſingulis quaſi momentis curſum liquidorum intercipiens, motuſque retardans eorum, mutato inter ſolidum, & fluidum æquilibrio cauſam morbo præbebat, juſſi, præmiſſa hac indicatione, ægro per 40. dies continuo Balnea univerſalia aquæ dulcis tepidæ, & totidem Aquæ Nuceranæ magna copia hauriendæ, ut eam per ſeceſſum redderet, aut per urinam, admixto interdum Syrupo violaceo, interdum macerationeſeminum lini, aut radicum Altheæ. Quibus remediis perfecte convaluit. Curavi ſimiliter ægrum pari morbo laborantem ad ſepta Agrippæ, hodie *Arco della Ciambella*; aliumque ad Hortos Lucullianos, vulgo *S. Andrea delle Fratte*: & tandem mulierem, quæ habitabat circa clivium Virbium, qua nunc aſcendimus ad Monaſterium S. Petri ad Vincula.

V. Tandem, ut prolegomena noſtra concludam, quæ velutiaditus ſunt ad breve hoc ſpecimen quatuor librorum de Fibra Motrice, & Morboſa; cum a primis annis, quibus animum ad Medicinam appuli, ſemper ſolidum præcipue ſpectaſſem, ejuſque vim, & elaterem, & poteſtatem in fluida; ne temere aggrederer obſcuram adeo rem, atque difficilem, ſermonem de ea inſtitui cum variis in Italia Medicis, ut conſilium ab eis acciperem, atque explorarem ceſſurumne ſit noſtrum opus in publicam utilitatem, & in artis noſtræ incrementum: ſed quoniam veteri more omnes fluidum accuſantes inveni, ab eoque ducentes omnium originem morborum, mecum conſtitui hoc argumentum proprio marte capeſſere, atque ad exitum perducere.

Hoc vero te ſcire cupio, Lector, me ſtatim in adventu ad Urbem anno 1692. familiaritatem iniiſſe cum D. *Trionfetto* Collega noſtro, & Domino *Pacchione*, cui potiſſimum ex multis colloquiis haſce meas cogitationes probari animadverti. Unde cum in Noſocomio Conſolationis Medicus eſſet ipſe ſecundarius, mihique per eum crebro obſervationum facultas fieret, ſæpius ſimul de experimentis a me factis ſumus collocuti, eaque ex reſecatis cadaveribus, morborum obſervationibus, & variorum animalium inſpectione confirmavimus. Indeque domi quiſque ſecum aſſidua meditatione, atque comprobatione opus pene abſolvimus. Quod amicus præfatus commentus eſt, id in lucem publicam brevi proferetur, me præſertim incitante, atque aſſidue urgente.

Quod attinet ad lucubrationes noſtras, memoria tibi Lector eſt repetendum, a prima noſtræ praxeos editione, ad extremum operis me ibi-

dem promisisse specimen de solidis, sub nomine Fibræ Motricis, & Morbosæ: neque prius fidem meam liberare potuisse per meas occupationes in praxi, & in Theatro Anatomico Romani Archigymnasii. Cum autem id opus a paucis tactum, a nemine vero integre peractum assidua morborum observatione, & diuturnis anatomes exercitationibus indigeat, cumque ex rationibus nuper indicatis integrum opus perficere nequiverim, volui hoc specimine occurrere expectationi tuæ, meque memorem promissorum demonstrare. Perficietur interea opus, cui in dies mentem concedo.

In quatuor distribuetur libros: duo pertinebunt ad solida corporis sani, duo vero ad solida corporis ægrotantis.

In primo libro de Fibra Motrice sana examinabimus fibram per se ipsam, sine fluido circumfluente. Dividetur in multa capitula, quorum quodlibet trahet post se paragraphos quamplures, atque etiam nonnulla corollaria, postulata, & propositiones ex eodem capitulo deductas. In primis capitulis differemus de Fibræ origine, structura, divisione, progressu, ipsiusque modo se dividendi in carneam & membraneam, & quomodo ex fibris carneis progrediantur omnes musculi, & fibræ musculares, quæ per viscera interspersæ inveniuntur. Quomodo membranæ ab se producant vasa, viscera, telas membranosas, & quidquid albarum partium nomine comprehendimus. Cumque musculares ad motum regularem dirigantur, membranosæ ad sensum, & ad motus oscillationem, rationem perscrutabimur, quomodo hæc duo fibrarum genera in partibus producendis munera sua conjungant, sensus, & motus æqualitate, atque proportione ad vitam necessaria, & quomodo ex ea æqualitate mutata plurimi fluant morbi; atque ex ordine fibræ structuram detegere pluribus modis curabimus: & primo quidem ope Microscopii, deinde per analogiam in variis Animalibus volatilibus, Quadrupedis, insectis, præsertim in piscibus. Item per infusionem ejusdem fibræ in plurimis liquoribus diversæ naturæ, minera-lis nempe, & vegetabilis: ac diligenter effectus describentur, qui se ostenderint, ut adhibeantur ad morborum cognitionem, curam; & Prognosim. Postea brevissime tractabitur de origine omnium partium Fibræ carneæ & membraneæ, de vi earum, tono, & resistentia, motu contractivo, aut oscillatione continua: de duobus primordiis horum motuum, quæ sunt dura mater per fibras membranosas, & cor per carnosas, id est per sanguinem inter eas varie currentem: æquilibrium inter duo solida, inter utraque, & fluidum universale, & particularia ex universali prodeuntia, ut mox videbis, Lector, in I. libri specimine. II. Libro considerabimus Fibram cum fluido, quod pone se fluit, non sanguineo modo, verum & nerveo, lymphatico, aliisque fluidis peculiaribus, ab universali derivantibus. Et sicuti in primo Libro solidum seorsim spectabitur, ita & in secundo inspicietur fluidum etiam separatim, sine mixtione legum solidi. Et ante declarationem cursus, & æquilibrii liquidorum descripta breviter structura cordis, investigabitur illius vis in impellendis continenter liquidis in orbem. Hæc mira cordis vis non tam oritur ex occulta facultate, aut robore cordis pulsifico, nec tam a sua structura, & firmitate fibrarum ipsius, quam ab æquilibrio, & proportione omnium solidorum, & liquidorum ad cor, & ad vim sui motus, ut reddatur facilior vis ejus in assiduis, quas edit motionibus, hoc est proportione solidorum in recipiendo, & impellendo fluido, quo fluere debet; in situ debito cujusque solidi, sive sit viscus, sive glandula, ut recipiat fluidum cum definitis impetus gradibus; proportione liquidi ad ipsum cor, hoc est quantitate necessaria liquidi universalis, & peculiaris, quæ sunt impellenda; fluiditate, & contactu minimo, necessarioque omnium particularum cujuscumque liquidi, fluxu, & refluxu æquilibratis, & in proportionem redactis in unoquoque, tam respectu sui, quam respectu cordis; quibus, aut singulis parumper tactis, aut mutatis, mutata, turbataque etiam statim cernitur vis, & motio cordis in impellendo sanguine, ut in quotidianis morborum symptomatibus observamus; ita ut non tam sit mirabilis cordis motio, & vis, quam est mirabile æquilibrium solidorum omnium, & liquidorum ad illud, unde oritur validum, & perenne robur cordis in liquidis impellendis. Quæ omnia non tam explicantur, & deteguntur severis Geometriæ legibus, quam prudenti observatione motuum in partibus, cum aliquo morbo quatiuntur. Itaque in homine febricitante observare est musculos ad motum ineptos, & prostratos languidos: contra vero sanguinem rapidissimum, & vehementem: unde arguimus, quantum sanguini accedit motus in Febri, tantum recedere a musculis, & aliis partibus. Et si ante morbum brachio tollebat quinquaginta libras, post morbum non tollet, nisi viginti. Plus illud quod deest musculis, ab ipso absorbetur sanguine. Unde ab observatione infirmorum corporum deprehendetur proprietas, & usus solidorum, & liquidorum in corpore nostro. Toto hoc lib. 2. breviter attingentur plurimi, differentesque motus liquidorum, Projectionis nempe, Progressionis, Inclinationis, Ascensus, & Descensus, Orizontalis, &c. atque ex ordine alii motus, quibus liquida alia sunt obnoxia, & quidquid fluidum solido conjunctum ad utilitatem animati corporis adfert.

Sicuti primis duobus libris patebit natura Fibræ seorsum, & cum fluido in statu naturali, idem fiet & in statu morboso. Duabus præcipuis affectio-

affectionibus fibra laborat; aut nimia Tenſione, aut nimia Remiſſione, ſive laxitate, ac flaciditate. Propterea ex duobus reliquis libris unus continebit morboſam tenſionem fibræ, vitio vel ſuo, vel fluidi: Alter vero flaciditatem vitio ſui, aut fluidi. Et quoniam tenſio plerumque obſervatur in morbis acutis, & flaciditas in chronicis: Tertio libro percurrentur omnes cauſæ, effectus, proprietates, curationes, & prognoſes in morbis acutis, atque inflammationibus in genere cum præceptis & ſuis cautionibus continua, diligentique obſervatione collectis. Quartus liber, & ultimus complectetur cauſas, effectus, proprietates, curationes, & prognoſes chronicorum longis obſervationibus expenſas, ſingulosque hujuſmodi morbos diligenter examinabimus, quando producuntur vitio fluidi tantum, & quando vitio ſolidi tantum: de quo opportunæ cautiones, ſigna, obſervationibus, atque rationibus approbata præbebuntur, prout ad præſentem Octobris menſem anno 1701. quo ſcribimus, a nobis factum eſt, nec ceſſabitur imposterum, niſi difficillimum hoc argumentum numeris omnibus abſolvamus. Quæ ſi faſtidioſis minus placent, palma eſt in medio poſita, & rectus melius agendi locus. Si bonis, & candidis non diſplicent, hanc ſolam noſtri laboris mercedem volumus. Quare ſit

SPECI-

SPECIMEN LIBRI PRIMI DE FIBRA MOTRICE.

CAPUT I.

De Fibrarum origine, & divisione.

CORPUS humanum instar circuli est quod principio caret, & fine. In tot partium plexibus, multiplicitate, varioque, ac pene incredibili earumdem progressu, difficile est certum reperire principium, ex quo singula suam ducant originem. Istius rei conscius *Hippocrates* magnus censebat non extare tale principium: verum partes a partibus oriri, illasque in alias definere. Scripsit siquidem *lib. de loc. in hom. n.* 1. & alibi etiam suis in divinis Operibus: *Mihi quidem videtur principium corporis nullum esse, sed omnia similiter principium, & omnia Finis, circulo enim scripto principium non invenitur.* Idem repetit *lib. de ossibus n.* 17. disserens de venis ipsarumque productione. Et quamvis quod spectat structuram, id verum esse arbitrarer: attamen si motum partium respiciam, ejusdem origo, processus, & finis latissime patent. Etenim cum hominis vita conflata sit ex assiduo, regulari, & æquilibrato solidorum, & fluidorum motu: ideo ne is invertatur duo obtinuit principia moventia, Cor nempe, duasque cerebri membranas, quæ ob præcipuam, qua constant, structuram ad instar alterius cordis, vel ex *Maiou* opinione alterius Diaphragmatis sunt origo, & centrum oscillatorii motus nervorum, membranarum aliarumque partium, quæ ex membranis componuntur, ut inferius differemus.

Quoniam vero hac ætate magna pars hominum experiri ingenium nititur; nihilque est adeo impervium, de quo judicium ferre non studeat, conatum, & industriam demonstrans, tum in abditis explorandis, tum in rebus obscuris illustrandis; idcirco quod apud reliquos plurimum valet, apud me peræque valebit desiderium, ist hæc partium principia adeo implicita, atque obscura perquirere, ac discutere assumam, ut verum earumdem fontem, vel saltem veritati consonum dignoscam. Origo igitur, & divisio Fibrarum ab observato humano corpusculo primis diebus, vel primis a generatione mensibus patefiet. Proinde in hoc capite examini subjiciemus, quæ *Aquapendens* in Italia ante *Harveum*, ceteroſque Recentiores in ovis incubatis, atque in animalium generatione horatim, dietim, & ab initio conceptionis usque ad partum primus animadvertit. Sed ante ipsum primus omnium *Hippocrates* magnus *lib. de natura pueri num.* 38. *Fol.* 18. docuit modum, quomodo gallinæ ova fovenda, subtrahenda, & confringenda sint ad pulli generationem investigandam, & cum humana conferendam: legatur hic aureus *Hippocratis* locus, nam lectu dignus est. Ea postmodum revocabimus ad trutinam, quæ *Harveus*, aliique Recentiores & apud nos, & extra Italiam de hujusmodi argumento differuerunt: ut analogice ab insectis, aliisque animalibus, originem, divisionem, & incrementum humanarum partium possimus dijudicare. Simplicissimorum profecto organorum structura in omnibus pene Animantibus una est, eaque simillima. Hinc videtur necessarium esse ab experimentis circa animalia rem primo ordiri, ut inde aditus pateat ad viscerum hominis cognitionem, illorumque functiones, & usum. Et licet ultima quædam minima partium oculus detegere revera non possit; ex comparata tamen ceterorum animalium sectione variisque experimentis universam machinæ structuram ex Fibris mire contextam mente quodammodo assequemur. In rebus enim arduis necesse est aliquando ut ea mentis operatione utamur, quam vulgares Philosophi abstractionem appellant, per quam res involutæ, & perdifficiles, proprietatibus ipsorum sigillatim expensis, nullo habito respectu ad cetera, omnes tandem clare, & gradatim menti inferuntur.

Itaque ut originem, & divisionem Fibrarum assequamur, abortum humanum post paucas a generatione hebdomadas, vel menses ejectum, investigabimus, ut colore, consistentia, plexuque multiplici accurate spectato, de iisdem in homine adulto aptius inde judicemus. Unde ex observatione circa animalium generationem, & ex resecato humano fœtu abortivo deducitur, quod ubi ovum fœcundatum in uterum receptum est, incipit illud sensim augeri, humores ab utero transudantes intra suas membranas recipiendo, & antequam fœtus lineamenta conspiciantur, bullam perlucidam instar chrystalli exhibet: In qua Bulla humor continetur instar albuminis ovi, & in eo humore nubecula quædam opaca conspicitur, quæ paulo post in confusæ quædam fœtus lineamenta desinit. Et quantum in corpuscu-

pusculis per abortum rejectis distinguere licet, apparet post quinque, aut sex a conceptione hebdomadas delineatio capitis, respectu ad totum corpusculum, ingentis certe magnitudinis; nec non delineatio spinæ dorsi, instar carinæ incurvæ, & colli filo non crassioris. Quæ omnia vix formicam excedunt, & innatant humori in ovo contento. Postea his adjiciuntur Pectoris, Abdominis, & extremorum lineamenta. Apparent sensim in facie ocelli, loco nasi, & oris albæ lineæ, cerebrum mucosum, cranium ex membrana coriacea, viscera abdominis, & pectoris vix dignoscuntur. Atque ideo totius hominis, aliorumque animalium machina primis his diebus mollis est, & lactis in modum fluida. Sensim indurari omnia incipiunt, & linguæ partes suo quæque loco distributæ per repetitas fluidorum circulationes distinctæ magis, ac circumscriptæ de die in diem manifestantur. Loco ossiculorum carpi, & metacarpi indigestæ cartilagines observantur; imo singula quæque totius corporis ossicula in fibras veluti membraneas facillime distinguuntur, quæ ossium fibræ desinunt in tendines, demum terminantur in musculos, quos componunt: Et ita quædam partes in prima ætatula magis sunt conspicuæ, quædam diversa se produnt facie, ac ætate adulta.

Examinato itaque fœtu in rudimentis humanitatis, perpensisque aliis animantibus, ex Recentiorum tam Nostratium, quam exterorum placitis, & inventis, decernemus hoc capite universas humani corporis fibras ad duo genera, membranacearum unum, alterum vero carnearum, sive muscularium reduci. Membranaceæ ortum habent a cerebro junctim cum pia, & dura Matre; carneæ a tendinibus; tendines ab ossibus. Et ut e simplicissimis organorum partibus ordiamur, clare demonstrabimus singulas quasque partes, præter musculos, tendines & ossa, nihil aliud esse, quam propagines, & productiones meningium cerebri, ejusque medullæ; quæ circulis, plexibus, & expansionibus, queis hinc inde in humano corpore ludunt, producunt viscera, vasa, saccos membranosos, ceteraque partes, præter musculos, ossa, & tendines. Demonstrabimus etiam musculos esse productiones tendinum, tendines vero productiones ossium: nam sicuti ex innumeris fibrarum stratis musculi componuntur, ita ex variis fibrarum stratis ossa ipsa conflantur; in marmoream tamen duritiem concrescunt per dispositionem partium salino-terrearum massæ sanguinis inter ipsarum spatia. Et ideo contingit, quod si dictæ partes salino-terreæ nimium a natura sua mutentur, & ab ea declinent, ipsorum etiam ossium duritiem, & naturam mutari, & ex duris mollia, ac pene membranea evadere, cujus rei exemplum extat apud Fernel. de *abditis rerum can. lib. 2. cap. 9.* his verbis. *Quod Ruellius non ità pridem litteris mandavit, id ipsi vidimus in milite, in quo ossa crurum, brachiorum, & femorum ex morbo tam mollia, & flexibilia evaserunt, ut ad modum cera facile sequerentur quocumque torqueres.* Apud Forestum *lib. 17. obser. 15. Sennert. instit. lib. 2. part. 1. cap. 4.* apud quos descripta etiam est curatio mollefactorum ossium usu balneorum aluminosorum naturalium, similiumque astringentium.

Ossa absceſſu corripi, & suppurari testatur *Alexander Benedictus hist. corp. hum. lib. cap. 6.* Dodonæus *annot. in observ.* Benivenii *cap. 18.* Pestis quæ ossa invadebat, & tertia die interficiebat, notata est a *Mercuriali.* Ipse quoque vidi mulierem prope Thermas Neronis, supra quarum vestigia domus est hodie Medicæorum in foro-Agonali in qua frequenter tubercula in osse menti apparebant; imo durante menstrua purgatione tumescebant ossa clavicularum, eaque desinente evanescebant. Tumorem ossium claviculæ notavi quoque in muliere paupercula in Circo maximo, vallis est nunc, hortorumque planities Aventinum inter, & Palatinum. Quando vero partes hujusmodi salino-terreæ in sanguine abundantes nimium inter ossis laminas deponunt, crystallizantur, & acriores evadunt: ossa facili causa rumpuntur, quod familiare Gallicis est, scorbuticis, &c. Et ob varium hunc salium massæ sanguineæ statum inter partes stagnantium, variam ipsis consistentiam inducunt. Ita membranæ desinunt in cartilagines, hæ in ossa, & ossa ob aliam sanguinis constitutionem, mucilaginis in modum mollescunt, tendines ossei fiunt, ut plures testantur Auctores. Et quid aliud est os, quod in corde cervi reperitur, quam portio, aut arteriæ pulmonalis, aut aortæ ossefacta?

Ab omnibus hujusmodi observationibus, atque ab experimentis super fœtu humano, aliorumque animalium generatione totidem expensis, hoc capite constabit duo superius enarrata fibrarum carnearum, & membranearum genera, duo etiam diversa partium systemata efformare, & in singulo eorum singularem esse ad partes consensum alterius ab altero dissimilem: idque ratione similitudinis substantiæ, & continuitatis fibrarum inter viscera, vasa, glandulas, parteſque quæ sunt propagines membranacearum fibrarum; inter ossa, tendines, & musculos, parteſque ex muscularibus fibris compactas; præsertim ratione Principii moventis unicuique systemati destinati. Fibris enim carneis cor cum sanguine, membranaceis meninges cum cerebro destinatas esse explicabimus: quod ad morbos solidorum a fluidis rite distinguendos, dignoscendos, curandos, & de iisdem præsagiendum quantum conferat, sequentibus capitibus in modum compendii declarabitur. Cum itaque corporis nostri solidum, vasorum contextum credamus; nam ex fibris, & glandulis, & vasis tota machina constructa est, totius mahinæ artificium

cium in ſolo vaſorum ad ſe invicem, & fluentium in his humorum reſpectu, ac conſenſione conſiſtit. Viſcera cum vaſis unum & idem eſſe crediderim in ſubſtantia: ea enim vaſorum extremitatibus ita ſunt continuata, ut uvæ botrus ſuo petiolo: & ſicuti acinus uvæ a ſuo petiolo, cujus continuatio eſt in tota ſubſtantia non differt, ita pariter viſcera, viſcerumque glandulas, & glandulas aliarum partium a membranacea vaſorum, quorum productiones ſunt, natura minime differre affirmaverim.

Explicatis his de Fibrarum origine, & diviſione generali, circa finem dicemus de Fibrarum differentiis, quæ ſuperveniunt a diverſitate ætatis, temperamenti, ſexus, vitæ rationis, climatis, & vario ſex rerum non naturalium uſu, ac abuſu. Molliores ſunt in mulieribus, quam viris; in Pueris, quam Adultis; in Gallis, quam in Italis; in Italis, quam in Hiſpanis, Africanis, &c. Aliæ ſunt duræ, criſpæ, tenſæ, vividæ, tenaces; aliæ ignavæ, fragiles, languidæ, laxæ, ac fere mucilagineæ, quæque ex peculiari ſingularum differentiarum affectione oriuntur bona, vel mala, & quidam veluti characteres operationum animalium, vitalium, & naturalium in corpore animato, id diligenter inveſtigare, ac explicare curabimus.

CAPUT II.

De variis modis Fibrarum ſtructuram inveſtigandi.

CUm igitur in primo capite abunde tractaverimus de Fibrarum origine atque diviſione; congruum eſt in ſecundo demonſtrare ſtructuram, ac minima, quæ in illarum compage occurrunt. Quod ut aſſequamur plures ſemitas inveſtigabimus, primo ſecando fibras animalium, quæ fame data opera interierunt; quorum fibræ, cum ſint exangues fluidique omnino expertes, minimam compagem nobis clare oſtendunt. Ita hoc anno 1701. in Anatomico Theatro minimam ſtructuram Fibrarum tum muſcularium, tum membranoſarum in Gallina, Cane, & Cuniculo, quæ fame perierant, luculenter oſtendi. Quorum animalium ſic eſurie pereuntium caro cultri inciſionibus faciliter ſuccumbit, & unguibus prope, vel acu poteſt ſeparari: Porro injectis in aquam ad ſeparandum fluidum ſanguineum, ut macerentur, Fibris, atque addito poſtmodum parum aceti, quo Fibrarum Filula duriora evaderent, & acus, aut unguium tactum valerent ſuſtinere, ſuper vitrum illas juſſeram diſtendere, ut textura deinde facilius ope microſcopii pateſceret. Attamen in ſecandis muſculis dictorum animalium obſervavi ſemper quod innumeri nervorum rami ſuper illorum Fibras oblique ſemper excurrunt, & oblique etiam ſemper eadem ſanguinea vaſa. Ut Fibrarum ſtamina, & faciles ſeparationes evidenter nobis contingant, non ſolum fame enecare animalia bonum eſt, verum etiam ligatis vaſis colli, veluti ſuffocatione eadem interficere, ad Fibræ ſtructuram detegendam, & minima quæque fila a ſe invicem deducenda, ut ſæpe mihi obſervanti optime ſucceſſit.

Facilis etiam erit negotii, ſtructuram, robur, uſumque Fibræ agnoſcere, eandem in liquoribus diſparis naturæ infundendo. Hoc igitur ſecundo Capite explanandas amplectemur obſervationes, & Fibræ effectus maceratæ in Vino, Oleo, Lacte, Aqua, Spiritu Vini, Aceto, Aqua ſalſa, Nitroſa, Aluminoſa, Armoniacali, Vitriolica, Aqua forti, & Aqua Regia; Lixivio e Cineribus diverſarum Plantarum compacto, ut poſt infuſionem hujuſmodi, Color, Conſiſtentia, Odor, Friabilitas, Tenacitas, Structura, aliaque poſſint deduci, quæ ad partium uſum, & ad Diagnoſtica, Prognoſtica, morborumque curam poſſint denique conferre.

At quandoquidem natura in rebus producendis eodem ordine, eademque methodo ſimpliciſſima procedit in ſingulis, ideo ad perquirendam genuinam Fibræ ſtructuram non abs re judicaverim obſervationes primo in cujuſque generis animalibus perficere; poſtmodum per analogiam, & gradatim aſcendendo ad hominis Fibram devenire; ſic enim facilius de hac poſſemus inconcuſſum ferre judicium. Siquidem inquiſitionis via infinitis pene ſemitis patet. Ab omni parte tentandum, mille modis inveſtiganda quælibet pars eſt. Caute ſecandum, attente experiundum, omnia in ſtatu naturali quantum fieri poteſt obſervanda; necenucleandæ parti certum, determinatumque tempus aſſignetur. Sæpius annus integer, aliquando plurium annorum ſeries conſumenda in inveniendis, quæ partium hiſtoriam illuſtrent.

Hac ratione, ut minima capillorum, pillorumque, quæ difficulter contrectari queunt, ſtructura mihi innoteſceret; ſuſcepi equidem ſuperioribus annis Herinaciorum, atque Hyſtricis ſpinas ad examen revocare; nam cum hæ quamdam pilorum hirſutorum, atque obduratorum ſpeciem præ ſe gerant, analogice ab iis ad pilorum ſtructuram perveniri poteſt. Et ſicuti Hyſtricis ſpinæ habent in radice quemdam veluti bulbum in ſubjecta pinguedine implantatum, in quo ſuccus nutritius ſpinarum præparatur: ſic pariter unumquemque pilum habere in altero fine radicem bulboſam, præfatæ non abſimilem, & in pinguedine, velut in amico, & alimentitio Solo implantatam, per quam ad totum pilum alimentitius ſuccus tranſmittitur, evidenter deprehendi. Qua de re ſuo tempore nonnulla

dicemus. Pariformiter, ut ſtructuram dignoſcamus Fibrarum cujuſque partis, determinata quædam animalia ſecare oportet, & inde per inductiones ad humana divertere. Idcirco ſi quis anatomiæ ſubjiciet cerebrum Leporis, vel Piſcis Thynni; talem profecto in hac anatome deprehendet Fibrarum congeriem, qualem nullibi aptius, nec apertius: Advertendo generaliter, quod in Piſcibus, cum Fibræ cerebri ſint ſolidiores, quam Quadrupedum, ideo ad experimenta conficienda magis conſonum erit, eaſdem adhibere.

Verumtamen ut Fibræ carneæ ſtructura facilius poſſit animadverti, inter ceteras carnes, Leoninam ad id aptiorem fore exiſtimo. Propterea, cum annis ſuperioribus, me Venetiis moram faciente, eveniſſet, ut Hyſtrionis cujuſdam Leo tempore Bacchanalium interiret, experimentum de hujuſmodi carnibus facere ſuſcipiens obſervavi, in Fibra muſculari adeſſe quamdam criſpaturam ita evidentem, & claram, quæ in aliis animalibus haud ita facile manifeſtatur; & uniuſcujuſque Fibræ filula adeo ſolida erant, ut nonniſi aliqua adhibita vi avelli poſſent, ac ſcindi. Imo artefacta poſtmodum Fibra, talem conſiſtentiam ac duritiam acquiſivit, ut fidibus Cytharæ, compactis ex animalium inteſtinis prope ſimilis evaderet.

Itaque ex ſtructura Fibræ horum animalium, fortiſſimis viribus præditorum, analogicus ad illam hominis fieri poſſet ſermo, & methodus inſtitui, quæ ad occulta detegenda conducat. Et quemadmodum in hujuſmodi animalibus magna vis oritur, non a fluido ſolummodo vitali, verum etiam a particulari ſtructura, criſpatura, & Fibræ validitate, ita robur, quod in Bajulo potius, quam in delicatiori Viro reſidet, non a ſolis oritur fluidis, quæ ſunt inepta in hujus generis hominibus, utpote e miſerabilibus cibis compacta, verum etiam a Fibra muſculari, quæ exercitio tenſior reddita, magiſque criſpata, evadit exinde fortior, atque aptior ad ſuſtinendum impulſum.

Igitur neceſſarium ducerem ſtructuram Piſcium conſiderare, & obſervare, an qui velocitate præceteris pollent, ut Delphinus, Thynnus, Xipias &c. duriores obtineant fibras, criſpas, & diſſimiles a Piſcibus tardioris motus. Et pari via in Animalibus terreſtribus incedere: etenim cum reſecaſſem carnes Leporis, Cervi, Damæ &c. valde rubras eaſdem inveni, ac duriores, quam in aliis quadrupedibus, videlicet Ovis, Canis, Vaccæ, & aliorum plerumque animalium, quæ ſunt pinguiora præfatis, iiſque minus velociter currunt. Aves pariter montanæ, & reliquæ ſylveſtres, quæ in continuo ſunt volatu, carnes habent macilentas magis, ſiccas, fibraſque duriores quam gallinæ, anates, & volucres domeſticæ motus tardioris, in quibus & major pinguedo, & laxior fibrarum tonus. Idem dic de Piſcibus, &c. Jure itaque poſſem deducere velocitatem iſtiuſmodi non tam ab eorum fluido vitali, quam a particulari quadam ſolidorum ſtructura pendere. Neque id in Junioribus dumtaxat, ſed promiſcue in omnibus animalibus tum maribus, tum fœminis, tum ſpecie differentibus, experiri debemus. Gradatim poſtea ab aliis circumſtantiis Fibrarum in animalibus obſervatis ad humanas argumentandum: uti etiam an partes illæ, quæ aſſidue, & majori vi agitantur, habeant tenaciorem ſtructuram, quam quæ rarius, & vi longe minori, &c.

CAPUT III.

De partibus, quæ fiunt ex Fibra Carnea, & iis, quæ fiunt ex Membranea.

IN duobus quæ præmittuntur capitibus Fibram prout Fibra eſt examinavimus. Eandem nunc tanquam radicem, & principium partium inſpiciemus. Duæ in humano corpore partes ſunt, quæ origine, uſu, & ſtructura inter ſe differunt; Fibræ ſcilicet Muſculares, & Membranoſæ. Cum autem a continua ſolidarum fluidarumque partium motione vita Hominis pendeat, tertium hoc caput dirigetur propemodum ad oſtendendum, comprobandumque Fibras motrices carneas, ſeu muſculares, originem ſuam ex Fibris tendineis, iſtas vero ex oſſeis deducere; omnes enim una, eademque continuatio ſunt, nec aliunde oritur inter eas differentia, quam ab earum uſu, cujus ratione muſculus mollis eſt, ruber, & plenus ſanguine, ut variare motum poſſit, & diverſimode ſeſe corripere, vel extendere, cum a ſe abigit, vel ad ſe oſſa attrahit. Oſſa vero, quæ ad inſtar ſtabilis fundamenti, ac baſis inſervire debebant partibus, neceſſarium quoque fuit, ut a muſcularibus fibris, quarum productio ſunt, & continuatio, marmorea quaſi duritie, & conſiſtentia differrent. Cum igitur Fibræ motrices, ſeu muſculares inſtrumenta ſint regularis, & ordinati motus, ſpectabimus primo, quibus in locis exiguo maxime numero inveniantur; ſcilicet ubi tantilla vi motrice opus ſit: deinde ubi frequentiores ſe produnt: tum in faſciculos hic minores, illic majores coactæ, & juxta ſe invicem poſitæ carnoſa ſtrata conficiunt: & ita gradatim procedemus ad muſculos, qui ſunt ingentes faſciculorum moventium faſces, quemadmodum funis ex pluribus conglomeratus eſt funiculis. Porro a ſimpliciſſimæ ſtructuræ muſculis ad compoſitiſſimos gradatim iterum tranſeundo, exhibere oportet, quæ diverſa ſit eorum pro diverſitate motus fabrica; hic carne brevi, illic longa; hic ſitu recto, illic ſpirali; qua ratione nunc bini,

nunc

nunc terni, & sic porro diversa etiam structura, ut junctis agant viribus, copulentur. Præterea quomodo tendines, quandoque cartilagines, & sæpe ligamenta constituant. Examinatis hoc modo fibris carneis, quæ musculos componunt, easdem postea in partibus membranosis sese inserentes, atque implicantes, in Intestinis scilicet, ut vesicis in vasis sanguineis, variisque aliis in partibus per Anatomicos recentiores perpendemus, hoc est duplicem motum, qui dictis in partibus alius a membranosis, alius a muscularibus fibris pendet; nec non causam propter quam natura eum constituit, & ejusdem inter sese Æquilibrium destinavit, diligentissimo examini subjiciemus. Qui enim simpliciter membranas considerat, usum omnes unum habere credet. At qui eas ad vasorum concavitatem efformandam ordinatas esse cognoverit, præter membranosam earum naturam, & munus, postquam vasa produxerint, alteram ab eis naturam assumi, alterumque illis munus superaddi fatebitur. Vasa itaque omnia, quæ sunt quidam ex fibris carneis, & membranosis contextus, & consequenter duorum motuum mixtio, duobus primaris motoribus, cordi inquam, & duræ Matri subjecta, absolutum, & ab aliis partibus, quæ subordinatæ vocantur, minime dependens systema conflare videntur, ac propterea matura inspectione, & examine, super omnes temporis huc usque lapsi Anatomicos vasorum natura, & usus illustrandus. Quinimo ob semper conicam eorumdem figuram, & ob mirabilem fibrarum sensitivarum, atque motricium mixtionem, motus in fluidis, impulsusque adeo reconditos a vasis excitari experiundo, ac meditando cognoscemus, qui cum cordis impulsibus nihil habeant communicationis, & commercii.

Et hoc quoad partes a fibra carnea productas. Quoad illas vero membraneas, quisquis omnes corporis tunicas membranosas, eorumque, nec non glandularum, viscerum, vasorum, & cujuscumque partis, quæ carnea sive rubra non est, structuram, colorem, continuationem, usumque attente perspexerit, eas partes omnes nihil aliud esse, quam duarum meningium, fibrarumque medullarium cerebri productionem, & continuationem, invitus etiam, fatebitur. Ut reliqua taceam, pro exemplo sit nunc par vagum nervorum, omnium latius expansum; nervus paris vagi, tam copiose per universum corpus propagatur, ut fere omnes partes ejusdem ramis gaudeant. Hoc autem proprium est etiam omni m nervorum, ut extendantur in ingentem latitudinem, & magnas membranas, licet truncus nervi sit summe tenuis: omnium enim præcipua ratio est in ingentem amplitudinem sese semper expandendi. Præterea cum juxta nonnullorum opinionem, nil aliud viscera sint, quam vesicularum, glandularum, & vasorum aggregatio: glandulæ vero ipsæ ex membranosis telis sint complexio, vasaque omnia membranarum propagatio, & extensio: monstrabit hoc tertium caput, quomodo nervi pullulantes, & in membranas innumeras sese expandentes primum telas majores, sacculorum instar producant, puta Peritoneum; mox alias ex illis, & alias, donec partium, quas vocamus albas, incipiat constructio, & compositio. Sic ex peritoneo mesenterium, omnes viscerum naturalium membranas, ureteres, exteriores uteri tunicas, & lata ejus ligamenta oriri fatentur Anatomici. Sic etiam ceteræ telæ membranosæ in alias subdividuntur, quæ in plures mox vesiculas se coarctantes, glandulas pariunt, & viscera, & ulterius magis contractæ, contortæque vasorum seriem conflant. His per anatomica experimenta, physicasque demonstrationes probatis, partes singulas, quæ ossa, musculus, & tendo non sunt, originem suam ex cerebro, meningibus, nervorumque propaginibus deducere concludemus; & jure originis, officii consensus, & societatis systema diversum facere ab illo ossium, tendinum, musculorum, qui jure originis, officii consensus, & societatis aliud etiam systema a prefato omnimode differens constituunt. Quæ singula, & singulorum motus, motuumque variæ inclinationes, & usus cum satis perpecta fuerint, & cognita, magno erunt in praxi adjumento difficiles deprehendere morbos, eorum effectus prædicere, & radicitus extirpare volenti.

CAPUT IV.

De origine motus Solidorum.

HActenus corporis partes solidas juxta earum originem, ac divisionem descripsimus. Eas nunc motu exercitas, & in actu impellendi fluida scrutabimur. Quamquam cerebrum omnium corporis animati motionum Dominum esse, ac Principem certum sit; cum & cor ipsum per transmissam ab illo irradiationem moveatur; nihilominus tamen quoniam videmus regularis, & ordinatæ motionis instrumenta nempe musculos, transmissa licet a Capite necessaria irradiatione, ad actum motus pervenire non posse, nisi per sanguinem, cordis irradiationem concurrere, propterea que duos esse Principes omnium partium motores, Cerebrum nempe, & Cor, probare curabimus. Eo tempore, quo movetur musculus, nulla fit in pulsu mutatio; ergo nulla & in corde. Quare fluidum a corde transmissum, fluidum est, quod ad motum concurrit sine quo musculus se movere non posset; non est tamen fluidum motionem ultimo, ac rite determinans; quod munus vel a meningibus,

vel a fluido quodam ab iis continua oſcillatione expreſſo præſtatur. At quoniam ſingulas in partes ad regularem motum deſtinatas fluidum ſanguineum, ac fluidum nerveum aſſidue concurrunt, eo quia aſſidue pulſant meninges, & cor, a quibus prædicta fluida exprimuntur; motus naturalis, & voluntarii diſcrimen non oritur ex eo, quod dicta liquida in dictas partes aliter influant, quam ſolent in partes ſubditas voluntatis imperio; verum ex differenti ſtructura partium naturaliter, & ſine voluntatis arbitrio ſeſe moventium, quales cor, diaphragma, inteſtina, & ſphyncteres ſunt, ut in hoc capite ſatis ſuperque monſtrabitur.

Motuum omnium Principium, & fons licet Cerebrum eſſe videatur, ut ex vulneribus, morbiſque Capitis ſane colligitur; per eos enim motrices actiones ſumme alterantur; utque ex animi paſſionibus fit, a quibus liquidorum, ſolidorumque omnium motiones ſupra modum turbantur; utpote ex aliis multis rationibus, pro hac ſententia certantibus videre eſt; in hoc tamen capite probare cogimur, quod ſupremum omnes movendi partes imperium, quamvis Cerebro datum ſit, immediata tamen poteſtas partim ad ipſum ſpectet, partim ad Cor.

Oſtendemus itaque cor, ob liquidum in partes ſanguineas, atque carnoſas ab eo immediate expreſſum, particularem ſuper iis poteſtatem, & a cerebro independentem habere. Contra quoque cerebro ob proprium liquidum, & propter originem, quam partibus membranoſis præbet, præcipuam ſuper iis poteſtatem, tam jure originis, quam jure motus, & nutritionis, competere crediderim. Et cum duo hæc partium genera a duobus diverſis pendeant motoribus, quod ſerio animadvertendum erit; earum altera cum ſuo motore ſyſtema ab altera diverſum conſtituit. Quod verum eſſe primo per nutritionem probabimus; omnes enim Recentiores arbitrantur, quod partes ſanguineæ ſanguine augmentantur, & conſervantur; ſpermaticæ vero, ſive membranoſæ ſucco albo, nerveo, ac nutritio. Probabimus ſecundo per diverſam morborum naturam, qui hujuſmodi in partibus omnino diverſis generantur. Quandoque enim ſanguineas partes vitiabunt morbi, nil reſpondentes morbis inter albas & membranoſas partes naſcentibus. Morbi, qui nerveis, & membranoſis in partibus fiunt, graves, periculoſi, & difficillimæ curationis ſunt, & fere ſemper capiti conſentientes; & quod ſane mirum, atque notatu dignum, nulla tunc temporis in partibus ſanguineis, in ipſo ſanguine, & in corde apparente mutatione. Porro vulnera, ulcera, tumores, & alia, partes nerveas, ac membranoſas gravantia, difficillime ſanantur; diverſa a partibus ſanguineis, & carnoſis remedia expoſcunt, in gangrænas facile deſinunt, & cum longum in tempus protrahuntur, morbi partium nervearum mutantur, ſive trahunt ſecum in afflictionem partes carnoſas, vel contra. Quare ſæpe in capitis percuſſionibus, puncturis, ac vulneribus, rigores, tremores, vertigines, gravitates aliaque id generis ad partes membranoſas ſpectantia obſervabimus: abſque eo quod ulla fiat in pulſu, in ſanguine, & in partibus carnoſis mutatio. Sic etiam carnoſas aliquando partes afficient morbi cum membranoſis minime conſentientes. Quod quidem non fieret, ſi omnibus abſolute in partibus ſolum cor, vel ſolum cerebrum imperaret. Quamobrem ſicuti hæc, & alia viſcera hinc inde appenſa, & collocata ſunt ad recipiendum varium cordis influxum, ideſt ſanguinem currentem cum tanto, & non alio gradu, ſive momento celeritatis, & impetus, ad ſecretiones varias liquidorum rite peragendas, ita muſculi hinc inde varie diſtributi, & appenſi ſunt ad recipiendum varium influxum pro motu. Ita demum tam viſcera, quam muſculi in ſuis quæque locis ordinata & affixa fuerunt, ad variam irradiationem a cerebro recipiendam. In hoc igitur capite, immediatum cordis imperium tam occaſione motus, quam occaſione nutritionis, & conſenſus ſupra partes carnoſas extendi; illud autem cerebri ſupra membranoſas, & ex iis compacta viſcera; ſupremum vero, & univerſale ſuper omnes, ſolius cerebri eſſe, idque non tantum per traſmiſſionem fluidi alicujus, quantum per continuatam oſcillationem ſuarum meningium ad ſingulas partes protenſarum concludemus.

CAPUT V.

De comparatione motus cordis, & duræ matris. Ubi de duræ matris ſtructura, elatere, reſiſtentia, impulſu, & poteſtate in ſolida, & fluida corporis animati. Item de membranarum motu ſyſtaltico, & reflexive.

EGimus jam de animati corporis Machina a ſolido, fluidoque compoſita, cui duos dedimus principales motores, cor ſcilicet, & duram matrem. Nunc quanta iiſdem ſit motoribus vis, reſiſtentia, & æquilibrium, ſive proportio motus, & reſiſtentiæ inter ipſos, & inter partes, tam ſolidas, quam fluidas, ſcrutabimur; Nec non utrum ſit major vis cordis ſupra vim duræ matris, vel contra. Et quoniam recentiores Anatomici, quoties de corde locuti ſunt, diligenter expoſuerunt quanta ſit vis, & reſiſtentia cordis, fluida in circulum promoventis, prout inter ceteros apud *Borellum* noſtrum videre eſt in aureo tractatu *de motu Animal.* nos parum in hoc divagabimur, totum fere ſermonis noſtri curſum dirigentes ad examinandum alterum majus animati corporis Mobile, ſcilicet duram matrem, a cujus motu motum cordis pendere, illique

que ſubordinatum omnino eſſe, pene auderemus aſſerere. *D. Pacchionus* cum eſſet Medicus ſecundarius in Noſocomio conſolationis plura ſæpe mecum anatomica experimenta exercebat, tum ſuper animalibus vivis, tum ſuper Hominum cadaveribus, ut ſolidorum corporis animati materiam nobiſcum una illuſtraret, ut ſupra retuli in prolegomenis; factis itaque experimentis, quam plurimis ſuper cerebro, & dura matre, ſæpe aſſeruit, duram matrem non eſſe Telam membranoſam ſimplicem, ſed ex tribus diverſis fibrarum ordinibus compoſitam, quorum alter ſuper alterum magno artificio extenditur, ac interſecantur adinvicem, horumque ordinum alter in ejus parte convexa, reliqui duo in ejuſdem concava obſervantur. Inſuper in parte interna, ſeu concava, quæ directe cerebrum tangit, & cerebellum, quoſdam obtinuit dura meninx lacertos fibroſos, ac valde fortes, & ſolidos, qui varias illius in partes expanduntur præcipue in latera, & in partem anteriorem ac poſteriorem falcis meſſoriæ, omneſque Fibrarum ordines deſinunt in ſeptis, quæ falx gignit, præcipue in illis, quæ cerebrum a cerebello dividunt, & aliis majoribus, quæ cerebrum, bifariam ſecant. Tota hæc Fibrarum, & lacertorum ſeries valde differt ab ea brutorum, in quibus difficilius etiam deprehenditur. Hominum enim cerebrum ſupra cetera pene animalia, habita partium proportione, maximum, & amplum, præ illis quoque tam rata, & evidenti Fibrarum, lacertorumque duræ meningis indigebat compage, ob varias, & multiplices ſenſationes, quæ in ipſo præ brutis debebant abſolvi. Nec aliquis objiciat, quod *DD. Villis*, & *Mauv* prædictas in dura matre fibras primi oſtenderint, ac proinde quod hæc aſſertio utilis certe, & corporum diſſectionibus comprobata nova non ſit, nec multum conſideranda. Nam quicumque *Villis*, & *Mauv* Opera legerit, videbit ſane prædictas Fibras ab iis detectas fuiſſe, at neque Fibrarum, neque lacertorum originem, progreſſumque oſtendi, & declarari, prout præfatus noſter amicus quam cito publicæ luci exponet; & nos etiam quamprimum publice dabimus cum figuris lacertos fibraſque varias meningis duræ ad vivum exprimentibus: nec non innumera experimenta terebrationis vertebrarum ſpinæ in animalibus vivis, & varia infuſione liquidorum per ſiringam in cavitatem ſpinalis medullæ, ut inde notentur effectus, qui naſcentur a vellicatis meningibus ſpinalis medullæ per dictos liquores acres, dulces, ſpirituoſos, acidos, &c. per quæ ſyſtema noſtrum de ſolidis magis confirmetur.

Conſideratis itaque in dura matre particulari hac fibrarum, lacertorumque ſtructura, quæ tota, uti cordis fibræ, ad conſtringendum, exprimendumque facta videtur, nec non ejus ſinubus, cavitatibus, & modo, quo cerebrum amplexatur, ac ſtringit, proinde ſequitur, quod ipſa jure quodam dici poteſt cor cerebri villis membranoſis compoſitum; qui villi cum criſpantur, & contrahuntur, totum id, quod poſitum eſt eis ad contactum, exprimunt, atque conſtringunt; ac propterea cerebri cor eam vocabimus potius, quam Diaphragma cum *D. Mauv*, ſicuti refert idem *cap. 4. de Spir. animal.* Quod autem nos movet, ut eam cor cerebri nominemus, præter allatas ejus ſtructuræ conſiderationes, præ ceteris eſt continuus ille, fortiſque motus ſyſtoles, ac diaſtoles, qui nudis etiam oculis, & ſatis evidenter in ea conſpicitur; deque ipſius mechanice, & analogia cum motu cordis pluribus, validiſque rationibus, & experimentis ſuo tempore diſſeremus. Qui tamen velit hac de re certior fieri, partem anteriorem cranii in puero recens nato inſpiciat, atque conſideret, ejus enim oſſa cum maxime mollia ſint, applicata ſuper eis vola manus vehementem, ac ordinatum ſyſtolis atque diaſtolis motum ibidem, qui a dura matre ſubſiſtente excitatur, obſervabit. Summa tamen cum admiratione elapſis annis hujuſmodi pulſationem nos vidimus in puero hydrocephalo laborante, recens nato, ad portam Latinam in Celiolo, nunc S. Jo. ante Portam Latinam, quo loci dicunt fuiſſe templum Honoris, & Virtutis a Marcello erectum tempore belli Gallici. Quo puero viſo ſtatim ſuſpicari cœpimus, quod dura mater fortes eos, atque ordinatos motus non efficeret per arterias, quæ in ipſa diſſeminatæ ſunt, verum per ſuam præcipuam texturam, quæ cum textura cordis æmulatione contendit. Nam examinato præfato triplici ordine fibrarum duræ meningis humanæ diu maceratæ in aqua, earumque varia inter ſe prope ſepta interſecatione, totam hanc fibrarum vim ad conſtringendum ſe ac criſpandum (uti cordis triplicis ordinis fibræ) factam eſſe, oſcillationemque hanc ad longinqua quæque ſpatia propagandam, fatebimur. Quicumque autem clarius Syſtolen, ac Diaſtolen duræ Matris per totam ejus ſubſtantiam optat percipere, obſervet quæſo capitis vulnera, quæ cum fractura cranii ad cerebrum penetrant, quemadmodum & nos in pluribus Italiæ Noſocomiis obſervavimus; & videbit univerſam duræ matris molem a vulnere detectam undequaque pulſare æqualiter, ac fortiter, non vero in illis ramulis atque ſulcis tantum, qui a parvis arteriis per eam diſſeminatis excavantur, quod non contingeret ſi duræ matris motus a parvis illis penderet arteriis. Et ſi vulneri motus convulſivi ſuperveniunt, in hoc caſu inexplicabile dictu quam fortis & evidens per totam duræ matris molem pulſatio appareat ſuis rite intervallis ſpatiiſque diſtincta, ut

revera cor pulsans videre credideris, prout elapsis annis doctissimus, & amicissimus noster D. *Matthæus Palillius* nobiscum una inspexit in homine capitis vulnus habente, qui decumbebat ad Templum Bellonæ: nunc Domus est Monialium S. Franciscæ Romanæ ad radices Capitolii ex parte, quæ respicit Domum professam Societatis Jesu. Nec non in vetula vulnerata ad Oratorium Divi Marcelli Via Quirinali, quæ respicit Flaminiam. Et quia necessitudo, quæ inter nos, eumdemque D. Palillium virum integrum, optimumque intercessit, summopere semper crevit, ex quo ipsum Papiæ, ubi erat Medicus, cognovi, varias fecimus una experientias super animalibus, variasque observationes super vulneratis in capite; ut certo perciperemus duræ matris structuram, usum, elaterem, ac potestatem supra solida, & fluida corporis; atque etiam ut scrutaremur naturam morborum in solidis, de quibus frequentia inter nos erant colloquia.

Sed ut evidentius hoc duræ matris ita ordinatus motus deprehenderem, plura feci super ovibus recens natis experimenta, illarum cranium subtilissimo cultro attollens, ubi non solum ordinatam, atque continuam seriem pulsationum spectabam in dura matre, sed etiam diversimode illam acubus tenuissimis pungendo, acresque liquores in eam instillando, utilissimas inde observationes deducebam, quarum plures idem D. Palillius elapsis mensibus mecum perspexit. Si dura mater a dextera pungeretur, in omnibus fere partibus convulsivi motus excitabantur, in ea præcipue vehementissimi, in qua ipsa pungebatur. Sic etiam si pungeretur a læva. Generaliter tamen labefactato post punctura meningis tono, confusio incredibilis in partibus omnibus infernis, tam sentientibus, quam se moventibus nascebatur, primo quidem in capite, deinde in reliquis. Alia quamplurima experimenta in hujusmodi Animalibus fecimus (valde enim ad id accommodata sunt, cum eorum crania tenerrima omnino sint, facileque cultro attollantur, pauca sanguinis effusione succedente, cum pauca etiam Animalis molestia; at in grandioribus duriori cranio præditis facta terebratione melius peragentur experimenta infusionis liquorum, punctura acuum, &c.) duram Matrem pungendo ferro, tum simplici, tum candenti, ut clarius perciperemus ejus vim, & imperium, quod super omnes partes, ac pene super ipsum cor habet, prout alibi dicemus. Ex hujusmodi observationibus consequenter deduximus, quod sicuti dura mater cranio suspensa cerebrum peculiari suarum fibrarum artificio amplectitur, stringitque, & in duas æquales partes ipsum dividit, sic etiam credimus, quod hæc divisio in cerebro ipso non desinit, sed per totum quoque corpus continuata sit. Et ex hoc fortasse principio oriuntur celebres illi partium consensus e directo, toties ab *Hippocrate* memorati. Inde etiam Paralyses, dimidium corporis exacte occupantes, ut aliquando dimidium vultus, dimidiumque cranii tantummodo occupent. Inde demum convulsiones, quæ in hominibus graviter capite vulneratis excitantur in corporis partibus, quæ directe vulneri respondent. De hoc autem plura dicemus in sequentibus capitibus, ubi de consensu partium tractabitur, examinata in opere magno duræ matris structura, variisque observationibus & experimentis super expositis, veluti per quæsita procedemus in investigando, & explicando, quis e duobus motibus, cordis nempe, ac duræ matris fortior sit, majorisque resistentiæ, necnon uter eorum sit altero prævalentior. Et insuper qua mechanice dura mater moveatur, unde suum habeat impulsum, & quem ad finem tam regularem systoles, ac diastoles motionem prosequantur. Ulterius an duræ matris systalticus motus jure originis, consensus, & continuationis propagetur quoque per partes membranosas ad viscera, glandulas, vesicas, similesque partes, a membranis, ac per consequens a dura piaque meninge originem ducentes. Et si propagatur, ulterius inquirendum quam ob causam singulæ hujusmodi partes occulte systolizant, ac ut ita dicam, diastolizant; aliaque id genus plura perquirentur, quæ ad æquilibrium, & proportionem inter hos duos motus, & sua principia moventia pertinebunt; adcitis, ac demonstratis etiam effectibus inde nascentibus, & præceptis, quæ pro Diagnostica, Prognostica, & curativa morborum deduci poterunt.

Quoad primum, variis duræ meningis adhæsionibus cum cranio & cerebro explicatis, distinctoque ipsius motu in naturalem, atque morbosum; naturalem dicemus, illam ejus regularem systoles, ac diastoles functionem, sive oscillationem constrictoriam, per quam fluidum nerveum exprimit, & in fibras cerebri medullares insinuat: morbosum vero dicemus esse, cum violentas ob causas turbata suarum partium structura, elatere, & resistentia, pro regularibus & ordinariis motibus irregulares, atque violentos producit: horumque irregularium motuum causa, fluidi quoque nervei expressio, & cursus irregularis erit ac turbatus; & hinc maniæ, deliria, vigiliæ, dolores capitis, vertigines, epilepsiæ, debilitates, torpores, melancholiæ, & his similia nascentur, quæ omnia produci potius a solidis, & præcipue a vitio duræ matris, quæ solidorum membraneorum primaria origo, & fons est, quam a mille somniatis, & fictis fluidorum vitiis demonstrabimus. Eam proinde sequemur sententiam, quod scilicet duræ matris motus, motu cordis fere præpotentior sit, atque eo forsan vehementior, quod per observationem morborum ac symptomatum, partes hujusmodi occupan-

cupantium, aliasque experiundi vias clare constabit.

Et primo quidem vulnera cordis mortalia sunt, non quia cor vulneratum est uti pars, & membrum vitalia principia producens, sed uti pars, quæ debebat fluida vitalia in girum impellere; dissoluta enim vasorum, cavitatumque cordis textura, quæ & recipere, & expellere fluida vitalia debent, consequenter cessare etiam debet in ipsis fluidis motus, ac proinde vita. Itaque cordis vulnera, & morbi lethales sunt, non tantum ob cordis præstantiam, quantum ob fluida, quæ debent ab ipso impelli, quæque nostrum esse vitale, ac nutritium constituunt: contra vero cum dura mater vel puncta, vel vulnerata est, sive inflammata, aut alio modo læsa, accidentia, quæ exinde fiunt, ab accidentibus cordis sunt valde diversa; nam & solidi vitio magis fiunt, quam fluidi, & eorum læsio tota consistit in impetu, vi magna, agitatione, irritatione, sicuti sunt convulsiones, motus convulsivi, deliria, jactationes &c. quas affectiones non videtur verisimile posse produci a fluido nerveo acido, vel imaginariis imbuto particulis, sed peculiares esse ipsius solidi. Nam dura mater ratione suæ structuræ cum tota sit in naturæ statu vis, elater, impetus, tensio, & nisus; in morboso quoque talis esse debebit, sed cum gradibus virium, & activitatis tanto superioribus, quanto morbus erit vehementior. Quodque de cerebri meningibus dicimus, idem quoque de nervorum meningibus supponimus, quibus punctis, vel aliter affectis passiones pene superioribus similes oriuntur: quod varie punctis, resectis affectisque vivorum animalium nervis curiose observavi, talisque viget in nervorum meningibus tensio, & vis, ut iis forbice resectis, tanta celeritate resecti fines contrahuntur, & occultantur inter musculos vivi animalis, ut vix credatur; cogita ergo quid fieri debet de meninge intra cranium. Plures autem cerebri, nervorumque quoad sensum & motum affectiones a varia meningium læsione, varioque earum statu pendere, ab experimentis circa eas in animalibus vivis a me factis, & ab observatione symptomatum in morbis capitis, mihi est comprobatum.

Canem molossum vivum debite ligavi cum amico meo D. Palillio Viro sincero, & moribus vere Romanis prædito. Separavi diligenter cutem & musculos dorsales prope dorsi vertebras: denudata una ex vertebris, terebravi eam maxima cum diligentia, quousque terebrando perveni ad cavitatem spinalis medullæ suis meningibus involutæ. Hoc facto solvimus canem, ut videremus an posset incedere; incedebat itaque ut prius, saltabat, ac bene se movebat. Denuo itaque ipsum ligavimus, sed tali modo, ut libere movere se posset hinc inde post experimenta, quæ meditabamur. Foramen terebrationis in vertebra erat tantæ capacitatis, ut syringæ foramen intrudi commode posset. Puncta per acum meninge spinalis medullæ in loco terebrato, canis statim, fortiter, ac per totum convellebatur, deinde paulo post quiescebat. Syringato spiritu vini tepido velocius respirabat, leviter veluti horrebat per totum, ac veluti paulo post somno corripiebatur. At quando in majori copia liquor hic injiciebatur tepidus, tremebat fortius, sed cum hilaritate.

Post duas horas, syringatione injiciebamus guttas aliquot spiritus nitri soluti cum pauca aqua: tremebat vehementius, ejulabat, torquebatur; stupore primo corripiebatur, deinde motibus convulsivis modo in partibus superioribus, modo in inferioribus, prout acidus liquor modo partes superiores, modo inferiores spinalis medullæ magis vel minus alluebat, ac vellicabat. Comedit interea frustula panis ea nocte, & mane sequenti stupidus videbatur, sed magis expeditos motus peragebat parte posteriori, quam anteriori corporis. Mane igitur syringa injecimus spiritum nitri purum in majore copia. Statim horrendi ululatus, ventris intumescentia, aliquando vomitus, aliquando spuma ex ore, motus convulsivi ingentes, lamentatio & ejulatus magnus; factis aliis syringationibus debita semper sed pauca cum liquoris præfati quantitate, crescentibus sensim convulsionibus derepente obiit, & rigidus statim evasit veluti truncus.

In aliis canibus terebravimus vertebras colli; in aliis vertebras ultimas versus os sacrum, & pro varia syringatione liquorum modo spirituosorum, modo acrium, & acidorum varia subnascebantur accidentia tremoris, convulsionis, paralysis, &c. modo in partibus circa caput, & pectus; modo in partibus circa viscera naturalia. In catulo terebrato in vertebra tertia colli, facta syringatione decocti vitrioli in spinalem medullam, eoque injecto valde calido, ne dicam fervido, statim periit convulsus. In pecude musculum coxæ diligenter cum eodem Domino Palillio e reliquis vicinis separavi, pauca tantum non separata ejusdem portione, per quam posset vicinis adhærere: abscissis hinc inde tendinibus hujus musculi, eoque leni contactu adhærente musculo vicino, observavi, separatum musculum, licet abscissi essent tendines, obscure moveri, contrahi, suas fibras crispari, oscillare, sed obscure. En quomodo per elaterem proprium, per vim in fibris elasticam innatam moventur musculi. Id etiam tentari poterit in Anate viva, aliisque volatilibus, vel quadrupedibus.

Factis itaque variis terebrationibus in vertebris spinalis medullæ canis, suis, leporis, pecudis, &c. observavimus, quod spirituosa & leniter aromatica licet levem tremorem pariant statim post syringationem, paulo tamen post animal hilariter, magisque vivide se gerit. At instillatis acidis liquoribus statim tremores, convulsiones e

ululatus, tumores abdominis, vomitus, ſtupores, & paralyſes, ad motum impotentiæ, urinæ, aut fæcum copioſæ excretiones, aliquando totales eorum ſuppreſſiones, & hiſce ſimilia pro varietate læſionis, & punctionis meningum ſpinalis medullæ oriuntur. Quod unuſquiſque experiri poterit; & ſi terebrationem in cranio fecerit, quamplura hiſce ſimilia per variam liquorum in meninges cerebri infuſionem ac ſiringationem incredibili cum voluptate obſervabit.

Cum igitur moveatur cor per irradiationem, & influxum a capite in illud per nervos mediante fluido nerveo, vel ſolidi meningæi oſcillatione, nullo vel ſi mavis pauco interveniente fluido tranſmiſſum; ſi dura aut pia meninx, vel partes quæ ab ipſis ducunt originem, vehementibus, gravibuſque morbis laborent, neceſſe etiam eſt, ut cor, uti earum elateri, influxui, & poteſtati ſubordinatum, in eandem quoque afflictionem trahatur, ejuſdemque indicia in pulſu oſtendat. Pulſus ferinus, ac durus ſemper indicat vitium in partibus membranoſis, ac nerveis; valde autem periculoſus erit, ſi cum periculoſis conjungatur accidentibus: in doloribus capitis vehementibus, & doloribus aliarum partium membranoſarum pulſus fiunt parvi, & pene imperceptibiles, qui Medicum ne terreant, nam familiares ſunt parvi pulſus in talibus doloribus. In pluribus Ægris pleuritide laborantibus obſervavi ſæpe pulſum manus poſitæ a latere partis affectæ ſemper fere eſſe parvum & exiguum, ut nuper vidi in duobus ægris prope Collegium Anglorum, non longe a Palatio, & Foro Farneſiorum. In rigore febrium pulſus contrahi quotidie obſervamus: in variis Capitis morbis, & variis Animi operationibus, quæ in cerebro fiunt, varie quoque omnibus momentis alterari pulſum conſpicimus. Quæ ſingula meningum ſupra cor imperium clare oſtendunt. At contra alterato motu cordis, non ſemper in conſenſum trahitur caput, ut in febribus videre eſt quam plurimis, ſimilibuſque morbis.

Neque temporis qua premor anguſtia patitur, ut longior ſim in probando per variorum accidentium in morbis obſervatorum examen, duræ matris magnam eſſe vim, & pene incredibilem elaterem, ejuſdemque ſupra fluida, quæ cor impellit, & ſupra cor ipſum ſummum eſſe imperium; cum hæc opportuniori tempore certius probata habebuntur. Inde oriuntur morbi pene admirandi ob varias animi, & imaginationis affectiones; Paralyſes univerſales vitio affectionis hyſtericæ, relatæ a *Boile de util. phil. nat f.* 254. Tympanitides univerſales ob vulnus partium nervoſarum ex Domino *Villis tom.* 2. *fol.* 145. aliique id generis affectus, qui ſolidorum ſupra fluida ingentem poteſtatem oſtendunt.

Præterea, ut cor majori promtitudine, & facilitate movere ſe poſſit, ac reſiſtentiam tot ſolidorum ſuperare per quot ſanguinem circumiret facit, multa concurrunt, quæ hujuſmodi motum adjuvant facilemque reddunt: ea ſunt aeris preſſio continua in pulmonibus, qui ſua circumpulſione ſanguinis curſum ſummopere promovent, & ita incredibiliter adjuvant cor, ut exigua fere vi poſſit ſanguinem e ſuis ſinubus ad remota quæque ſpatia projicere. Facilem quoque reddunt figura vaſorum conica, venarum valvulæ, continua muſculorum contractio in motibus quotidianis, aliæque plures cauſæ ab *Harveo*, *Borello*, *Boile*, *Bellino*, reliquiſque Scriptoribus recenſitæ. Quæ omnia cordis motionem adjuvantia cum duræ matri deficiant, dum ipſa fluidum nerveum per fiſtulas cerebri exprimit, & in omnes corporis partes propellit fortiter, ac promovet, proinde certo ſequitur quod ea majores debet ſuperare reſiſtentias, quam ipſum cor, & conſequenter quod major ſit impetus, elater, & vis duræ matris, quam cordis. Accedit ad hoc quod vires, & elater meningis occupantur in comprimendo conſtringendoque ſolido, nempe cerebro: cordis vero in fluido exprimendo nempe ſanguine: adeoque majores reſiſtentiæ ſuperandæ ſunt meningi quam cordi, unde major vis illi, quam huic tribuenda. At cum hujuſmodi argumenta penitus nova ſint, & ſupra vulgarem Medicorum captum, non audemus hic deciſivam ſententiam favore duræ matris, potius quam cordis proferre; eam tamen proferendam ſuo tempore reſervamus, cum maturius a ratione, & experientia conſilium ſuſceperimus.

Gradatim mox duræ matris motum, deinde motus cauſam, tertio finem, ad quem fuit ordinatus, atque inſtitutus, examinabimus. Conſiderata mirabili duræ matris ſtructura ſuperius breviter indicata, æquo nos animo ſentire non poſſumus vulgarem Anatomicorum opinionem, putantium duram matrem non in alium finem factam eſſe, quam ut cerebrum tegat, & ab externis defendat injuriis, nam cum huic obeundo muneri ſolidum craſſumque os cranii ſufficiat, eam nobilioribus, magiſque neceſſariis deſtinatam eſſe uſibus aperiemus.

Pulſat itaque dura mater alternis ſyſtoles, & diaſtoles ictibus. Et quoniam cor in tantum movetur, in quantum a cerebro tranſmiſſum influxum excipit, problema poſſemus hic novum quidem, ſed audax proponere, num ſcilicet ſyſtoles, & diaſtoles motus, quem habet cor, a ſyſtole, ac diaſtole duræ matris pendeat, an vero aliam ob cauſam in ipſo corde exiſtentem peragatur. Audax inquam eſt hoc Problema, ſed quia multum a probabilitate non diſtat, alibi de eo late tractabimus.

Ut bene dura mater moveri poſſet, a ſtabili, fixoque termino pendere, atque eidem inhærere debebat, quemadmodum muſculi oſſibus, cor per ſuum ligamentum mediaſtino, &c. Annexa igitur eſt dura mater per Fibras innumeras, quas a ſe mittit,

tit, parti ſuperiori cranii, hoc eſt futuris, quæ in ejuſdem cranii ſuprema parte obſervantur: hæ Fibræ futuras ſeparantes membranam Pericranium dictam producunt, quæ cum dura matre una, eademque continuatio eſt. Nec tantum futuris adhæret, verum etiam hinc inde variis in locis leniter alligatur cranio per peculiaria quædam filula, quæ e convexa ſui parte enaſcuntur, cranioque inſeruntur. Hoc modo dura mater baſi ſolidæ Cranii annexa, elateris ad inſtar nunc ſeſe contrahens, nunc relaxans regulares ſyſtoles, ac diaſtoles motus in Cerebro præparat. Hi motus fiunt in ipſo pene momento, ac tempore, quo fiunt motus cordis, in vulneratis enim capite, in quibus dura mater detecta apparebat, admota cordi Patientis dextera, obſervabam ipſo eodem tempore quo cor ad manum pulſabat, pulſare quoque duram matrem in cerebro; nec ullum temporis intervallum potuimus inter utriuſque pulſationem agnoſcere: ſed hæc melius vivi ſectionibus, & experimentis circa animalia ſunt illuſtranda. Præterea dura mater cerebrum dividit binas in partes, dexteram, & ſiniſtram, & dividendo ſinus varios efformat, per quos ſanguinem recipit a circulationibus refluum. Qui duræ matris motum in animalibus vivis ſcrutabitur, obſervabit eam dum ſyſtolizat, ac diaſtolizat, tota ſua mole eodem tempore ſyſtolizare, ac diaſtolizare, non vero per partes ad partes. Atque inde ut ad inveniendam cauſam motus duræ matris deſcendamus; communiter putant omnes eam pulſare ob arterias, quæ per ipſam propagantur. Alii credunt id fieri a nervis ad eam forſan recurrentibus. Demum probabilius mihi videtur pulſationem illam pendere a peculiari ſuarum partium conſtructione, & admirabili elatere in ſuis Fibris repoſito, nec non peculiari æquilibrio fluidorum per eam circulantium cum dictis ejus elaſticis fibrillis.

Arteriæ, quæ per duram matrem diſtributæ obſervantur, ſunt duo vel tres ramuli e dextera, totidemque a læva illius parte, earumque curſus in dura matre exſiccata facillime etiam dignoſcitur. Illarum origo ab inferioribus ejus lateribus eſt parvique rami ſurſum aſcendentes in medio ejus ſegmento, qua prope adnectitur cranio, deſinunt. Fortis illa, & univerſalis duræ matris pulſatio, quæ in vivis animalibus conſpicitur, in pueris recens natis, & in capite vulneratis impoſſibile eſt ut pendere poſſit a minimis illis arteriis leviter pulſantibus; neque pulſatio univerſalis eſſet, ſed tantum in illis parvis ſulcis, quos arteriæ per duram matrem progredientes producunt. Quare cauſa pulſus duræ matris in tota ejus mole, & propria ejus ſubſtantia eſt, nec ab extra quæſita.

Quod motus iſte a nervis dependeat, qui a cerebro, vel a ſpinali medulla prodeuntes in duræ matris ſubſtantiam recurrant, falſum etiam eſt; nam iſti nervi recurrentes a nemine hactenus viſi ſunt, & a nemine deſcripti.

Ponderata igitur mirabili textura trium ordinum Fibrarum, & Lacertorum in dura matre noviſſime expoſitorum, fateri proinde debemus quod prædictæ partes ob particularem elaterem, nexumque, cordis nexui pene conſimilem, continuo criſpentur, & ad perpetuam contractionem nitantur, ea ratione, qua videmus Horologium ſine ullo liquidi impulſu, ſed tantum ob particularem rotarum, fuſorum, elateris, aliarumque partium ſolidarum conſtructionem, rectos, ordinatoſque motus abſolvere, & perpetuare. Ita in humano corpore, excitato ſemel a partibus prolificis ſpermatis elaſtico motu in ſolidis, & fluidis fœtus, ob æquilibrium, quod fluida inter, & ſolida intercedit, nec non ob continuum incurſum fluidorum in ſolida, & ſolidorum in fluida, niſum, conatumque ſuum ſemel incœptum dictus elater præfatis in partibus perpetuat: maxime vero in ſolidis majori reſiſtentia præditis, & a quibus moventur fluida, & omnium maxime in iis ſolidis, quæ peculiari compage ad perpetuandum elaterem, eumque aliis imprimendum prædita ſunt, ſicuti eſt cor, & dura meninx. Et quoniam ab æquilibrio, & proportione motus dictarum partium perpetuatio elateris in majoribus, corde inquam, & meninge dura, pendet, mutato, vel alter affecto æquilibrio, mutatur afficiturque elater. Multum quoque conferret ad inveſtigandam cauſam motus duræ matris, fluidi nervei motum conſiderare. Fluidum hoc perpetua duræ matris circumpulſione per nervos expreſſum ad partes a partibus ad cerebrum per refluentia vaſa non redit, uti facit ſanguis per venas ad cor, ſed in iis remanet, diſperditur, & hoſpitatur; qua mora non ſolum vigorem, tonum, & elaterem in eis producere credibile eſt, ſed occultam quamdam ad ſyſtolem, & diaſtolem inclinationem, promtiſſimamque ad ſe movendum facilitem. Et quoniam dura mater cum partibus mobilibus ſupradictis una eademque continuatio eſt: hujus continuationis cauſa fieri poteſt, ut veluti undulando, motus partium occulti, ſyſtaltici ſive ſucceſſivi reflectantur, ac veluti reſiliant in duram matrem, ab hac denuo in eas ob continuam hujuſmodi motus fluctationem, nec non ob æquilibrium ſive proportionem motus ſucceſſivi a dura matre ad partes, & reflexivi ab iſtis ad illam, continuus contractionis niſus, & elater in dura mater naſcantur, abſque eo quod huic actioni multum contribuant duræ matris arteriæ, aut nervi ad ipſam recurrentes, ut multi credunt. Et hac de cauſa, ob mutatum ſcilicet æquilibrium inter motum reflexivum in partibus ſupradictis, ſæpe contingit, ut motus convulſivi in partibus excitati ſenſim deſinant in caput, quandoque vero a capite incipientes propagentur in partes. Ita certe Æger a Galeno relatus a pollice pedis epilepticum inſultum incipere ſibi, & excitari aſſerebat.

Poſt

Poſtquam rationibus, & experimentis cauſa motus duræ matris firmata fuit, finem ad quem motus ille ordinatus eſt perquiremus. Neminem latet, quod arteriæ cervicales, & carotides, cum ad corticales cerebri glandulas poſt infinitas pene ramificationes perveniunt, ſint adeo exiles, parvæ, motuque deſtitutæ, ut vix conſpiciantur: glandulæ minimæ corticales cerebri, more aliarum corporis glandularum, deſtinatæ ſunt ſeparando fluido nerveo a ſanguine, & inde ad partes per excretoria vaſa deducendo: omnia vaſa excretoria glandularum corticalium ſimul juncta medullarem cerebri partem formant; idemque cerebrum in varios ramos ſe dividens, & expandens tum intus, tum extra caput per medullam ſpinalem producit nervos, qui fluidi nervei jam filtrati canales ſunt. Igitur qui cerebri Anatomem callet, optime noverit, quod momentum celeritatis, & impetus, quo fluit ſanguis in minimis meandris glandularum corticalium, adeo inſenſibile ſit, tantillaque vi præditum, ut minimum conferre poſſit ad impellendum quocumque impetu fluidum nerveum jam ſeparatum, & a vaſis excretoriis combibitum. Contra vero cum dicti fluidi in nervis, & partibus motus velociſſimus ſit, atque adinſtar radiorum lucis momentaneus; hujus fluidi motorem, & compreſſorem exquirere tenemur, illam videlicet partem, in cujus poteſtate eſt per viſcera atque per membra tantum fluidi inferius tranſmittere, quantum naturæ, & æquilibrii leges requirunt, & quantum voluntatis imperium, atque partium neceſſitas poſtulant.

Munus itaque hujuſmodi, ob ſtructuram, & ſitum, variamque inſinuationem, & complicationem, nec non progreſſum, & ſoliditatem meningum, eis, & præcipue duræ matri, jure meritoque eſt tribuendum. Sicuti enim cor inſtar machinæ compreſſoriæ exprimit, & ad remotas partes juxta ſingularum neceſſitatem cum debito celeritatis momento propellit ſanguinem; ita dura mater, alterum quaſi cor ſolidum, validumque, & per cerebri ſubſtantiam intus foriſque miro artificio propagata ad inſtar fortiſſimi elateris, & compreſſoriæ machinæ, a glandulis corticalibus fluidum nerveum continuo exprimit, & in medullares cerebri partes inſinuando, impreſſo velociſſimo motu, ictu oculi omnes in partes tranſmittit. Quare homines prout duram matrem ſortiti ſunt valido, vel debili præditam elatere, magis vel minus reſiſtentem; ab hoc ejus vario in ſingulis motu, fluidum nerveum majori vel minori cum impetu exprimitur, & ad partes propellitur; hacque de cauſa infinitæ, ac ſingulis peculiares naſcuntur in hominibus quoad ſenſum, & motum proprietates, & quoad reliquas etiam naturæ functiones, ipſorumque temperamenta.

Præterea, cum proprium cerebri, meningum, & nervorum officium ſit, eſſe inſtrumenta ſenſus, & motus, non tantum ob fluidum nerveum ab eis ſeparatum, delatumque per partes, quantum ob eorum raram, & particularem texturam, cujus cauſa varie ſe dividentes, & expandentes producunt viſcera, omneſque partes, telis membranoſis compoſitas; & cum actio ſenſus, & motus in incredibili, atque promtiſſima celeritate conſiſtat, iſta celeritas nunquam obtineretur, niſi fluidum nerveum, ſive ſpiritus animales, per quos, veluti per mediatores, animus impreſſiones corporis recipit, ſubtiles adinſtar radiorum lucis eſſent, ac tenues, cujus ſubtilitatis cauſa, ne continuas in partibus confuſiones moverent, natura eos ſolido molli, cavo, & appropriato concluſit, quod ordinatis ſyſtoles ac diaſtoles ictibus moveretur, eamdemque motionis regulam in fluido, quod in ſina habet, imprimeret. Solidum hoc meninges ſunt, quæ a magna cerebri mole ad omnes uſque minimas corporis partes nervos comitantur, ac proinde medulla cerebri in duabus quaſi vaginis clauſa ſemper apparet in longa nervorum propagatione.

Addita igitur ſubtilitati, ac velocitati fluidi nervei, impreſſione continua, quam illi duæ meninges ſua perpetua ſyſtole, atque diaſtole impertiunt, ab hac duorum motuum mixtione, tertius oritur motus velociſſimus certe, ſed ordinatus. Et ita illa ipſa ſyſtole, ac diaſtole, quæ continuo in meningibus viget, ſenſim per nervos propagatur in omnes partes, quas membranoſas vocamus, eaſque hujuſmodi perpetuo motu ſyſtaltico præditas quoque eſſe probabiliter credendum. Qua occaſione in medium produci poſſet poſtulatum, ſive quæſitum utile quidem, ſed valde obſcurum; an ſcilicet eodem tempore, quo ſyſtolizat, & diaſtolizat dura meninx, ſyſtolizent quoque & diaſtolizent reliquæ partes, quæ ab ea originem ducunt, eidemque ſubordinantur; an vero differenti tempore, ut contingit in corde, cum appenſis eidem arteriis. Qua de re omnino certe nova, & abſtruſa, integrum perfectumque judicium ferre ante non poſſumus, niſi ratione, & experientia matûre conſultis.

Porro ex vario duræ matris tono, robore, ac vigore, varie dirigi fluidorum curſum in ſubjectis partibus; & varie etiam oſcillare ſolida ipſa, quotidiana morborum obſervatione in Noſocomiis unuſquiſque certior reddi poteſt. Quare dum caput laborat vel vulnere, vel dolore, vel torpore, ſtatim animum adhibe ad mutationes, quæ in inferioribus partibus ſuccedunt. Sic prope Templum Telluris, nunc S. Pantaleonis in Suburra intra Carinas, ædificatum in area domus Caſſii, cognovi Vetulam ſeptuagenariam, diro aſthmate cum tuſſi continua laborantem: hæc quoties ambabus manibus fortiter comprimit verticem capitis, toties ceſſant ſtatim, pro tempore quo durat compreſſio, & aſthma, & tuſſis catharroſa,

rosa, statim vero ac manus aufert, iidem denuo redeunt: & si pluries in die id faciat, pluries in die eadem succedunt. An forsan ea forti manuum compressione premitur, roboraturque pericranium, & successive dura mater ejusdem origo? Qua ratione addito robore, & tono duræ matri, melius diriguntur liquidorum motus in partibus inferioribus, sicque statim asthma, tussisque cessant? Alia probabilior ratio reddi certe non potest.

Quæ cum vera sint, non sunt profecto irridendi veteres, quando in variis id generis morbis adhibent, applicantque capiti cerata roborantia, fluxiones cohibentia, & refrænantia, ut ipsi ajunt, humorum ad inferiora affluxum: nam ob rationem a nobis supra allatam, roborato pericranio per hujusmodi externa, successive roboratur dura mater, cujus est prorogatio, unde morbus mitescat necesse est: nam sicuti læsis musculis temporalibus fiunt vulnera lethalia, communicata mediante pericranio duræ matris læsione: ita si communicatur affectio, communicari etiam debet effectus exterius applicatorum remediorum. Hoc vidi in Sexagenario ad Templum Carmentæ, nunc S. Catharinæ sub rupe Tarpeja, qui fluxionibus oculorum obnoxius, appositis ceratis roborantibus in superiori parte frontis, statim liberatur.

Hisce observationibus affinis est ea, quam feci in quadragenario capite vulnerato. Decumbit hic prope Templum Veneris Victricis nunc S. Mariæ in Crypta picta, prope Pompeji Theatrum; elapsis duobus mensibus convaluit ab accepto gravi vulnere capitis: post illud tempus, licet sanus in omnibus sit, perpetua tamen laborat coryza, sive catharro, qui nullis hactenus cedere vult remediis. Nonne hic credendum est, vi vulneris læsum in ea parte esse tonum, robur, ac elaterem duræ matris, qua de causa cum regere non possit debite fluidorum motum, qui naribus prospiciunt, exinde sub catharri forma foras prolabuntur?

Magnam itaque esse potestatem meningum ad solida, & fluida singularum partium varie dirigenda, præter observationes morborum, & rationes anatomicas a nobis adductas, confirmant historiæ plures eorum, qui sine cerebro nascuntur, & vivunt: vivunt enim quia licet medulla cerebri non adsit, adsunt tamen binæ meninges, quarum præcipuum munus est motus infernis in partibus producere, varieque dirigere. Hujus generis est historia puellæ sine cerebro natæ, relata in Zodiaco medic. gallico anno 3. observ. 3. Hæc vixit per quinque dies: nata est cum tumore capitis consistentiæ flaccidæ, & fluidæ circa futuram coronalem, quæ hiare videbatur. Secto capite in tota ejus capacitate nihil inventum est quam aqua limpidissima, contenta a meningibus: medullæ vero cerebri nihil. Hæc igitur puella intra, & extra uterum vixit, sine spirituum animalium ope, quia medulla cerebri non aderat: ergo solæ meninges perpetua sua oscillatione fluidorum, solidorumque motum infernis in partibus conservabant, ac dirigebant; idest actione, sive collisione solidi in solidum, sine spiritibus animalibus, qui non aderant.

Multo tamen mirabilior est historia pueri, qui tribus annis sine cerebro vixit, descripta a *Zacuto* Lusitano tomo 2. praxis medicæ mirabilis lib. 1. observ. 5. his verbis: *Decennis puer percussus est ense in parte posteriore capitis; passus est vulnus satis magnum cum incisione ossis, vel animum, & deperditione substantiæ cerebri: nam hæc exivit quantitate nucis juglandis. Curatus convaluit citra noxam. Sed post tres annos hydrocephalo correptus moritur. Apertum caput sine cerebro inventum est. Dura meninx duplicata apparuit: habebat in se aquam limpidissimam boni odoris, & gustata ab adstantibus insipidi saporis: hæc ille.* Sed de mirís effectibus in partibus inferioribus factis a capitis vulneribus vide *Marcellum Donatum l. 5. hist. mirab. c. 4. Valeriol l. 4. obs. 9. 10. Schenchium l. 1. obs. de c. vul. Alex. Benedict. l. 4. Anatom. c. 24.* aliosque: Ex quorum observatione ingens meningum potestas in solida æque, ac fluida corporis animati aperte demonstratur. Et licet in dictis ægris cerebri medulla inventa non sit, & vixerint; fuerunt tamen inventæ meninges, quæ motuum origines sunt ex probatis.

Hoc unum tamen obiter animadverto, duos posse concedi motus in hujusmodi partibus, alterum nempe a meningibus ad partes, alterum vero ab his ad meninges: primum vocarem systalticum, seu successivum; alterum contra systalticum reflexivum. Ut animi imperium momento fere perveniat ad partes, fluidum nerveum, & meninges recipiunt impressiones illius directionis, quam determinat Animus, & ad partes per motum systalticum supradictum transmittunt. Contra vero, ut impressiones in externis sensibus ab externis objectis factæ ab animo percipiantur, necesse est, ut per fluidum nerveum a sensibus perveniant ad cerebrum, nec non per ipsas meninges, quæ in partibus sensibilibus expanduntur; & hoc fieri oportet per alium motum a primo diversum, quem nos reflexivum vocamus, quia veluti reflectendo a partibus ad primum mobile duræ matris momento temporis propagatur. Ut autem inter hos duos motus, videlicet inter animi commercium cum sensibus, & contra, nulla oriatur confusio, duas putamus meninges a natura productas, quarum altera destinata sit ad recipiendas impressiones animi imperantis, easdemque ad sensus deferendas; altera vero ad recipiendas partium impressiones, in illis factas ab objectis, & celerrime in cerebrum, principem animi sedem transferendas.

das. Quod an verum ſit, determinate aſſerere non audeo; ſcio tamen ab omnibus Anatomicis exiſtimari ſedem ſenſus eſſe in membranis; ſedem motus in muſculis, fibriſque muſcularibus. Ex quo veluti per corollarium deduci poſſet dari revera motum ſyſtalticum a meningibus ad partes, & a partibus ad meninges. Utque liberum ſit commercium inter caput, & partes, concipi debet inter hos duos motus æquilibrium, certa videlicet proportio impetus, & reſiſtentiæ, ut alter alterum non ſuperet, nec deſtruat, ſed promoveat, & adjuvet; quod æquilibrium quando mutatur, ſive turbatur, varios capitis morbos variaque in operationibus ſenſus, & motus mala producit. Sed ut hujuſmodi materies omnino pene nova, ac difficilis digeri melius poſſit atque illuſtrari, quæ dubia in ea ſunt, & ſumme obſcura, veluti per corollaria ex antecedentibus deducta, & Poſtulata particularia in medium proponentur, debitum examen ſubitura. Neque quis putet nos dum magnam vim ſolidis in agendo tribuimus, ſuam fluidis denegare, aut nimium extenuare, quod quidem nunquam in mentem venit, ſed maturius deſiderare in Medicis judicium, ut quando de ſanis vel morboſis corporis animati effectibus diſſerunt, agendi vim ſemper non adſcribant, uti conſueverunt, fluidis; verum utriſque ſuam, & de ſolidis aliquando diſcurrant, in quibus ſæpe vis, & anima morbi.

COROLLARIA

Et Poſtulata.

I.

OMNES partes, quæ membranoſæ non ſunt, ſicuti ſunt oſſa, & muſculi, membranam propriam obtinuerunt, non quidem ut illis ad inſtar involucri inſerviret (oſſa enim dura, & muſculi fortiter contexti membrana non indigent, ut ab illa muniantur) ſed eis data eſt ad uſus nobiliores, magiſque neceſſarios, de quibus plura ſuperius, cum de motu partium ſyſtaltino diſſereremus. Et quo patet duræ matris imperium, & poteſtatem ſuper omnibus ſolidis, tum membranoſis ab ipſa originem trahentibus, tum differenti natura præditis, ſummam eſſe ac pene incredibilem. Porro ſicuti meningum morbi acuti ſunt, graves, difficileſque, ita & membranarum, quæ a cerebri, vel nervorum meningibus ortum omnes accipiunt. Neque ſint adeo ſimplices Medici, ut credant membranas partibus tantummodo involvendis deſtinatas eſſe. Ad oſcillandum perpetuo, & occulte, ad promovenda liquida, & æquilibranda, uſuſque meliores fabreſecit eas Omnipotens.

II. Inter proprietates membranarum, conſiderabilis illa eſt, quod ſcilicet quælibet membrana multiplicatur facile, & ſubdivitur in alias membranas, hæ in alias ad remotas quaſque partes. Ex membranis nova fieri poſſunt vaſa, novæ partium figuræ, & formæ, quæ ante non erant. In tumoribus, ulceribus, atque vulneribus, hujuſmodi admiranda quotidie conſpicimus.

III. Membranæ, vel immediate oriuntur a nervis, vel a vicinis membranis. Inter membranas omnes, & ex membranis compacta viſcera, & conſenſus unus, & conſpiratio una, & omnia conſentientia.

IV. Solum ſyſtema membranarum ſentit, ipſique nervi ſunt adeo acuti ſenſus, non ob medullarem ſui ſubſtantiam, ſed ob membranas, quibus involvuntur.

V. Membranarum morbos magna ex parte periodicos obſervavi: cephalalgiæ exacte periodicæ frequenter ſunt; ſedes earum in meningibus eſt, acutiſſimo præditis ſenſu. Pulſat interius in cephalalgiis caput, non ob arterias, ut vulgo creditum, ſed ob duram meningem, cujus elatere, tono, ſuaque diaſtole, ac ſyſtole a naturali ſtatu recedentibus, cephalalgiæ, maniæ, vigiliæ, epilepſiæ, aliique capitis morbi oriuntur. Colicæ convulſivæ, aliique partium interni dolores exacte periodici paſſim videntur.

VI. Oſtochopos *Hippocratis*, ſive oſſium dolor in acutis, mala capitis convulſiva, & alia portendit; portendit autem ob membranam oſſium affectam. A meningibus ad partes, a partibus ad meninges incredibilis eſt conſenſus, incredibiles motuum permutationes.

VII. Dura meninx maximus humani corporis elater eſt. Sua perpetua oſcillatione ſecretiones fluidorum varie promovet, varie dirigit; ſolidis imperat, & fluidis; ſingularum partium motus, qui ab ipſa impulſum accipiunt, ab ejuſdem quoque legibus pendent.

VIII. Pro vario cerebri, & meningum ſtatu, varia eſt Facies, & ſtatus varius in viſceribus, aliiſque partibus, quoad digeſtiones, nutritiones, ſeparationes etiam, progreſſioneſque liquidorum. Cujus veritatem rei experimur in epilepticis, maniacis, apoplecticis, diu vigilantibus, ſtudioque, & curis domeſticis nimium abſtractis, in quibus mille in functionibus naturalibus mutationes ſolius ſolidi meningæi vitio late patent.

IX In tribus apoplecticis, quos ſecui, duram matrem cranio hærentem inveni. An adhæſio illa apoplexiæ cauſa fuit?

X. *Villiſius* ait, ſe plura Fatuorum, Stultorumque cerebra ſecuiſſe, atque nec diverſitatem ullam inveniſſe inter fatuorum, atque ſanorum cerebrum. Debuerat inveſtigare, & examinare in illis ſtatum meningum, nam differentiam inveniſſet. Maniæ, epilepſiæ, dolorum capitis, ſternutationis, melancholiæ, & ſimilium morborum ſedes in meningibus a naturali ſtatu recedentibus eſt. Maniacos duos ſecui Neapoli in Noſocomio

Incu-

incurabilium, toto Orbe celeberrimo: duram matrem ad instar tabulæ duram, ac pene exsiccatam detexi.

XI. Si quis diceret, nullos dari spiritus animales, nec fluidum nerveum; & motus a nobis supra descriptos propagari posse, & peragi per solas tunicas nervorum, pro sensu excitando; ita ut tota vis, & actio meningum, & partium ab iis productarum, ipsæque sensuum functiones fiant per impressionem, & collisionem solidi cum solido, nulla interveniente fluidi mistione, verumne diceret? De hoc vide historias ad hanc rem facientes, paulo ante descriptas in hoc eodem capite. Et postquam legeris, judica de veritate.

XII. An cor magis indigeat dura Matre, vel contra; & utra harum partium sit alia alii magis subjecta; & an motus cordis pendeat a motu duræ matris, an contra; vide, &c.

XIII. Quoniam dura mater est fere præcipua motus liquidorum, & solidorum corporis animati domina, & quasi supra ipsum cor habet imperium, prout ex animi passionibus manifeste cognoscimus; quæritur, an dictus motus duræ meningis sit ex parte naturalis, ex parte voluntarius, idest mixtus, sicuti est motus organorum respirationi inservientium; ita ut possimus juxta voluntatis imperium, vel prout affectus pro tempore in nobis regnantes exigunt, motum ejus varie intendere, varieque relaxare ad majorem, vel minorem liquidi nervei copiam exprimendam, propellendamque. Quam ob causam in ira ob vehementissimam duræ meningis oscillationem, maxima in copia, ac vehementissime eliciantur spiritus; liquida omnia turbentur, & solida oscillent vehementius; hinc rubor oculorum, & faciei, spuma oris, motus furibundus, & impatientia in omnibus; contrario vero modo se res habeat in amore, benevolentia, aliisque affectibus, ob contrarium duræ meningis statum: Atque ita pro varia meningum contractione, relaxatioveve, varii motus, & varia facies in liquidis, ac solidis corporis animati enascantur?

Experimenta.

Ut me certiorem reddam magnarum virium, & potestatis quam habet dura mater supra fluida corporis animati, & supra solida, imo supra ipsum cor, nonnulla experimenta feci in vivis canibus, ad id cum veritate demonstrandum, & observatione confirmandum. Eadem experimenta inserviebant ad inveniendum quantus sit arcus sanguinis currentis prope vasa cordis, & per vasa a corde longe remota, idest quantum velocitatis momentum in utroque sanguine currente, tum respectu sui, tum facta comparatione ad invicem. Cujus rei ut aliquod specimen habeatur, unum dumtaxat referam experimentum, quo usus sum ad meam opinionem confirmandam.

Sumsi duos canes molossos ejusdem magnitudinis, & virium æqualium, bene pastos per integrum mensem. Ambobus denudavi arteriam cruralem; sed alteri more meo terebravi cranium (ut faciunt Chirurgi in vulneribus capitis cum fractura, aut depressione cranii) donec denudata appareret dura meninx. Alteri vero non terebravi cranium; sed incisionem cum secante cultro feci in costis, e directo supra cor positis, factoque parvo foramine, ut per illud possem pungere cor cum mihi placuerit. Canibus ad tabulam ligatis, & ita præparatis, ordinavi, ut eodem tempore a duobus Chirurgis canibus ambobus lanceola aperirentur arteriæ crurales, unicuique sua arteria. Sanguis qui magno cum impetu ex arteria utriusque exivit, fecit arcum altitudinis quatuor aut quinque palmorum circiter, & tantæ altitudinis duravit per breve spatium: tunc applicata spongia aqua madida obturabamus arteriam. Hoc facto pungebam cani terebrato duram meningem, & alteri secto prope cor pungebam cor ipsum: in actu punctura ablata spongia, sanguis prosilibat cum impetu; cum hoc tamen discrimine, quod longe majorem arcum, & peripheriam faciebat sanguis canis, cui pungebatur dura meninx, quam ille cui pungebatur immediate cor ipsum: quo frequentiores, & vehementiores erant punctura cordis, & duræ matris, eo arcus erant altiores, & frequentiores sanguinis exitus: & ita continuavimus donec canes extincti sunt. Ex quo præ ceteris deducitur maximam esse potestatem, & vim oscillatoriam meningum in solida vasorum, & in fluida vasis contenta, ne dicam supra ipsum cor, ut adductis variis hujus generis experimentis suo tempore, & forsan brevi, typis publicis demonstrabo, &c.

DE MOTU MENINGUM, ET OSCILLATIONE SOLIDORUM EPISTOLA.

Philippo Hecquet Medico illustri Georgius Baglivus Medicus.

EPistolam tuam 20. Jun. Parisiis ad nos datam per publicum Parisiensem Tabellarium nuper accepi: Scribis amicum quemdam tuum Romæ morantem eam mihi traditurum, sed non ejus cura ad me venit, verum casu, & nobis necogi antibus quidem apud Tabellarium inventa est: de quo te monere volui, ne fidas imposterum epistolas, nisi probatæ fidei hominibus. Alteram quam nobis inscripsisse dicis, non accepi: quod si accepissem, injurius profecto urbanitati essem tuæ, nisi respondissem. Sed quod pertinet ad hanc quam super habui; summas primum

mum tibi gratias refero *optime Hecquet*, quod tam bene de me ſcriptiſque meis loquaris, & ea tanquam neceſſaria ad bene medendum plurimi facias, quod quidem nunquam me aſſecuturum ſperabam; non ſolum quia rem difficilem, ac perobſcuram, & ante non tractatam, ideſt ſyſtema de ſolidis meningæis fibrarumque oſcillationibus, & variis effectibus ſcribere aggreſſus ſum; ſed, quod me magis urgebat, rem contra omnium fere medicorum vota exponendam mihi eſſe cogitabam; unde ſæpe (quod rebus novis familiare eſt) non gratiarum actiones, ſed æmulationes, odia, ac mille permoleſtæ contentiones, quas in me jam prævideo, colliguntur: deinde valde gaudeo non ſolum tibi, verum etiam illis eruditiſſimis Galliæ Medicis, doctiſque Viris idem noſtrum de fibra motrice ſyſtema plurimum arridere, atque ad praxim curandorum morborum reduci. Unum tantummodo eſt, ut innuis, quod difficile percipiunt nonnulli inter vos; ſcilicet unde meningibus tanta vis, & unde ſui motus principia trahat dura meninx, quod ut paulo clarius explicem expoſcis.

Cui quidem difficultati ut ſatisfaciam, vir clariſſime, ſcias me in præfatione operis de *Fibra Motrice*, cum ſatis prævideram hujus generis objectiones, nonnulla dixiſſe de hoc argumento, cum de motu cordis diſſererem, cujus ingentem vim non tantum deducebam a ſpiritibus, nervorumque irradiatione, quantum a peculiari ſuarum fibrarum compage, & mira proportione motus, ac reſiſtentiæ vaſorum, & liquidorum omnium ad cor, cordiſque ad vaſa, & liquida; quibus de cauſis ingentes ad perpetuandos ſuos motus vires acquirit. Idem prorſus cap. 5. lib. 1. diſſerentes de magna vi, & promptitudine duræ matris ad oſcillandum, aliis rationibus, & experimentis de eadem confirmavimus. Corpus enim hominum taliter fabrefactum eſt, ut ſingulæ quæque partes alteræ alterarum ope indigeant, & invicem ſuos motus aut promoveant, aut retardent: eadem pene ratione, qua fieri videmus in horologio, in quo licet ſingulæ partes dirigantur a motu primi moventis, ideſt a maximo horologii elatere, hoc tamen primum movens a peculiari ſingularum diſpoſitione, compage & proportione reſiſtentiarum ad ipſum, ſuos motus trahit, dirigit, ac perpetuat; & hinc ob minimam læſionem alicujus minimæ partis horologii ſtatim turbatur, aut perit motus in primo movente. In corpore autem animato tam exactum eſt hoc æquilibrium motus, & reſiſtentiarum inter ſolida, & liquida, ut æque, ac neceſſario ſingula ſingulorum ope ad ſe movendum indigeant. Undenam quæſo poſt hæmorrhagias copioſas tam ſponte venit convulſio, niſi quia educta nimia ſanguinis copia, qua ſolidorum oſcillatio moderabatur, hæc ſtatim innata vi elateris potenter oſcillant?

Sed hiſce omiſſis, dicamus aliquid de meningibus, quod præcipuum hujus epiſtolæ caput eſt. Et ſane cum dura meninx nervorum ſit productio duræ meningis cerebri: iidem effectus qui nervorum in meninge quoquomodo affecta obſervantur, etiam in ea cerebri fieri poſſe pro certo ſtatuimus. In Operibus omnibus noſtris, quæ nunc recuduntur Lugduni a Domino Aniſſonio plura deſcripſimus experimenta facta in vivis animalibus terebrando ipſorum vertebras, factaque terebratione pungebamus meningem ſpinalis medullæ, eandemque variis liquoribus ſiringatione injectis irritantes, vellicantes, relaxantes, ac varie afficientes innumera ſcitu digna animadvertimus; quam quidem experiundi methodum in meninge cerebri tentavimus etiam, iidemque effectus ſecuti ſunt, qui viſi fuere in meninge ſpinalis medullæ. Nam puncta dura matre cerebri fit convulſio, tremor, &c. gangrænata eadem per cauſtica remedia, paralyticæ ac ſtupidæ fiunt infernæ partes, affectæ meningi directo reſpondentes, & quod ſane mirum, cerebri ſubſtantia ſub dura matre gangrænata immediate jacens nullo modo nigra erat, aut gangrænata. Ex quo experimento in vivis animalibus facto deduci poſſet convulſiones ac paralyſes, membranarum potius affectiones eſſe, quam medullaris cerebri ſubſtantiæ. Sic pariter puncta, ac eodem modo affecta meninge ſpinalis medullæ, eadem pene accidentia obſervantur in ipſa, & in partibus eidem e directo, vel alio modo reſponſalibus. Injecto oleo amigdalarum dulcium in terebrata parte ſpinalis medullæ, ſtupores, torporeſque in viſceribus, & partibus e directo ſuccedunt, ob laxitatem ab oleo inductam in nervorum principio: idem prorſus ſuccedit in animalibus affuſo oleo in meninge cerebri.

Puncto nervo, irritato, relecto, ſtatim ſuperveniunt rigores, tremores, contractiones partium, convulſiones, tenſiones ingentes, &c. Idem fit cerebri meninge iiſdem modis affecta: ex his argui poſſet magnam eſſe hiſce in partibus vim ad oſcillandum, ſive innatum habere elaterem a peculiari ipſorum compage pendentem, quæ aliis in partibus, ob diverſam compagem, non invenitur. Quare cum tenſio, elater, ſive ad oſcillandum perpetua propenſio nervorum pendeat ab oſcillatione duræ meningis; certe dari debet æquilibrium ſive proportio, & conſenſio inter oſcillationes principii, & partium ab eodem pendentium, ratione cujus perpetuæ oſcillationis a principio ad partes, & ab his ad illud, ſequitur motus reflexionis a partibus ad principium, & ſucceſſionis, ſive propagationis ab eo ad partes. Quod clare, & evidenter adnotamus in convulſionibus, quæ a partibus cerebro communicantur, illudque trahunt in conſenſum: in affectis enim locis cum vividior ſit oſcillatio in membranis, & nervis, eadem oſcillatione a cerebro

rebro in eos propagata, neceſſe eſt ut oſcillatio reflexiva a parte affecta ad cerebrum, utpote potentior, ejuſdem ſucceſſivam turbet, obſcuret, atque ad normam morboſarum diſponat, & hinc convulſiones in partibus cœptæ deſinant in cerebrum. Contra vero cum cerebro affecto trahuntur partes in conſenſum. Quæ de convulſione diximus, dici quoque poſſunt de aliis nervorum morbis, torpore, paralyſi, dolore in genere, variiſque affectibus flatulentis, in hypochondriacis, ſcorbuticis, hyſtericis.

Ex his aliiſque obſervationibus infinitis, factis circa morbos nervorum, & cerebri, & experimentis in vivis animalibus, ſtabilitur primo adeſſe in meninge cerebri, & ſucceſſive in omnibus ſuis propagationibus per ſingulas partes ingentem vim elaſticam, ſive vim innatam ad ſe tendendum, ad oſcillandum, ad ſe criſpandum, ita ut a levi contactu ſolidi, aut fluidi in eam facto facile excitetur, moveatur, undulet, impreſſumque motum fere in infinitum multiplicet. Ex citato igitur in primordiis generationis debito motu ſingulis in partibus, eundem ſingulæ perpetuant, magis, minuſve vehementem, pro varia earumdem ſtructura, & diſpoſitione ad ſe movendum. Ita dura mater impenſum ſibi motum in generationis primordiis, ratione peculiaris ſuarum fibrarum ſtructuræ, fibris cordis non multum diſſimilis (ut nuper publice demonſtravit amicus noſter Dominus *Pacchionus*, atque *Viliſii* & *Maieuv* de iiſdem fibris opinionem illuſtravit) ex contactu liquidorum per eam, vel pone eam circulantium, mirum in modum auget, multiplicat, ac rara circulatione, & æquilibrio, tenſioneque, quam cum ſuis habet propaginibus, perpetuat.

Theſim hanc de motu meningis innato, & a primordiis impreſſo plurimi difficulter capiunt, eo quia credunt, ut vulgare docet axioma, quicquid movetur ab alio ſemper moveri. Quod quidem principium licet verum ſit, non eſt tamen rigoroſe applicandum ad res cunctis, non adhibitis debitis cautionibus in philoſophando valde neceſſariis. Nam ſi conſideres naturam motus in rebus creatis, conſtat certe alias impulſu aliarum ita moveri, ut origine, & ſucceſſione motus conſiderata, fateamur neceſſe eſt moveriſingulas impulſu generali cauſæ alicujus primo primæ, & univerſalis, ſive illa ſit æther juxta Carteſianos, ſive alia cauſa, ut alii opinantur philoſophi; & in hoc caſu quidquid movetur, ab alio moveri facile concederem. Sed quoniam præter Motorem hujuſmodi generalem, ſingulis rebus a primordiis mundi inditus eſt a Summo Opifice motus proprius, nullaque datur quies poſitiva in iiſdem: tunc ſingulæ quæque res, juxta motus innati leges, varios effectus abſolvunt ab univerſali Motore independentes. Innatum hujuſmodi motum ſingulis ineſſe corporibus, præter *Carteſii* auctoritatem, ex ſtatices principiis facile didici? obſervatione enim & experientia circa res ſtaticas facta, certo animadverti, corpus in motu poſitum, quantum amittit de ſuo motu, tantu profecto imprimere in illud, in quod incurrit, ut videre eſt apud *Borellum* in aureo libro de vi Percuſſionis, *Carteſium*, *Galileum*, alioſque Recentiores, apud quos fuſe de hoc diſputatur. Conſervatur autem hujuſmodi motus a ſingulis, donec ab Agente contrario non deſtruatur, & poſt deſtructionem novæ formæ novorum corporum oriantur. Et ſane ſi alicubi, in hac motus materia præ ceteris, ob dictorum ignorationem ſæpe cauſam pro effectu ſumimus, & effectum pro cauſa. Plura ſunt in rerum natura, quorum effectus ſunt certi & evidentes, licet genuinam cauſam ignoremus. Sæpe motum videmus, & cauſam moventem non cognoſcimus. Quis motum in planetis, & ſyderibus negaverit, quis negaverit effectus ab illorum motu pendentes? nemo certe, & tamen nemo hactenus cauſam illorum moventem cognovit: quod ſi veneris ad motum impreſſum ſingulis in primordiis mundi, ſoluta ſtatim eſt lis, motuſque cauſa reddita ſtatim manifeſta.

His de motu præmiſſis in genere, ad motum meningis in ſpecie deſcendendum. Et quidem ab obſervatione facta circa morbos capitis, & vulnera meningum, nervorum, ac membranarum, nec non factis experimentis in vivis animalibus circa eaſdem partes, clare deduco meninges cum univerſa earum propagatione per nervos, membranas, & viſcera, eſſe quid tenſum, valde ſenſibile, ad oſcillationem promtiſſimum, verbo dicam, elaſticum; cujus elaſticæ vertutis cauſa ingenter movetur, criſpatur, impreſſumque motum in infinitum adauget, ac perpetuat. Sed inquies: quis hunc motum in ea immediate excitat? aerne circumfuſus, reſpiratione tractus; ſpirituſne per nervos ad eam recurrentes tranſmiſſi? an potius ſanguis arteriarum, pulſatione per eam diſcurrens? aut denique reflexio motus a partibus membranoſis ad cerebrum? cujus æquilibrati reflexivi a partibus dictis ad caput, & ſucceſſivi a capite ad partes motus cauſa, dura meninx veluti vividiſſimus corporis elater perpetuo oſcillat, & movetur; ſuaque oſcillatione liquidorum omnium ac ſolidorum motiones promovet ac dirigit: durante namque dolore acuto obſervamus in praxi ſupprimi aliquando, quandoque vero retardari liquidorum ſecretiones, doloreque ſoluto relaxari eaſdem & ſolvi. Quænam igitur ex his cauſis innatum meningis elaterem perpetuo excitet ac promoveat, utrum una tantum ex illis, an vero ſingulæ ſimul, in libertate tua pono ut judices. Quod ad me attinet, a præfato æquilibrio motus ſolidorum ſucceſſivi, & reflexi, perpetuam meningis ad motum promtitudinem pendere, aperte quam primum demonſtrabo, Ju-

cique

cique publicæ consignabo. Sunt qui nervos a q iinto pari prodeuntes, & in meningem duram ese distribuentes observarunt, ut narrat in sua Anatome eruditissimus *Muninks*, & alii; eos ipse diu licet quæsiverim, nondum tamen invenire potui; & propterea non audeo causam motus meningis in iisdem statuere, nisi certior, ac solidior experientia me melius erudierit: multo magis quod capere vix possim, meningem duram quæ nervorum omnium systema investit, motusque oscillationes imprimit in singulis, ipsa deinde parvulo nervo suo ipsius vestito substantia indigeat ad se movendum, motumque diu perpetuandum.

Quod si quis dixerit aerem respiratione tractum, aliquid tribuere ad motum meningis, ut olim subindicavit Galenus lib. *de respirationis utilitate* cap. 5. circa finem; lib. de Dogmatibus Hipp. & Platonis; bene ne, an male dixerit, tu judica Vir clarissime. Quanta sit potestas, atque vis aeris ad liquidorum motus in respiratione promovendos, fuse probavi in tractatu *de Statice aeris & liquidorum ad usum respirationis*, & evidentissime ex sequenti experimento pluries a me facto publice, ac privatim cum amicis, deducitur. Sume canem molossum, & more consueto ad tabulam liga; tunc in gutture foramen diligenti sectione excita, sectionisque foramini cannulam applica, ita fabrefactam, ut aer motu labiorum ab libitum insufflari possit in pulmones. Deinde scindenti cultro costas omnes cum suis musculis per longum seca, ac adinvicem separa, ut pectus ope ipsorum moveri amplius non possit. His ita accommodatis, aerem per intervalla per cannulam insufflato, & videbis quousque aerem immittis canem commode vivere, atque ne minimum ejulare, nec moveri violenter; sed statim ac privatur hujusmodi aeris artificiali per cannulam insufflatione, statim corripi motibus convulsivis per totum, difficillima, ac pene suffocante respiratione, & mille gravibus accidentibus, quæ singula momento fere quiescunt aere per cannulam in pulmones iterum insufflato. Canis ita affectus per duas vivit horas, victurus per plures, nisi experimenti tædium a longiori observatione nos removeret. Quod si vis aeris in promovendo liquidorum per pulmones motu tanta potest, ac efficit; cur suspicari non possumus eundem ad meningis motum aliquid etiam conferre, sive id elastica vi faciat, sive alia nobis occulta mechanice, cum quotidie observemus caput pro diversitate climatum, atque aerum diversæ naturæ, idest diversi ponderis, & elateris varie affici, & modo ad morbos disponi, modo ad deperditam revocari sanitatem?

Sed cum ipse multum tribuam innato elateri meningum ad se movendum promtissime, motusque impressos in ingens multiplicandos, ac perpetuandos, nolim quis credat a me gratis id asseri, & sine ullo fundamento: nam si deessent rationes ad id probandum, sola experimenta & effectus circa meningem observati cogerent nos ad credendum, talibus in partibus ob peculiarem ipsarum compagem vim inesse elasticam & ingentem promtitudinem ad oscillandum. Et sane cur hujusmodi vim negare debeam solidis, si clare observatur in aliis rerum naturalium solidis? Recentiores pene omnes vim elasticam concedunt spiritibus, aliisque liquidis corporis animati: quod si rei fluidæ, evanidæ, & ex partibus inter se contiguis conflatæ eam tribuunt; cur solidis fibrarum particulis mire inter se contextis, ac continuis, maximeque resistentibus non est etiam tribuenda? Porro quid obstat, quod solida nostri corporis proprio sive innato, atque etiam majori momento motus, quam non est momentum liquidorum, & moveant seipsa, & moveant quoque fluida ad contactum eorum currentia? Atque ab his nil aliud acquirant, quam exiguum ad incipiendas motiones impulsum; qui quidem impulsus a fluidis excitatus in solida, licet exiguus sit, in his tamen ob rationes supradictas innati elateris, & miræ continuitatis ac resistentiæ suarum particularum crescit ac pene incredibiliter multiplicatur, ut in *1. libro de Fibra Motrice*, ratione, & experimentis demonstravimus, & de sanguine per arterias meningum discurrente suspicari certo posse prædiximus? Quid facit movere cor ranæ æstivo tempore in frustula sectum, per mediam fere horam, quid lacertæ caudam, quid exenteratam viperam, & alia id generis infinita, nisi ad elasticam suarum fibrarum oscillationem recurras? Rana exenterata, & omnibus extractis visceribus, ac ipso corde avulso movetur, saltat, & etiam natat: unde tanta motus energia, nisi ad vim fibræ refugias? Quæ de vi spirituum elastica dicuntur, gratis dicuntur. Quod facit, ut ensis incurvatus, aliaque solida, & elastica corpora, vi pressa, & incurvata, in pristinum sponte sua restituantur; idem facit, ut fibræ pressæ, ac externo impulsu oscillantes, pressione cessante priorem figuram acquirant; quem restitutionis actum, vim elasticam nuncupamus.

Ab effectibus, & observatione accidentium in morbis nervorum, & membranarum facta deduco, ut supra monebam, magnam esse hisce in partibus vim ad oscillandum, sive innatam elasticen, de qua fuse differui lib. 1. *de Fibra Motrice*, necnon de experimentis circa meningem cerebri, ac spinalis medullæ a me peractis. Unde vis illa incredibilis maniacis, si hujusmodi innatam vim ad oscillandum negaveris? Rana corde, & visceribus extractis vivit, movetur, saltat; vis igitur meningum cerebri, & spinalis medullæ multo potentior est vi cordis: hoc in casu nullus sanguis ad cerebrum currit, nulli spiritus inde gignuntur; & tamen rana vivit, movetur, & saltat: quod quidem non ab imaginaria spirituum

insito-

insitorum virtute pendet, sed a consueta, & innata fibrarum oscillatione. Ab affectione morbosa alicujus partis satis clare deduco, quis ejusdem sit usus, structura, & energia motus cum sana est. Vis igitur, atque potestas motus meningum multo superior, ac potentior est vi, & energia motus cordis, quod certe præter antedictas observationes animi pathemata satis aperte probant; iis namque vigentibus, quantumvis pulsus, respiratio, ac omnes pene corporis functiones mutentur, unicuique satis compertum est; animi autem affectio per meninges a cerebro in inferiora propagatur.

Neque solum hæc ingens vis ac potestas meningum in cerebro tantum circumscribitur, sed late propagatur per spinalem medullam, & singulas membranas partium ab ejus, aut nervorum meninge propagatas: quod sequenti experimento aperte declaratur. Canis ad tabulam ligati denudabis cultro vertebras dorsi, unam earum perforabis terebra donec perveneris ad spinalem medullam: tunc punge ipsam, irrita, ac affice acu, vel acribus liquoribus siringatione injectis, & videbis animal statim tremere, convelli, concuti per totum, & præsertim in partibus respondentibus spinæ e directo affectæ. Si vero post hæc irritantia experimenta, & inde natas spasmodicas affectiones, oleum, aut aliud quid pingue siringando injicias in cavitatem spinalis medullæ per foramen terebratione factum; confestim observabis idem animal considere, relaxari, ac torpere, imo fere paralyticum evadere, potissimum illis partibus, quæ meningi spinalis medullæ oleo relaxatæ e directo ponuntur: en quomodo ex relaxatione aut irritatione minimæ partis meningis spinalis medullæ gravia, atque lethalia oriuntur accidentia, quæ solidis magis, quam spiritibus animalibus originem suam debent. Cum igitur tot, tantæque resistentiæ superandæ sint duræ meningi, & superandæ in solidis, & fluidis, quales non sunt ab ipso corde superandæ, cujus vires circa impellendum fluidum tantummodo occupantur, uti ex systemate nostro eluceſcit; certe vim meningum, & cerebri supra totum corpus majorem esse viribus, & potestate cordis pro certo supponimus.

Habes optime *Hecquet*, quid ipse sentiam de vi, & potestate solidorum ex legibus elateris, & motus insiti quibuscumque corporibus a primordiis mundi, & generationis singulorum. Vim elasticam in corporibus nemo sanæ mentis negaverit; sed cur corpora vim elasticam exerceant, cur fibræ ad elastices leges motus suos perpetuent, id mecum philosophari non desinant Medici vestri, mihi opem ferendo consilio, observatione, experiundi patientia, & judicii acumine, non vero altercandi, atque contendendi, pravo ac malesano more, quo non augentur, sed decrescunt scientiarum vires. Altiora petenda sunt nobis, æquilibrium solidorum, & fluidorum inquirendum est in morbis, ut inde certæ ac stabiles indicationes curativæ deducantur.

Quæ ad me scribis circa morbos mesenterii, & apparatum primarum viarum ad morbos progignendos, tractata jam sunt a me peculiari dissertatione, operibus nostris, quæ nunc recudun-tur Lugduni a Domino Anissonio de re litteraria optime merito, adjuncta, in qua quicquid hac de re petis, facile percipies. Quod ad me attinet, magni facio medicos, qui mesenterii statum, naturam, apparatum ante morborum curationem examinant ac serio perpendunt; qui hoc bene perpenderit, o quam bene curaverit! *Sapienti pauca.*

Festinanter ad te scribo & accepta epistola tua statim respondeo: plura tamen scriberem, sed occupationes praxeos permolestæ impediunt ne id faciam: singulorum ægrorum, qui se meæ curæ committunt, historiam quotidie ac patientia pene incredibili describo; ut juxta promissa a me facta ex hisce historiis & notationibus naturæ morborum, stabilis ac certa eorumdem diagnosis, prognosis, atque curatio stabiliatur. Vale Vir optime, & me tibi perpetuo addictissimum crede. Romæ Kalendis Augusti 1703.

CAPUT VI.

De Æquilibrio Solidorum cum solidis, solidorum cum liquidis, & liquidorum inter se, hujusque Æquilibrii vi, potestate, usu, & cognitione, Medicis summopere necessaria ad bene medendum.

TOtum fere præcedens caput consumsimus in perquirenda, scrutandaque potentia, & vi duorum Principum corporis animati mobilium, scilicet duræ matris, & cordis, nec non in suorum motuum per omnes partes propagatione detegenda. Præsens vero ad examinandum, cognoscendumque æquilibrium solida inter, & solida, tam homogenea, quam eterogenea; interque solida, & liquida; ac demum inter liquida, & liquida dirigemus omnino atque impendemus. Nec a nobis in hac materia æquilibrium juxta ejus strictiores leges, utque a Mechanicis atque Hydraulicis sumitur, accipietur; at æquilibrium dicemus proportionem quamdam inter motum duræ matris, & motum cordis, inter motum oscillationis villorum, seu solidorum membranosorum unius partis cum solidis membranosis alterius; inter motum successivum, sive oscillatorium villorum membranosorum cum motu villorum carnosorum; inter fibras perpetuo se contrahentes, & inter fluida ad contactum fibrarum currentia; denique inter fluida, & fluida tum homogenea, tum eterogenea per diversos canales, variis-

que motus inclinationibus decurrentia : in quibus omnibus vitale noſtrum eſſe, nec non temperamentorum, complexionumque diverſitas, & naturarum varietas conſiſtit : major enim morborum pars eorumque frequentior cauſa oritur a mutata, ſive varie affecta fluidorum, ſolidorumque, quæ ſe invicem impellunt, & impelluntur, proportione, ut habebimus inferius.

Neminem latet, quod ſicuti cor, & ſanguis cum omnibus partibus proportionata ſunt, ita quoque ipſa vaſa ſanguinea ad cor, & ad ſanguinem proportionata eſſe debere a nemine negatur; ideoque cum certa ſit proportio, ſive æquilibrium inter cor, quod impellit, fluidumque, quod impellitur, & vaſa, quæ fluidum portant; ſi mutetur hoc æquilibrium, itaut majori, ac frequentiori impetu cor impellat, quam ferre poſſit liquidi moles, fluiditas, & reſiſtentia; vel ipſorum vaſorum diameter, reſiſtentia, figura, & longitudo ſuſtineant; maxima ſtatim orietur in functionibus animati corporis turbatio, morbiſque quam plurimis occaſio invadendi concedetur.

Certa hæc inter cor, ſanguinem, & vaſa proportio ad detegendas quoque ſolida inter, & ſolida, interque ſolida, & liquida, ac inter liquida, & liquida proportiones magno nobis eſſe poterit adjumento, & ſicuti tota circulationis vis atque natura in debita proportione motus, & reſiſtentiæ inter cor, & ſanguinem, & vaſa reſidet, ita quoque noſtrarum omnium operationum animalium, vitalium, & naturalium eſſentia in æqua conſiſtere debet proportione motus, & reſiſtentiæ inter duram matrem, & cor (quæ duo ſunt primaria ſolidorum, & liquidorum omnium Mobilia) inter ſolida carnoſa, & membranoſa, inter hæc duo ſolida, quæ continuo oſcillant, ac veluti ſyſtolizant: inter liquida, quæ currunt ad contactum, & a ſolidis propelluntur; ac demum inter liquida per varia canalium genera diſcurrentia. Naturalis, ac debitæ inter has omnes partes proportionis Idea nobis eſſe poterit ſani hominis corpus, in quo utpote ſano animales operationes vitalibus, vitales naturalibus rite, rectèque reſpondent, ſingulæque ſingulis harmonice concurrentes, & omnes penitus a proportione motus, & reſiſtentiæ ſolida inter, & liquida dependentes (pro animali operatione, non actus intellectus ſed cerebri functiones organicas, ſenſus ſcilicet, & motus intelligo) perfectam corporis ſanitatem conſtituunt. Ergo mutatæ & præternaturalis hujuſmodi proportionis ideam ſatis ſuperque morboſum corpus oſtendet. Quoniam vero in præfatione, & animadverſionibus diximus, ad bene percipiendum alicujus partis uſum, ſtructuram, & effectus, optimam eſſe methodum, certumque conſilium eandem morbo affectam conſiderare; ſic etiam ad cognoſcendum mutatam inter ſolida, & ſolida, interque ſolida, & fluida, nec non fluida inter, & fluida proportionem, cum hæc omnia in morboſo ſtatu ſunt, tunc conſiderare confert; nam tunc ideam recti, quæ in ſtatu ſalubri eſt, capiemus.

Ut tamen a duobus primis mobilibus, corde ſcilicet, & dura Matre incipiamus, indubitabile plane, ac certum eſt, quod a mutua cordis cum cerebro conſenſione tota ſenſus, motuſque ratio dependeat, cor enim ſanguinem ad cerebrum, cerebrum vero fluidum nerveumad cordis motum perenni rivo diſtillant: utque ſanguis a corde ad cerebrum, & a cerebro ad cor fluidum nerveum cum æquilibrio impellatur; tanto fere impetu cor ſurſum illum expellere debet, quanto deorſum dura mater fluidum nerveum impellit, habita tamen intima, & naturali, tum fluidorum, tum primorum hujuſmodi mobilium debita proportione uniuſcujuſque ad ſe ipſum: quod ſi cordis vigor, & impetus major ſit reſiſtentia, meningum talem in ſeſe impetum excipientium, ſtatim oritur in capite turbatio, & confuſio, tam in curſu liquidorum per ipſum præterеuntium, quam in elatere, & tono duræ Matris, quo ipſa deorſum fluidum nerveum partes in omnes effundit, atque propellit. Hac de cauſa ſæpe contingit in praxi ut homines, qui caput parvum, vel debilem meningum ſortiti ſunt a natura tonum, licet reliquo corpore fortes, Athletici, vegeti, florideque vivant, naturaliter tamen obnoxii ſunt catharris, coryzæ, doloribus, affectibuſque capitis, ſurditati, ſimilibuſque morbis. Et quoniam a naturali dictarum partium improportione pendent, quantacumque ſæpe adhibentur remedia, raro proficiunt, imo magis lædunt, quemadmodum duobus ab hinc annis nos, & amicus noſter D. Matthæus Palillius experti ſumus in fabro Ferrario, qui ægrotabat prope Templum S. Mariæ Ægyptiacæ nationis Syro-chaldeorum, & Armenorum, quo loci fuiſſe olim templum Fortunæ Virilis, vel Baſilicam Caji, & Lucii, Antiquitatis ſcrutatores exiſtimant. Faber iſte, habita ratione magnæ, ac fere Athleticæ molis corporis, parvum caput obtinuit, & licet ſobrie viveret, vitaleſque, atque naturales functiones commode obiret, capitis tamen debilitate, catharris, oculorum affectione, levi ſurditate fere perpetuo laborabat. Superveniente demum catharro ſuffocante, cum inflammatoria pulmonum affectione periit. Cadavere aperto, cerebrum, ac præ ceteris meninges omnino flaccidas invenimus, ut vix ob laxitatem reſecari poſſent, reliqua vero in ſtatu ſalubri. A meningum nativa debilitate præfatos morbos originem habuiſſe crediderim.

In hujuſmodi caſibus, quoniam cordis motus duræ matris reſiſtentiam ſuperat, inde fit, ut fluida, quæ ab ipſa æquali motu verſus cor repelli debent, non æquali, ſed longe minori repellantur; quamobrem cum eidem in refluxu ad partes faciendo ſubordinata non ſint dicta liquida, hinc, illinc, & quo non debent excurrunt, celeri-

celeritate improportionata partibus, circum quas pererrant, & in forma catharri, coryzæ, vel alterius morbi foras ſecernuntur. Hac de cauſa fatui, ſtolidæque mentis homines, morbis frequenter gravibus laborare, fere ſemper ægram vitam traducere obſervantur: etenim cum duræ matris tonum, & elaterem, natura debilem nimis habeant, & relaxatum, facile cor aſſiduis preſſionibus duræ matris, & ipſiuſmet cerebri reſiſtentiam excedit; unde, & depravata fluidi nervei fit ſeparatio, & incongruus ejuſdem per omnes partes impulſus. Et ſicuti a duræ matris læſione, punctura, aut irritatione oriuntur vomitus, aut motus convulſivi in viſceribus, & membris, eo quod illius ſpaſmi inferioribus partibus eidem ſubordinatis ſtatim communicantur; ſic ab ejuſdem aciditate, & relaxatione ſequitur ut partibus inferioribus, eique ſubordinatis ſimilia quoque flacciditatis, relaxationiſque damna contingant, quibus mutata inter fluidorum curſum, & ſolidorum preſſionem proportione, ſive æquilibrio, pluribus morbis occaſio præbeatur.

Hic tamen animadvertendum capitis magnitudinem, vel parvitatem, non a vultus magnitudine colligi debere, multi namque homines prægrandem faciem habere ſolent, parvum vero caput; ſed ab ipſius capitis circumferentia, & mole, quæ a magna fronte incipit, ſupra verticem tendit, & occipite definit. A capitis igitur parvitate, duræ pariter matris parvitas arguetur; & conſequenter ejus improportio, ac debilitas in reſiſtendo motibus cordis, eadem longe majoribus viribus præditi, majoriſque reſiſtentiæ. Porro quoad motus, qui in cerebro, vel a ſenſibus, vel a mente cogitante imprimuntur, ſciendum eſt cerebrum tot determinate motibus recipiundis capax eſſe, & non amplius: & pro varia capitis magnitudine, varia in hominibus capacitas naſcitur ad motus copioſiores, vel pauciores recipiendos. Quare ſi plures motus in ipſum venerint, quam capax illud ſit, animus confuſe ſenſuum impreſſiones percipiet, & confuſe pariter de rebus judicabit.

At ſi contingat, ut naturaliter dura mater forti textura ſit prædita, ejuſque fibræ nimium intentæ criſpataeque, tunc illius motus cordis motibus vehementiores erunt, iiſdem magis reſiſtentes, qua ratione mutato inter hæc duo mobilia æquilibrio, & proportione, certe cor reſiſtentia debilius vehementioribus duræ matris preſſionibus cedet; ſanguiniſque in gyrum eſpreſſio meningum preſſionibus magis, quam oſcillationi villorum cordis ſubordinata erit. Homines, qui tam fortem duram matrem a natura ſortiuntur, acutos plurimum ſenſus habere ſolent, ſicco plerumque capite, ac velociſſima cogitatione ſunt præditi, nec nimium ſomnolenti, & ob quamcumque mentis agitationem, levemque affectum mille pulſus turbationibus ſubjacent, & exinde inordinatæ liquidorum ſeparationes, atque expreſſiones in inferioribus partibus enaſcuntur.

Hac de cauſa videmus in acutis affectibus, quando nimium criſpatur, nimiumque oſcillat dura meninx, oriri vigilias continuas, & pertinaces, quæ fere ſemper parvos, depreſſoſque pulſus producunt, a ſuperata cordis reſiſtentia pendentes: talibuſque vigiliis frequenter ſupervenit delirium, ac delirio lethargus: neque mirum, nam quoties in delirium vigiliæ deſinunt, fortiſſimum eſſe elaterem indicant, fortemque criſpaturam in dura matre, quæ hujuſmodi de cauſa, reſiſtentiam liquidorum pone ipſa circulantium ſuperando, eorumdem curſum per cerebrum, perque propriam ſubſtantiam, paulatim retardat, & impedit, ac proinde viam ſternit inflammatorio meningum affectui, in quo delirii vis atque natura conſiſtit. Et ſi creſcent duræ matris reſiſtentiæ, ob ſuppoſitas vehementes oſcillationes, ſupra reſiſtentiam cordis ſe moventis, & ſupra liquida per cerebrum circulantia, tunc impedietur magis liquidorum circulus, deliriumque deſinet in coma, & lethargum.

Hoc rerum ordine, per morborum obſervationes, perque facta, & facienda in animalibus vivis experimenta, proportionem motus, & æquilibrium, nec non reſiſtentiam inter duram matrem, & cor detegemus omnino, atque illuſtrabimus. Eademque pariter methodo, ſolida ſubalterna, & duobus primis mobilibus ſubordinata, tractabimus; reſiſtentiam, & æquilibrium inter ſolida membranoſa, & membranoſa, inter membranoſa, & carnoſa, interque hæc ipſa & liquida, ad eorum contactum circulantia explorare quoque curabimus: noſtra quippe ſententia eſt impetum, & reſiſtentiam ſolidorum membranoſorum impetum, & reſiſtentiam ſolidorum carnoſorum ſupra modum ſuperare, atque excedere; & hoc præ ceteris perſuadet nobis obſervatio practica, & infallibilis. Ea eſt, quod poſt graves, atque profuſas ſanguinis hemorrhagias, ſive ex naribus, ſive ex aliis corporis partibus, convulſiones, ſeu motus convulſivi ceteris aliis accidentibus citius apparent; de quo etiam ab *Hippocrate* in ſuis perſæpe operibus ſermo fit. Quicumque periculum velit de hoc facere, animalis venam aperiat, ut ſanguis libere per eam poſſit effluere; quando ſanguis magna in copia effuſus eſt, ſtatim incipiunt convulſiones, & quo magis ejuſdem creſcit effuſio, creſcunt pariter convulſiones, quæ circa vitæ finem ſunt vehementiſſimæ, prout cum Amicis obſervavimus. Hujus phænomeni ratio eſt, quod ſolidum membranoſum, & ſucceſſive omnium ſolidorum membranoſorum origo & fons eſt dura mater; cum ſanguis ad contactum fibræ carneæ diſcurrit, duas tunc debet ſuperare reſiſtentias, eas nempe fibræ carneæ, & alias ſanguinis

ad contactum currentis; qua de causa solidorum membranosorum vehemens vividusque, ut superius probavimus, motus a duplici hac resistentia æquilibratur: cum vero ob largam sanguinis effusionem solido musculari deficit pressio, & elater, qui ei ministrabatur a sanguine circulante ad contactum, prout faciunt moleculæ, sive parvuli cunei aquæ, qua magnus funis imbutus, & saturatus, vigorem ab illa acquirit, & resistentiam ad superandam quamlibet potentiam quiescentem; tunc solidum membranosum, fortissimo elatere a natura donatum, solidi carnei resistentiam omnem exuperat, motusque in illo irregulares ac vehementes, quos convulsivos dicimus, excitat, suoque sub imperio, & potestate ponit tunc motus omnes, solidorum æque ac fluidorum. Et hinc fere contingit ut graciles homines, raramque sanguinis texturam sortiti, levem ob causam in febribus, aliisque morbis convulsiones, & convulsivos motus patiantur. Ex hisce experimentis colligi potest, quid nam internos dolores, & convulsiones in variis morbis, motusque viscerum convulsivos producat; necnon qua ratione post motus vehementes corporis, ac insolitos, & post immoderatam venerem convulsiones succedant; & quare frequenter dolores capitis diuturni desinant in tremores perpetuos partium, aut in convulsiones; quæ quoniam in mutato æquilibrio motus, & resistentiæ inter duo solida supradicta consistunt, puto non bene discrere Medicos, qui acidum fibras pungens, ac vellicans, convulsionum causam accusant, & extollunt: Ægri enim, qui convelluntur, ne minimam quidem convulso in membro puncturam post convulsiones, vel ante sentiunt: sed tantum involuntarias motiones partium quas lassitudo magna, ac debilitas præcedere, & sequi frequenter solet.

Cum in capitibus, quæ præmittuntur, esse partes, duram, & piam matrem, duas dixerimus primas, ex quibus suam ducunt originem membranæ omnes, & a membranis viscera, glandulæ, vasa, omniaque solida, quæ carnosa non sunt; nec non motum oscillatorium, sive systalticum duræ matris, jure consensus, & continuationis partium membranosarum, villis omnibus membranosis sese communicare; exinde veluti per Corollarium deduci potest, solida membranosa, quo magis a dura matre, vel a majoribus nervorum plexibus distant, eo minus habere oscillationis prædictæ; præcipue si membrana major in alias membranas subalternas ad producenda vasa, glandulas, vesiculas &c. multiplicetur. Quare pro majori, vel minori eorum distantia a primo mobili, nempe a dura matre, distantia quoque a trium majorum plexuum nerveorum, cervicalis, cardiaci, & mesenterici; denique pro majori vel minori complicatione, divisioneque, quam solida membranosa in partibus componendis patiuntur, qua de causa in ipsis debilitatur, ac deficit impressa oscillatio, proportionem motus, & resistentiæ membranosa inter solida, hoc in capite demonstrare, ac investigare arbitramur. Et sicuti sanguis quo magis a corde recedit, eo debilior redditur impetus ab eodem receptus, & hinc in vasis capillaribus sanguinis cursus pene est insensibilis; idem quoque de motu solidis membranosis dura matre eorum domina, & parte producente impresso potest judicium proferri.

Æquilibrio motus, & resistentiæ inter solida homogenea, scilicet inter villos membraonsos demonstrato: æquilibrium postea inter eterogenea solida, nempe inter villos carnosos, & membranosos explicamus. Veritas est sane accepta apud omnes Medicos sanguinem ad musculorum motum maxime concurrere. Præter elaterem, quem fibra carnea ob præcipuam suam structuram sibi proprium obtinuit, alius a sanguine, ad ejus contactum currente, superadditur, prout infra in tractatu de morbis solidorum. Motum igitur, ac resistentiam fibræ carneæ deducemus ab ejus tono, & particulari structura, a motione sanguinis, qui per ipsam excurrit, & a motu cordis, ipsum sanguinem impellentis: ex quibus omnibus motibus colligemus demum proportionem, & æquilibrium, quod naturaliter inter villos carnosos, & villos membranosos consistit, & viget, quo mutato, inter functiones viscerum, atque partium, dissidia, & morbi excitantur.

Sed ut magis constet hujus æquilibrii solida inter, & fluida veritas, & quod sanguis summopere concurrat ad motum musculorum, inter ceteras observationes sufficere possunt, quæ petuntur ab internis aneurismatibus. Observavi enim in iis qui laborant interno aneurismate quod ex ea parte in qua est aneurisma, pars ipsa, cui arteria aneurismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum, ac demum paralysi laborat: non alia de causa nisi ob impeditum liberum sanguinis circuitum per eam, & denegata ea sanguinis quantitate, quæ ex naturæ, & æquilibrii lege eidem destinata est. Ita nuper vidi in puella 22. annorum prope ædes Burghesiorum ad ripam Tyberis in Campo Martio hæc adamussim vera fuisse. Passa est per duos annos ingentem cordis palpitationem, vertigines, frequentes syncopes, spirandi difficultates, inæqualitatem pulsus, & alia hujusmodi, aneurisma prope cor indicantia. Gravida evasit, & abortivit 6. mense. Post abortum correpta est morbo acuto pulmonum cum febre, tussi vehementissima, ortophnæa, & maximo pedum tumore potissimum pedis sinistri. Crescente morbo, & crescentibus dictis symptomatis, circa sextum diem derepente corripitur hemiplegia, sive paralysi totius medietatis sinistræ partis corporis, & maximo tumore œdematoso amborum pedum, crescente tunc difficillima respiratione & tussi horrenda cum genis rubris, febre, &c. Pro modulo,

dulo quo ſanguis per phlebotomiam minuebatur, ſanguinis impetus per remedia diluentia deprimebatur, & acuties pulmonum phlegmonica miteſcebat, & ita liberior circuitus reſtituebatur ſanguini: pro eodem modulo motus reſtituebatur paralyticæ parti, pedeſque detumeſcebant, & reliqua miteſcebant accidentia, donec libertas motus paralyticis membris reſtituta omnino fuit; & de paralyſi, ac pedum tumore bene nunc ſe habet, ſed alia aneuriſmatis ſymptomata adhuc perdurant.

Ex hac obſervatione, & mille aliis id generis clare conſtat, quantum ſanguis conferat ad motum ſolidorum. Ex aliis contra, quantum ſolida ad motum fluidorum: pro ſolidorum namque varia irritatione, ſiccitate, indignatione, vel contraria affectione, fluidorum curſus varie dirigitur, turbatur, minuitur, detinetur, &c. ut in doloribus præceteris obſervamus, & infra evidenter demonſtrabimus. Cauſidicus quinquagenarius, calculis obnoxius, intemperantiæ deditus, fœtore oris veluti vitriolico manifeſte nares adſtantium feriens, per duos annos, per intervalla gravi dolore circa lumbum dextrum vexabatur, qui fiebat partim a calculis deſcendentibus, partim a ſalibus vitriolicis muſculos lumbares pungentibus: hypochondria erant mollia (decumbebat æger ad ædem S. Mariæ Montium Suburram verſus) irritis plurimis remediis, doloris cauſa præſcriptis, maloque creſcente, incidit in fluxum ſanguinis nigri, vitriolici, fœtidiſſimi. hunc fluxum dixi ipſe fuiſſe factum ob ſanguinem diuturnitate doloris & fibrarum ingenti criſpatura dictis in partibus remoratum, & coactum; atque adeo bonum fuiſſe ut exiret: nonnullæ libræ exiere, debitiſque remediis exhibitis, ægrum ſanavi.

Alius æger ad forum Cæſaris Dictatoris poſt Templum Pacis, & Fauſtinæ hoc tempore magna ex parte in hortos mutatum, ſimili pene corripitur, per plures menſes durante, morbo, doloribus nempe crudeliſſimis circa dextrum lumbum. Erat hic melancholico-hypochondriacus, irritis omnibus remediis, quæ præſcripſere Medici obiit derepente; rogavi ut aperiretur cadaver. Aperto cadavere ſex circiter ſanguinis libræ inventæ ſunt circa muſculos lumbares, ſanguinis nempe nigri, fœtidi, & inter muſculorum ſpatia partim extravaſati, partim concreti. Si huic ægro, uti ſuperiori, poſt dolores ſuperveniſſet ſanguinis fluxus per alvum, forſan ſanatus eſſet. Nam ut recte monet divinus Senex: *Dolorifica lumborum mala ſanguiflua*. Et in prognoſt. ait: *Dolores qui nullis cedunt remediis, deſinunt in ſuppurationes*. Etenim a dolorifica fibrarum criſpatura fluidorum circulus impeditur, unde ſtagnante ſanguine alicubi, neceſſe eſt ut in pus vertatur.

Melancholici, hypochondriaci frequenter doloribus hinc inde vexantur: Pendent illi a ſale acri, ſcorbutico, rodente; cavene dederis calida remedia, nam morbum augebis. Juvant ſerum lactis, ſcabioſa, ſucci herbarum, diſtillata ex ſuccis herbarum, & lenia purgantia per intervalla præſcripta, ut in nonnullis obſervavi; & ſi ſuſpicio ſit gallicæ luis, poterit dari ſerum lactis ſalſ. parill. maceratum, aut ebullitum.

Qui ſanguinem nigrum, fœtidum, concretum evacuant per alvum, ſi dextrum hypochondrium fuerit durum, tumidum, ac doloroſum, facies citrina, certo moriuntur. Ita obiit nuper æger in Campo martio prope ædes Medicæas: Et alius prope forum Nervæ poſt Templum S. Hadriani. Si mollia ſint hypochondria, ſanari poterunt. Ego enim vidi urinas nigras, fœtidas, ac pene ſanguineas, quæ adinſtar criſis ægrum liberarunt a morbis capitis. Ita ſanguis niger per alvi fluxum liberare poteſt a morbis meſenterii præcipue dolorifici, uti & lumborum.

Proportione motus, & reſiſtentiæ inter ſolida homogenea, & eterogenea adnotata, ad proportionem ſolidorum cum fluidis, & fluidorum inter ſe detegendam, exponendamque progrediemur. Quoniam vero fere omnes Itali, & Angli, aliique inſignes Doctores abunde hoc ſæculo de fluidorum vitalium motu, & legibus ſcripſerunt, de circulatione ejuſdemque effectibus tractantes paucis nos proportionem, & æquilibrium inter liquida explebimus, quando multis non eſt opus. Sed ſubnectamus obiter nonnulla poſtulata, atque corollaria ad præſentem materiam pertinentia.

COROLLARIA

Et Poſtulata.

1. PLeuritides ſiccæ, Aſthmata ſicca, Hydropes ſicci, ſolidorum vitio magis, quam fluidorum oriuntur, vitio inquam ſolidi irritati, criſpati, intenti. Et licet ſolidum progreſſu temporis in conſenſionem trahat fluidum; in curatione tamen ſemper major habenda ratio ſolidi, quam fluidi. Tonus fluidorum ſemel amiſſus facile reſtituitur, ſolidorum vero difficulter vel raro.

Ad ſanguinem in omnes partes rite diſtribuendum, uterque cordis ventriculus tum ſinus capacitate, tum pulſus rythmo inter ſe convenire debent: vaſorum quoque omnium ad ventriculos cordis mutua analogia, & exacta commenſuratio eſt; & ſanguis omni ſyſtole ejectus Aortæ ramis omnibus proportionatur; quare ſi aliqua de cauſa ſanguinis curſus alicubi impediatur, neceſſe eſt, ut locum quærat, & vim faciat ſanguis ſuccedens in partes vicinas, aut remotas. Sed quoniam ſanguis toti corpori juxta menſuram proportionatus eſt, & ſingulis partibus debita proportione deſtinatus, ab iis major copia propter ſpatii, & reſiſtentiæ defectum excipi non poteſt. Quare neceſſe eſt, ut mole, moraque indebita

retentus in ſolidis, ipſorum tonum lædat, enervet, variiſque morbis producendis occaſionem præbeat. Ita qui nimium ſanguinei ſunt, & facie rubicundi, in convulſivos morbos ætatis progreſſu incidunt. Hinc quoque plurium aliorum morborum origo, Mulieres nimium ſanguineæ, calidæ, & rubicundæ doloribus uteri atrociſſimis circa tempus menſtruationis, vel quolibet alio tempore ob dictam cauſam quatiuntur. Qui ſanguine nimium turgent vel naturaliter, vel copioſo victu, convulſionibus primo, paulatim deinde corripiuntur torpore partium, denique apoplexia, vel capitis gravitate. Contra quibus ſanguis nimium deficit, vel hæmorrhagia copioſa, vel aliis inanitionibus pariter convelluntur. En quomodo debita eſſe debet liquidi ad ſolidum proportio tum in quantitate, tum in motu; quod ſi exceſſerit, convulſiones, aliique nervorum, capitiſque morbi oriuntur.

III. Sicuti ſanguis modo ſupradicto proportionatus eſt cordi, vaſis omnibus, & partibus ſingulis, & contra cor, vaſa, & partes ſanguini, ita fluidum nerveum proportionatum eſt duræ matri, nervis, & partibus, & contra partes, nervi, & dura mater fluido nerveo. Qua proportione mutata, varii in hominibus defectus circa ſenſum, ac motum oriuntur, prout infra dicemus.

IV Quando ſolidum alicubi ſuperat reſiſtentiam fluidi nimia criſpatura, ſiccitate, irritatione, ac tenſione, ſi fortia dederis Diuretica, Purgantia, aut Diaphoretica, quo vehementiora hæc erunt, eo magis creſcet irritatio, criſpatura, tenſio in ſolidis, & magis magiſque impedietur fluidorum curſus per partes. Hac de cauſa ex abuſu purgantium in hydrope ſicco, creſcit magis pedum, ventriſque tumor; Ob eandem aſthma ſiccum definit in hydropem pectoris, ſicca pleuritis in inflammatoriam totius pulmonis affectionem. In animi pathematis, affectibuſque hyſtericis, & convulſivis urinæ albæ eos antecedunt, & conſequuntur. In febribus lymphaticis, meſentericis, ex infarctu cacochiliæ in meſenterio ortis, & ob id nimium irritato ſolidorum meſentericorum elatere, ſi teſtaceis, & china chinæ nimium, & intempeſtive, ac imprudenter abutaris, ut ſæpe vidi apud imperitos Medicos, morbos capitis, parotides, lethales viſcerum inflammationes expectato. Per Analogiam de allis morbis, & morborum ſucceſſionibus diſcurrito.

V. Morbi partium in ſubſtantia, & compage ſimilium mutantur adinvicem; glandularum in glandulas, membranarum in membranas, & ſic deinceps.

VI. Quoniam mutua eſt ſolidum inter, & fluidum circa motum, & reſiſtentiam communicatio, laxata compage fluidorum, laxatur per conſenſum illa ſolidorum. Intenta contra, intenditur & illa. Ideo laxata ſanguinis compage per ſanguinis miſſionem in Aſthmate flatulento, ceſſat Aſthma, quoniam ſucceſſive laxantur intentæ fibræ, in quibus vis, & Anima morbi erat. Per ſanguinis quoque miſſionem eadem ratione curſus fluidorum, & libertas oſcillationis ſolidorum frequenter reſtituitur.

VII. Qua mechanice ſolidum irritatum in dolore dentium ſuperat reſiſtentiam fluidi, tumoremque maxillarum producit, eadem in internis viſceribus dolorificæ affectionis vi, & elatere ſolidorum vitiato turbatoque, fluidorum curſus varie intercipiuntur, & pertubantur. Et ſicuti fruſtra adhibentur remedia ad ſolvendum Genarum tumorem, & in libertatem ponenda liquida intercepta, niſi curatio tota ad ſolidum dirigatur, in quo morbi vis, & poteſtas reſidet, ita in internis morbis fruſtra laboras fluidis exaltandis, ſolvendiſque per volatilia medicamenta, niſi mentem habeas ad ſolidum, quod morboſum eſt, quodque fluidum trahit in conſenſum. In hydrope ſicco ventris, quo magis purgaveris, vel copioſa dederis diuretica, eo magis tumores pedum, & abdominis creſcere obſervabis. Laxandum prius eſt ſolidum nimium criſpatum, deinde remedia danda ſunt. Ideo ſæpe hydropes ſicci circa finem hydropes humidos poſt ſe trahunt.

VIII. Medicamenta purgantia, diuretica, & aperientia, nimium acria, quæ referandis viſcerum vaſis præſcribuntur, ſi morbus a ſolidis, non a fluidis cœperit, non referant vias, ſed magis intercludunt. Creſcit enim per talia remedia criſpatura, & oſcillatio in ſolidis, majorque ſolidorum ſupra fluida reſiſtentia, reſque deſinit in cancros, ſcyrrhos, lethaleſque viſcerum obſtructiones. Quod ſæpe experimur poſt partum difficilem, poſt diuturnas menſium, lochiorumque ſuppreſſiones: & ſic de reliquis liquidorum ſuppreſſionibus, ſolidi vitio productis, diſcurrendum.

IX. Fluidum vitale impellens in ſolidum pelliceum, ſive in canales pelliceo conicos vaſorum, ſi centrum morboſæ oſcillationis in vaſe aliquo inveniat, ſtatim, & vehementer turbatur, intercipitur, varieque afficitur; ſi vero in fibris, ad quarum contactum circulat, non ita.

X. Cerebrum, & meninges ſenum, qui acriter ſtudiis incumbunt, quique curis, & vigiliis ſupra modum obnoxii fuere, ſicca, arida, & dura poſt mortem inveniuntur: laxa contra, & nimia lympha madentia in otioſis, ſomno, luxuque abutentibus. Quod ſerio animadvertendum ad ſolidorum morbos recte dignoſcendos, curandoſque.

XI. Liquores, qui in vaſis varii generis, ſed inter ſe communicantibus, ideſt libero exiſtente alterius in alterum commeatu, continentur, tunc in æquilibrio poſiti eſſe dicuntur, cum in certa, determinataque altitudine conſiſtunt, cumque nec aſcendunt nec deſcendunt. Datam hanc liquidorum æquilibrationem in ſanguine debemus inquirere, in eo enim plures concurrunt motus, projectionis, progreſſionis, inclinationis, horizontales, aſcenſus, decenſus, &c.

XII.

XII. Quoniam liquidorum particulæ arctam inter se connexionem non habent, nec puncto in uno singularum gravitas vigere, aut colligi potest, ut in solidis evenit, ideo per se gravitatis centrum non habere liquida crediderim. Potest tamen in eis concipi centrum gravitatis, ratione vasis continentis, quo fit, ut liquidum contentum habeat aliquatenus rationem, & vim solidi ad gravitandum, & tota liquidi gravitas vigeat in quolibet puncto axis gravitatis, aut saltem in extremitate inferiori illius, aut potius in parte basis, ad quam definit axis gravitatis liquidi contenti, &c.

CAPUT VII.

De variis fibrarum effectibus; & primo de magna vi, elatere, & resistentia solidorum.

CUm ea, quæ præmisimus capita, alterum ex altero veluti per corollarium ducta sint; ut ita clarius intelligatur inter solida, & liquida corporis animati æquilibrium, & proportio, de qua breviter in capite antecedenti disseruimus, & in qua indolis in hominibus, temperamentorumque varietas consistit, nec non multorum morborum origo, & causa; res quidem nunquam Medicis cordi habita, nec hactenus in practicen redacta; præsenti in capite vires solidorum insitæ, sive propriæ, deinde fluidorum propriæ, demum singulorum conjunctæ perpendendæ sunt, quo magis constet cuinam illorum major sit resistentia, & vis; an solido supra fluidum, vel contra; an vero æqualis utriusque. Diximus paulo ante, hæc capita breve esse specimen illorum, quæ postea in opere magno de solidis corporis animati dabuntur. Et ideo nimium prolixi nunc esse non possumus in examinandis, certoque determinandis tribus præfatis solidorum, fluidorum, eorumdemque simul unitorum viribus ac resistentiis; multo magis quod secundus liber de fibra motrice inscriptus, proprietates, & effectus fluidi a solido differentes considerabit; sicuti liber iste effectus, & proprietates solidi a fluido differentes considerat. Quare præsenti capite perpendenda erit vis, & resistentia solidi innata, idest solidi cum fluido non conjuncti, ut inde quisque concludere possit, utrum illorum alterum superet viribus, & resistentia.

Certum est apud omnes Medicos, Coper fortissimam suarum fibrarum constrictionem remotissimas in partes impellere sanguinem; & pro debiliori aut vehementiori ejusdem impulsu, sanguis majori, vel minori celeritate, ac impetu excurrit. In hac igitur actione solidum, nempe cor, fluido imperat; & hoc ad solidi leges recipiendas (ita postulante corporis animati natura) promptissimum est: sed quoniam parvum membrum, quale cor est, sua vi, quæ determinata est, tantum nequit impetum in sanguine imprimere, quanto hic indiget ut superare omnino possit tot resistentias partium, per quas perpetuo fluit, refluitque; providit naturæ genius, ut omnes fibræ omniaque earum minima veluti totidem infiniti vectes multiplicati, insensibili suo motu systaltico, sive oscillatorio premerent perpetuo fluidum currens, & quasi essent in subsidium & levamen cordis facta, ad ulteriora semper urgerent. Quod verum esse manifeste ostendit utilitas, quam ab assidua motione corporis, & a quotidiana exercitatione percipimus, & contra damnum ingens, quod in otiosa, & sedentaria vita experimur: Liquidum enim per continuas fibrarum muscularium pressiones suum feliciter cursum per partes perpetuat, & versus cor magis magisque urgetur, ut ab eo novum motum, atque impetum ad vitam necessarium acquirat. Quæ pressiones cum in otiosis & sedentaneis, vel deficiant, vel non ita vividæ sint, necesse est ut fluidum, quod ad contactum fibrarum circulat, tardiori gradu progrediatur, atque hinc inde per fibrarum spatia hærendo, corpus ad hydropes, cachexias, tumoresque pedum disponat, & inde etiam alvi ficcitates, congenitarum evacuationum suppressiones & alia quamplurima mala succedant.

Ex his colligendum est, quod fluidorum motus cor excitat, & dirigit: partium vero fibræ eosdem adjuvant & promovent: ac proinde majorem esse posse vim in solido ad impellendum, quam in fluido ad resistendum.

Sed aliquis objiciet: Certum est solidum cordis omnia liquida in gyrum pellere, & hac ratione liquida solidorum potestati esse magis obnoxia, quam contra. Sed verum etiam est cor moveri a liquido, nempe a fluido nerveo, in ipsum per nervos perpetuo instillato, ac proinde fluidi supra solidum potestatem majorem esse, quam contra. Cui quidem objectioni respondere ante non possum, nisi tale fluidum nerveum mihi primo ostendat Adversarius. Ecquis illud unquam vidit, vel experimentis probavit? Revera dari ab effectibu deduci potest, sed igneum illud esse, sulphureum, nitro salinum, & impetuosum, adinstar pulveris pyrii, nemo prudens audacter asseret; quamobrem prudentius se gerant imposterum Medici, qui ad nauseam usque ingentem vim, activitatem, & potestatem spiritibus, & fluido nerveo adscribunt.

Si enim corporis motus fierent per magnum impetum explosionemque continuam, quam spiritus in partibus excitant, ut a nitroso bellici tormenti pulvere fieri solet, homines continuas, & vehementes pro naturalibus motibus convulsiones paterentur. Cum igitur vera hujus liquidi natura ignota nobis adhuc sit, & ignota quoque quantitas, quam singulis momentis cerebrum transmittit ad cor; neque demum magna vis, qua

illi tribuitur clare innoteſcat; non poteſt certo aſſeri exiguam liquidi nervei, per nervos ad cor devenientis quantitatem, villorum cordis reſiſtentiam ſuperare nimium, atque excedere, ſicuti certo aſſeri poſſet, quod fluidum ſanguineum ad cor perveniens preſſionibus cordis ſubjicitur, a vivido ſuarum fibrarum elatere, & reſiſtentia ſuperatur, & ad remotas quaſque partes propellitur; ac proinde elaterem, & preſſionem fibrarum impellentium potentiorem eſſe reſiſtentia fluidi impellendi. Præterea ſi ranæ, viperæ, vel ſimilis animalis cor recens avulſum obſervaveris, pulſare illud per non exiguum tempus conſpicies: & ſi in fruſta ſcindas, ſciſſæ quoque particulæ æſtivo potiſſimum tempore ordinate pulſabunt: quæ in extincto corde motiones, non a fluido nerveo, ſed ab innato ſuarum fibrarum elatere excitantur, & foventur. Fluidorum vero motus circularis quoniam totus a ſolidorum motu pendet, ſtatim ac extra vaſa ſunt, deficiente in illis tali motu, corrumpuntur ſtatim, & putreſcunt. Quare ſicuti fluida deſtinata ſunt ad nutritionem, aliaſque vitæ functiones, ita ſolida ad motiones in fluidis excitandas, & perpetuandas facta eſſe credendum; quæ quidem ſolidorum vis, non tantum pendet a fluido ea irrigante, ut hactenus exiſtimarunt, quantum a peculiari & innata ſuorum minimorum compage, elatere, & reſiſtentia.

In hac de viribus ſolidorum conjectura plura me confirmant, quæ circa corporis animati functiones quotidie meditor. Et primo conſideremus Ruſticum, aut Bajulum, & in eis conſideremus nimiam fortitudinem & ſummas vires in ſuſtinendis laboribus. Ruſticus pane vinoque utitur miſerrimo, herbis veſcitur, cibiſque miſerrimæ nutritionis, paucique ſpiritus.

Ex hujuſmodi cibo, & potu, per chymicam diſtillationem, plurimum aquæ, ac terræ, minimum vero ſpiritus, ſaliſve volatilis elicitur. Sanguis igitur inde genitus aqua, terraque plurima, pauco vero ſpiritu conſtabit. At quoniam tota vis motuum in partibus, juxta communem opinionem a ſpirituoſis & volantilibus liquidorum particulis pendet, certe Ruſtici ipſarum defectu, languidi, debiles, & ad labores inepti eſſe deberent: ſed contrarium experientia oſtendit, nam ſupra reliquos homines lautiori cibo utentes, fortiſſimi ſunt, laborumque patientiſſimi. Robur itaque ipſorum non a liquidis oritur, ſed a ſolidis, quorum fibræ aſſidua exercitatione roborantur, tenduntur, criſpantur, & elater nimium intenditur, iiſque de cauſis ſolida ita exercitatione intenſa fluidis ad contactum circulantibus magnos vividoſque motus communicant; hinc vires in hujuſmodi corporibus ingentes. Contra in divitibus, & lautiori cibo utentibus, quibus ad ſuſtinendos labores aptior, quam in Ruſticis, eſſe poſſet; exercitationis tamen defectu laxiori reddita ſolidorum compage, perit quoque in eis energia & vis, quam in impellendis fluidis exercet, & inde ad motum & ad labores ineptitudo exoritur. Hac de cauſa ictus pugni, qui honeſtum civem, & delicatum ſummopere læderet, inter Bajulos voluptatis, ac fere mutuæ benevolentiæ ſignum eſt, quod forti ſuarum fibrarum elateri maxime tribuendum, per quem cuilibet externo objecto maxime reſiſtunt. Nonigitur a fluido vitali ex aqua, & herbis elicito in Ruſtica gente ingentes illæ vires, & robur producuntur, ſed ab aucto per exercitationem fibrarum elatere, & inde nata oſcillatione. Veteres Græcorum, atque Romanorum Athletæ, nec non Gladiatores qui peculiari victu, tenui nempe ac diæta veluti pythagorica utebantur, undenam quæſo tantam vim, atque robur acquirebant? certe non a fluido vitali nimium ſpirituoſo, nam tenuiter veſcebantur, ut docte ſatis oſtendit doctiſſimus & illuſtriſs. *Mercurialis* Italiæ gemma in aureis ſuis libris *de Gymnaſtica*: ergo a magna vi, elatere, intenſione, roboreque, ac criſpatura fibrarum, quam continua acquirebant exercitatione. Ad quod reſpiciens *Celſus*, Latinus vere *Hippocrates*, in præfatione ſui operis ait: *Ignavia corpus hebetat, labor vero confirmat; illa maturam ſenectutem, hic vero longam adoleſcentiam redit, &c.*

Hac etiam de cauſa, nempe ob nimis validum, fortemque elaterem, &, criſpaturam ſolidorum in Ruſticis, aliiſque nimio labore exercitatis hominibus, ſæpe evenit, æſtivo præſertim tempore, ut acutis, & inflammatoriis laborent morbis, quales ſunt pleuritides ſiccæ, pulmoniæ, aſthmata ſicca, &c. & ab illis difficillime liberentur. Cujus rei conſcius Senex magnus, Sect. 1. coac. 45. comment. 2. *Hollierii*, ſic loquitur: *Exercitata, ac denſa corpora citius a pleuriticis, & pulmonariis morbis intereunt, quam otioſa, &c.* Exercitata namque corpora, cum habeant ſolidum nimis durum, tenſum, atque criſpatum, fluidorum curſum inflammata in parte magis intercipiunt, & ita inflammationem adaugent. In inflammatoriis enim affectibus laxitas tum in ſolidis, tum in fluidis neceſſaria eſt: & ſi non adſit, a medico per debita remedia procuranda, in hoc enim unice tota vis curationis conſiſtit. Ad rem facit animadvertere hic loci, quod ſi medicus in hominem incidat calida ſiccaque temperie, ac nimis valida fortique fibrarum textura præditum, quæ fluidum in ſuo motu retardare ſolet, aut liberum eidem circulum non permittit: & ratione alicujus morbi indigeat æger purgantibus, diaphoreticis, aut alio hujuſmodi medicamine, quod liquida maxime agitet, debet ſemper illi præmitti aliud remedium, quod ſolidum natura ſua nimium criſpatum, nimiumque tenſum reſpiciat, ut eo paulum relaxato, liberius excurrat liquidum a purgante, vel diaphoretico

tico agitatum, & ad novos, majoresque motus provocatum. Quare nos in his casibus ante purgans, vel ante diaphoreticum, dulce amygdalarum oleum, vel potius Jusculum malva, violis, lini seminibus, aliisque hujusmodi temperatum exhibemus, & ob eandem rationem in internis partium doloribus, in quibus solidum nimis irritatum, nimisque crispatum supponitur, Purgantia, & Diaphoretica cum oppiatis miscemus, oppiata namque solidorum crispaturam relaxant, qua relaxata, melius opus suum absolvunt purgantia. Quod autem particularis solidorum structura faciat ut ea pro varietate structuræ uniuscujusque varie resistant in suis motibus, funium experimenta abunde nos docent; aliam enim resistentiam, & vim habent funes, lino, cannabe, sericoque; aliam vero lana, Animalium intestinis, ramis arborum, ferroque contexti. Ita quoque solida nostri corporis propeculiari singulorum structura elaterem, & vim habent singula differentem, & a fluido valde diversam, eoque, ut supra probatum est, superiorem. Et sicuti animalium pelles, & chartæ coriaceæ igni admotæ contrahuntur modo longe diverso ac contrahitur tela, vel papyrus ob diversam minimorum singula componentium structuram: ita quoque fluida nostra vitalia per fibras currentia, aliam in membranosis, aliam in carnosis, aliam in osseis impressionem faciunt. Et ex varia hujusmodi impressione varii in hominum sive sanis, sive morbosis functionibus oriuntur effectus.

Quanta sit porro necessitas considerandi solidum in cognitione, curationeque morborum, anno proxime elapso experti sumus in Juvene, qui decumbebat in Foro Columnæ Trajani, non longe a Balneis Pauli, quorum vestigia adhuc etiam supersunt in Palatio prope Monasterium S. Catharinæ Senensis. Hic Juvenis raram adeo, ac delicatam fibrarum texturam habebat, ut si quis circa collum, vel axillas paulo durius, vehementiusque ipsum tractaret, statim veluti in syncopem incidebat, & vago totius corporis horrore ante corripiebatur. Et si hæc fibris exterius in cute succedunt, cur negabimus eadem quoque interius in illis fieri a fluidis circulantibus, atque adeo in morborum curationibus fluidi æque, ac solidi habendam rationem esse, neque vires fluidorum tantopere evehendas, sicuti hactenus a medicis factum videmus, spreta solidorum consideratione? Ita si præscripseris ægro diaphoreticum, ut fluida in novos vehementesque motus ponat; fibra vero ægrotantis sit naturaliter, aut ex morbo, intenta nimium ac crispata, nec facile cedat fluido in motum posito majorem, imo eidem resistat, videbis tunc a fluido magnam vim fieri visceribus, partibusque internis, & pro partium per quas transit diversitate, diversa oriri symptomata, dolores inquam, deliria, vigilias, convulsiones, &c. Hæc omnia frequenter in praxi observavimus, quando in acutis, & inflammatoriis morbis, in quibus nimiam solidorum crispaturam supponimus, purgantia, diaphoretica, & spirituosa remedia intempestive, idest crudo adhuc existente morbo, nec debita in solidis laxitate procurata, præscribuntur. Quare in pleuritide, nunquam sputum expectare oportet, nisi procurata prius solidorum, & fluidorum inflammatæ partis per debita remedia laxitate. Quod de pleuritide dicimus, de omnibus Acutis dicendum intelligimus.

Et revera quod solido major, quam fluido vis insit, & resistentia, non aliunde clarius deducitur, nec profecto clarius demonstratur, quam a posteriori, ut ajunt, sive ab effectibus. Nam per strictissimas geometricæ demonstrationis leges neque hæc, neque aliæ corporis functiones a nobis certo percipiuntur. Siquidem ignota nobis omnino est natura flammæ vitalis, quæ ardet in sanguine, vasorum omnium ignotæ diametri productiones, ignoti demum, ut alia multa taceam, differentes liquidorum per singulas partes motus, in quibus vita consistit, nec ad exactam Geometrarum demonstrationem possunt reduci. Ab effectibus experimur quod delirium a fortissimo duræ matris elatere producatur, quia nullo remedio vidimus illud sedari citius, quam fomento aquæ tepidæ, pedibus, ventri, & volis manuum per spongias facto. Qua ratione relaxatis dictarum partium fibris, jure consensionis relaxantur quoque crispatæ, & nimium intentæ duræ matris fibræ, sicque minuitur delirium, quod usu vesicantium, & internorum remediorum sæpe exacerbatur, & augetur. Ob hanc quoque nimiam ab antecedenti morbo factam fibrarum crispaturam succedit, ut post molesta pedum erysipelata nascantur œdemata diuturna, & incommoda, quæ vix cedunt remediis intus sumtis, sed tantummodo fomentationibus herbæ alicujus vulnerariæ, mollientis, ut nuper sum expertus in muliere prope templum S. Hieronymi nationis Sclavorum, & Dalmatorum ad ripam Tyberis, non longe ab Augusti Mausolæo. Sic etiam lethargiæ, quæ in acutis, & inflammatoriis morbis observantur, & præcipue accessionum initio, non tantum producuntur a sanguine stagnante in cerebro ob coagulum, quod in sinu habet; quantum ab inflammatoria fibrarum crispatura in meningibus, cujus causa liquidorum cursus per cerebrum retardatur, unde sopores & comata. Porro cum major sit elater, & intensio fibrarum cerebri in hoc casu, quam vis undulationum fibrarum a sensibus ad cerebrum propagatarum, tales undulationes utpote debiliores vix ab animo percipiuntur: hinc torpor, & alienatio mentis.

Sed quam ingens sit vis, & potestas solidorum supra fluida, didici proxime elapso mense Septembris hujus anni 1701. quo scribimus, in

Ægra

Ægro 40. ann. decumbente ad Ædem Lauretanam in Foro Trajani. Athleticus hic erat, & valde robuſtus. Febri corripitur vehementiſſima cum horrore, & ſpirandi difficultate. Quotidie creſcebat morbus, urgebantque motus convulſivi vehementes; fruſtraque præſcriptis innumeris ab ejus medico remediis, repente horrendis motibus convulſivis correptus, miſerrime interiit. Secto cadavere cum Viro amiciſſimo *D. Godefrido Oſterchampio*, inter Arcades *Teleſio*, nulla pene pinguedo inventa eſt ſub univerſa cute, ſed ejus loco pelliculæ tenues complicatæ; fibræque muſculorum ita erant duræ, aridæ, atque tenſæ, ut vix optimis cultris ſecari poſſent; quod quidem rare obſervavi in humanis cadaveribus. Inteſtina erant ſummopere laxa, & flaccida, & inde veluti innatabant in pinguedine fuſa, & oleum olivarum condenſatum referente; nimium quoque plicata, & in ſuis naturalibus gyris turbata eadem obſervavimus; ita ut pene ad oculum appareret motum periſtalticum fuiſſe mutatum. Eadem inteſtina parti poſteriori corporis, & coſtis ſpuriis fortiſſime adhærebant. Moles hepatis ingens, & veſicula fellis ſolito major, bileque turgida. Fibræ carneæ diaphragmatis nimium duræ, ac tenſæ. Pulmones hærebant fortiter coſtis. Subſtantia eorum flaccidiſſima, & nigra. Duo polypi ingentes, & carnoſi inventi ſunt, alter in Aortæ foramine ad oſtia cordis, alter priori minor in vena cava ad alterum oſtium cordis. Polypi calida loci valde carnoſi apparuere, cum pauca hinc inde pinguedine. Ex his certo conſtat morbum omnino fuiſſe vitio ſolidi productum, fuſaque univerſa cutis pinguedo a vehementiſſimis fibrarum carnearum convulſionibus (ut muſculi ventriculorum avium fundere ac conterere contractionibus ſuis cibos ſolent) tota in abdominis depluit cavitate; in eaque veluti in oleo natabant inteſtina.

Nos igitur in hujuſmodi cadavere reſpicientes ad maximam fibrarum duritiem, quam in omnibus ejus muſculis obſervavimus, nihil proinde miramur, ſi ſubſecuti ſunt metus convulſivi adeo vehementes, ut non modo totam ejus pinguedinem liquefecerint, verum etiam Patientem pene ſubito jugularint. Atque in hac obſervatione confirmati credimus, vim incredibilem, & horrendam, quam Maniaci habent, non ab acido vehementer pungente, ut Recentiores ſomniant, ſed a maxima fibrarum exſiccatione produci, cujus ratione portentoſum acquirunt elaterem, qui reſiſtentiam quamcumque finitam ſuperandi vim acquirit, eandemque conſervat. Quæ quidem veriſimilia eſſe ſtructura corporis Maniacorum certo nos docet.

Hujuſmodi homines plerumque ſicci ſunt, nigris capillis præditi, cutis colore ſubnigro, naturaliter impatientes, volubiles, & ad operationes promtiſſimi, quæ ſingula maximum in ſolidis indicant elaterem. Quare veluti per analogiam ab his morbis ad inveſtigandam aliorum a vitio ſolidi pendentium naturam jure quodam procedemus.

Præterea potentia ſolidi ſupra fluidum producitur etiam a fortiori, ſolidaque fibrarum ſtructura in Animalibus quamplurimis. Magnum Leonis robur, & vis non tantum ab illius fluido dependet, quantum a fortiſſima fibrarum textura, & admirabili minimorum filorum criſpatura, quam nos elapſis annis 1691. ut ſupra indicatum eſt, Venetiis vidimus. Pariter vigor ille magnus, quem uſu Gymnaſticæ, & quotidianæ exercitationis acquirunt Homines, non oritur ex eo quod fluidum vitale vilibus licet elicitum cibis, naturam ſuam mutet in melius; cibi enim aquei aqueum ſanguinem gignunt, ſed quia uſu Gymnaſticæ fibra vigorem, tonum, & elaterem acquirit majorem, cujus ope fere ſponte ſua, vel pauca liquidi interveniente quantitate magnæ reſiſtentiæ motus producit. Hanc ſolidi poteſtatem, & vim in commutanda natura fluidi arborum Inſitiones aperte oſtendunt; ſi enim ceraſo pyrum inſeras, Inſitio producet fructus arboris, unde reciſa, non vero cui fuerit inſita, quamvis per arboris truncum idem alimenti genus excurrat. Sic etiam a mirabili muſculi univerſalis cutanei ſtructura in Hyſtrice manifeſte deprehendimus, ejus fibras totidem quaſi parvos arcus eſſe, vel minimos fortiſſimi elateris vectes, qui quando tenduntur, ſpicula magno cum impetu vibrant, & jaculant undequaque. Hujuſmodi occaſione nacta referam, quæ cum amiciſſimo ſolertiſſimoque Domino *Oſterchampio* in hyſtricis dorſali muſculo obſervavi. Muſculus dorſalis hyſtricis ab aliis dorſalibus tenuiſſima reticulari membrana ſeparatur, ut quaquaverſum ingentem vim exercere libere poſſit, præterea valde denſus, & ſolidus eſt, paniculoque carnoſo tenui interveniente membranæ adhæret. Ejus fibræ, quod ſerio monendum, valde craſſam, denſam, ſolidamque obtinent conſiſtentiam, unde vis ingens in jaculandis ſpinis exoritur. Ad ſpinarum bulbos ex interiori cutis parte fibræ nerveæ tranſverſales ſolidæque deſinunt, & aliquantum oblique veluti ſerpendo ad eas perveniunt; cujus equidem novitate rei valde delectabatur quoque doctiſſimus *Melchior Douzaidans* Excellentiſs. Principis de Lobcovvizt Præceptor, & noſter amiciſſimus. Unde juſta de cauſa homines debilem fibrarum texturam ſortiti, vel fortem, ſed motu continuo non exercitam, ſemper fere debiles ſunt, licet cibis valde nutritiis, & ſpirituoſis plurimum ſaginentur. Nam vis & energia motuum non pendet omnino a fluido nimium ſpirituoſo nimiumque igneo, ſed a valido ſolidorum elatere, fortique textura.

Hinc etiam eſt quod Teſtudo, quæ in Indiis,

juxta *Boilæi* ſententiam, magna adæquat Animalia, quamvis habeat ſanguinem actu frigidum, ac proinde ineptum ad nitro-ſulphureas eas exploſiones concipiendas; tamen motus ſuos perfecte obit, oſſeique corticis ingens pondus, motionibus ſuis facillime ſuperat: imo obſervante Domino *Redi*, ut refert eruditiſſimus *Fantonus differt. anatom. de cerebro*, Teſtudo, cui extractum fuit cerebrum, ſex menſium ſpatio vixit, ſenſu, motuque ſuperſtite. Spinalem medullam in hoc caſu cerebri forſan vices geſſiſſe crediderim. Porro mira agilitas, celeritaſque inſectis, minimiſque idgenus animalculis, herba paſtis ſatis nota, non ab eorum liquidis, viſcidis certe, ac glutinoſis, ſed a vivido ſolidorum elatere progignitur.

Sed ſupra omne exemplum poteſtatem ſolidi in fluidum ſatis manifeſtant graviſſima illa, periculoſa, ac repentina accidentia, quæ producit in renibus calculus ad veſicam deſcendens, ſcyrrhus uteri, aliarumque partium, & id genus quamplures ſolidorum morbi. Dicunt hujuſmodi ægrotantes ſe dormire velle, ſed revera non poſſe, cibos appetere, veſci tamen non poſſe, verbo dicam, ipſimet ægrotantes animadvertunt morbum ſolidi magis, quam fluidi vitio oriri. Et quid aliud quæſo eſt, quod multis in locis memorat Senex magnus, *Plures Mulierum morbos ab utero univerſo pendere*, niſi merum ſolidi, ſive fibrarum uteri vitium, quo ſemel nimium criſpatæ raro priſtinam recuperant mollitiem? Ab hujuſmodi morboſa criſpatura quotidianæ menſtruorum, lochiorumque ſuppreſſiones perſæpe oriuntur, quod a pluribus hodie medicis nunquam certe obſervatur. Ingentem ſolidi potentiam, ac vim in commutanda fluidorum natura, eorumdemque curſu varie intercipiendo ſatis ſuperque cognovimus in Sculptore decumbente non longe a Collegio Nazareno. Sexagenarius hic erat, & ſupramodum macer, ac tenuis, magnum ſculpebat marmor pro ingenti ſtatua, qua de cauſa diutiſſime gelido ſuper ſaxo pedibus ſteterat. Quia vero raram, ac delicatam fibrarum texturam obtinebat, doloribus colicis graviſſime cœpit torqueri. Neglectus ab eo morbus, mox adeo crevit, ut diſſoluta, ac perdita naturali œconomia, ob fortiſſimam criſpaturam a ſaxi frigore, &c. per plantas pedum in meſenterio contractam, inapperentia ſupervenit, nec non vigiliæ, febris, ac demum macies pene hectica cum vultus pallore. Improprio remediorum uſu, lactis nempe, calybis, &c. ruebat in deterius. Quare nos, his omnibus rite conſideratis, ægrotique medicum allocuti, judicavimus morbum originem habuiſſe a marmoris frigore, per plantas pedum ad meſenterium uſque propagato, ubi magna producta criſpatura graviſſimis occaſionem dedit accidentibus. Quibus ut mederemur, ſemicupia aquæ tepidæ per totum ventrem ſingulo mane, veſpere ante cœnam Balnea aquæ calidæ pedibus præſcripſimus. Alternis diebus Clyſterum emollientem, Aquam Chinæ pro potu, conditum ſtomachicum cum Iuſculo citrato, & cichoreato ſingulo mane. Per hæc remedia inducta debita, ac naturali laxitate in ſolidis meſenterii a pedum frigore nimium criſpatis, eductaque per lenes purgationes putri cacochilia ob dictas criſpaturas ibidem diu impacta, concretaque, brevi ac feciliter convaluit.

Quare ſicuti parvæ ſtatuæ artefactæ varios, atque admirandos motus manuum, pedum, capitis, totiuſque corporis ſine ullo fluidi impulſu, ſed tantummodo ob peculiarem ſolidorum compagem, & variam inter ſe connexionem, rotarum ſcilicet, elateris, cylindrorum &c. prout fit etiam in horologiis, abſolvunt; cur arbitrari quoque non poſſumus, quod humanæ fibræ ſint totidem veluti parvi vectes multiplicati, qui vel ad minimum fluidi impulſum, talem motionis impetum acquirant, qui per partium continuationem mirum in modum creſcat ſemper, & momento propagetur? Ac propterea vis illa ingens, ac pene admirabilis ſolidorum ſe moventium conſiſtat magis in peculiari compage ſuorum cylindrorum, fuſorum, rotarum ut ita dicam, quam in ſumma activitate, quæ ſpiritibus animalibus gratis, & ſine certa experientia tribuitur? Fateor ſane, quod fluidum nerveum primum impulſum, ſive inſtinctum ad motum producit; ſed vis ingens, quæ in obeundis motibus neceſſaria eſt, a peculiari fi rarum mechaniſmo pendet, perpetuatur, & creſcit. Et quoniam fluidum nerveum a ſolido meningeo exprimitur, major quoque eſſe debebit vis & reſiſtentia meningum ad illud, quam contra: ſicuti major etiam eſt vis & reſiſtentia cordis ad ſanguinem quem impellit, quam contra.

Præterea pulſatis ſolidis (ut explicari poſſet exemplo fidium cytharæ) multo velocius propagabitur undulatio motus, quam ſi alicujus liquidi currentis linea pulſetur, quod ob firmam adhæſionem particularum in ſolidis contingit. Quare pulſata fibra ſenſuum ab externis objectis, celerius pertinget ad cerebrum impreſſio motus per continuationem ſuorum minimorum, quam per continuationem minimorum liquidi intra ſe, vel pone ſe currentis, ac propterea functiones ſenſuum facilius explicari poterunt per oſcillationem, colliſionemque velociſſimam ſolidi cum ſolido, quam per undulationem fluidi in ſolidum vim facientis. Clare namque conſtat quod ſolidum cordis, arteriarum, ſimiliumque partium in motum concitat fluida, ac perpetuo propellit; ſed clare non conſtat quid moveat cor, quid arterias, quid reliqua ſolida: Niſi dicerem excitato ſemel in primordiis generationis elatere, & oſcillatione in ſolidis, perpetuari

petuari hanc ad vitæ finem, & pro varia partium neceſſitate augeri per ſimplicem contactum, & colliſionem ſolidi cum ſolido, colliſionem tamen adjuvante & elaterem excitante fluido, pone minima ſolidorum fila currente, ut in madefacto fune pondera elevante contingit. Si hæc nimium paradoxa videantur, facile corrigi patiar. Pariter ingentem eſſe fibris vim ad oſcillandum, eamque peculiari ſtructuræ ſuorum minimorum deberi magis quam fluido nerveo derivato, conjicere cœpi ex reſectione muſculorum in vivis animalibus. Sume anatem, hædum, vel id genus animalia magis quieta, quam non ſunt canes; ſeca diligenter muſculum femoris cum lanceola barbitonſorum, donec a reliquis vicinis bene fuerit ſeparatus, ſuiſque tendinibus adhuc hæreat vivo animali. Videbis quod immotis tendinibus fibræ in medio muſculi vivido motu agitantur, oſcillant, ac continuo criſpantur; & in centro muſculi orta oſcillatio undatim ac velociſſime deſinit, motu quodam veluti tremulo, ac vorticoſo in tendines.

COROLARIA,

Et Poſtulata.

ENergia percuſſionis ſuperare poteſt quamcumque finitam reſiſtentiam quieſcentem, & nullus eſt motus ita ſimplex, ut plures in motus componentes reſolvi non poſſit.

II. Sicuti morbi ſolidorum a fluidis vitioſis producti ſanari nequeunt, niſi ſanato prius fluido; ita contra fluidorum morbi vitio ſolidorum facti non curantur, niſi ſolidis ante curatis.

III. In ſolida corporis animati cadit centrum virium, centrum æquilibrii, & centrum gravitatis; ſicuti in ſolida non animata; iiſdemque legibus ſubjacent. Et ſicuti in centro virium maxima eſt percuſſio ex probatis noſtris mechanicorum; ita in centro oſcillationum in corpore animato maxima eſt vis, maxima actio. Et in hoc recondita morborum plurium, præſertim qui inflammatorii ſunt, natura reſidet. *Paucis nota, a paucis probata.*

IV. Elater, ſeu vis elaſtica corporis ea eſt, qua corpus externa vi a figura ſua detruſum, in priſtinam figuram ſe ipſum reſtituere nititur. Dari hanc vim nemo negat, nam preſſa corpora evidenter reſurgunt, coraque ſuo niſu reſtituta ab ſe alia abigere ſemper nituntur. Pro diverſitate ſoliditatis partium in corporibus, diverſus eſt etiam elater.

V. Jure poſſumus a morbo alicujus partis ad morbum alterius analogice diſſerere. Ita ſi Atonia, ſive debilis fibrarum ventriculi reſiſtentia producit ſtatim poſt paſtum ingentes flatus, tenſiones, borborigmos, ut cibi veluti in vacuam lagenam decidere videantur, & incocti per inteſtina ſecedant; quod fit ob parvam moram, quam ii in ſtomacho præfatæ ſuarum fibrarum flaccidatis cauſa faciunt; ſic etiam Atonia aliarum partium ſimiles producit effectus; & inde oritur tabes totius corporis ex labefactato ſyſtemate nervorum cutis, unde naſcitur Phthiſis nervoſa, Tabes in paralyticis partibus, &c. & ubi ſunt hujuſmodi Atoniæ, aqueorum remediorum uſus ſit moderatus, uti & oleoſorum.

VI. Quod in veſica urinaria eſt Iſchuria, Dyſuria, & Stranguria, id in cerebro eſt lethargus, vigilia, & delirium, id in aliis partibus ſunt vel ſuppreſſæ, vel nimiæ, vel depravatæ fluidorum, vitio ſui vel ſolidi, ſeparationes. Quare analogice poſſumus a morbo ad morbum diſcurrere, ſicuti analogice Anatomici ab animalium viſceribus ad Hominum viſcera, viſcerumque functiones argumentati ſunt ſæculo proxime lapſo 1700. rerum novarum, ſcientiarumque feraciſſimo.

VII. Quando dura mater ob vehementes Animi cogitationes, Affectus, & Pathemata nimium convellitur, criſpaturque, fluidorum ſecretiones infernis in partibus diminuuntur, vel turbantur. Ideo in talibus Hominibus pedes frigidi obſervantur, caput calidiſſimum, alvus ſyptica eſt, ſaliva parce fluit, male digerunt, & minus appetunt, &c. facies extenuatur, quæ faciei levis, ac momentanea exſiccatio, ac veluti macies poſt acres nimiaſque cogitationes dicta de cauſa apparet: poſt cibum vero, & ſomnum ſolvitur, & evaneſcit. Quæ omnia vitio ſolidi eveniunt. Id præteritis animadverti Kalendis Juliis præſentis anni 1701. in juvene ægrotante in campo Martio ad ædes Mediceas. Convulſionibus fere epilepticis obnoxius erat, paroxyſmorum inſultus incipiebant proprie in nuca, & circa latera maxillarum, dicebat ſe eo loci derepente fortiter comprimi adinſtar vehementiſſimæ ligaturæ. Si ligatura ſive paroxyſmus erat levis momenti, oriebatur ſtatim univerſalis ad motum impotentia, oris exſiccatio, linguæ ad interiora retractio, bombilus aurium, obſcuritas viſus, verbo dicam, ſenſu, & motu ictu oculi privabatur per totum, ſed leviter. At ſi fortiter invadebat paroxyſmus a nuca ſemper incipiens, primo ipſum clauſis repente faucibus veluti ſtrangulabat, deinde confuſis in cerebro animi operationibus motu, ſenſuque per totum privabat, laſſitudine incredibili per plures dies, poſt ſuperatum inſultum remanente. En ſpecimen ſolidi meningæi præternaturaliter oſcillantis. Quæ omnia facile reſpondent experimentis ſuperius relatis cap. v. factiſque in canibus, terebrata vertebra dorſi, vel colli, injectoque per ſiringam acri, acidoque liquore in cavitatem ſpinalis medullæ, quæ dictis liquoribus varie irritata ſymptomata hiſce non diſſimilia producebat, ut ibi retulimus.

CA.

CAPUT VIII.

De motu ſiſtaltico, ſive de Oſcillatione, & vi contractili Solidorum.

EA ergo, quæ ſuperius attigimus argumento eſſe poſſunt luculentiſſimo, praxim hanc noſtram, quam inſtituimus ad materiam ſolidorum corporis animati illuſtrandam, eo præcipue ſpectare, ut praxim potius medicam adjuvemus, & morborum naturam indicemus, quam ut theoricarum ſpeculationum vanitatibus, & pompæ deſerviamus; quæ quidem, cum quid ad uſum redigere oportet, exiguo ſane, imo nullo eſſe ſolet emolumento. Cum itaque hoc capite de motu innato, ſive de vi contractionis fibræ mihi ſit diſſerendum, illud unum obnixe curabo, ut ad examen tantum revocem contractionem illam, quæ ſtructuræ ſuæ vi ſolummodo efficitur, non autem cerebri impellente energia, & voluntatis imperio adnitente; & ut apertius loquar, vi ſcilicet innata, non autem ſuperaddita. Quæ quidem vis ſuperaddita, cum mire ob rei obſcuritatem, difficultatemque ingenia torqueat, & ſeſe probe non permittat intelligi, inde orta eſt opinionum multiplex illa varietas; quomodo ſcilicet fibra, & muſculus moveantur ſucco nerveo ſuperaddito, & momento temporis per phantaſiam tranſmiſſo. Sed quoniam hac de re fuſius diſputavimus in diſſertatione de anatome fibræ, de morbis, & de reſiſtentia ſolidorum cum adjunctis variis experimentis, Peruſiæ anno elapſo 1700. publicæ luci primo data, ne longior ſim, ea rurſus repetere ſuperſedebo. Satis erit ſi unico tantum obtutu Lector inferius inſpexerit, quæ in dicta diſſertatione adſcripſimus, ex quibus procul dubio vim contractionis fibræ, aperte & dilucide explicatam agnoſcet, necnon & noſtram de muſculorum motu opinionem. Nam re vera licet ſolidum nullo ſit omnino per ſe motu præditum; nihilominus tamen ratione diverſæ partium ſtructuræ, tum majoris, tum minoris reſiſtentiæ capax eſt; & dato, quod tale, vel aliud ſolidum in motu ponatur, majorem idcirco minoremve motionis vim, juxta componentium partium diverſitates aſſequeretur. Ferreæ enim virgæ commotæ longe alius impetus, & longe alia reſiſtentia eſt, quam vel ligneæ, vel plumbeæ. Hoc quoque pacto, cum ſolidum noſtrum æquilibratum ſit cum fluido, quod illud aſſidue circumfluit, impetus ille exiguus licet, & minimus, quem fluidum ſolido impartitur, iis quidem rationibus, quas ſuperius expoſuimus, mirum in modum augetur, diutiuſque perdurat. Vide ea de re *Borellum* in aureo libro *de vi percuſſionis*.

Sed ut certa methodo procedamus, & ut in materia valde utili, & captu difficillima, nobis non deſit perſpicuitas; inveſtigabimus primo vim contractionis a ſtructura, & fibræ tono præcipue promanantem. Secundo argumenta deducemus ex jugi, perpetuaque oſcillatione duræ matris. Tertio ex liquidorum curſu ad contactum. Effecta denique, quæ ab hujuſmodi perenni contractione producuntur, non abs re fuerit recenſere.

In quolibet ergo corpore reſiſtentia præcipue exoritur a ſtructura minimorum componentium; quæ quo ſolidiora, eo reſiſtentia major. Aer ipſe, qui fluxus videtur, evanidus, intractabilis, nihilominus a ſuis minimis ſuam habet reſiſtentiam: & illa reſonabilis Echo per aerem mirifice ludens, quid niſi ſuorum minimorum contractiva reverberatio, a corpore nimirum extraneo? Haud aliter vis reſiſtentiæ, & contractionis, ſive reverberationis cujuſdam peculiaris in fibra a minimis ſolidis, & tenacibus eam componentibus naſcitur: qui ſunt veluti totidem vectes minimi, uniti, & multiplicati, immenſarum virium capaces, dum ad motum ab externo corpore excitantur, & ex tot minimis infinitis vectibus ad motum concurrentibus, grandis illa efficitur muſculorum vis, & potentia in ſublevandis grandibus cujuſcumque generis ponderibus. Propenſio vero continua ad oſcillationem naſcitur ab æquilibrio ſuo cum fluido ad contactum decurrente, & ab inceſſantibus oſcillationibus quas duæ meninges, & præſertim dura, validiſſime efficiunt. Carneam ergo fibram ſive membraneam ſemper ad contractionem niti minime eſt ambigendum, cum omnem dubitandi locum ademerint qui ea de re præclare ſcripſerunt doctiſſimi viri *Borellius*, & amicus noſter Dominus *Cole*, *Loverus*, *Harveus*, *Bellinus* aliique non pauci. Unde autem eveniat, quod fibra aſſidue contrahatur, hoc erit in capite latius, & fuſius inquirendum.

Ut autem unicuique liceat animadvertere, quam in corporis animati operationibus, præcipue vero in muſculorum motu admirabilis extiterit divinus Artifex, ſat erit avem, aut quempiam ex quadrupedibus ſibi ſumere, & muſculum aliquem coxendicis cultro præacuto diligenter detegere, ibique egregiam illam vim contractionis in muſculo obſervare, quamvis animal ad ea experimenta delectum, nullatenus moveatur. Mihi vero pluries in anate cum unum quempiam de muſculis coxendicis detexiſſem, repente vis illa contractionis aſſidua mirifice innotuit, quam quidem vim in medio muſculi ſuam tantam exercere energiam identidem obſervavi, cum nihilominus immoti omnino tendines permanerent. Inde ſatis colligere datum eſt principium motus in medio muſculi incipere, in tendines autem deſinere. Quod ſi per acum trajecto filo muſculum adeo comprehenderis, ut muſculi ventrem valeas colligare, tunc videbis, vel ſtricto nodo contractiones toto

in

in musculo cessare, atque langueſcere, vel pauliſper relaxato, ad priſtinum rurſus motum redire. Ex quo clare patet, ut diximus, principium motus de musculi medio ortum ducere, deficere vero in tendines.

Continuus hic ad contractionem niſus, quando non eſt a musculo alicujus partis antagoniſta ſive contrapondio impeditus, evidenter etiam oculis percipitur ac demonſtratur; talis eſt motus periſtalticus inteſtinorum, conſtrictorius ſphincterum, & ſic de aliis partibus, quæ cum non extenduntur, aut dilatantur a fluidis vel currentibus, vel in eis contentis, ſponte ſua perpetuo ad conſtrictionem tendunt, ſemperque quodammodo corrugantur: ſicuti ſuccedit in utero poſt fœtum emiſſum; in ſtomacho poſt cibos concoctos, & expulſos; in veſicis poſt ejectam urinam, aut bilem ex ipſarum cavitatibus; & eadem ratio viget in aliis quoque partibus, quæ ad propellendas, vel in ſe ad tempus determinatum retinendas liquidas ſubſtantias ſunt deſtinatæ; ſed de certitudine hujus contractionis plura inferius in diſſertatione de anatome fibræ, ſtatim poſt ſpecimen horum quatuor librorum habebis.

Eas igitur rationes omnes atque Geometricas obſervationes, quas doctiſſimus *Borellius* in ſuo de vi percuſſionis libro in medium attulit ad comprobandum, quod varia illa motus incrementa, quæ in ſolidorum corporum percuſſione dignoſcuntur, non aliunde dependeant, quam a varia gravitate, ac minimorum componentium ſtructura; eas inquam rationes non incongrue transferre poſſumus ad ſolida membranoſa, ac muſcularia corporis animati, atque uno eodemque argumento veluti baſi firmiſſimæ inniti ad vim illam oſtendendam, qua ſolida, de quibus loquimur, ad contractionem feruntur, æquilibrio ſcilicet quo præponderantur cum liquidis, perpetuo ad illorum contactum concurrentibus, ut ſuo tempore facere decrevimus anatomicis experimentis in animantibus, & morborum practicis obſervationibus.

Præter igitur inclinationem illam, qua fibræ, ob præcipuam earum ſtructuram, ad contractionem feruntur, alia quoque eſt longe major, atque animadverſione dignior; ea ſcilicet, quæ valide imprimitur, exoriturque ab oſcillatione meningum, præcipue vero duræ Matris. Primis quidem hujus libri capitibus illud enuntiavimus, duram, & piam matrem, cum deorſum per omnes corporis partes expanduntur, viſcera producere, glandulas, vaſa, atque omnes omnium partium telas, quas vocamus membranoſas. Cum autem eæ omnes partes ſint revera duræ tantum matris continuata productio, ex legibus percuſſionum a *Borello* traditis neceſſe eſt continuum oſcillationis motum, qui in dura matre obſervatur, non in ea tantum veluti limitibus ſeptum contineri, ſed deorſum expandi per partes omnes, quæ ab illa veluti principio originem deduxerunt, adeo ut partes, ut ita dixerim, ſubjectæ primariæ partis imperio, Regis ad exemplum, oſcillent quoque perpetuo, & ad contractionem nitantur; idque faciant ob continuationem ſolidi potius, quam fluidi, quod dicunt nerveum, & animale. Quoniam vero nervi quoque ipſi maxima copia per omnes muſculos expanduntur & præcipue membranam efformant, qua eorum quilibet involvitur, fibræ etiam carnoſæ oſcillationem ſuam, ſive oſcillationis inſtinctum ab oſcillatione duræ matris nervorum per eos expanſorum trahunt, ac perpetuant. In aliud itaque tempus repoſitis argumentis ad veritatem hanc confirmandam, ea quæ dicimus, in quotidiana praxi, ſive in morborum obſervationibus abunde ſatis innoteſcunt. Diximus enim ſupra, medullares cerebri fibras obtuſo eſſe ſenſu præditas, & e contrario fibras meningum acutiſſimo. Quapropter in capitis vulneribus animadvertere eſt, cum cerebri pars medullaris pungitur, ægrotum non exhorreſcere, non excitari, non concuti, immotis quidem totius corporis partibus. Sed ſi pungatur vel dura vel pia mater, illico totum corpus repentino, gravique horrore concutitur, ſuccedentibus ſubinde motibus involuntariis, & convulſivis. Ergo ſi ex motu meningum perturbato, turbati quoque motus in partibus exoriuntur, debent quoque ex earumdem regulari motu motus in partibus effici regulares; atque illud per continuationem ſolidi potius, quam per expreſſionem, & liquidi tranſmiſſionem, ut ante dicebamus. Expreſſio namque, ſive tranſmiſſo liquidi ad efficiendos motus partium, voluntatis imperio ſubordinatos, deſtinata magis eſſe videtur, quam ad occultam quamdam in partibus oſcillationem producendam; quam quidem continuatione ſolidi potius quam impetu, & actione fluidi perpetuari, nunc quidem exiſtimare incipimus, ſed aperte adhuc non deliberamus.

Præterea, ut ſuperius admonuimus, cum capitis dolor, mania, delirium, melancholia, ſimileſque capitis affectus a varia piæ matris affectione producantur, ex eo veluti fonte varii motus ad exceſſum exuberant, vel notabili remiſſione deficiunt in partibus inferioribus, tunc quando uno aliquo prædictorum morborum genere læditur dura mater. Unde videre eſt pertinaces capitis dolores in cæcitatem deſinere, in brachiorum ſive totius corporis tremorem, apoplexiam, atque alia id genus non pauca; prout morboſa, & violentia duræ matris oſcillatio in capitis dolore, morboſas ac violentas oſcillationes communicat, per ſupradictam ſolidi continuationem, ex noſtra ſententia, his modo corporis partibus, modo illis. Ita Maniæ, quoniam duræ matris elater mirum in modum, & ad extremum quaſi gradum excrevit, violentos

adeo

adeo motus in partibus excitant, ut eo morbo correpti adeo validos, & enormes quandoque ferantur in nisus, ut humanas prorsus vires excedere videantur. Itidem varie vitiato duræ matris elatere, necesse est, ut si qui sunt ægri melancholici, stupidi, vigiles, vertigine laborantes, atque aliis non dissimilibus morbis, quorum sedes in meningibus; necesse inquam est, ut varii quoque motus in partibus inferioribus producantur, vel nimia tarditate lentescentes, vel velocitate nimia præceleres, vel denique, naturali statu, & a consueta fibrarum oscillatione longe dissimiles.

Præter causas recensitas, continuus nisus solidorum ad contractionem pendet quoque a pressione minimorum cujuscumque liquidi, currentium ad contactum fibrarum carnearum. Quo modo vero minima liquidorum in hac oscillationis functione se gerant, funis madefacti exemplo docte satis demonstravit *Borellus propositione xx. de motu animal.* in quo minimas aquæ guttulas cunei vices gerendo, & se insinuando inter filorum spatia, pressione sua filorum contractionem, ac per consequens majorem vim producere in elevandis ponderibus probavit, ac per leges virium percussionis clare determinavit. Nosque inferius in dissertatione post specimen, ex legibus scytalarum hoc idem obiter quoque adnotavimus, sed hac de re fusius in secundo libro, in quo singulas fluidorum corporis animati currentium proprietates ad examen revocare curabimus, & hujusmodi solidorum oscillationem a fluidis productam explicare conabimur.

Postremo inquirendum erit, & pro viribus explicandum, ad quem finem hujusmodi solidorum continua oscillatio fuerit instituta; qui quidem alius esse non potest, quam ad liquidorum cursum facilius promovendum, quæ solo exigui musculi nisu, qualis est cor, ad longe remotiores partes, & per canaliculos humanam aciem effugientes, ac tenuissimos, detrudi non potuisset, nisi eorum nisus perpetua oscillatione solidorum, per quæ decurrere debebant, validius impelleretur. Hoc posito principio elateris, & oscillationis continuæ solidorum, eæ omnes facile corruunt opiniones, quæ ad hæc usque tempora prodiere circa imaginaria viscerum fermenta, facultates eorum coquentes vel expellentes, archeos, cardimelechos, atque alia hujusmodi futilia, inania, de separationibus, præcipitationibus, filtrationibus, & si quæ sunt alia iis consimilia. Etenim dato motu liquidi cum datis gradibus celeritatis, & impetus; dato quoque gradu sive momento pressionis, & resistentiæ solidi ad datum liquidum curreus per quodlibet viscus; ex data hac, atque æquilibrata utriusque pro naturæ legibus motione, nascuntur variæ in variis partibus, ac visceribus filtrationes, separationes, præcipitationes aliæque liquidorum functiones; cum ea in re nullo modo sit necesse ad imaginaria illa confugere, de quibus supra locuti sumus, ad absolvendas, & perficiendas hujusmodi fluidorum solidorumque functiones.

Hæc vero solidorum vis ad liquida per continuam oscillationem detrudenda nullo alio modo lucidius & evidentius potest innotescere, quam frequenti symptomatum in morbis observatione. Ita in febribus, quæ ab interna viscerum inflammatione pendent, potissimum quas erysipelatosa ventriculi inflammatio producit, semper extremitates, & externæ corporis partes frigidæ observantur: crispatis enim vehementer solidis partis inflammatæ, per consensum vasa, fibræque aliarum corporis partium crispantur, fluidorumque cursum intercipiunt, unde frigus. Cui observationi quadrat opinio *Dureti* in coac. fol. 201. de dolore lumborum: *Dolor lumborum si transit ad caput convulsifico modo, crudeliter necat; si vero aduncis veluti unguibus viscera circumplectitur, piscarii retis modo, quod nominatur Griphus, inflammationes, icteros que parit.* Irritatis ab aeri humore præcordiis, & potissimum ventriculi tunicis, communicata reliquis partibus dolorosa crispatura, supprimuntur statim sudoris secretiones, & aliorum quoque liquidorum: quam ob causam in dolorificis hujusmodi internorum viscerum inflammationibus, stultum est vel sudores expectare, vel promovere velle, nisi mollita prius per debita remedia inflammatoria solidorum crispatura. Quique diaphorecticis vehementibus sudores elicere cupiunt, non eliciunt, sed magis aucta solidorum crispatura, inflammationem ad gangræniſmum disponunt.

Vigentibus nimis doloribus alicubi, pulsus parvi fiunt, sudor supprimitur, & aliæ quoque supprimuntur momento temporis evacuationes, vehementissimæ solidorum crispationis causa. Partibus obstructione, scirrho, vel alia hujusmodi morbosa crispatura laborantibus, si fit ut vasa contrahendo se, & crispando in consensum veniant, statim pulsus parvi succedunt, quos parvos pulsus in internis viscerum obstructionibus quotidie observamus, fiuntque tales solidi magis, quam fluidi culpa; & præbeant quantum velint Medici volatilia remedia ad sanguinem, ut ajunt, viscidum attenuandum, pulsus non attolluntur, sed deprimuntur magis, aucta scil. per talia inutilia remedia in solidis morbosa crispatura. De Morbis vero solidorum vitio ingruentibus quædam veluti specimina exhibentem habes *Hippocratem* 3. de morb. num. 1. quando agit de cerebri repletione dolorosa, de cerebri corruptione, inflammatione, de syderatis &c. Lochia ob nimios dolores post partum statim supprimuntur, nec non ob dolorem mammarum; nec fluent, nisi prius dolor cessaverit,

verit, ideſt lenita ſolidorum morboſa oſcillatione: ob hanc cauſam renibus dolore vexatis urinæ fluxus frequenter intercipitur. Hujus mechanices optime conſcius divinus Senex quamdam torporis ſpeciem a longo inceſſu productam, aquæ frigidæ lotione celerrime curat *de morb. virginum num.* 2. *fol.* 92. Mulieres nonnullæ magnum in corpore calore fere continuum ſentiunt, præſertim hyſtericæ, hypochondriacæ, &c. criſpatis enim interna de cauſa viſcerum fibris, fluidorum curſus tarde per ea progrediuntur, & ita caloris ſenſum in mulieribus producunt. In actu fluxus menſtrui, ſi frigida mergantur pedes, vel hauriat frigidæ cyathos mulier, aut pedes refrigerentur, menſtruatio confeſtim intercipitur. Hanc ob rationem ſub rigore febrili menſtrua quoque ſiſtuntur. Id obſervare licuit in puella ægrotante ad forum Archionium, nunc S. Nicolai in Archionibus prope Hortos Pontificios Quirinales; cui atrociſſimis uteri doloribus vexatæ, licet duodecies Chirurgus lanceola venam incidiſſet, ne minima quidem ſanguinis gutta prodibat: doloribus durantibus ne fæces quidem, aut urina profluebant; rebus omnino deſperatis, balneum aquæ tepidæ, me jubente, ingreſſa eſt: laxataque per eam vehementiſſima fibrarum vaſorumque fere omnium criſpatura, pertuſa in balneo vena pedis a Chirurgo, ſanguis magno cum impetu exivit, & infelix virgo convaluit. Ex iis ergo aliiſque innumeris licet conſimilibus obſervationibus unicuique dabitur illud pro certo inferre, fluidorum motum omnino dirigi a perpetua ſolidorum oſcillation: nec non longe majus eſſe momentum preſſionis ſolidorum, quam reſiſtentiæ fluidorum; ex quo ſequitur quod major etiam ſit vis, atque poteſtas ſolidorum ad fluida, quam contra.

Atque hic notandum eſt, alicujus partis fibram quo magis exercueris, eo majorem exinde vigorem, & elaterem concipere, & liquidorum, quæ ſunt ad contactum, major inde fiet expreſſio. Hinc obſervare licet, eos qui Aplomachia (*Italis Arte della ſcherma*) vel pneumatica pila in ſphæriſterio ſe exercent, manu quidem dextera validiores omnino eſſe, quam ſiniſtra; imo & dextera non tantum validior eſt, ſed & craſſior. Atque illud me audiviſſe memini a nobili juvene Romani Seminarii Convictore, cum a duodecimo ætatis anno uſque ad decimum octavum ſemel, aut bis in hebdomada ſeſe pila luſoria maxima (*Italis giuoco del pallone*) exercere quam laborioſiſſime conſueviſſet, illud accidiſſe ut dexterum illi brachium tum validitate, tum craſſitie per eam ſcilicet ſexennii exercitationem, ſiniſtrum longe excederet. Fortior quoque fuit corporis pars dextera, quæ ad trigeſimum uſque ætatis annum eo in robore perſeveravit. Quapropter mirandum non eſt antiquos Athletas aſſidua luctæ exercitatione eo virium deveniſſe, ut portento perſimiles, auderent non tantum aggredi, ſed ipſos etiam Urſos & Leones conficere. Actio itaque præcipua muſculi eſt motus & tenſio; ideſt fibræ carneæ, ut agant, contrahi debent, tendi, indurari, magiſque validæ evadere. Ita videmus conſtrictis fortiter dentibus, muſculos temporales evidenter tendi, indurari, & ſolidiores reddi. Idem in motu cordis in vivi ſectionibus magis aperte conſpicimus. A varia hujuſmodi fibrarum, vaſorum, muſculorumque tenſione, varia quoque liquidorum in partibus ſuccedit ſecretio, variæque in partibus motiones. Diaphragma tenditur, minuiturque in circumferentia, & ob id coſtas ad inferiora rapit. Cor dum tenditur, in mole minuitur, & conſtringitur; hinc ſtatim ſequitur liquidi excretio. Fibra enim carnea corrugante ſe, & conſtringente, elicitur fluidum vaſis circumpoſiti, vel quia fibra planum mutat, vel diametrum; ſunt enim hi duo modi, quibus ipſa conſtringitur. Sicuti enim fibra per exercitationem ſuo in elatere validior, ac fortior efficitur, ita cum in eam morborum cohors invehitur, laxior fit, antiquum tonum amittit, & ad morbum proclivior fit. Ideo complures quotannis pleuritide, ophthalmia, angina, aut alio id genus morbo laborant, quia ab antiquo morbo laxiori reddita pulmonum, tonſillarum, & oculorum compage, novo morbo certa præbetur occaſio. Quique frequenter pleuriticus fit, phthiſicus moritur, frequenti enim ſpaſmate pulmonum fibræ flaccidæ omnino redditæ, ad phthiſim certo ſternunt viam. Atque ea de cauſa catharri, dyſenteriæ, aliique morbi periodici; incontinentia quoque urinæ prodiit, quando ob nimiam veſicæ diſtenſionem ab urina retenta, læditur ac perit fibrarum veſicæ tenſio, & robur. Atque idem analogice judicium eſto de aliis morbis internis, ſolidorum vitio manantibus.

In hac de ſolidis animatis obſervatione animadvertendum etiam eſt fibrarum motus cuidam veluti aſſuetudini, & diſſuetudini quandoque deſervire, ac obnoxios eſſe; & ideo ſi quis clyſteribus aſſueſcat, vix poſtea ſine clyſteribus fæces egeret. Si quis a veneris uſu longo tempore diſſueſcat, incidet in veneris impotentiam. Quapropter & illud quoque notabile eſt quaſdam animati corporis functiones, ſtatis quibuſdam horis, & temporibus peragi ſolitas, ut ſunt vigiliæ, ſomnus, prandium, cœna, & his ſimilia, difficile quidem ob ſolidorum fluidorumque ad determinata illa tempora aſſuetudinem, ab ea, ut ita dixerim, fluctuatione atque oſcillatione dimoveri, quam longa aſſuetudo tranſtulit in naturam. Quod & *Hippocrates* aperte dignoſcens lib. de vict. acut. num. 23. *mutatio*, inquit, *lecti de duro in mollem, ex cibis in bo-*

nos

nos corpori noxam affert. Sed ex iis, quæ diximus deducta quædam Corollaria, sive postulata libet apponere.

COROLLARIA,

Et Postulata.

UBi oscillatio morbosa, eo inclinant omnia oscillando solida, & fluida etiam, sed per consensum solidorum. Quare contraria oscillatio procuranda a Medico, non quidem per syrupos, & nugivendula præscripta, sive receptulas potiuncularum, ut rudes indoctique faciunt, aliud enim facere nesciunt; sed pro diversitate oscillationis, & partium in quibus est, varia methodo ab affecto loco eam divertere, musica, saltatione, venatione, navigatione, lucta, nimio somno, vel nimia vigilia, ciborum repletione, vel inanitione, ciborum boni succi, vel tenuis ac pene rustici usu nimio, vel moderato, nimia quiete, vel exercitatione, nimia rusticatione, vociferatione, plurium mensium, aut annorum itinere, amicorum grata conversatione, balneis, & mille hujusmodi, prudenti Medico abunde notis. Binas mulieres ob hysteriam vehementissime affectas, vigiles, & innumeris lacessitas symptomatis sola gestatione currus per plures menses: & hominem nobilem, ac alium divitem hypochondriace affectos ac pene desperatos, equitatione super asinum in aere rusticano facta perfecte sanavi.

II. Ob hanc causam si caput dolore vehementer oscillat, frustra corriges imaginarium, & somniatum acidum per vulgaria testacea, nullius momenti remedia, nisi contrariam excitaveris oscillationem balneatione pedum calida, purgatione ad alvum, & sic deinceps. Et si capitis dolori, stomachi, vel aliarum partium novus morbus superveniat, e capice oscillatio dolorosa in partem de novo affectam desinit, priorque morbus noviter advenienti cedit. Hac regula de singulis quibusque morbis discurras.

III. Strictum & laxum in fluidis æque ac solidis viget, & morborum vera causa est, quæ quidem mechanica vis contrahendi scilicet, & relaxandi, adeo naturæ suis in operationibus communis est, ut illam imitati homines in rerum civilium praxi, locum proverbio fecerint, *Arcum frangit intensio*.

IV. Fibrarum genus a calidis æque ac frigidis contrahitur, & fortiter crispatur. Calida vero & frigida & insueta sint, & vehementia. Hinc illæ sternutationes, catharri, &c. ab insueto vehementique frigore. Hinc varii dolores fluxionesque, ab insuetis caloribus.

PROPOSITIO I.

Motus sanguinis, aut aliorum liquidorum versus aliquam partem inclinans, in contrariam divertipotest, a vena sectione, purgatione, vomitu, chlystere, & similibus.

UT taceam rationes mechanicas theoreticas, quæ in aliis Auctoribus inveniutur, solum producam observationes practicas, nostras has theses, vel corollaria confirmantes.

Et primo quidem in petechiis, & malignis ad cutem efflorescentiis; si actu efflorescentiæ sanguis mittatur, ad interiora denuo recurrit humor cum pernicie ægrotantis. Empiematicis dato purgante præter rationem, a pulmonibus ad alvum divertit morbus, & diarrhæa incurabilis necat ægrum. Exsiccantur variolæ in cute, alvo nimium soluta, unde demum succedit diarrhæa colliquativa, ut in puero in foro Theatri Marcelli, nunc Platea Montanaria ad pontem Cæstium: Et in alio prope ædem sancti Caroli Mediolanensium in Flaminia, & in Muliere ad Templum Bergomensium, juxta Collegium Romanorum. Aliis contra diarrhæa cum variolis in principio non nocet, quia forsan nimius tunc adest apparatus pravorum humorum, & ingluviei nimium congestæ in mesenterio, ut sæpe monui. Qua de causa diarrhæa, quoniam minuit dictum apparatum, ac per consequens morbi fomitem futurum, non nocet. Porro fluidis versus aliquam partem tendentibus, liquidorum licet remotorum cursus ordinarii aut tardius progediuntur, aut ad eam currere coguntur. Quod claro exemplo videmus in pleuritide, & suppuratis. Donec alvus adstricta est, expurgant per os feliciter; sed alvo vel nimium lubricata, aut excalefacta, & omnia deorsum trahente, superveniente diarrhæa sputum supprimitur. Quod si pars ante morbum debilis sit, laxioresque fibrarum toni, fluida ibidem suum locum, seu sedem figent. Est enim Natura sic comparatum teste *Dureto coac.* 100. ut si pars aliqua in vitio sit ante morbum, in ea se morbi acuti primario, & secundario loco obfirmant. Luget id adhuc Scriba quadragenarius in Campo Martio versus Collegium Clementinum, & alius in Foro Piscium, ac vir probus amicus noster (nisi enim probi sint, amicos nobis eos nolumus) via Gabinia intra Cælium, & Cæliolum.

II.

Ad fluidorum debitas secretiones determinatus in iis motus requiritur.

QUando sanguis præter rationem velocius aut tardius currit, evacuationes necessariæ tardius quoque, aut velocius procedunt, aut omnino sistuntur. Sic in Puerperis, superveniente ardente febri, lochia supprimuntur, nec redeunt nisi remisso calore febris. Lac in mammis, pus in ulceribus, & reliquæ ordinariæ evacuationes, nec non sudores, secessus,

ſputi, &c. eodem febris ardore durante ſilent. Hinc videmus in *Hippoc. 3. epid.* quod phrenetici erant ſoporiferi, potiſſimum in augmento febris, quoniam vi vehementiſſimæ circulationis ſanguinis æſtuantis, turbatur debita ſecretio liquidi nervei in cerebro, hinc ſopor. Docuit id etiam nos ægra quinquagenaria in Via ſuburrana a Foro Trajani, ad ædem nunc Sanctæ Agathæ.

III.

Fluida ſupra & infra neſciunt, ſed undequaque currunt indifferenter, prout hinc inde impelluntur.

PRo vario ſtimulo qui viget in ſolidis, liquida varie currunt ad ipſorum contactum. Hac ratione vidimus in Aurifabro, dicit *Etmullerus, tom. 1. prax. fol.* 257. laborante aſcite, & tumore aquoſo ſcroti, pedum, aliarumque partium inferiorum: quoties eidem ſupervenit erysipelas, vel corripitur magna iracundia, aut pleuritide notha cum magno æſtu, rigore, &c. ſtatim evaneſcit omnis tumor dictis in partibus; morbiſque recedentibus, de novo redit. Se habent fluida reſpectu ſui motus mere paſſive; ſupra, & infra per ſe neſciunt, ſed per vim impellentem cordis; Cor eſt mobile, & agens; ideo quando vis iſta in corde debilitatur, ſanguis proprio pondere majori in copia deorſum fertur. Et cum ex inferioribus ad ſuperiora difficilius circulet, ſerum in iis copioſius deponitur, concreſcit, facitque tumores ædematoſos, hydropes, & ſimilia hinc inde, prout variæ ſunt partes, in quas deponit. Quod dicimus de vi cordis oſcillante reſpectu ad univerſam molem ſanguinis, idem intelligimus de qualibet fibra oſcillante reſpectu ad minimam molem liquidi penes illam currentis. Mulieri in vico Fabrorum ferrariorum ad Ædes S. Andreæ de Valle PP. Theatinorum acrimonia ſcorbutica laboranti, quoties urget dolor in cauterio pedis, libera eſt a familiari dolore in planta pedis e directo, & quando urget in hac, ceſſat in cauterio. Sutori quoque decumbenti via nova a Velabro inter Capitolium, & Palatium ducens in Forum, cum oculus doloroſa rubedine laborat, bene ſe habet ab ulceroſa excoriatione digitorum pedis, contra his affectis, oculus valet.

IV.

Proprium eſt ſanguinis circulantis, quando tardiori motu procedit, ut ſerum ab ejus ſinu ſecernatur majori, vel minori copia, prout motus erit magis, vel minus retardatus.

HUjus theſis debita cognitio, mirum eſt quantum conferat ad morborum quamplurium cognitionem debitam, curationemque. Veritas ejus infinitis patet experimentis. Ligata vena cava Canis vivi infra cor, vel ligata una ex jugularibus, copioſum vidimus elici ſerum in partibus vicinis. Ex hoc fonte naſcuntur anaſarcæ univerſales, vel particulares, ob tardiorem ſanguinis motum in ſimilibus temperamentis. Poſt nimium profuſas hæmorrhagias alvi fiunt liquidæ. Debiliori enim reddita ſanguinis compage, ejuſque motu tardiori, copioſum proſilit ſerum ad alvum, hinc Diarrhæa. Hac etiam de cauſa in conſtitutis prope mortem, e fluidorum ſinu in cavitates partium ſeroſitates nimiæ deponuntur. Plus enim affertur ſanguinis ad partes, quam ab iiſdem defertur ad cor primum mobile. Tardior quoque in moribundis eſt ſanguinis motus: Idcirco copioſa limpha in mortuis obſervatur in pericardio, in cavitatibus cerebri, pectoris, abdominis; quam putant nonnulli fuiſſe mortis cauſam, cum revera paucis antè mortem horis ibidem fuit congeſta.

Limphæ ſedes in membranis; Membranæ ſunt filtrum limphæ; Limphæ morbi, ac membranarum ſunt difficiles, longi; & ſi male curentur paucos poſt dies jugulant ægrum, ut vidi in paupere Agricola non procul a via nova, & Thermis Antonianis in Aventino, ubi vetus erat Templum Bonæ Deæ, eveniſſe; nec non in Vetula in Campo Eſquilino juxta Mecænatis hortos, quæ erant inter aggeres Tarquinii, & Urbis Mœnia, ubi etiam Virgilii Domus erat. De limphæ morbis vide optimum *Etmullerum tom.* 1. praxeos *fol.* 335. ubi ait a limpha acri, aut acida, aut copioſa oriri catharros. Ab eadem morboſa, & in ſuo motu impedita, hydropes, maxime ſi limphatica rumpantur, aut hydatidibus afficiantur. Hinc ubi ſunt catharri, ibi ſtatim ſuſpicandum eſt limpham peccare. Ea enim ſola ſedes catharrorum eſt. Ab aſſumto frigore, vel impedita tranſpiratione plorat limpha in coryza, ſternutatione, tuſſi, catharro, &c. Unde membranæ vocari poſſunt telæ pituitariæ, quæ quando longo catharrorum curſu nimium laxantur, iidem curari non poterunt, niſi reſtituatur tonus laxatis fibrillis. Lignum ſaſſafraſs. remedium ad id præſtantiſſimum eſt. Catharri ex limpha acri, tenui, noctu potiſſimum affligunt, ex craſſa indifferenter. Noctu mire affligebatur Catharroſus ex limpha acri, intra Viminalem, & hortulorum collem degens, prope pilam dictam Tiburtinam, ubi olim Martialis Domus erat; ex eodem *lib.* 5. & *lib.* 1.

CAPUT IX.

De mira propagatione oſcillationis fibrarum, ejuſdimque inter ipſas continua permutatione ad remotas quaſque partes.

INcredibile profecto eſt, quantum conferat hujus capitis explicatio ad Medicinæ Practicen conſequendam, quantamque præferat lucem cognitio-

gnitioni, curationique morborum, præcipue, qui ſine ulla evacuatione materiæ ſanantur; ſed relaxando ſolida nimis criſpata, & intenta, criſpando eadem nimis relaxata: quibus duobus ſolidorum vitiis, fluidorum natura & curſus mirum in modum pervertuntur, & turbantur; unde morbis quamplurimis invadendi occaſio ſuccreſcit, quos Medici vulgares fluidis immediate tribuunt, cum re vera a ſolidis naſcantur, a quibus primam invadendi cauſam habuere, ſicuti certior fiet Medicus, qui æquo, ſinceroque animo breve hoc de Mechanice ſolidorum judicium, ad illuſtrandam Hiſtoriam, Naturamque morborum exaratum perleget. Jam præmiſimus antea oſcillationem ſolidorum deſtinatam fuiſſe ad fluida in gyrum impellanda; parvus enim muſculus cordis, ejuſque exigua vis, non eſſet ſatis ad ea trajicienda in obliquas, & remotas corporis partes, niſi ſingula corporis ſolida, ſua perenni motione ſyſtaltica continuum illi auxilium præſtarent. Ut id ſolida faciant, ſuas habere debent fibras æquali, & naturali tono præditas, non autem nimis intentas, nimiſve relaxatas, neque alio modo affectas; deinde inter partium fibras tum carnoſas, tum membanoſas, liberum debet eſſe commercium, nec morbis, nec externis cauſis interruptum. Pariter inter eaſdem debitum reſiſtentiæ, & impetus aquilibrium requiritur; hoc eſt, cum una oſcillat, fluidumque ad contactum pellit, altera ejuſdem, vel diverſi generis fibra remota, vel vicina oſcillationi, tanta debet proportione motus, & reſiſtentiæ oſcillationem recipere, quanta indiget pars, aut viſcera, a quibus producitur: contrarium ſi quando evenerit, ſtatim in curſu liquidorum mutatio, & conſequenter morborum occaſio multiplex orietur.

At, quod magis notandum, cum fluida impelli, & trajicidebeant a ſolidis, major proinde, ac ſuperior eorumdem vis, & preſſio eſſe debet, quam liquidorum reſiſtentia, cujuſcumque energiæ, & virium ſupponantur eſſe liquida a recentioribus Medicis, liquida ipſa in morborum productione ſemper accuſantibus. Poſtrema hæc propoſitio baſis eſt, cui nititur ratio, atque cauſa promptæ, ac facillimæ celeritatis oſcillationis ſolidorum, ſive vi morbi, ſive juxta naturæ leges oſcillent, necnon facilis mutationis oſcillationum ex fibris in fibras, tum homogeneas, tum etherogeneas.

Unicuique nota eſt celeritas, qua impreſſio, in ſenſibus ab externis objectis facta, momento pene temporis communicatur cerebro, principali animi domicilio. Celeritas hæc a Medicis tota adſcribitur ſubtilitati ſpirituum, & ipſorum nitro-ſulfureæ naturæ; Quibus miſſis, vel leviter tactis, utpote non adhuc certo conſtantibus in medicina, totum hoc caput impendemus in probando per rationes, & experimenta, quod eadem oſcillationis celeritas, quæ in fibris ſenſuum ab externorum objectorum impreſſione fieri obſervatur, ſuccedere quoque debeat in fibris internis tam membranoſis, quam carnoſis, cum tanguntur aut vellicantur ab humoribus pone eas currentibus; hujuſque oſcillationis mira celeritas, & propagatio fit magis effectus ſolidi, quam liquidi, aut irritantis, aut ad contactum ſolidorum currentis.

Evidenter patet corpus ſolidum continuum, partibus duris, & reſiſtentibus compoſitum, eſſe magis aptum ad conſervandum propagandumque motum ſibi impreſſum, quam moles fluida, clauſa inter canales, & compoſita minimis contiguis, mollibus, & obnoxiis mille turbationibus, & mille reflexionibus inter ſe ipſa, & ad latera vaſis, in quo quovis momento percurrunt. Fibra igitur oſcillans, & motu exercita, majori celeritate motum ſuum ad remotas partes propagabit, quam linea cujuſcumque fluidi ad motum concitata. Eandem ob cauſam motus ſemel impreſſus in fibra a cauſis ſive externis, ſive internis, diutius durabit, quam cum in fluidis imprimitur. Binæ hæ theſes cum bene perceptæ ſunt, & æquo, rectoque animo examinatæ, mirum eſt quantam genuinæ morborum curationi lucem anteferant. Nec aliquis ultro hic ingerat, quod vis animalium Spirituum, flammæque vitalis ſanguinis quamcumque maximam fibræ reſiſtentiam ſuperet longe, atque excedat; nam ſolum piſcium exemplum eos redarguit falſitatis. Sanguis & fluida vitalia piſcium actu frigida ſunt, ſicuti teſtudinis recens mactatæ ſanguis. Unde vix percipio quomodo eorum ſanguis & fluidum nerveum tantam nitri & ſulphuris energiam habere poſſint, quanta exemplo pulveris pyrii in eliſione ſclopetorum eiſdem tribuitur: quid nitro & ſulphuri cum actuali horum liquidorum frigiditate.

Quare cum grandia piſcium corpora velociſſimos vehementeſque motus ſubeant, & pro data proportione molis corporis parvo donentur cerebro, nec liquida ignea, ſpirituoſa, ac ſubtilia obtineant, ſed viſcida, frigida, ac difficile mobilia; niſi recurramus ad grande fibrarum robur innatum, ad tonum proprium, per quem motus ſibi a fluidis impreſſos in ingens augent, atque multiplicant, prædictorum motuum velocitatem explicare nunquam poterimus.

Neque eſt neceſſe, ut aliis exemplis, rationibus, aut experimentis oſtendam medicinæ Tyronibus quanto ſit major reſiſtentia ſolidorum ſupra fluida, & quam exacte liquidorum motus, conſtantibus legibus motuum ſolidorum in corpore animato ſubjiciantur; cum hæc quotidiana praxis ſatis ſuperque oſtendat, & doceat. Ita pulvis Cornachini valde noxius eſt hominibus fibra ſicca, dura, aridave præditis; non ita molli, teneram, albamque habentibus. In illis enim cum fibra elaterem, ac repercuſſionem vi-

vidam, & nimium potentem obtineat, accedentibus vividiſſimis oſcillationibus Cornachini pulveris, vel alterius purgantis acris, nimiumque fundentis, loco purgationis corporis majorem alvi adſtrictionem habebimus; imo creſcentibus intus per fibras viſcerum naturalium Purgantis oſcillationibus, prout quandoque nos obſervavimus, dolores parient vehementiſſimos, flatus, ventris tumores tympaniticos, ſuppreſſiones urinæ, & his ſimilia, quæ ſunt effectus ſolidi potius, quam fluidi, quia hujuſmodi purgantia acria, & pungentia agunt irritando, & pungendo ſolidum, quo irritato, & puncto, exprimitur fluidum ei ad contactum diſcurrens. Et ſi fibris viſaliqua a nimis humectantibus, vel exſiccantibus inferatur, multo difficilius tollitur, quam ſi ea inferatur fluidis. Sic nuper experti ſumus in Juvene, cui nimio rerum ſalitarum, & victus prorſus exſiccantis uſu, taliter alvus exſiccata fuit, ut difficillime ſolveretur, adhibitis quibuſcumque humidis cibis, & oleribus. At cum in ſuſpicionem veniſſem ventris ſtypticitatem non vitio fluidi, ſed fibrarum inteſtinalium fere convulſarum, & exſiccatarum ob antedictam diætam procedere, uſu butyri recentis in formam boli cum ſaccharo præſcripti, perque dies multos aſſumti, nec non balneis aquæ tepidæ per totum ventrem, priſtinam lubricitatem recuperavit.

Plures hujuſmodi exſiccationes alvi vitio ſolidi obſervabit Tyro in praxi. Ad quam quidem ſolidorum ſuper fluida poteſtatem reſpiciens *Hippocrates*, inquit *in lib.* de natura Pueri; *Mulieribus, quæ denſo ſunt corpore, tardius apparet, gigniturque lac: Illæ vero, quæ rarum Corporis habitum, habent citius*

Hinc homines piloſi, nigri, hirſuti, fibraque dura, forti, & valde ſicca præditi, fortes natura ſunt, ſed graviſſimis morbis obnoxii, quia in iis fluida ſupra modum concitantur ad motum a ſolidis, & hinc cum impetus ſolidi reſiſtentia fluidi potentior ſit, fluidum per partes morari, atque hærere cogitur, ac propterea ad coagulationes concretioneſque diſponi; unde morbi plurimi naſcuntur, a ſolidorum vitio immediate pendentes; quicquid aliter ſentiant Medici, fluida ſemper accuſantes.

Igitur ob ſoliditatem, ſtrictamque adhæſionem minimorum cujuslibet fibræ, motus in ipſa impreſſus a cauſis vel internis, vel externis, momento temporis in remotas partes propagatur, receptumque impetum hinc inde fibris partium homogeneis, vel eterogeneis, & fluidis ad contactum, communicare non ceſſat, niſi ipſa ceſſante impreſſione. Iiſdem de cauſis hæc propagationis celeritas haberi nequit per fluida, utpote conflata minimis mollibus, laxis, nec inter ſe ſtricte continuatis, ſicuti minima ſolidorum. Sed ut clarius intelligatur hæc veritas, atque vis ſolidorum ſupra fluida, prænotare nonnulla juvabit, quæ circa venenorum corrodentium naturam obſervantur. Aſſumto merc. ſublimato, arſenico, adamante pulver. &c. ſtatim poſt deglutionem dolores corporis atrociſſimos, ſitim ingentem, extremorum frigus, ſudores gelidos, ſyncopes, & mille id genus accidentia ſatis nota pariunt. Et nemo ſanæ mentis negat hujuſmodi venena immediate, ac primo agere in ſolida, deinde in fluida, ratione qualitatis manifeſtæ, non autem occultæ; agunt ſcilicet radendo ea, exſiccando, convellendo, criſpando, pungendo; quare momento temporis communicata a fibris ſtomachi ad fibras ſingularum partium vehementiſſima oſcillatione, & venenifera criſpatura, confeſtim dolores, vomitus, ſitis, ſudores frigidi, tumores corporis liquidorumque currentium ſubitantæ concretiones oriuntur, & ſæpe mors ſupervenit derepente. Quare ſi ſublimatum, vitrum, arſenicum, &c. immediate, ac evidenter agendo in ſolida tales effectus ginunt, ſicuti nos duobus abhinc annis, in noſtra defenſione medico-legali pro Muliere de propinato accuſata veneno, typis publicis manifeſtavimus, & alii fuſe tractant Doctores; atque ſi valet analogia de morbo ad morbum, certe dato agente vel cauſa minoris activitatis, ac virium, quæ agat eodem modo in ſolida corporis animati, ſicut venenum, pungendo ea, vellicando, criſpando, ejuſdem quoque naturæ effectus licet minoris activitatis, producere debebit. Et ſicuti pro curatione veneni, tota indicatio dirigitur ad compeſcendam horrendam criſpaturam ſolidorum per Olea, Balnea, Fotus, decoctiones emollientes, &c. nulla tunc habita ratione fluidorum, ſic etiam pro curatione oſcillationis morboſæ, in fibris inductæ ab exigua portione fluidi acris, acuti, & corrodentis, ſi dicta oſcillatio in ingens creverit, ob vividum, ac fortem elaterem ſolidorum, quo naturaliter ſit præditus Patiens, certe tunc indicationes ad curandum ſolidum dirigendæ ſunt; effectus enim morboſi, qui poſtea in fluidis naſcentur, omnes a ſolido criſpato, tenſo, & convulſo procedent; ac propterea debebit illud medicus relaxare, & mollire per balnea, fotus, unctiones, olea intus, foriſque, herbas anodynas, & emollientes, ac ſimilia.

Iſta celeritas propagationis oſcillationum fibrarum præter allatum veneni exemplum, probatur etiam innumeris obſervationibus practicis. Qui ulcera in cruribus, aliiſve in partibus gerunt, ſi generoſum biberint vinum, eodem vix ingeſto plaga inflammatur, ob ſolidorum oſcillationem a ſtomacho Partibus, & præcipue ulceroſæ, communicatam. Si in eadem parum ſucci limonis, aceti, alteriuſve pungentis remedii inſtillaveris, momento temporis vagus horror totum pene corpus invadit. In febribus ſyncopalibus, vertiginoſis, & ſingultuoſis, quarum cauſa eſt acre quid eroſivum tunicis ſtomachi impactum,

eaſdem

eaſdem criſpando, ac vellicando, graviſſima mala producit, communicata capiti, cordi, vel diaphragmati vehementi, ac morboſa oſcillatione: unicum remedium eſt emeticum ex ol. amygd. dulc. quod & fibras criſpatas laxat, & acre cicurat, lenitque.

Si quis nudis pedibus ſuper marmoreum ambulet pavimentum, ſtatim ventris doloribus torquebitur; quæ ſingula, ut infinita id generis exempla taceam, facile contingunt, communicata celeriter vehementi fibrarum oſcillatione a parte in qua centrum eſt oſcillationis ad partes remotiſſimas. Eadem ratione loqui poſſumus de morboſis oſcillationibus internis a partibus ad partes vi cauſæ morboſæ productis. Atque ſi muſicus vi cantus Cyathum e vitro rumpet, quando illius tonum prænoſcens ſupra ipſum cantaverit, idque ob oſcillationem a motu labiorum in aere impreſſam; quanto vehementiores magiſque celeres erunt oſcillationes impreſſæ in fibra, quæ eſt corpus ſolidum continuatum, & ab aeris corpore longe diverſum?

Neque præſens caput omnino impendemus, ad celerem propagationem oſcillationum fibrarum oſtendendam; verum etiam ad probandam earum mutationem, ſive ſucceſſionem de fibra in fibram, ſcilicet de carnoſa in carnoſam, de hac in membranoſam, de membranoſa vaſorum ad membranoſam glandularum, viſcerum, cutis; & contra a ſingulis harum ad alias inter ſe mutuo, notatis ſimul effectibus ex hujuſmodi ſucceſſione oſcillationum naſcentibus.

Hujus generis eſt oſcillatio doloroſa, a centro oſcillationis loci dolentis ad remotas partes communicata. Quare ſæpe obſervavi in calculoſis pulſum manus reni affecto reſpondentis parvum eſſe depreſſumque, communicata doloroſa oſcillatione contractioneque a renibus ad vaſa e directo. In nephritide quoque, qua parte eſt calculus, eadem ſuccedit in capite hemicrania, ut vidi in Sene ad forum Farneſiorum, qua reſpicit ripam Tyberis. Et in pleuritide pulſus ex parte lateris affecti, in quo eſt centrum oſcillationis inflammatoriæ, depreſſus magis obſervatur, quam ex parte ſani. Idem forſan ſuccedit in doloribus aliarum partium. Et quando dolores ſunt vehementiſſimi, tunc fortiſſima criſpatura communicatur ſyſtemati nervorum, muſculorum, vel vaſorum; & inde oriuntur poſt dolores convulſivi motus, vel paralyſes, vel abſceſſus: tales ſunt paralyſes ſupervenientes dolori colico, convulſiones doloribus capitis, & cerebri inflammationibus (de quibus aliiſque cerebri, & meningum morbis videant Medici noſtri temporis, vanitatibus ſpeculationum addicti, *Hippocratem* magnum 3. de morb. num. 1.) abſceſſus ſupervenientes diuturnis, ac difficillimis partium doloribus; & ideo pulſus parvus in maximis doloribus neminem deterreat, familiaris eſt enim eis, oriturque vitio ſolidi vaſorum, fibrarumque irritati, criſpatique, non vero fluidi. Obſervatur etiam hæc permutatio oſcillationis a fibris membranoſis in membranoſas, vel in carnoſas, & contra in aliis quotidie morbis. Ita poſt dolores partus excitantur colicæ, ſive inteſtinorum dolores, communicatis criſpaturis ab utero ad inteſtina. Erumpentibus dentibus in pueris lactantibus, gravia ſuccedunt accidentia vitio ſolidi tantummodo, ſolidi nempe gingivarum irritati, puncti, criſpatique; a quibus ad inteſtina oſcillatione producta, graves oriuntur diarrhææ, quæ ſi non venerint, pejora veniunt mala, febris, vigiliæ, vomitus. Dolentibus mammis poſt partum lactis cauſa, lochia ſupprimuntur frequentiſſime; remittente mammarum dolore, lochia libertati reſtituuntur. Incipientibus ſpaſmodicis oſcillationibus in Meſenterio in hyſtericis, ſi ſucceſſive cerebro communicentur, excitant in eo vertigines, vel dolores, ſopores, aliaſque ſimiles affectiones; quando oſcillationes cerebro communicatæ ſunt vehementes, tunc a cerebro ſenſim ad externas partes oſcillando propagantur; hac de cauſa forti hyſteriæ ſuperveniunt convulſiones, epilepſiæ, &c. Partui quoque difficili epilepſia ſupervenit, quæ toties repetit, quoties ægra conatum repetit parturiendi. Quando plexus meſenterii convulſionibus afficiuntur, omnes internæ abdominis partes pariter convelluntur; tales ſunt convulſiones infantum, & puerorum, quæ en abdomine putris congeſtæ cacochiliæ cauſa fere ſemper excitantur, & ad cerebrum, parteſque externas denique tranſeunt. Quando hujuſmodi fibrarum oſcillationes leves ſunt, ægroti eas vapores vagantes, & aſcendentes vocant, re tamen vera vapores non ſunt, ſed oſcillationes ſpaſmodicæ fibrarum, quæ a centro oſcillationis, remotas propagatæ in partes, ſub vaporum ſpecie Parienti illudunt. Ex his certo deduci poſſet quod licet in centro oſcillationis cauſa morbi ſit fluidum irritans, in progreſſu tamen oſcillationum apparentia ac ſupervenientia mala ſunt ſolidorum, non fluidorum effectus. Omnes proinde morbi remotis ſaniſque partibus ſupervenientes, ob oſcillationes propagatas, ac permutatas de ſolido in ſolidum, ſanari debent juxta leges ſolidi curativas, a nobis ſupra indicatas, & explicatas.

In hoc præterea negotio propagationis oſcillationum de fibra in fibram unum inſuper monendum reſtat, practicæ nimium utile ac neceſſarium. Nempe oſcillatio fibræ ab internis corporis partibus cœpta, & ab humoribus per partes circulantibus excitata, ne functionibus partium, & progreſſui liquidorum impedimento ſit, debet æquali reſiſtentia recipi a fibris, quæ ſunt in habitu corporis. Et contra in fibris habitus corporis cœpta, æquali internarum excipi, & abſolvi: ſi contrarium eveniat, morbi ſtatim exinde naſcentur.

Evidens hujus rei in ſternutatione habemus exemplum. Sternutatio eſt affectio convulſiva

me ningum, præſertim duræ. Illi præ ceteris ſternutant, quibus interius fibræ nimium oſcillant ab humorum acrimonia irritatæ. Fibræ igitur internæ ab acri & pungente materia ad oſcillationem concitatæ, oſcillationes ſuas undequaque ad habitum uſque corporis propagant. Si fibræ corporis habitus molles laxæque debite ſint, dictarumque oſcillationum undas cum debita reſiſtentia in ſe recipiant, nec iiſdem contranitantur, nulli tunc violenti ſolidorum aut fluidorum motus ſuccedent. At ſi fibræ externæ potiſſimum capitis ipſæ quoque criſpentur, nimiumque oſcillent ob frigus, aut calorem externum: tunc omnis undulatio externa fibrarum ad interiore reflectitur, definitque ad centrum oſcillationum internarum, quod in dura matre conſiſtere ſupponimus, ibique convulſivis veluti motibus excitatis, ſub ſpecie ſternutationis acrem materiam oſcillationis cauſam foris propellit, ac detrudit: Atque hanc ob cauſam poſt nimium ſuſceptum frigus, nimiumque calorem, ſtatim ſternutamus. Quique tunc nimium ſternutant, acres in eis abundare tumores certo manifeſtant; & ſi qui callis pedum laborant poſt levem motum dolore nimio corripiuntur, acrium quoque abundantiam humorum iiſdem ineſſe oſtendunt. Hujus etiam mechanices cauſa inæqualis nempe impetus, & reſiſtentiæ inter fibras, ſæpe ſuccedit, ut exiſtente alicubi dolore, non ibidem, ſed in parte longe remota excitentur tumores, inflammationes, abſceſſus, &c. ideſt vel in parte, in qua terminus eſt fibræ dolore criſpatæ, & oſcillantis, vel in alia, quæ ob peculiarem tonum, reſiſtentiam habet ſuperiorem, atque validiorem impetum fibræ oſcillantis. Ita obſervavi in cadavere a me ſecto, non longe ab æde S. Mariæ Populi in via Flaminia, quo loci ſepulcra olim erant magnæ Domus Domitiorum, & Neronis, extantque ipſorum rudera quamplurima: vidi inquam, calculum magnum in renibus. Et quod ſane mirum, de nullo renum dolore conqueſtus eſt patiens; ſed tantummodo de gravi ac vehementiſſimo genuum. Pariter Anno 1700. prope arcus Milliarios Aureliani in via ſaluſtrica a poſteriori parte Collis Pincii, ſive hortulorum, cadaver aperui mulieris, quæ atrociſſimis uteri doloribus extincta eſt; & utero poſt mortem examinato, nil in eo morboſi reperi, ſed tantum in emulgente dextera abſceſſum, in qua nullum unquam doloris indicium præbuit, &c.

PROPOSITIO I.

Determinata ſanguini, & liquidorum quantitas eſſe debet in quolibet temperamento nec magis nec minus.

QUantitas liquidorum determinata eſt in quolibet temperamento, debet enim eſſe proportionata, & æquilibrata cum corde impellente, & cum partibus per quas pellitur: ſi excedat, vel deficiat, ſtatim mutatio naſcitur in œconomia corporis animati. Hac de cauſa quando excedit, & proinde ſolidorum ſuperat reſiſtentiam, uti ſuccedit in ſuccipletis & ſanguineis, natura per hæmorrhoidas, vel per narium hæmorrhagiam eumdem minuit. Mulieres ſanguineæ, & virilis naturæ poſt 50. ætatis annum, cum menſtrua eiſdem naturæ lege ceſſant, menſtruis hæmorrhoidibus per plures annos ſubjacent; Multæ eadem de cauſa bis in menſe menſtruant, quod patitur virilis animi fœmina habitans in Carinis, ubi olim Domus M. Manilii Juriſconſulti celebris, & prudentis Oratoris fuit, teſte *Cicerone* in paradoxis. Porro ſuppreſſis conſuetis excretionibus, vaſa ſuperfluis ſuccis nimium replentur, hinc ſequitur tardior eorum motus, & per conſequens incraſſatio, pluribuſque morbis multiplex occaſio. Hac forſan ratione *Hippocrates* de vict. acut. num. 21. & num. 58. memorat vaſa nimium vacua, aut nimium plena ſanitati obeſſe.

Quibus brachium, aut crus caſu aliquo reſcinditur, ii ſequentibus vitæ annis ſolent eſſe obnoxii hæmorrhagiæ, dyſſenteriæ, & niſi victum minuant nimiæ pinguedini, quia ſanguis, qui in nutritionem reſciſſi membri impendi debebat, recirculat ad reliqua, quibus cum improportionatus ſit, foris exeat oportet per hæmorrhagiam, aut deſinat in pinguedinem. Pinguis evaſit Pauper Miles Pontificius, qui contra Turcas pugnavit cum Venetis in nupero bello Peloponeſiaco, cruribus in eodem bello reſciſſis. Degit nunc ad portam Turrionis, quæ ducebat ad ſcholam Saxonum, & Longobardorum prope Campum ſanctum. Mulieres cum circa decimum quintum annum creſcere deficiant, ſanguis redundans per menſtrua tunc apparentia exoneratur. Juvenes minium ſanguinei niſi hæmorrhagiis in Juventute ſubleventur, corripiuntur febribus, fiſtulis ani, pectoris inflammationibus, & mille id genus, nec non ſputo ſanguinis; quibus viis redundans a nutritione ſanguis exoneratur; qui idem ſanguis, quoniam in pueris in nutritionem impenditur, dictis malis non ſubjacent. Ex eodem fonte veniunt profuſæ hæmorrhagiæ poſt cibos lautiores, vel potiones liquidorum potentium. Cum igitur ventriculi Cordis, & ſanguis omnibus vaſis commenſurati ſint, ſi pars aliqua marceſcat, deficiat, aut exſiccetur, ſanguis iſti prius deſtinatus ad alias impellitur, earumque vaſa nimium dilatando incrementum eiſdem affert, vel foris prodit, ſi vaſorum ſuperet reſiſtentiam.

II.

Peccans ſanguis ſuperfluus non eſt ſiſtendus, ſed ſinendus ut fluat, quo Natura velit.

INfinita apud Auctores funeſta legimus exempla intempeſtive ſuppreſſi in aliqua parte mor-

morboſi ſanguinis, vel alterius liquoris. Nam cum pleno alveo per ea feratur loca, & jam ſolutus ſit a compage reliqui ſanguinis boni, neceſſe eſt, ut effluat quo primum cœpit fluere, aliter retrocedendo interiora verſus, vim facit incredibilem. Sic Juveni prope Collegium Matthæum in Quirinalis radice, ubi ſunt Viridaria Pontificis, hæmorrhagia laboranti, ſuppreſſo ſanguine per cucurbitulas ſpleni applicatas, ibidem ſecuta eſt inflammatio. Viro prope Collegium Urbanum de propaganda fide in Foro Hiſpanico ad radices Pincii, ſuppreſſa hæmorrhoidum evacuatione, ſecuta eſt Apoplexia lethalis. Mictus ſanguinis periodicus, ac menſtruus incaute ſuppreſſus, lethalis fuit ex *Salmath. hiſt. 74. cent. 3.* prout videre eſt apud *Etmullerum t. 1. prax. fol. 309.* ubi plura hujus generis mirabilia recenſentur exempla. Ulcera imprudenter clauſa mille mala pernicioſa pariunt. Hinc ſæpe ſuccedit, quod fluidum licet excrementitium, ſi per vias ſibi proprias evacuari non poteſt, locum ſibi faciat per vicinas: Ob id Monialis Patavina per ſex menſes iſchuria laborans vixit commode, quia quotidie ſudabat in abdomine, teſte *Etmullero t. praxi fol. 314.* Et ex Benivenii obſervatione Puer iſchuria vexatus, urinam per alvum educebat. Menſtrua ſuppreſſa viam ſibi faciunt per alvum, vel vias vicinas.

III.

Strictum, & laxum fluidis æque, ac ſolidis competit in corpore animato.

IN toto opere de fibra motrice plurib. argumentis, veritatem hanc probavimus, ut majori nunc explicatione non indigeat. Hinc in malignis ex colliquatione, quoniam nimium laxatur liquidorum compages, acida ex citro, ribes, aceoſa & ſimilia conſiſtentiam fluidis dando mire in talibus proficiunt febribus, &c Ipſe feliciter uti ſoleo Romæ aqua cordiali frigida Saxoniæ, cujus vires in febribus acutis, inflammatoriis, colliquativis, ſunt profecto egregiæ, ut præ ceteris nuperrime vidimus prope ædem Divi Ludovici Gallorum in Agonali ad Thermas Neronis, in Virgine acute febricitante ex febri colliquativa, &c. & in Mercatore, qui decumbebat prope Templum S. Caroli de Catinariis in via quæ ducit ad Campum Floræ, & Theatrum Pompeji Magni; Demum in puero in Campo Agonio inter vallem Martiam, & Circum Flaminium, ubi nunc commune forum rerum venalium.

IV.

Non obſtante continuo liquidorum circulo, dantur tamen revulſiones, & derivationes humorum in curatione morborum.

HUjus Theſis veritas quotidiana curandis in ægris experientia confirmatur. Garriant quicquid velint nonnulli delicatuli ex ſchola hypoteſiſtarum. Sed præter experientiam Dominus *Bellinus* amicus noſter rationibus mechanico geometricis, idem evidentiſſime demonſtravit in libris de miſſione ſanguinis ad ægrorum ſalutem maxime neceſſariis. Infinita afferri poſſent exempla ad hanc rem firmandam, ſed ne tædio ſimus legentibus, ſufficiat caſus Doctiſſimi *Lindani* de venæ ſectione in ophthalmia relatus ab *Etmullero tom. 1. prax. fol. 229.* quo revulſionis, ac derivationis evidentia, ac utilitas clare ſatis comprobatur, &c. ſi menſes inſtant, vena brachii ſecanda & fluent, ſi iiſdem fluentibus eadem ſecetur, ſupprimentur: non ſupprimentur autem ſi ſecetur ſaphæna. In partu difficili, ſecta vena brachii, fœtus exit: & in iſchuria, eadem ſecta urinam profluere facit, teſte *Foreſto*, Viro expertiſſimo, & practico, ob id potiſſimum celebri, quia tota vita cum natura cohabitavit: & ab ejus oraculis pendens, obſervationes morborum, & debita præcepta iiſdem curandis neceſſaria, & opportuna, patientiſſime conflavit. Legendæ igitur ſunt ejuſdem obſervationes; valde enim fructiferæ ſunt.

V.

Sanguinis motus impeditus in aliquo ſurculo, vicinus omnem illam liquidi molem excipit, & ad altiora propellit.

IDeo ſpleneticis familiares videmus vomitus ſanguinis. Sentiunt enim hi pulſationes magnas circa ſplenem, quod ſignificat interceptum ibidem eſſe ſanguinis motum in vaſis; unde hæc tandem aperiuntur in cavitate ſtomachi: eadem de cauſa poſt pulſationem vaſorum in temporibus ſupervenit narium hæmorrhagia. In gravidis ſuccedit inflatio crurum circa ultimum menſem, & fœtu emiſſo evaneſcit. Hemorrhoides, & varices in gravidis circa finem, eadem de cauſa apparent, a compreſſis nempe vaſis magnis abdominis ab utero pleno.

Sed intercepti alicubi ſanguinis motus, & ob id in remotiores vim facientis in praxi quotidie habemus infinita exempla. Ita in doloribus præcordiorum cum tumore vel tenſione in acutis, ſanguis e naribus fluit, *teſte Hippoc. lib. prænot. n. 6.* Idem notat *n. 8. l. c.* de capite, manu, &c. frigidis, ventre exiſtente calido. Ibidem ait *l. c. n. 8.* Quando caput, manus, & pedes ſunt frigidi, & præcordia calida, eſſe malum; & *n. 15. l. c.* dicit quod in ſuppuratione pulmonum pectus eſt calidiſſimum, manus vero, caput, & pedes frigidi. *Quibus in præcordiorum dextera, aut ſiniſtra tenditur aliquid in febre, cum dolore capitis; idque neque cum dolore præcordiorum, neque cum inflammatione, ſanguis e naribus fluet: Hippoc. lib. prænot. n. 25.* Idem repetit 1. prædict.

n. 21. & l. c. n. 25. ait *Præcordii distensio abscessus ad aures parit*. Sed plura vide apud *Duretum fol.* 19. *n.* 60. de affectibus ex distensione hypochondriorum in acutis. Quibus sanguis e naribus fluit, & alioqui sani esse videntur, hos splenem in tumorem elevatum habere comperies, vel caput dolere, vel utrumque. *Hippoc.* 2. *prædit.* n. 41. Ibidem *n.* 47. discurrit de morbo particulari, facto ex impedito ordinario fluxu sanguinis e naribus. Quando enim sanguis copiose effluit per nares in scorbuticis, tunc ingentes adsunt obstructiones in visceribus, & ideo sanguis eorum anfractus pertransire nequit, quin vario obice hinc, & circa interiores corporis partes angustiatus, necesse habeat versus externam superficiem copiosius deferri, & sæpe qua data porta exire, adeoque angustia loci compensetur per celeritatem motus; & aliquando tanta vis est crispaturæ, & clausionis alicujus villi aut vasis, ut impediat circulum liquidi alicujus in toto copore. Talis est universalis tumor, ac veluti tympanitis totius corporis factus ex punctura vulneris, teste *Villisio tom.* 2. *fol.* 145. Tales sunt sanguinis copiosi fluxus per alvum, & vomitum ex jecore vel alio viscere intento nimium, obstructo, scyrrhoso, &c. ut nuper vidimus in ægro sexagenario, decumbente prope Forum Olitorium, quod inter Capitolium, & Theatrum Marcelli quondam fuit, & etiam nunc est, diciturque vulgo Platea Montanaria, &c. æger hic amicus erat viri doctissimi, & nostri amicissimi Raphaelis Fabretti ob edita magnæ laudis opera ab omnibus bonis valde æstimati. Opus vero inscriptionum antiquarum nuper editum Romæ, est omnium laudatissimum. Cumque ipse plura centena numismata in musæo meo habeam, frequenter optimus Senex Fabrettus domi meæ erat, deque iis incredibili cum eruditione disserebat: potissimum de Nummo M. Ant. & Cleopatræ, in cujus opposita parte currus est a quatuor equis marinis tractus, & currui insidens M. Antonius in habitu Apollinis cum lyra, prope eum Cleopatra & sub eis puer fræna regens equorum: prope currum duæ sunt litteræ græcæ Δ & Σ, ideſt Delta & Sigma inscriptæ. Et in peripheria nummi id inspicitur: *L. Bibulus. M. F. Præ. Hip.* Nostro hujusmodi nummo summopere delectabatur Vir ille magnus, rarumque dicebat, ac magni pretii. Post ejus obitum sequens inscriptio inventa est prope Portum, & cum medica sit, nec ab eo descripta, Eruditorum gratia placuit eandem hic apponere:

D. M.
L. CÆSENNI CRESCENTIS
MEDICI Q. VIX. ANN. XXX.

CAPUT X.

De consensu solidorum jure originis, vicinitatis, usus, & communicationis officii, &c.

QUamvis nonnulli credant detecti sanguinis circulatione certos, & particulares consensus, sive communicationes partium inter se nullo modo dari, quia sanguis æque circulando per singulas singulis momentis, omnia consensus jura excludit; & quasi ad opinionem hanc confirmandam maxime faciat *Hippocratis* sententia lib de alim. cum de origine partium differens asseruit: *In humano corpore confluxus est unus, conspiratio una, & omnia consentientia*: nihilominus tamen qui serio in praxi observat motus, & progressiones malorum, fatebitur certe, partes inter & partes occultum quemdam, ac reconditum adesse consensum, cujus ratione sicuti in naturæ functionibus obeundis sibi invicem communicant, ita pariter per nescio quid occultum morbos sibi communes sæpe faciunt peculiares quædam partes inter se; nam centies fere vidi partem ad partem constanti lege metastasim morbi facere, & ab eadem in primam constanti lege reverti.

De hoc igitur consensu præsenti capite tractaturi, omnino quidem non redarguemus veterem opinionem putantium partes mediantibus quoque fluidis universaliter consentire: sed probare curabimus partes quasdam cum partibus peculiarem habere consensum ratione solidi; idque forsan ratione peculiaris, & homogeneæ structuræ, originis, nexus, finis, progressionisque inter solida fibrarum. Quare si contingat, ut a fluido currente tangatur fibra, quæ jure originis consentit cum remota alicujus visceris, aut partis; vellicatio a fluido facta ad illam quoque perveniet, & effectus, qui inde nascentur, communes erunt ambabus. Et ut evidenter pateat hujusmodi de consensu solidorum tractationem solidæ observationum, & experimentorum basi hærere, veritates practicas quamplures in medium proferam, per quas certitudo rei manifesta evadit, & clara. Quo facto concludemus hanc inter solida peculiarem, ut ita dicam sympathiam, sive consensionem quatuor potissimum de causis fieri, jure nempe originis, vicinitatis, usus, & communicationis officii.

Caput cum ventre, & venter cum capite peculiariter consentiunt; ventre pleno, caput repletur; soluto, solvitur; pleno Capite, venter in officio turbatur; soluto Capite, restituitur, & quod replebat caput, ut bene solvatur, per alvum solvi debet. Internæ pectoris partes cum pudendis consentiunt, pudenda contra cum pectore. Tussis molestæ, Asthmata, vel alii pectoris morbi in morbos Scroti, & viarum Urinæ desinunt. Morbi se-

bi ſcroti & viarum urinæ in morbos pectoris mutantur. Sicuti purgantia in morbis capitis ſummopere proficiunt; ita diuretica in morbis pectoris. Cutis quoque cum alvo conſentit; Alvus cum cute. Morbi cutis, ut dolores artuum, ſœdæ, ac pruriginoſæ ejuſdem maculæ, in alvi morbos ſolvuntur. Alvi affectiones, ut diarrhææ, colicæ, &c. in cutis affectiones migrant, & per cutis vias, nempe per diaphoreſim ſanantur frequentiſſime. Ita in febribus anxioſis quas malignum parit fermentum, ventriculi, & inteſtinorum vias obſidens, & vehementes undique oſcillationes excitans, ægri inquieti ſunt, jactabundi, loco ſtare neſciunt; & toto pene tempore, quo hujuſmodi affectiones durant, in variolis, ne minima quidem puſtula exit in cute, nec ſudoris gutta proſilit in iis; & alvo ob dictam cauſam veluti contracta, convulſaque, univerſum cutis ſyſtema convellitur quoque per occultum conſenſum, contrahiturque. Jecore affecto dolores ad jugulum e directo fiunt, tuſſes inanes, ſpirandique difficultates, imo hydropes, qui ex morboſo jecore pendent, vehementiſſimam, ſed inanem tuſſim conjunctam habent, quæ in aliis hydropum ſpeciebus vix, aut raro apparet: Qua de re videatur *Hippocrates lib. prænot. num.* 8. *&c.* Conſenſum partium e directo in morbis quotidie obſervamus, de quo diſcurrit optime Senex magnus pluribus in locis; ſed potiſſimum 6. *epid. ſect.* 2. *fol.* 144. *Et directo, & laterum, & Præcordiorum intenſiones, & ſplenis elevationes, & e naribus eruptiones, & aures e directo. Horum plurima etiam ad oculos. Utrum igitur omnia? aut quæ quidem ex infernis ſurſum, e directo: Qualia ſunt quæ juxta maxillas, aut circa oculum, aut aurem, quæ vero ex ſupernis deorſum non e directo. Atqui, & anginoſi rubores, & laterum dolores e directo, aut etiam, quæ infra hepar ſunt, & ſupernis diſtributa velut in teſtes, ac varices? conſideranda ſunt hæc, quo, & unde, & propter quid. Expectare oportet e directo diſtenſionem ſecundum ventrem ut plurimum, &c.* Ibidem vide reliqua *Hippocrate* digna. Idem quoque differens de partium conſenſibus ſupra infra, infra ſupra, &c. 1. *prædict. num.* 18. *fol.* 170. aſſerit. *Sanguinis eruptiones in naribus e contrario malæ, veluti ſi in ſplene magno ex dextra nare fluant. Et circa præcordia eodem modo ſeres habet, & cum ſudore hoc pejus. Et in conc.* 31. *cum comment. doctiſſimi Dureti, de pleuritide agens* ait; *Si peripneumonici, tota lingua fit alba & aſpera, amba partes pulmonis ſunt inflammatæ, ſi medietas linguæ aſpera, &c. eſt ea pulmonis pars ægrotat. Ita ſi dolor ad jugulum eſt, ſi ſenerit ad dextrum, dextra; ſi ad ſiniſtrum, pulmonis ſiniſtra pars ægrotat.*

Quæ quidem omnia, ut alia quamplura taceam, ſatis ſuperque oſtendunt, quod inter partes, & partes ſit certus conſenſus, cujus cauſa ſicuti morbi partium peculiariter inter ſe mutantur, & communicant: ita quoque, & functiones earum naturales peculiariter ſibi invicem conſentire crediderim.

Dictum eſt ante partes conſentire quatuor præcipue modis, primo ratione originis uti ſunt partes membranoſæ, & ex membranarum telis compacta viſcera, quæ omnia remotam a meningibus trahunt originem; carnoſæ cum carnoſis, & ſic deinceps. Deinde cauſa vicinitatis, ſicuti conſentiunt ductus coledochi cum duodeno, qui cum in principio intermittentium more aliarum partium rigorifera oſcillatione convelluntur, bile in duodenum vicinumque ſtomachum expreſſa, unde bilioſi vomitus naſcuntur, quos videntes Galenici bilem intermittentium cauſam credidere, ſed falſo; Uterus cum veſica, veſica cum inteſtino recto, &c. Tertio ratione uſus, uti ſit inter renes, & veſicam; inter ſtomachum, & inteſtina; inter vaſa, & vaſa partium, &c. Quarto demum ratione communicationis officii, ſicuti inter jecur, & veſicam fellis, inter ſtomachum, & inteſtina; inter renem, & renem; oculum, & oculum, & ſic de aliis partibus, quæ commune habent officium in aliqua functione peragenda.

Quoad originem, & præcipue partium membranoſarum, hæ ſingulæ a pia, & dura matre dependent. Pia, & dura mater bifariam cerebrum ſecat, in partem nempe dextram, & ſiniſtram. Neque in ſolo cerebro hujuſmodi exacta diviſio deſinit, ſed ad infernas quaſque partes extenditur, & hinc paralyſes illæ medietatem corporis exacte occupantes oriuntur. En itaque habes primum conſenſum partium *e directo* ab *Hippocrate* indicatum, atque illum ob communem originem, communemque diviſionem in cerebro ipſarum radice. Porro eædem meninges ſequendo vias cerebri in ſpinalem medullam producti, hanc quoque binas in partes æqualiter partiuntur, atque tringinta nervorum paria hanc inde dimittunt. Et en ſecundam habes cauſam conſenſus partium e directo jure communis originis, diviſionisque. Quamobrem ſi paralyſes univerſales in partibus e directo fieri poſſunt, quia nervi e directo atque in prima, communique læduntur origine; cur negabimus dari poſſe conſenſum inter partes, quia oſcillatio alicujus fibræ originem parti a ſe longe remotæ præbentis in hanc omnino deſinit, & deſinendo liquorum per eam circulantium curſum turbat, morbiſque invadendi occaſionem præbet? Putaverim itaque hujuſmodi remotas inter partes conſenſum vi, & irritatione ſolidi potius, quam projectione, progreſſioneque liquidi produci. Et ſi quando liquidi vitio fiat, fiet profecto, vel ratione vicinitatis, vel quia morbi cauſa generaliter circulat in omnibus. Ita vertigines & Epilepſie, & variæ cordis, atque pectoris affectiones per conſenſum partium inferiorum, non fiunt quidem per vapores aſcendentes, ut falſo creditum eſt hactenus, ſed illarum

partium ſpaſmis cerebro communicatis, qui in eo fluidorum curſum turbant, unde vertigo. Hujuſmodi ſpaſmodicas oſcillationes explicant ægri per fumos atque per vapores aſcendentes. Verum nec fumi, nec vapores ſunt, ſed ſpaſmodicæ fibrarum oſcillationes & a partibus in partes leniter progredientes. Omnia cerebri undecumque afflicti mala cum ſtomacho facile communicant, idque vel generis ſimilitudine, vel jure ſocietatis. Ob eandem fibrarum oſcillantium continuationem quidam quoties tuſſiunt, mingunt. Cognovi ægrotum Romæ palpebrarum doloroſa excoriatione laborantem, quoties caſu pilum aliquem earum durius tractabat, vago horrore per totam corporis medietatem oculo reſpondentem corripi, ac perfundi.

Sic etiam multi ſibi ventrem quandoque lubricant uſu tabaci, vel ore in fumi formam ſucti, vel tracti ut moris eſt per nares; communicatis nempe oſcillationibus ab ore, & naribus tabaco irritatis ad inteſtina. In nephritide calculoſa interdum adeſt emicrania ea parte capitis, quæ dolenti reni e directo reſpondet: ſtupor quoque crurum e directo, retractio teſticuli e directo eandem ob cauſam fit. In calculo veſicæ adeſt in glande penis dolor, pruritus & irritatio continua, quod inter pathognomonica, ac certiſſima calculi veſicæ ſigna eſt, uc in quatuor obſervavi, quibus lithotomia celebrata fuit. Dolores iſchii, dolores lumborum ex infarctu, congeſtioneque pravorum, crudorumque humorum in meſenterio orti, ad genua, & ultimos digitos protenduntur. In his, aliiſque id genus caſibus habentur communicationes, ſeu converſiones malorum e partibus in partes ob irritationem ſolidi magis, quam ob fluidi metaſtaſim, ac tranſmiſſionem. Quæ ſi exterius fieri videmus, cur negabimus eadem mechanice, & interius poſſe quoque contingere in productone, ſucceſſioneque morborum?

Conſenſus hi inter partes membranoſas ratione originis fiunt ob continuationem fibrarum ejuſdem texturæ, toni, elateris, aliarumque qualitatum ſuo generi familiarium, & prout impreſſio ab agente contrario facta, fibrarum ſeriem, aut cumulum afficit, quæ cum pluribus aliis, velcum paucis tantum conſentiunt; ita conſenſus oriuntur vel per univerſum ſyſtema partium eiſdem conſentientium, vel per medietatem tantum, magis minuſve. Hac de cauſa dum febrilis horror, aut frigus univerſam cutim convellit, tunc oleum diſtillatum Caryophillorum Epigaſtricæ regioni illitum, remiſſionem horroris procurat undequaque. Plantarum pedum mirus cum toto ſyſtemate nervoſo, & membranoſis partibus conſenſus eſt. Nam ſupra frigidum ambulantibus pavimentum, aut alvum laxari, aut inteſtina torqueri contingit; caput per pediluvia lenitur. Si ſub ſudorum effluvio manus vel pedes nudentur, & rigori exponantur, ſtatim minuitur, vel ſupprimitur ſudor, prout rarioris, aut denſioris texturæ fuerit patiens; quique difficile ſudant, appoſito plantis pedum latere calefacto, mirifice ſudor illis promovetur. Iſtæ, aliæque hujuſmodi partes, univerſo conſentiunt ſyſtemati, univerſum etiam eis ſyſtema conſentit; quoad prognoſticum vero in malis ex pedum frigore & affectionibus faciendum, videatur Senex magnus *acut. n.* 10. *n.* 30. *n.* 43. *de vict. acut.* ubi ait: *Quibus in febribus perpetuo alvus liquida eſt, his præcipue pedes calefaciens, & ceratis integens, & faſciis obvolvens, animum adverte, ne ſint reliquo corpore frigidiores; ſi vero calidi ſunt, nullum adhibe calefactorium, ſed obſerva ne refrigerentur.* Vide quoque *n.* 45. *reliqua*, & *n.* 4. *de dieb. judic.* ubi refert peculiarem jecoris morbum, in quo pedes fere ſemper frigidi ſunt. Cognoſco Romæ Nobilem Virum natura ſiccum, & fuſco cutis colore præditum ætat. ann. 40. qui frequenter coryza & catharris corripitur. Et quando ſibi pedes derepente, & ſine cauſa refrigerari ſentit, infallibiliter paulo poſt catharrus cum coryza, & capitis dolore ſupervenit. Quare rogo Lectorem, ut hos *Hippocratis* Textus attente conſideret, & inde diſcat, quam neceſſaria ſit hæc de conſenſu partium tractatio.

At ſi inter fibras tactas, laceſſitas, aut irritatas non eſt univerſalis ob univerſalem inter ſingulas communicationem conſenſio; eædem in ſua progreſſione hinc inde deſinendo viſcera, glandulas, aliaſque partes producant; tunc non univerſales, ſed particulares tantum oriuntur conſenſiones. Semper tamen juxta communem ſolidorum legem tacta extremitate alicujus fibræ, alterum ejuſdem extremum ſtatim debet conſentire. Et ſi nimium in producenda parte aliqua circumſcriptæ fuerint fibræ, nec cum vicinis partibus multum communicantes, conſenſio inter ipſas circumſcripta quoque erit in tali dumtaxat viſcere: hac forſan de cauſa rigores, & horrores, qui futuras ſuppurationes pronunciant in partibus, in pulmonibus, vel a tuberculo, vel a vomica, vel alia ſuppuratis de cauſa, aut nunquam, aut raro obſervantur; quia forſan rigoriferæ oſcillationes in pulmonibus a pure productæ, in ipſis deſinunt pulmonibus, nec ad extra propagantur. Porro ob peculiares fibrarum progreſſiones, unioneſque, peculiares oriuntur conſenſus. In contuſionibus cranii, & læſionibus meningum ſi ſeptimo, vel undecimo die gravis ſupervenit ophthalmia, ſignum mortis imminentis. In collectione puris, in cavitate capitis, aliquando ſuccedunt vomitus, nauſea, aliquando ad jecur metaſtaſi facta jecur ſuppurat frequenter in capitis vulneribus, & contuſionibus. Ex gravi capitis percuſſione, impotentia ad Venerem. Phthiſi ſupervenit tumor Teſtium. Succus Semper vivi Scroto illitus ſiſtit hæmorrhagiam narium.

Acetum

Acetum quoque eidem illitum ebrietatem, & narium quoque hæmorrhagiam tollit. A remedio primis viis hærente noxius humor, licet in remotis partibus lateat, corrigi, & emendari potest. Sic etiam in vehementibus animi passionibus, prout ab agitatione spirituum in cerebro aliqua ex ejus fibris tangitur, partes inferiores tali fibræ respondentes statim consentiunt, & ob hujusmodi mutuam ipsarum oscillationem fluidorum cursus perturbantur varie, & agitantur. Ita hæmorrhagiæ narium subito terrore sanantur. Gaudium, & ira mentes promovent, pavor, & mœstitia stringunt; verecundia partum reddit difficilem. Mulieres gravidæ, territæ, verecundæ post partum lochia sibi supprimunt. Uteri laxitas solo terrore sanata fuit.

Similes consensus universales, & particulares inter partes membranosas, & membranosas; inter carnosas, & carnosas, interque alias ratione communis originis, & similitudinis in substantia, præsenti capite fuse explicabuntur; differetur pariter de tribus reliquis consensibus inter partes ratione vicinitatis, usu, & communicationis officii, sive fiant per contactus, & oscillationes solidi cum solido, sive per transmissionem fluidi, sive demum per utrumque.

Quoad consensus per transmissionem fluidi, ostendemus fluida hinc inde in variis ac determinatis corporis partibus, ac filtris secerni, quia unicuique fluido varia, ac determinata gravitas inest, cujus gravitatis causa coguntur singula ex legibus statices statutis in locis depurari. Exemplo sit stercus, & urina, quæ quoniam cæteris liquidis sunt graviora, suaque gravitate circulationem retardarent, humoribusque progredientibus magno essent impedimento; natura ipsorum providens gravitati voluit, ut in parte ceteris magis declivi, & prope duo majora corporis orificia secernerentur, ut statim ac secreta sunt, foris propellantur; aliter enim si remotioribus in locis separari debuissent, corporis functionibus suo per partes progressu maxime nocerent, non solum heterogenea sua natura, sed multo magis sua majori gravitate. Nam sicuti cibi pondere proprio dum in ventriculo sunt, ejusdem tunicas varie comprimunt, ac complicant, & hujusmodi compressione fluidorum cursum per illius vasa varie mutant, & afficiunt, unde variæ circa digestiones oriuntur mutationes; ita humores, & excrementa sui generis alicubi congesta solo pondere mille affectiones in liquidorum cursu poterunt producere. Et ideo quando magnus est hujusmodi gravium terreorum, viscidorumque excrementorum in primis viis glandulisque mesenterii cumulus, liquidorum cursum, vicinarumque partium functiones adeo perturbat, ut plerumque febres, quas mesentericas voco, graves, longas, & difficillimæ curationis producat. Quæ quidem præ ceteris hac in Urbe regnant. Neque eas curamus nos chimeris testaceorum, quæ acida imaginaria, & ficta absorbeant; sed nostra peculiari methodo, ad quam magno tandem cum labore, & patientissima observatione pervenimus, sicuti palam faciemus in peculiari tractatu de febribus, morbisque mesentericis Romanorum. Quam pauci mesentericas febres curare, aut dignoscere sciunt! Felicem ægrum, qui inciderit in Medicum febres, morbosque mesenterii bene curantem! Tyrones mei, non testaceis, non pessimo sane, ac pestifero chinæ chinæ abusu, non futilibus ex chalybe remediis, non haustibus olei amig. dulc. quod nescio quo fato singulis pene in morbis a Nostratibus hodie adhibetur (Tyrones mei præ oculis semper habete, *ut ne quid nimis*) eas curabitis, sed solida nimium intenta laxando, nimium laxata intendendo, liquida nimium concreta solvendo, ac per intervalla purgando, intus & extra varia remedia adhibendo, ut Auditores mei quotidie vident. Qui hæc bene noverit, bene curare noverit. Quod de stercoris, & urinæ secretione diximus, de aliorum quoque liquidorum bilis, salivæ, &c. secretione ex variis legibus gravitatis singulorum dicendum.

Inter consensus, qui fiunt ratione solidi, notabilis est, qui singula inter vasa reperitur, arterias, inquam, & arterias, venas, & venas, inter utrasque simul, ac demum inter cetera vasa universalia, & particularia. Cum enim vasa compacta sint telis membranosis, circum quas fibræ carnosæ circulares, sive spirales varie ludunt, easque miro artificio amplectuntur, vocari quodammodo possent musculi cavi, peculiari motu, & ab eo cordis, atque aliarum partium valde diverso donati. Unde quando dictæ earum fibræ, vel nimium oscillant vel nimium relaxantur, particularis hic vasorum motus vel tardior erit, vel frequentior. Et exinde major, minorve in contento liquido impressa celeritas observabitur, a motu, & impressione a corde vel aliis partibus facta, nimium diversa. Ab hac fortasse pendent origine varia pulsuum discrimina, quæ ab Antiquis vocabantur differentiæ pulsuum ratione instrumenti, uti suo tempore nos etiam planum faciemus.

COROLLARIA,

Et Postulata.

I. AD calcem hujus capitis ad instar Corollarii notanda venit particularis quædam solidorum indoles & proprietas: ea est quod fibræ nostri corporis ita sunt natura comparatæ, ut ad libitum Hominis, vel ob peculiarem fluidorum prope ipsas currentium dispositionem, varie afficiantur, duriores fiant, vel molliores, hinc inde varie distorqueantur; somno accommodentur, & vigiliis; vitæ sedentariæ, vel laboriosæ, horis prandendi,

vel

vel cœnandi determinatis ; omni demum vitæ generi, ita accommodentur, ut si velis post transactum aliquod tempus ab eo statu ad contrarium fibras revocare, profecto vel difficulter, vel nonnisi cum aliquo salutis discrimine, id assequeris. Porro quædam veluti peculiarem consuetudinem, ac desuetudinem acquirunt. Ita si quis per multos menses incurvatum semper brachium teneret, fibræ brachii ob illam consuetudinem, ita incurvatæ persistent, ut vix incurvatio illa tolli possit. Assuescunt itaque fibræ cuilibet actioni corporis, & a qualibet desuescunt, ut qui assuescit noctu determinata hora mingere, determinata hora somno excitabitur ad mingendum. Qui assuescunt ad determinatam horam dormire, non excitabuntur, nisi turbetur hæc consuetudo ab aliqua ex sex rebus non naturalibus. Quorum conscius *Hippocrates* de rat. vict. in acut. n. 15. plura recenset mala, quæ succedunt, si consuetudo prandii determinata hora faciendi mutetur in contrarium, vel si ciborum usus mutetur ex malis in bonos vel contra. Et loc. cit. numer. 2 Damna quoque refert mutationis lecti e duro in mollem, e molli in durum, quorum plura certe curiosissima affert divinus Senex, loc. cit. n. 24. Adeo ut nos ejus exemplo ducti magna cum diligentia singula, quæ ad sanitatem spectant notare debeamus, & animadvertere; docet enim præ ceteris 6. epidem. *Nihil temere credendum nihilque negligendum.*

Sed hic contra me obmurmurantem video medicum, & in me his verbis invehentem. Quam minime mathematice instructus est hic Auctor solidorum! quam parcus in afferendis geometricis demonstrationibus, ac legibus, pro ardua solidorum provincia illustranda! Cui quidem respondeo, me in hoc de solidis specimine mere ad ampliandam praxim directo, non uti rigorosis legibus demonstrationum, quia morborum origo, progressus, & eventus omnes hujusmodi speculativas demonstrationes flocci faciunt ac spernunt; sed animo præconceptis ac bene perceptis generalibus quibusdam Mathematices principiis ad hanc rem opportunis, regulas geometriæ observationi certæ affectionum fibrarum, non vero contra, observationem geometriæ accommodare in animo semper habuisse. Vanæ sunt omnes hujusmodi demonstrationes ab extra petitæ, & ad functiones partium sanas, vel morbosas adhibitæ. Præscire ante debemus veros canalium diametros, eorumdem progressus finesque varios, vim certam cordis impellentis, certamque fluidorum ac solidorum resistentiam; & mille alia id genus, ut demonstrationes ab extra petitas partium functionibus recte accommodare possimus: sed quoniam hæc scitu difficillima sunt, necesse est, ut in hoc practices negotio Geometria famuletur observationi.

Quamcumque molestiam inducunt medicamenta acria, spirituosa, vel alterius generis in lingua, dum ore detinentur, eandem quoque pariunt internis in partibus, per quas progrediuntur, irritando nempe, urendo, constringendo, exprimendo, mille modis linguam, & liquida vicina afficiendo. Unde per analogiam ab hujusmodi externis observationibus discurrere poteris de remediorum effectibus in partibus internis.

IV. Sæpe dicimus solida motum sibi impressum a fluidis non solum diu multumque conservare; sed vim impressi motus in ingens augeri, ac multiplicari in ipsis; quod quidem succedit ob firmam suorum minimorum inter se adhæsionem, continuitatemque, & perennem liquidorum pone ea currentium contactum ac collisionem. Specimen aucti impetus solidorum a levi impulsu fluidorum pungentium vel irritantium habes in doloribus, & ipsorum symptomatibus, in horrendis convulsionibus similibusque morbis. Et mirum est quam facile multa morborum phænomena per hanc mechanicem explicantur!

PROPOSITIONES.

In Juvenibus humores, ut plurimum, faciunt impetum superiora versus, in Senibus vero versus inferiora.

I. PEndet id, si licet opinari, ex laxitate nimia solidorum, & fluidorum in senibus, contra vero ex nimia vi, tensione, & elatere eorumdem in Juvenibus. Hac de causa ait *Duretus in coac. fol. 66. & 69.* quod febres ardentes in Juvenibus solvuntur per hæmorrhagiam narium, in senibus per dysenteriam; sed ut hæc certo observentur in praxi, sicuti revera observari debent, jubente sic Naturæ lege, animus omni cura solvendus est, ut libere hinc inde diffluere possint spiritus, & irradiare partes singulas, juxta Naturæ ordinem. Nam animo curis, fluidis, & mille aliis causis vitæ Civilis agitato, turbatoque; liquidorum omnium cursus mille modis turbantur, agitanturque, & fluunt hinc inde furibunde qua fluere non debent.

II.

Fluida, & solida ex repetitis actibus, & consuetudine hominis, peculiarem acquirunt naturam.

SIi qui assuescunt frequenti venæ sectioni aut purgationi, omiserint hujusmodi remedia, intempestive incident in morbos, ut innumeris Auctorum patet exemplis. Notavimus hoc in ægro ad Templum Fortunæ, nunc S. Cosmatis in Janiculo, in hortis Cæsaris Dictatoris, quos ipse populo Romano legaverat, ut narrat *Tacitus*; Et notavimus in Juvene ad Templum Herculis in Ara maxima, nunc S. Mariæ in Cosmedin post Muros Scholæ Græcæ; atque in Pistore ad vetus Silvani Templum, nunc S. Agathæ sub Viminali in via subterranea. Qui nimiæ exercitationi assuescunt

si in-

ſi intempeſtive quieverint, dyſenteriis, aut articulorum doloribus corripi ſolent. Qui aſſueſcunt determinata noctis hora mingere, eadem infallibiliter excitantur ad mingendum nocte. Pariter qui aſſueſcit ſomnum trahere ad murmur aquæ ſalientis, vel alicujus Artificis prope domum ſuam tintinnabula, vel alia inſtrumenta exercentis, ſi Domum mutaverit, in qua dicta non adſint murmura, difficiliter ſomnum capiet, & non niſi magna cum moleſtia, nempe donec deſueſcat omnino a murmure præfato, &c.

III.

Intercepto motu liquidi in aliqua parte, intercipitur & in vicina: ſoluto, ſolvitur.

AD remediorum præſcriptiones maxime juvat hujus Theſis cognitio, & veritas. Motus unius liquidi ex motu alterius mutatur, varie dirigitur, turbatur, deſinit, augetur, quod niſi rite cognoſcamus, obſcure procedemus in curando. Senex prope Palatium olim Chriſtinæ Suecorum Reginæ, heroici animi fœminæ in Via Lungariæ, quæ ducit ad Vaticanum ſub Janiculo colle, Numæ Regis, & Statii Cæcilii Poetæ ſepulchris celebrato (dicitur nunc corrupto vocabulo Collis Montorius; in hunc ſeceſſiſſe aliquando Plebem Romanam, & a Quinto Hortenſio Dictatore revocatam ſcribit *Plinius* lib. 16.) Præfatus itaque ſenex ſæpe laborat alvi ſuppreſſione diuturna, quando diuturna eſt hæmorrhoidum ſuppreſſio. Pro modulo quo exit ſanguis ab hæmorrhoidibus, exeunt fæces ex inteſtinis. Repleta nimium vefica ab urina tota nocte ibidem congeſta potiſſimum longis noctibus hyemalibus, mane ſi flatus velis pedendo emittere, non poteris; tenſio enim fibrarum veſicæ vicino communicatur inteſtino: hinc oritur difficultas emittendorum flatuum, & fæcum, niſi eadem remittatur, emiſſa primum urina. Innumera in praxi id generis exempla unuſquiſque per ſe poterit obſervare.

IV. Si fluvius currendo cum decem gradibus celeritatis unum vel duos gradus amittat, lentiuſque procedat, ſtatim incipit deponere impuritates ſuas ad fundum, vel ad latera alvei, & quo magis amittit de ſua celeritate, eo majorem facit depoſitionem. Hæc explicata ad ſanguinem currentem maxime conferunt ad bene præſcribendas purgationes, diuretica, ſudorifera, &c. cocta vel cruda exiſtente materia, ſanguine velocius, vel tardius currente.

V. Separatio, ac derivatio inæqualiter liquidorum per canales corporis mixti fluentium, fit per compoſitiones duorum motuum, quorum alter movet per longitudinem canalis, alter eodem tempore quaquaverſum ad latera.

VI. Inæqualiter autem liquidis alicubi quieſcentibus mixtim in corpore, & a communi aliqua cauſa compreſſis, prius exprimitur quod eſt liquidius.

VII. Moles fluidæ effuſæ per aliquos tubulos eadem velocitate, eodemque tempore, eandem proportionem inter ſe habent, quam orificia, ſive diametri fiſtularum, per quos tranſeunt.

VIII.

Nonnulla afferuntur de mechanica ſecretione liquidorum in corpore animato.

SEcretio hujus, vel alterius liquoris in hoc vel alio viſcere, pendet primario a majori, vel minori velocitate qua ſanguis ad hoc, vel illud viſcus appellit; ideſt a majori, vel minori propinquitate partium ad cor, & impetum primum ſanguinis a corde impreſſum: propter quam majorem, vel minorem partium ad cor propinquitatem, majorem, vel minorem in eis velocitatem ſanguis conſervat; ſervata tamen proportione arteriarum afferentium, & venarum deferentium. Varie igitur hinc inde diſperſa, ac diſpoſita ſunt viſcerum filtra, ut varium ſingula ſanguinis impetum recipiant ad varia liquida ſecernenda. Ideo prope cor nullum eſt poſitum filtrum, quia ſanguis cum ibidem velociſſime currat, nulla fieri poſſet ſecretio. Id clare patet in ſecretione bilis in jecore: nam non ſine myſterio Natura voluit, ut ſanguis, qui ad hepar ducitur, per venam portam univerſus ducatur, licet parvus cæliacæ ramus aliquid etiam ferat. Adeoque hic vena porta gerat vicem arteriæ. Qui quidem portæ ſanguis utpote refluus a vicinis viſceribus, valde lento, valdeque remiſſo motu procedit: hæcque motus retardatio neceſſaria fuit, ut partes bilis, quæ natura ſua lentæ, oleoſæ, viſcidæ ſunt, ac proinde tardi motus, tardiori quoque circulatione ad mutuum contactum veniant, & ita facile in hepatis filtro ſecernantur. Porro ſanguis cæliaca in portam per viſcera exoneratus, exoneratur in vaſa majoris orificii, ac diametri, ac proinde eo magis debet amittere de ſuo motu, quanto major eſt diameter vaſis majoris ad minorem.

Pariter ut ſecernantur ſpiritus in cerebro, ſitum illum in eminentia obtinuit cerebrum, & illam admirabilem vaſorum rectitudinem, & amplitudinem a corde ſtatim ad ipſum: quæ rectitudo, vicinitas, & amplitudo vaſorum cordis ad cerebrum neceſſaria fuit, ut ſpiritus, & non alia liquida in eo ſecernantur. Idem dic de ſitu renum, ad quos ſanguis maxima vaſorum rectitudine, vicinitate, amplitudineque pervenit. Quæ ſingula ſanguinis cum maxima velocitate ad renes appulſum denotant, eandemque neceſſariam, ut ſerum ſalinum, & non aliud liquidum ibidem filtretur. Exemplum hujus rei ſatis clarum habemus in flumine. Flumen quando aquis nimium turget, & velociſſime currit, trahit ſecum lapides majores, minores, trabes, ligna, paleas; ſed ſtatim ac velocitas incipit minui, incipiunt ſtatim ad ripas

pam fluminis deponi lapides majores, deinde minores, denique ligna, paleæ, lutum, &c. Ita sanguis pro varia ejus velocitate per varia viscerum filtra, varias hinc inde deponit substantias, ex probatis, &c.

Neque solum necessaria est ad secretiones determinatas fluidi velocitas, sed determinata ejusdem figura, & moles, seu commensurabilitas particulæ secernendæ cum poris filtri. Ex Galileo enim cum non detur figura sine mole, nec moles sine figura, non solum figura debita, sed moles, seu commensurabilitas inter porum filtri, & particulam secernendam necessaria est; & in nostra sententia commensurabilitas magis, quam figura: nam cum partes membranosæ sint flaccidæ, & distensibiles, pori earum facile mutantur a fluido nimium impellente; adeoque mutata figura pori, plures aliæ diversi generis particulæ per eam secernerentur, quod non succederet ita facile in commensurabilitate, ideſt quando diameter particulæ secernendæ æqualis est diametro pori secernentis.

Tertio supponimus necessarium esse, ut humor secernendus per hoc, vel illud filtrum præexistat in fluido universali, veluti unitus, & aptus ad secernendum. Non dissimili ritu, quo videmus, quod materia morbosa coqui prius debet, ut deinde debite secernatur: coctio autem nil aliud est, nisi separatio, sive extricatio morbosæ materiei a sana, cum qua veluti confuse innatando, ac levi contactu circulando, ad minimum alicujus purgantis, vel alterius remedii stimulum statim cedit, & obedit, & qua data porta, sanam relinquendo, foris protruditur, ac educitur, &c.

En brevem notitiam Mechanices secretionis liquidorum in suis filtris in corpore animato.

Possumus considerare hoc esse inter solida, & fluida corpora discrimen, quod solidorum particulæ cum sibi invicem hæreant, possunt supra unum, alterumve punctum plures gravitare, etiam quæ in latitudinem expansæ sunt, ut patet in vecte ab axe sustentato. Fluidæ vero partes cum sibi invicem non adhæreant propter lubricitatem, quæ forte a curvitate superficierum procedit, non possunt supra unum, vel alterum punctum plures gravitare, etiam si in latitudinem expansæ sint. Quæ vero perpendiculariter sunt protensæ, quoniam a lateralibus coercentur, nec diffluunt, cum innitantur subjectis, supra easdem gravitant: & quoniam ab ipsis lateralibus coercentur a defluxu, in ipsas quoque premunt, & invicem premuntur. Tantumque est hujus lateralis pressionis momentum, quantum gravitatis corporum ipsis innitentium, &c.

CAPUT XI.

De irritatione, sive de stimulis, & variis stimulorum effectibus.

QUam ingens sit solidorum supra fluida potestas, & vis, ab irritatione solidorum, ejusdemque effectibus manifeste deducitur. Utque externas causas irritantes præteream; si quis animum advertat ad dolorem, quando partem aliquam vehementer affligit, videbit statim doloris causa turbari universum systema solidorum, in parte dolente, & consensione quadam in partibus etiam remotis; ita ut si magnus fuerit dolor, magna etiam erit & turbatio; partes enim frigore corripientur, attenuabitur pulsus, supprimentur cursus, & evacuationes liquidorum, crispataque universa fere solidorum machina, vicinum morti animal existimabitur, nisi dolorifica solidorum crispatura per debita leniatur medicamenta. Ita in infantibus, quorum fibræ sunt admodum teneræ, ac delicatæ, quando erumpens ex alveolis dens, gingivas irritando, viam sibi foras parat, communicata a gingivis ad partes quasque remotas oscillatoria irritatione; imo pro diversitate partium, quibus directa irritatio communicatur, & pro diverso modo, quo fluida ad contactum fibrarum irritatarum excurrentia afficit; pueri in eruptione dentium alvi fluxu corripiuntur, vel convulsionibus, genua eisdem intumescunt, nec detumescunt, nisi diarrhæa superveniente: copiosa fluit saliva, stertor viget, ideſt febricula cum vigiliis, variisque aliis accidentibus, quæ sola parit solidorum irritatio, a gingivis ad remotas quasque partes communicata, nec cessant, nisi cessante irritatione.

Frequens hæc fibrarum crispatura, quam solidorum irritationem voco, ab internis, aut ab externis, a naturalibus, vel a morbosis causis producitur. Certum quidem est fluida ad contactus solidorum currentia, in hoc cursu suis tangere minimis minima fibrarum, hujusque contactus causa fit, ut insensibiliter fibræ minima undulent, oscillent, sive crispentur. Si fluidorum minima angulos, & circumferentiam juxta naturæ leges habeant, & momentum sui cursus naturæ subordinatum fit, irritatio in solidis facta erit naturalis. At si minima nimis acuta fuerint, salina, terrea, pungentia, acria, & piperina, & majori cum celeritate excurrant, irritatio inde nata crescet, ut ita dicam, in infinitum; hoc enim proprium est solidorum corporis animati, ut motus eisdem impressus a fluidis, ratione peculiaris elateris, & suorum structuræ minimorum, quæ sunt veluti totidem vectes multiplicati, immensarum virium capaces, sibi invicem fortiter hærentes, nimium augeatur

tur, & incredibilirer acceleretur: quique motus vel affectio brevis ante solebat esse, vel mitis in fluidis, communicata solidis, diuturna evadit, gravis, & curatu difficilis. Semel enim pro semper dictum esto, solidorum morbos graves esse, curatuque difficiles: & cum nostrorum solidorum vis ac resistentia vi fluidorum potentior sit; impressio certe solidorum communicata fluidis major proinde erit, magisque sensibilis: præterea quoniam liquida currentia, vel intra solida concava vasorum, vel ad contactum fibrarum currunt, profecto quando hæc solida oscillant, crispantur, vel alio modo afficiuntur, incredibilis, atque repentina mutatio in cursu liquidorum succedet; hujusque mutationis causa ipsa quoque liquidi natura afficietur summopere, ac forsan mutabitur in pejus.

Præsenti igitur in capite explicabuntur effectus singuli, quos solidum irritatum, sive oscillans producit in fluidis, oscillationis centro proximis, vel ab eodem remotis. Inter proprietates solidi oscillantis sive stimuli præcipua est, quod momento temporis, & remotissimas quasque in partes vim suam propaget, & late extendat; deinde agit eodem tempore in omnia solida æque ac fluida, magis vel minus, prout vehemens, aut lenis fuerit stimuli vis, & potentia. Stimuli, aut simplices sunt, aut compositi. Simplices dico, quando causa irritans vim suam in cute tantum excercet, nec portio stimuli intra fluida ingreditur, sicuti sunt frictiones, ustiones, punctura &c. Compositos contra, quando causa irritans crispat, vellicatque solida, & eodem tempore ingrediens in sanguinem, fundit illum, solvit, dimovet, excitat; uti faciunt vesicantia, sinapismi, & id genus alia. Posteriores prioribus vehementiores sunt, celerius agunt, & omnia solida, simul ac fluida eodem tempore exagitant.

Porro irritatio, vel universalis est, vel particularis; hoc est vel universum systema fibrarum concutit, vel alicujus partis tantum; ejusque peculiaris vis, atque actio in hoc potissimum consistit, ut fluida, per vim majoris impressionis in motum antecedenti velociorem, vividioremque ponantur, dummodo tamen iisdem insit debita dispositio ad currendum, & irritanti solido cedendum, nec non ut separentur in cribris partium, & ramorum ramis ad ultima minima; aliter fluidum, non solum majori cum celeritate non curret, sed quiescet magis, & hinc inde coagulatum detinebitur. Insuper cœptam oscillationem aliqua in parte sequi debent irritationes aliarum partium, vel proximarum, vel remotarum, ut fluidum ab oscillatione motum, prosequatur suum iter in remotissimas.

At si oscillatio ab irritante producta circumscribatur tantummodo in parte oscillante, nec undæ propagari possint ad longinquas ob impedimenta, quæ invenerint, fluidum in majorem motum positum cum progredi dicta de causa ad ulteriora non possit, in oscillante parte hærebit magno cum ægrotantis discrimine. Qua de causa sæpe fit, ut post irritationem vehementem solidorum, vel tumores in partibus, vel liquidorum solutiones sequantur, prout irritatio fuerit sive universalis, sive particularis, & liquidorum dispositio ab excurrendum minor, vel major.

Igitur inter solidum oscillans, & liquidum currens debitum esse debet æquilibrium, & proportio in imprimendo impetu, & in eodem contra recipiendo, quod si alterum ab altero superetur, vel liquidorum concretiones, vel contra solutiones nimiæ nascentur, variæque circa solida ipsa affectiones: cujus equidem rei quasi conscius esset doctissimus *Duretus*, sic ait fol. 337. *Cerebrum epilepticum contrahit eas partes, quæ jussu nostro moventur, nempe musculos. Resolvit vero quæ sua sponte, & independenter a nobis, ut ventriculus, intestina, &c.*

Ob hanc improportionem inter solidum oscillans, & fluidum ab oscillatione motum, & in majores undas positum succedit, ut vehementibus doloribus superveniant demum inflammationes. Ob vehementem colicam paralyses, & artuum contracturæ nascantur. Quibus lien, aut jecur scyrrho, vel alia de causa obstructum est, ii difficulter sudant in morbis, non tantum ob humorum visciditatem, ut vulgo creditur, quantum quia ob obstructionem intentis, crispatisque vicinis visceri fibris, trahitur in consensum cutis, crispatisque ejusdem fibris, sudoris excretio impeditur. Eadem quoque de causa in talibus viscerum veris, non vero imaginariis, & fictis obstructionibus (quales sunt quas Medici vulgo somniant, cum morbus aliquis viscerum naturalium pertinax est, aut in longum protrahitur) urinæ paucæ sunt, & albæ. Quando nimia fibrarum crispatura, & irritatio adest cum magno impetu spirituum, secretiones humorum in partibus minuuntur, vel abolentur, tunc datis opiatis, & anodinis crispaturam laxantibus secretiones restituuntur; ob nimiam enim irritationem, ac stimulum, fibra quasi intenditur, induratur, ac veluti immobilis evadit, unde impeditæ fluidorum secretiones. Ita in pleuritide ex distento nimium latere ob inflammatoriam crispaturam, negataque ejus fibris laxitate, sputum difficile educitur; parce fluit urina, sudor, &c. qua de re optime differentem ad usum practicum; optimum videas *Duretum in Coac. Hipp. fol.* 249. & 292. & *melius fol.* 300. *Coac. Hippoc.* 63. In vehementibus articulorum doloribus alvus supprimitur. In ventris quoque diris cruciatibus urina sistitur, spasmodica fibrarum distensione a parte ad partes communicata. Existente calculo in renibus, motu quem facit descendendo per ureteres

ad

ad veſicam, irritatis, criſpatiſque vicinarum partium fibris, fæcum, & urinæ ſecretiones ſiſtuntur. Tota igitur curatio dirigenda eſt, ac impendenda in tollenda morboſa irritatione, & criſpatura renum per balnea, per oleoſa, anodyna, & laxantia remedia; nam ea ablata, impeditæ redeunt liquidorum ſecretiones. Quinimo ſæpe obſervavimus, quod ſi calculum poſt decem vel 15. dies non deſcenderit ad veſicam, imprudenti diureticorum uſu, & nimia remediorum præſcriptione, ut vulgo faciunt Medici, aucta in dolente renum loco majori oſcillatione, magis magiſque figitur ibidem calculus, & multo difficilius educitur; quo in caſu, crede mihi Lector, unicum remedium eſt abſtinere a remediis, nam ſola quiete calculus tandem proſiliet. Idem eſto judicium in difficili lochiorum, menſtruorum &c. ſuppreſſione; quo plura dederis aperientia, creſcet magis ſuppreſſio. In iliaca affectione, quæ oritur a forti criſpatura fibrarum inteſtinalium ab ano ad gulam, pauca juvare ſolent remedia ex claſſe anodynorum & ſtomachicorum; nocent contra clyſteres acres, remediorumque ingens copia. Revera igitur dolores omnes nephritici, dolores ante, & poſt partum, hyſterici, quique inſtantibus menſtruis purgationibus ſuccedunt, a ſpaſmodica fibrarum oſcillatione pendent, totiuſque curationis ſcopus dirigi ſtatim debet in ea primo tollenda per ſotus, balnea, & anodyna laxantia remedia, deinde fluido peccanti incumbendum. Et ſi contrario modo procedatur, plurium Auctor erit Medicus difficilium, lethaliumque concretionum liquidorum in parte affecta.

Sæpe tamen intenſio hæc, ingenſque fibrarum veluti induratio pendere ſolet a nimio impetu, orgaſmo, & acrimonia fluidorum, quo caſu laxata ſanguinis compage per phlebotomiam, laxatur quoque intenſio, duritieſque ſolidorum: ea ratione qua, cum mane ſomno expergiſcimur, & veſicam urina plenam habemus, ſi qui flatus exire velint ex inteſtinis, exire non poſſunt, vel ſaltem cum magna difficultate; diſtentis enim ab urinæ copia veſicæ fibris, diſtenſio vicinis communicatur inteſtinis, & hinc difficilis flatuum exitus redditur; ſed pro ratione, qua prodit urina e veſica, & hac de cauſa ejus fibræ ante nimium diſtentæ laxantur, vicinæ pariter inteſtinorum fibræ laxantur, & eodem tempore flatus, & urina magno cum impetu egrediuntur. Cui forſan mechanicæ reſpiciens Hippocrates, & providere volens nimiæ ſolidorum intenſioni ob fluidum in vicina loca interceptum, venæ ſectionem laudat, ut per eam laxitas in ſolidis neceſſaria procuretur. *Ventoſitatem flatuoſam vena ſectione ſiſtito. Epid. ſect. 5. fol. 132. Quicumque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint, venam ſecato. In Hydrope quoque flatuoſo ſanguinem mittito, de vict. acut. n. 62. fol. 159.* Hujuſmodi etiam ſunt urinæ ſuppreſſiones, quæ ſanguinis miſſione ſolvuntur, ſuppreſſiones lochiorum, menſtruorum &c. Novi hominem, cui ex hæmorrhoidum ſuppreſſione alvus ſupprimebatur, fæceſque difficulter prodibant. Solutis hæmorrhoidibus, ſtatim etiam ſolvebatur alvus.

Præmiſſo, abſolutoque generali examine naturæ ſtimulorum, ſeu irritationis ſolidorum, breviter deſcendemus ad naturam, uſumque practicum irritantium cauſarum, & ſtimulantium, nec non ad explicandam mechanicen, qua ea utuntur, ut ad majorem oſcillationem excitent fluida, & liquida: Has inter cauſas irritantes externas enumerari ſolent veſicantia, ſinapiſmi, fricationes, cucurbitulæ ſimplices & ſcarificatæ, balnea, cauteria, uſtiones, acus punctura, &c. Inter internas, primariæ ſunt purgantia, diuretica, diaphoretica, aliaque remedia, quæ agunt irritando ſolidum, vel fundendo liquidum. Præceteris tamen animadvertendum, præcepta, & leges ſtimulorum ad uſum practicum per ſtimulantia remedia reduci non debere, niſi ante habeatur ratio ſtructuræ ſolidorum ipſius ægrotantis: an nempe præditus ſit fibris duris, aridis, ſiccis, nimium intentis; an contra laxis, teneris, albis, flaccidiſque, pro quarum varietate rerum varii ſtimulorum effectus in corporibus naſcentur. In earumque certa conſideratione, & examine tota curandorum morborum ratio, & judicium conſiſtit. Ita ſunt, qui ob nimium fibrarum ſenſum & mollitiem facile ſyncopizant, & reſolvuntur: facile quoque ob nimium ſenſum, ſive fibrarum arditatem capitis dolore laborant; in quo caſu quoniam dolor ſolidi vitio potius, quam fluidi oritur, ad narcotica libenter veniendum, nam tuto applicari poſſunt, quoniam non aliud debent efficere, quam obtundere nimium fibrarum ſenſum. Pariter, qui magis ſenſibiles fibras obtinuere, catharris, fluxionibuſque vitio ſolidi ſunt magis obnoxii, ut inter ceteros pueri. Et quibus hectica inteſtinorum intemperies flatuum procreatrix naturaliter eſt, ob dictam fibrarum ſenſationem doloribus lumborum, & ilei, alvique extrema ſiccitate facile corripiuntur, & facile in Hydropem ſiccum, Tympanitidem cum atrociſſimis doloribus, & horrida viſcerum tenſione terminantur; quarum affectionum occaſio, & cauſa licet ab extra venire poſſit, augetur tamen ſummopere morbus ob nimiam, eamque naturalem fibrarum ſenſationem, vividumque elaterem. Quare non erit negligenda impoſterum a Medicis, prout hactenus factum eſt, cognitio atque doctrina ſolidorum cujuſcumque corporis ægrotantis, ut recte morborum cura incipiatur, hoc eſt, ut remedia ad rationem ſolidi, & fluidi rite dirigantur.

In hoc igitur capite explicabitur, quomodo ſolidum irritatum, & oſcillans momento temporis oſcillationes ſuas propagat ad remota, & vicina loca: quomodo acceleratur fluidorum motus

universalis, & particularis, & quidquid stagnabat quomodo circulum reassumat, & quidquid erat in circulo, quomodo mutet contactum minimorum suorum, & ex mutatione novas facies amica naturæ oriatur in fluidis. Et sicuti spasmus, & oscillatio fibrarum in parte aliqua per ligaturam ibi factam sistitur, & impeditur ne ascendat in cerebrum, ita quod exterius faciunt ligaturæ, quomodo interius per medicamenta id exequi valeamus, sedulo inquirendum. Ad hanc rem illustrandam maxime faciunt admirabiles curationes morborum, duæ succedunt ex vi alicujus medicamenti: vehemens in omnibus solidis inducitur oscillatio, per quam restituta circuli libertas pluribus in fluidis alicubi hærentibus, vel male circulantibus, mutatoque in melius suorum minimorum contactu, ægri præter omnium expectationem brevi sanantur. Ita æger ad forum Judæorum per multos annos passus est pondus cum dolore in regione stomachi, irritis quibuscumque remediis, a chimico præscriptus fuit pulvis Emeticus violentus, cujus usu exci tatis horridis doloribus stomachi, & partium adjacentium, evomuit paulo ingentem copiam viscidorum, & graveolentium humorum, & per secessum quoque ejecit, dieque sequenti convaluit. Mulier quoque ad Montem citatorium, quo loci pulcherrimum, ac peramplum sex ab hinc annis extructum est magnæ Curiæ ædificium, gravissimo capitis dolore per annos quamplures affecta, præscripto pulvere a Chymico potentissime vomuit, & sanavit statim, licet gravida esset septem mensium... De quibus omnibus aliisque pluribus irritationis solidorum effectibus suo tempore latius differemus &c.

CAPUT XII.

De laxitate solidorum, & variis ejusdem effectibus.

EX iis, quæ antecedenti capite dicta sunt, & dicentur in præsenti, evidenter deduci potest magnam esse solidorum supra fluida vim, ac potestatem, utpote quorum perpetua hæc indigent ope, ut propellantur, & circulent. Et quoniam paulo ante recensuimus damna fluido advenientia a solido nimis irritato, crispato, & tenso; ea nunc scrutari debebimus, quæ eidem inferuntur a solido nimium relaxato flaccidoque. Dato enim eodem cordis motu naturali, ac ordinato in homine v. g. sano, & datis iisdem gradibus, ac momentis celeritatis in fluido universali, ipsi in naturæ statu familiaribus: si tamen sanguis currens per corpus cum dato motu cordis, & cum data celeritate sua incidat in partem, cujus fibræ interna vel externa de causa laxæ sint nimis flaccidæque; statim mutari atque turbari suum videbis cursum in eadem; restagnare ibidem; secerni improprie; derivari, quo derivare non debet; eversoque sui motus ordine, ac periodo, vel difficulter ad vitæ fontem recirculare, vel hærere flaccida in parte in qua hærere non debet: quo in casu restagnatio fluidi fit magis culpa solidi prementis laxi flaccidique, quam fluidi circulantis. Quæ cum vera sint, verum etiam erit quoi si detur homo naturaliter præditus fibris alicubi aliquantum relaxatis flaccidisque, ibidem quoque fluidorum circulum paulo tardiorem esse debere, difficiloremque; si undique, ac per totum corpus, singulis quoque in partibus circulus liquidorum gradu tardiori progredietur, omnesque secretiones liquidorum particularium dirigentur a cursu universalium propulsorum a fibra, debiliore prædita tono, ac elatere. Unde magni momenti ad praxim Medicam est investigatio naturæ solidorum, eorumque dirium, & potestatis. Nec sine ratione ad methodicam sectam stricti, & laxi reducitur opinio *Pythagoræ*, qui omnia ex numeris, atque extensione componebat. Ita ut ubi tensio, ibi vita; ubi relaxatio ibi mors: nam cum tensa res est, si tangatur, consentiunt reliquæ: sin flaccida, ne quidem. Quare *Pythagoras* Philosophorum Magister unicum rerum principium ponebat: *Superius inferius unum*, idest omnia consentiunt ob tensionem.

Specimen hujusmodi affectionum in solidis nobis exhibent pueri, ac senes, quorum vitia ætati suæ familiaria a solido minus ad vitam apto magna ex parte dependent. In pueris quidem ob fibrarum immaturitatem, sive connaturalem laxitatem. In senibus ob maturitatem nimiam, atque inde natam pro vario temperamenti, ac fluidorum statu cujuscumque hominis, vel crispaturam, ariditatemque excedentem, vel relaxationem, & atoniam ob longum fluidorum per eas cursum, ac fere attritionem; ea ratione qua vestes longo usu attritæ flacescunt, & relaxantur. Et quoniam in ipsis universum fere solidorum systema atonum, flaccidumque est, Senes, ac Pueruli quasi semiparalytici, & ad motum inepti observantur; fluxionibus, catharris, similibusque ex laxitate morbis nimium obnoxii: quare cum ii curandi nobis occurrunt, semper habenda ratio solidorum est, nec lubrice de ipsorum morbis prognosticandum nisi considerata prius solidorum natura, & statu in unoquoque. Ita virium resolutio in acutis fit, ut optime optimus docet *Duretus* optimusque *Martianus* Medicus Romanus, & *Hippocratis* commentatorum post *Duretum* facile Princeps, fit, inquam a quadam veluti Paralysi totius corporis, quæ principio morbi symptoma est madefacti, & inebriati nervorum principii, progressu vero effœti, & relaxati, mortemque in propinquo esse testatur; sicuti etiam & niger vomitus a viscerum resolutione pendet,

mortemque brevi in perniciosis morbis minatur. At si id generis morbi senibus vel pueris superveniunt quorum solida flacciditate laborantia fluidorum circulum tardiorem viresque proinde minus vegetas reddunt, prognosticum mortis moderari tunc debet, & aliquid tribuinativæ horum patientium relaxationi, ac debilitati.

Sed, ut clarius percipiantur effectus, quos producit in fluido laxitas solidorum, narrationes aliquot casuum, & observationum particularium non abs re hic erit recensere, & nostræ orationis filum inde certo deducere. Sicuti a tono ventriculi languido, & laxo appetitus & digestio prosternuntur, ac pervertuntur, sputatio oritur, & nausea; venter lubricus fit, & id genus alia ex laxitate symptomata accedunt; ita a tono languido, & relaxato fibrarum in habitu corporis succi nutritii assimilatio, debitusque cursus perturbantur, nasciturque phthisis, quam dicimus nervosam, sive phthisim in habitu corporis, ob tonum eversum solidorum, in qua quidem curanda, neque lactea, neque humectantia præscibenda, sed chalybeata, antiscorbutica, cæphalica, & amara, idque generis alia, quæ amissum tonum restituant, & laxitatem tollant. Lineria interdum fit ob nimiam pylori laxitatem, & aliarum partium ventriculi irritationem nimiam.

Epiphora, sive laxitas glandularum oculis, serosam facit lacrymationem, irritisque aliis juvant adstringentia vulneraria, quæ tonum restituant. A fibrarum nimia laxitate in tubulis renum, sive Atonia renum, lethales urinæ suppressiones sæpe oriuntur. Verus quoque diebetes aliquando succedit ob laxitatem viarum ab intestinis ad renes, curaturque per adstringentia, & aromatica, palmam refert in hoc casu usus pilularum de caccionde, quarum basis est Catechu. Durante somno fibræ laxantur, & flaccescunt, unde sudor noctu sponte manat Phthisicis, qui cessat fere frequenter mane ægro evigilante. Ischuria sive urinæ suppressio contingit ob torporem fibrarum vesicæ: curatur per acria suppositoria, clysteres stimulantes, & similia, quæ fibras vicinas jure consensionis ad motum excitant. Urinæ incontinentia, ex paralysi sphincteris, sive nimia fibrarum laxitate in Pueris, & Senibus. In Pueris curatur annis crescentibus, & fibra maturitatem acquirente, & si crescentibus annis non cedit malum; incurabile prædicito: nervina, & antiparalytica juvant. In malignis, & acutis incontinentia sæpe apparet inebriato nervorum principio.

Plura lymphæ vitia a sola glandularum laxitate fiunt, atque dependent. Medici sibi fingunt mille obstructiones, & mille falsas obstructionum chymæras: id in mesenterio quotidie observo; quando illi pallorem levis momenti in vultu vident, qui languidi stomachi, viarumque intestinalium laxatarum comes est indivulsus putant ab obstructione fieri: mille statim inutilia dant remedia, ex chalybe, ex amaris omnis generis, & mille id genus inutiliter præscriptis, cum morbus sola masticatione cinamomi, vel seminum citri, vel potione castè, roboratis per hæc fibris laxati, non vero, ut ipsi putant obstructis, promte tolli potuerit; quæque non aderant obstructiones, remediorum usus producit. Hydrocæphali oriuntur in infantibus recens natis a nimia fibrarum cerebri laxitate, ob longam moram infantis in utero capite prono, dum vim facit, ut foris exeat in partu difficiliori. A nimio, & continuo dolore relaxatur tonus partium, ut fit in podagra; hanc ob causam in Podagricis luxationes tandem articulorum succedunt ob fibrarum relaxationem. A Tympani atonia surditas; a laxitate retinæ cæcitas, senibus familiaris. Gustus abolitus, & odoratus ob fibrarum nasi, & linguæ relaxatum tonum. Nimio veneris abusu laxatis pudendorum partibus impotentia succedit. Laxatis seminalibus vesiculis Gonorrhæa; Gonorrhæa notha seu cateralis ex lexitate vaginæ uteri. Luxationes ex laxitate fibrarum. Ejus quoque laxitatis causa, nimium pinguedinis incrementum supervenit in Adiposis. Ani procidentia ex laxitate. Ex nimia pulmonum laxitate sæpe oriuntur Phthises. A laxitate fibrarum superioris orificii ventriculi nausea, & vomitus. Fibrarum vesicæ laxitas in pueris vesicæ calculum producit, quia nequit ingentem visciditatum copiam, qua pueri scatent oscillando propulsare. Hinc hærentes ibidem diu, ac indebite vesicæ calculum pueris familiarem pariunt. A nimia fibrarum flacciditate oriuntur convulsiones in infantibus, quæ inoffenso vitæ, & victus genere, fibris in pubertate durefactis, sponte sanantur. Quidam ob naturalem pulmonum mollitiem, & laxitatem sanguinem spuunt: de hoc corporis habitus te certum fortasse reddit. Ex hisce omnibus, aliisque pluribus factis observationibus manifeste colligitur, quam necessaria sit Medico cognitio status solidorum in quovis morbo. Qua de re nemo antiquorum melius scripsit *Cælio Aureliano* Viro doctissimo. Is diligenter admonet quomodo curare debemus, ut solida in debito, & naturali tono contineantur ne flaccescant, unde plurium origo malorum. Sic igitur loquitur: *Oportet autem singulas partes in passione constitutas suis ac naturalibus motibus admovere, ut supercilium levando, & deponendo, palpebram concludendo, & discludendo, linguam producendo, atque adducendo; hæc sunt ægrorantibus imperanda hortandi etiam sunt locutionem tentare, quod si minime facere potuerint, ex omni parte officio linguæ cessante; erunt suadendi, ut animo concepta volvant, quæ proferre non possunt. Sæpe enim, quæ loqui volentes mente perceperint in alto formans spiritus, accepto motu rumpit in vocem lib. 2. cronic. morb. cap. 1. de Paralysi.* Plato quoque tertio de Repub.

Repub. habet Herodicum Selymbrianum Medici nam pædagogicam instituisse, quæ victu, & exercitiis ad rem accommodatis valetudinem corporum confirmaret, & redderet. Exercitatio quoque vocis debito cantu, vel assidua lectione, vel gratis amicorum colloquiis, & conversatione ad plures conducit morbos, ut fuse monet *Hipp. 3. diæt. n. 16.* & multo melius *de insomniis n. 3.* & Plutarchus de tuenda valetudine circa medium; qua de re egimus nos in libello nostro de Tarantula circa finem. Sicuti vocis exercitatio conducit nonnullis pulmonum, & capitis morbis, ita globulorum lusus calculo, & renibus. Saggitatio pulmonibus, & thoraci. Lenis deambulatio ventriculo. Equitatio capiti, & mesenterio. Nec semper in malorum curationibus, ægri stomachus syrupis, atque conservis satiandus est, & implendus; regularis enim vivendi modus, debitusque sex rerum nonnaturalium usus & ordo, citius multo morbum sæpe sanant, quam Pharmacopolarum centeni pulveres. Aliquibus enim in morbis vita ducenda in aquis ut sanentur; aliis mare, & longa confert navigatio, venatio, rusticatio, ambulatio, iter longum per montana, vel per campestria, aliis musica, vel saltatio; paucis vero, dum longo morbo tenentur, imprudentissimus remediorum abusus conferre poterit.

Ita in Colica pertinaci conducit iter aliquod, ut corpus plurium dierum equitationes exercitetur, fibreque mesenterii longo dolore relaxatæ pristinas reassumant oscillationes ad morbosas impuritates e mesenterii sinu eradicandas expellandasque, quæ quidem oscillationes expectari vix poterunt a diversi generis remediorum acervo, quæ longis in morbis ad nauseam usque præscribuntur.

Sed quantis, & quam gravibus morbis conferat cantus, & vociferatio docte satis & utiliter explicavit doctissimus Mercurialis his verbis: *Vociferationis multa sunt species, potissimum vero dicimus cantum, lectionem, sermonem, risum, atque fletum. Vociferationis itaque prima conditio ab Antyllo, Plutarco, Paullo, Aetio, & Avicenna, adscripta est, quod thoracem atque vocalia instrumenta perbelle exercet; & teste Averrhoe naturalem calorem auget, purgat, firmat, atque attenuat; solidas corporis partes robustas, & puras, & offensas minime obnoxias reddit: colorem quoque cutis decorat. Quæ si ita se habent, certe iis qui humiditate occupatas interiores partes, quique corporis habitum frigefactum habent, vociferationem genero sum præsidium esse: quemadmodum istis prædictis rationibus eam ab Antyllo, Calio Aureliano & Aetio laudatam scimus stomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, agre digerentibus, cibos fastidientibus atrophia laborantibus, languidis, cachecticis, hydropicis, asthmaticis, phthisicis, apostemata in thorace rupta habentibus, difficile parturientibus, quartanariis, pituitosis, convalescentibus fere omnibus, etc. Ideo Galenus 8. de med. loc. c. 4. Stomacho laborantibus unctiones, exercitia, & vociferationem per expertum artificem abhibitam commendat. Quantum vero musica, & cantus pluribus curandis morbis conferant, docuere Socrates, Pythagoras, Calius Aurelianus, Democritus; & omnes antiqui. Mercurialis de gymnastica. lib. 6. cap. 5.* Ubi plura digna videri poterunt. Ibidem quoque plura aurea leguntur de effectibus, & exercitatione lecti pensilis, cunarum, navis, venationis, equitationis, natationis, deambulationis, balneationis & mille id generis. Unde summopere laudo usum balneorum publicorum, quæ paucis abhinc annis aperta sunt in Urbe ad publicam utilitatem; inter celebriora vero est illud in capite Viæ novæ, quæ ab hortis Quirinalibus ducit ad forum Hispanicum: nec non aliud in Vico Fabrorum Ferrariorum ad ædem S. Andreæ de Valle; & aliud in Via Julia ad novos carceres, aliaque minoris famæ. Ad corporis munditiem, & salubritatem hic renovatus in Urbe balneorum usus laude profecto dignissimus est. Plures ad ea mitto ex meis ægrotantibus; alii ut laventur, alii ut strigili pelliceo fortiter fricentur, alii ut primo paulum sudent in stufa balnei, deinde balneum tepidæ statim ingrediantur, & sic hæc atque alia id generis pro morborum & temperamentorum varietate eisdem impero.

Hic deinque animadvertendum, partes corporis licet longa quiete debilitentur, & relaxentur, exercitio vero roborentur, ac vigeant; nihilominus tamen si vehemens fuerit, ac longior exercitatio, solidorum tonus a suo declinat robore, fibræque quasi attritæ relaxantur. Quare homines si diu multumque equitaverint, plurimos corripi a diuturnis articulorum doloribus, maxime vero coxendicum ac pedum observamus; imo ad coitum fiunt etiam impotentes sicuti docte satis monet *Hippoc. de aer. aq. & loc. n. 52.* Si quis stomacho debilis pronus diu scripserit, cum incidit in morbum, in pectore graviter ægrotabit, & si continuis, ac vehementibus quibusquam assuetus exercitiis intempestive omnino quiescat, & vitæ otiosæ tradatur, dysenteria, atque podagra corripietur, ut idem docet medicinæ parens *de nat. hum. n. 23. Et Gal. com. 4. lib. Hippoc. de articulis.* Atque de aliis id genus laxitatibus solidorum, earumque differentiis, quibus morbi plures debentur, tractabimus.

SPECIMEN

Trium reliquorum Librorum.

DE FIBRA MOTRICE, ET MORBOSA.

PRopositum mihi erat, cum aggrediebar specimen de Fibra Motrice, eodem ordine, quo primum librum molitus fueram tres sequentes prosequi: inserendo unicuique duodecim saltem capita, quæ indicium in præsens aperirent eorum quæ Operi magno sunt reservara, prout superius in fine Præfationis jam innui. Verum, cum libellum sic compactum Bibliopolæ concessissem; illius impatientia, & solicitatione factum est, ut tempus mihi deficeret accommodum, & opportunum pro absolvendo ordine incepto, ut posteriores libros ad normam prioris redigere non potuerim; & fuerim coactus primum quam celeriter Typis committere, reliquis ne quidem tactis.

Nihilominus ut lector compendium nonnullorum capitum accipiat, uti valde utilium ad curationes morborum, quæ in duobus Libris de *Fibra Morbosa* erunt describenda, non gravabor breviter eadem ad formam Indicis exponere. Illud præ ceteris, cui titulum posui *de Morborum successionibus*, continet argumentum omnino recens, & nunquam, quantum ipse noverim, a Medicis tactum, aut examinatum. Oportet vero, ut qui recte velit percipere materiam de solidis, & liquidis corporis animati tractantem; apponat sibi præ oculis opera, quæ edidit doctissimus *Borellus*, Romanæ Academiæ nobile sydus; etenim de proprietatibus liquidorum in genere plura scripsit in aureo libro de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus. De vi autem solidorum, in libro de vi percussionis in solidis, & in fluidis, projectis a solidis: ubi modus expenditur considerandi solidum seorsim a fluido, fluidum seorsim a solido, & utraque simul. Adeoque quidquid præclarissimus Auctor de solidis in genere proposuit, id interim sedulus Lector ad solida corporis animati aptabit: donec meas hac de re meditationes integras suscipiat; sit interea.

CAPUT I.

De Morborum Successionibus.

ARgumentum de morborum successionibus, sive conversionibus, mutationis scilicet unius morbi in alium, novum omnino est; nec quemquam adhuc legi Auctorem, qui de illo intime disseruerit: Si tamen nunc temporis apud Nostrates, vel apud exteros quisquam est, qui de eodem tractare est aggressus, illum oro enixe, ut me de suscepta provincia certiorem faciat. Libenter siquidem a propositis laboribus discedam, anxiusque conctabor alienam de hac re mentem excepere: eoque ardentius, quo opus tantopere Medicinæ necessarium in solitudinem video esse redactum.

Neminem profecto fugit, quod in praxi medica, quam quinque ab hinc annis publici juris feceram, Medicinam divisi, in primam, & secundam. Priori adscribebam morborum historiam, alteri omne id, quod ultra Historiam concurrit ad Medicinæ peritiam. Cujus ut compos omnino essem, mentem elapsis annis affatim observationibus tradidi, tam in Italiæ Nosocomiis, quam in praxi novennii jam tempore Romæ exercita. Verum in pretexenda ad meam methodum morborum Historia, observabam quosdam morbis aliquando alterius morbi faciem induere, aliquando iterum regredi ad priorem statum, & aliquando leges assumti morbi constanter retinere, posteaque evanescere. Observabam etiam ante præfatas mutationes signa quædam in iis partibus, ubi novam sedem figebant, vel signa morbi, in quam mutabantur, & quod quandoque in melius, quandoque in deterius mutatio succedebat. Cum itaque ab hisce observationibus non parum in curationibus, & in diagnosi, & prognosi profecissem; constitui hanc materiam de successionibus morborum attentius scrutari, & abundantius excolere. Interim cum nova in dies mihi accederet occasio discendi, tandem adverti, quod observationes, præcepta, judicia, animadversiones, &c. super hujusmodi re adeo creverant, ut valerent, novum, magnumque tractatum efformare. Equidem non intelligo hic loci leves, & parvi momenti successiones enumerare, sed illas, quæ frequentissime occurunt, & succedendi progressum, ac normam constantem servant, prout sunt mutationes Phthiseos in tormina ventris, & e contra, & sic aliæ innumeræ. Et quoniam sæpe accidit, quod rude vulgus medicos criminetur, & incuset, tanquam Auctores supervenientis mali: non abs re ducerem, ut iidem non modo conversiones præsagire; verum etiam curationem opportunam

præ

prævidere noſcant. Etenim cum recens morbus fataliter turbare, ægroſque ſoleat in deterius trahere, prout in gravibus morbis evenire animadverti: medicus tunc ſucceſſiones prænunciare, ac utilia remedia præmittere debebit.

Diſſeretur igitur in hoc tractatu, de ſucceſſionibus morborum, de eorum natura, ſignis, prognoſi, facilitate, & difficultate curationis. De ſucceſſionibus acutorum in chronicos, chronicorum in acutos. De ſucceſſionibus in melius, & de illis in pejus. De modis ſucceſſurum morbum prævidendi, & jam ſuperventum curandi, & de aliis hujuſcemodi argumentis multum Praxi Medicæ conducentibus.

Quærendum quoque erit, an bonum ſit refluere humorem a robuſtis partibus ad infirmas (cujuſmodi eſt univerſus corporis habitus), an contra ab infirmis ad robuſtas. Nam robuſtis ineſt vis quædam vernacula & calor vegetus, tonuſque vividus, quo ſe vindicent, ac tueantur. Coctione, digeſtioneque id præſtabunt. Quæ opinio eſt *Hippocratis* l. de nat. hum. *Qui morbi*, ait *Hip. ab imbecillibus partibus ad fortiores remearint, ii ſolutu ſunt faciliores. Influxus enim facile a robore excludentur*. *Galenus* vero mavult legere pro *excludentur*, *abſumentur*. Nam ſi excluſio fit, nonniſi diſpendio, & noxa partium imbecilliorum, in qua refluxurus eſt humor, fieri poterit. Quidam nomine partium fortiorum intelligi volunt partes principes: at melius eſt a partibus præcipuis in manus præcipuas humores repere. Nam cur (ait *Galenus* monente hic *Ballonio* l. c.) ſæpe viſi ſunt interire, quibus ſucci in dolore articulorum in artus delati, deinde repulſi in partem principem pervenerint, & una ſalutis ſpes erat, ſi iidem ipſi humores ad artus revocarentur.

Ne autem incongrua, inutilis, & mei arbitrii res iſthæc alicui videatur; cogor pro mea defenſione teſtimonia a Magiſtris noſtræ artis ſumere, qui quotidie meis manibus teruntur: ſcilicet a medicinæ parente *Hippocrate*, a *Martiano*, *Mercuriali*, *Dureto*, *Ballonio*, *Aretæo*, *Hollerio*, *Jacotio*, atque ab aliis nonnullis hujuſmodi ſucci; quorum auctoritates colligere, & inferius exponere decrevi; unde poſſit unuſquiſque concipere quam congruga, quam utilis, quam ſalutaris futura erit materies, cui illuſtrandæ, atque abſolvendæ animum adjicio. Medici enim qui pro vita hominum quotidie certant, id ſibi propoſitum habere debent, ut a morbis gloriam accipiant, cum vim eorundem, ubicumque inclinant, fregerint: in hoc uno ſapientes, ac potentes cum reddunt hominibus incolumitatem, redditamque conſervant.

§. I. Morbos ad invicem converti, & viciſſim tranſmutari paſſim legimus in operibus Magni *Hippocratis*. Quicquid tamen hac de re monet, obiter id facit, non autem ex profeſſo. Et licet obiter moneat, clare tamen exinde patet magnum illum Senem hoc argumentum valde proficuum exiſtimaſſe ad praxim medicam, tum augendam, tum illuſtrandam, morboſque rite prævidendos, ac curandos. Morbos invicem converti, obiter loquitur *de morbo mulier. l.* 1. *n.* 45. 46. 62. 87. 82. *Altera enim pars ad alteram delegat in corpore ubi ſingulis, pluſquam oportet, affuerit, & continere non potuerint l. c. n.* 87. Cum vero a ſplene, aut hepate, aut pituita alba, aut dyſenteria in hydropem tranſitus fit, conducit quidem per eadem curare. Effugiunt autem non valde. Nam in morbis cum alter alteri ſuccedit, plerumque occidit: cum enim corpori a præſenti morbo debilitato alius acceſſerit, præ imbecillitate perit, priuſquam poſterior morbus deſinat, *Hipp.* 1. *de affectibus*, *n.* 13. A quibus morbis, ad quales tranſitus inveſtigare oportet *Hipp.* 1. *de morb. n.* 1. Tranſitus autem fit in his ex pleuritide in febrem ardentem, ex phrænitide in peripneumoniam. Verum ex peripneumonia febris ardens non fit. Ad dyſenteriam teneſmus tanſit, & a dyſenteria lienteria, ſive lævitas inteſtinorum ſequitur, ex lienteria in aquam inter cutem tranſitus fit. Ex pituita alba, in aquam inter cutem. Ex peripneumonia ac pleuritide, in pectoris ſuppurationem. Mala porro ſupra mala fieri neceſſe eſt. Veluti ſi rigor corripuerit, ardor igneus ſupervenit, & ſi nervus diſſectus fuerit, convulſionem facit, & ut diſſectus neque coaleſcet, & fortiter inflammabitur. Et ſi cerebrum concuſſum fuerit, ac doluerit, eum qui percuſſus ſit, neceſſe eſt e veſtigio mutum fieri; & neque videre, neque audire. Si vero ſauciatum fuerit, febrem neceſſe eſt ſupervenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem ſyderatam fieri ac perire. Si vero omentum exciderit, neceſſe eſt putrefieri. Et ſi ſanguis ex vulnere, aut vena effluxerit in ſupernum ventriculum, neceſſe eſt ipſum in pus converti, &c. *Hipp.* 1. *de morbis*, *n.* 3. Ex ardente febri deſinit in pulmoniam frequentiſſime; phrænitis, pleuritis, & pulmonia eodem modo curandæ, *de morbis n.* 20. Porro judicari in morbis eſt, quum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt. *Hipp. de affect. n.* 8.

§. II. Conſiderandum quomodo morbos gerant, a quibus, quæ figuræ, ad quos locos converſi ſunt. *Hipp.* 6. *epid. ſect.* 7. Melancholia mutatur in epilepſiam, & contra 6. *epid. ſect.* 7. Morbi partium e directo poſitarum dexteræ cum dexteris, ſiniſtræ cum ſiniſtris, infra ſupra, & contra, convertuntur, & conſentiunt adinvicem, & invicem mutantur: de quo vide fere divine diſſerentem divinum Senem 6. *epid. ſect.* 2.

Diſenteria male curata convertitur ad tertianas, varicem, teſtem, crura, coxam. *Hipp. de vict. acut. n.* 54. Podagra mutatur in dyſenteriam, & alias infernas eliquationes per quas ſanatur. *Hipp.* 2. *prædict. n.* 30. Dyſenteria variis magnis morbis liberat, quos vide *prædict. n.* 30. Cui inteſtinum

ſtinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus eſt, erat quietior, poſtquam hic curatus fuit, magis dolebat. *Hipp. 6. epid. ſect.* 4. Colici, & dyſenterici non raro fiunt arthritici. *Duret. fol.* 223. Dyſenteria ſi intempeſtive ſiſtatur, facit abſceſſus ad viſcera, vel articulos; cruenta ad viſcera, bilioſa ad articulos, quæ converſio certa eſt, & evidens. *Hipp. coac.* 1. *de dyſent. Duret. f.* 343. Eadem eſt de cauſa phthiſeos, & dyſenteriæ, eadem & lienteriæ ab auſtrina tempeſtate. *Hipp. 3. epid. par.* 3. *Duretus fol.* 346. & 353. Id etiam nos bis terque vidimus, & ab amiciſſimo medico ſibi contigiſſe in praxi audivimus. Si purgantis remedii uſu phthiſis ad inteſtina convertatur ſub ſpecie torminum ventris, & diarrhææ; fere non erit amplius in poteſtate Medici talem ſiſtere diarrhæam; nam ad oſcillationem illam omnia colliquando ruunt liquida, hinc mores, ſicuti pluries per Italiam obſervavi. *Hippocrates auctor eſt eundem eſſe fontem phthiſeos, atque torminum alvi Duret. fol.* 346.

Dyſenteriam bis mutatam vidi in ulcera pedum, & manuum fœda, &c. ſemel in quartanam diuturnam. Dyſenteria deſinit in volvulum ex noſtra obſervatione Romæ. Dyſſenteria bilioſa intempeſtive ſanata deſinit in abſceſſum ad articulos, per progreſſum ab inteſtinis ad dyſenteriam, ab hoc ad nervos lumborum qui deſinunt ad femur, & ultra. *Duret. fol.* 563. Ex pituita alba fit hydrops. Ab alvi profluvio dyſenteria, a dyſenteria lividitas inteſtinorum. Ex corruptione, abſceſſus oſſis. Ex ſanguinis vomitu tabes, & puris purgatio ſurſum. Ex tabe fluxus ex capite. Ex fluxu, alvi profluvium. Ex alvi profluvio ſuppreſſio purgationis ſurſum verſus. Ex ſupreſſione mors. *Hipp. hæc omnia complexus eſt ſect.* 7. *ab aphoriſmo* 74. *ad a. h.* 78.

Ab angina detenta tumor in pectore accedens bonum, foras enim vertitur morbus *Hipp. ſect.* 7. *aphor.* 49. Quæ febres mutari ſoleant in abſceſſum vide *Hipp. lib. prænot. num.* 24. Ardens mutatur in epialam, & lypiriam. *Hip. de judicat. n.* 4. In quos morbos mutatur inſania vide *Hipp. de judic. n.* 10. In quos febris ardens *l. c num.* 11. In quos diarrhæa, *l. c. n.* 11. In quos capitis dolor *l. c. n.* 11. Dolores capitis ex vento, & frigore, &c. liberant gravedines ſupervenientes, ſternutationes, muci in naribus ſponte facti, ſin minus coacte. *Hipp. 2. prædict. n.* 36. Lienes tumidi ſi illis non veniant ſanguinis eruptiones, & oris graveolentia, deſinunt in ulcera prava tibiarum, & nigras cicatrices. *Hipp. 2. prædict. n.* 42.

§. III. Omnes morbi, qui aliorum ſucceſſione veniunt per propagationem, aut per translationem, ſunt prioribus moleſtiores. *Duretus coac.* 22. *fol.* 13. & *fol.* 191. Quin etiam ab omni tranſitu, & progreſſu facilis fit ad eas partes recurſus, atque reverſio, unde morbifica vis primum manavit; ſiquidem in illis partibus impreſſa manent veteris mali veſtigia *Duret. fol.* 54. Si cui ſalſuginoſa ſputa, unaque tuſſis quieſcunt, iis totum corpus veluti exathematis obſitum rubet, ac tandem aſperitate fit rigidum jam jam futura morte ex *Hipp. Duret. fol.* 63. Ad lethargum ſuceedere ſolet peripneumonia lethalis, & vomica pulmonum *Duret. fol.* 76. In fine pulmoniarum, aliorumque quamplurium pectoris malorum comatoſos videbis affectus, ſicuti nobis contigit obſervare Romæ. Autumnus abundat Quartanis non ſolum incipientibus, ſed ex abſceſſu aliorum morborum per tranſitum in quartanam. *Duret. fol.* 79. Peccans materies quando a venis ad genus muſculoſum convertitur, ideſt intus foras in febribus, affert vacationem febris per convulſionem ſupervenientem. Si ad panniculum carnoſum, & cutim, rigorem. Si ad nervos, tremorem, & delirium. *Duret. fol.* 84. A capite & cerebro converſio eſt per progreſſum vel tranſitum ad aures, quæ ſi dolore, inflammatione, &c. corripiantur dictam ob cauſam, mortem ſæpe inferunt. *Duret. fol.* 106.

De morbis ex conſenſione partium nonnulla obiter, ſed docte monet doctiſſimus *Ballonius Hippocratis* genius *lib.* 1. *ephem. & epid. fol.* 82. In ſuppuratione pulmonis non expurgata, hypochondrii tenſio ſuperveniens opinionem facit abſceſſus cruralis *Duret. fol.* 111. Morborum naturam, & cauſas tenere, eſt hoc ſane aliquid, vel potius multum. At ſucceſſiones morborum, quo ſe illi vertant, veluti, e ſpecula prævidere, profecto eſt Artificis fulgore ſuo utentis, arteſque infra ſe poſitas prægravanti. *Duret.* 115. *agens de parotide. In Hipp.* 1. *epid. hiſt.* 2. legitur multis poſt diuturnitatem ophthalmiæ fluentis ſub æſtatem factam eſſe lienteriam, teneſmum, diarrhæam, bilioſorum, tenium multorum, crudorum, mordacium, nonnullis aquoſorum. *Duret. fol.* 128. Quartana ſanat epilepſiam, Tertiana exhaurit, & ſiſtit catharrum. Eadem adoleſcentes facit incrementis augeſcere. Si quis ebrius repente obmuteſcat, repente moritur, niſi ſuperveniente febre vocem recipiat. Febris ſanat convulſionem, contra convulſio ad febrim, mala. Apoplexia, ſuperveniente lenta febre, mortifera. *Duret. fol.* 119. *ex Hipp.* Sicuti coryza, ſive catharrus, iſque ferinus, & ſternutatio, ſive ante pulmonis mala regnarit, ſive iis jam ortis ſupervenerit, ipſos pulmonarios indiſcrimen vitæ adducit, facitque ut ſpes in anguſto ſit reſtituendæ ſalutis; ita cephalagia firmiter fixa, quæ lippitudinem, vel anteivit, vel conſecuta eſt, periculum cæcitatis affert. *Duret. fol.* 130.

§. IV. Abſceſſuum iſchiadicorum ſucceſſio eſſe ſolet in febribus, quæ triteophiæ dicuntur. *Duret. fol.* 180. Eſt autem tranſitus, ſeu recurſus humoris magiſterio naturæ ſuſceptus, & ad optatum finem

nem productus primigeniorum morborum tutissimus medicus. Secus est de sympathia, sive illa jus habeat vicinitatis & societatis, sive etiam veniat per propagationem causæ morbosæ; manente adhuc primigenio morbo, & foco, *Duret. fol.* 191. Alia mala sunt per sympathiam, alia per transitum, nulla autem symphatica mala priora exsolvunt. *Duret. fol.* 191. Vomitus diarrhœam sistit. *Duret. fol.* 191. *ex Hipp. sect. 6. aph.* 16. Lumborum gibbera a tuberculo nata varicibus, & diseenteria per transitum humoris morbifici feliciter exsolvuntur, non autem alvi profluvio per sympathiam concitato. *Duret. fol.* 192. & 262. & 350. Prior concitatio humoris in morbo est sæpe mitigabilis: palindrome, vero, seu recursus conjunctam semper habet ferocitatem humoris, qui refluit. *Duret. fol.* 235. A pulmone ad crura; ab his ad pulmones facillis refluxus. *Idem fol.* 242. *vide ibidem plura notatu dignissima.* Omnis humorum metastasis, quæ liberam non habet exclusionem, ibi morbum facit, ubi subsistit; Ita sanguis nimium biliosus, si caput feriat, nec per hæmorrhagiam exeat, paraphorica parit in cerebro mala. In pulmone decursu subsistens peripneumonia facit. *Duret. fol.* 258. Facilis est transitus pleuritudis in pulmoniam, ab hac in phrenitidem. *Idem fol.* 264. Dolor ischiaticus, & surditas mutuas habent viscissitudines, ut in Heropyto. *Idem fol.* 267. Prudentiæ studium exercere debet medicus, ac tanquam e specula futuras tempestates ex morborum successionibus prævidere *Duret. fol.* 268. Ubi te docet anginæ in pulmoniam successiones, conversionesque. Ratum est illud quod omnis homorum anadrome, seu recursus ibi morbum facit, ubi subsistit, casusque infert partis obsessæ, humorisque morbifici proprios, *Dur. fol.* 269. *Idem animadvertit loc. cit. paucis post versibus, agens de lumorum palindrome.*

Pleuritidi superveniens pulmonia mala est; huic phrenitis, mala quoque, quoniam in utriusque morbi successione metastasis fit humoris indomiti, efferi, fractis jam viribus a morbo primigenio in partem nobiliorem, cujus afflictio calamitosior est, quam ejus unde per metastasim orta est successio. Et nemo dubitat, quod materia primi morbi sit mitior, quam secundi per metastasim nati, non per diadochen. Et tolerabilior est morbus validis, quam effetis ægri viribus. *Duret. fol.* 270. Perraro fit, ut duæ certæ partes in universo corpore pariter, similiterque sint infirmæ. *Idem fol.* 172. ex *Galeno.*

§. V. Catharri ferini prolapsus, & ubi insederit, & unde, & qua exierit sæpe insanabilem morbum facit *Duret. fol.* 292. Magni lienis magna est cum jecore simpathia jure societatis, & vicinitatis, atque ut officiorum inter se communicatio est, ita & vitiorum. Est enim similis partium syntimoria, per quam mutuas tradunt operas ad salutem, vel interitum. *Duret. f.* 329. Similiter lumborum anadrome facit hydropem, ut magni lienes. Vitiorum item lumbarium communicatio cum mesaræo, mesocolo, & intestinis hydropifica esse solet *Idem. f.* 329. ex morbis qui alter alteri super veni non raro mortifera est conversio, & successio. *Ex Hipp. Dur. f.* 331 Nulla enim quæ per sympathiam accidunt symptomata, levationem afferunt primigeniorum morborum. *Duret. f.* 331. Maxime repentini sunt morbi ex syncope, & qui neque urinam, neque stercus egerere possunt, & qui suffocantur; & si mulierem patientem, aut sauciatam liberare oportet, & hujusmodi. Hæ sunt repentinæ mutationes, & paulo post non sufficiunt, plerique enim paulo post pereunt. *Hipp. de morb. n.* 4. Cum gravis sit per se omnis hydrops & gravissimus, tamen, qui morbo alteri supervenit potissimum quartanæ omnium vetustissimæ, *Duret. fol.* 333.

Earum quæ per sympathiam fiunt afflictionum nulla omnino est, quæ primigenia mala exolvat. Omnia autem *Ta Epigiomena*, veniunt per sumpathiam, cum scilicet priore morbo non solum superstite, sed multum adausto, novus quidam alter accedit, ut fieri solet in *metaptosi*. *Duret. fol.* 335. *vide reliqua.* Unde homines sunt Ileosi, sunt etiam stranguriosi, & contra. *Idem fol.* 336. Omnia cerebri utcumque afflicti mala consentiunt cum stomacho, ejusque societatem ineunt, idque vel una generis similitudine. *Idem fol.* 338. Abscessus crurum in pulmonia, si regrediantur a crure, eo reflectunt, unde venerunt, quod proprie est *palindromen*. *Idem fol.* 341. Omnium enim, quæ per *epigenesin* ad sympathiam adducuntur, nihil est quod primigenii mali levationem afferat, sed contra symptomatum graviorum accessionem. Ita vomitus biliosus initio diseenteriæ est ejus amplificatio. *Duret. fol.* 352. Facilis est transitus atrophiæ in cachexiam; præsertim cum perennitas est cachochimiæ. *Idem* 352. Perraro accidit, ut duæ partes a ferina distillatione pariter, similiterque exerceantur; unius enim afflictio, index alterius esse solet, sicuti in ructu acido raro pleuritis accidit, nisi tanta sit catharri feritas, ut ambas partes æque invadat, & occupet. *Idem* 352.

§. VI.

Stranguriæ ileus superveniens septimo die occidit, nisi supervenieute febre urina fluxerit cumulate. *Hipp. co.* 8. *de morb. vesic. Duret.* 364. Nil melius bona crisi, pejus, & mortiferum magis, quam prava metastasis, vel egressionis progressus ad pessimam *epigenesin*. Bona crisis insaniæ per *metaptosin* timoris melanchonici, non vero frenitidis. Bona est crisis proruptus sudor a febre, qui restituto cerebro sommum conciliat suavissimum, atque gratissimum. Prava *metastasis* raucitas cum tussi.

Peſſima *epigeneſis* convulſio conſectaria inſanie. *Duret. f.* 378. Nephritis in ſui contagionem, & ſympathiam lumbos ducit, dolorifica eorum mala fiunt nephritica humore ad renes eunte ſicuti a renibus ad lumbos. Sic empyema renum ad lumbos expreſſum eos tumefacit. *Duret. f.* 384. Livores pejores ſunt in acutis quam nigredines, illæ namque ſemper veniunt e malis per mala, ac ideo ſemper ſunt malum. In nigredine vero timetur de palindrome, & gangrena *Duret.* 395. Nulla enim ſympathia, nec propagatio, quam *epigeneſin* Græci vocant, levationem affert primigenii morbi, a quo naſcitur. Ergo vomitus biliſoſus, qui cietur a vulnere capitis cum ipſa ſympathia, quæ tantum cadit in eos morbos, qui inter magnos eximii ſunt, mala eſt, tum vero peſſima humoris qualitate, & vomendi modo. Affluit bilis in alvum a tromate capitis, non quidem ab oſſe pertuſo, cujus nulla eſt ſympathia cum alvo; nec gentilitia in generis ſimilitudine, nec jure ſocietatis, aut vicinitatis. *Duret.* 421. Mala orta e malis, graviſſima inferunt mala, quæ ſunt veluti ſoboles quædam tum phlegmonis, tum qualitatis malignæ, & partium oppreſſarum. Hinc mala febris ex indomita cholera. *Idem* 469. Sympathia eſt inter pulmones, & mammas; imo & idiopathia, ideo facilis ex illis ad mammas metaſtaſis. *Idem* 477. Collectio menſtruorum, quæ foras non exit per uterum, ſed febris ardore ſurſum tranſmiſſa, ibi morbum fecit ubi ſubſiſtit. Facit autem in mammis eo tranſmiſſa, unde nulla levatio eſt primum obortæ febris, ſicuti morborum omnium nulla eſſe ſolet ab iis, quæ incidunt per ſympathiam. Eſt autem ſympathia in mulieribus mammarum dolor a febre, qui ut ait *Hipp.* 1. *epid. part.* 1. memoriam renovat ſocietatis mammarum, vocis, & genitalium. Mammæ, & uterus jure ſocietatis mutuo ſe afficiunt, mutuaſque tradunt operas mulierum rebus tam bonis, quam malis. *Dur.* 483. Quarumdam partium affectiones ab aliis excipiuntur partim labore, partim gravitate, partim etiam quibuſdam præſidiis, ſunt etiam certe quibuſdam ſocietates inter ſe, unde hæc fiunt *Hipp.* 2. *epid. part.* 3. *Duretus.* 483.

§. VII. Quicumque morbi per conſenſum, & communicationem fiunt, eorum nullus ſolvit eos morbos, qui præceſſere, niſi forte materia transferatur alio, & tandem materiæ abſentia diatheſeos occaſio, & proinde morbi tollatur. Pauci morbi chronici fiunt per conſenſum, & abſque loco affecto ex *Galeno Ballonius epid. f.* 82 *Hippocrates* ſucceſſiones morborum conſiderandas eſſe præſcribebat, eo quod in longis multa ſymptomata contingunt, quæ bonis, & eruditis medicis ob ſimilitudinem, & fallaciam imponunt, & novi morbi tanquam ſoboles rediviva ex aliis ſubinde conſequantur, & repullulent, *Ballonius conſil.* 13. Qui ex lethargicis evadunt, pectore ſuppurati fiunt *ex Hippoc. in coac. Ballonius epid. f.* 135. de converſionibus tranſmutationibuſque pulmoniæ in lethargum, & contra, & de pulmonia lethargica, vide mirabiliter *Senem magnum* 3. *de morbis n.* 5. *& in initio:* Et *Ballonium l. c.* 135. *Jacotium in coac. f.* 768. *&c.* Medicus in febribus etiam eſſentialibus debet habere curam pulmonum & aliarum partium, quæ fovent morbum vetere pejorem. Hinc ſucceſſiones morborum; & prout variarum affectionum ſedes, hinc variæ criſes. *Ballonius epid. f.* 197.

Timendæ ſunt morborum ſucceſſiones. *Idem* 205. de ſucceſſionibus dolorum hypochondriacos vexantium, in cancrum ſimileſque ex acrimonia morbos vide *Ballonium l. c.* 223. Aliquando morbum non facit multus humor congeſtus, ſed neſcio quæ vis maligna, & virus, quod declarat ſubita mutatio, & tranſitus morbi in alium. *Ballonius epid.* 232. Quartana mutatur in rheumatiſmum, ſcabiem, & fœda ulcera, *Ballonius de rheumatiſmo f.* 168. Succeſſiones morborum pro nihilo non ſunt habendæ, ut divinus Senex monuit, dum ait, *pro quibus alii morbi ſuccedunt: nam illas quartanarum ad lienum imbecillitatem ſuccedit. Ballonius lib.* 1. *de morb. mul. f.* 70. Quæ juvant pectori, juvant renibus, nam mutantur ad invicem hi morbi, ut ſæpiſſime me docuere Noſocomia Italiæ, & Praxis Romana.

Omnis acceſſio gravis mali ad grave malum lethalis eſt, uti hydrops poſt acutos morbos, febres acutæ ex aurium dolore, &c. *ex Hip. Jacotius in coac. f.* 199. Quicumque ſervantur ex lethargicis, ut plurimum ſuppurant ex *Hip.* Hæc ſuppuratio non ita tuta; nam grave malum, gravi malo accedit, *Hollerius coac. f.* 215. Ad cognoſcendum melius, quomodo morbi ad invicem ſuccedant, ſcire juvat, quod abſceſſus ex *Hip.* triplici modo fiunt. 1. per materiæ prolapſum ex parte in partem. 2. per ſeceſſionem extra corpus v. g. Diſenteriæ ſpeciem. 3 per metaſtaſim, ſive tranſitum alterius morbi in alterum: id probe tenendum. Eorum affectuum, qui ex ſeceſſu humorum ab una in aliam partem gignuntur, duplex eſt differentia: alii enim priorem morbum tollunt, ut ex *Hipp.* ſpinæ tuberculum dyſenteria, febrem vero ſtranguria. Alii qui ex contagione, & mali communicatione exiſtunt, priora mala non modo non imminuunt, ſed & augent, & aucta eſſe demonſtrant; ſicuti dolor capitis anginæ ſuperveniens, ceſſatio doloris in pleuritide ſine indicatione, & abſceſſu, quorum loco oculi perturbantur, & ſigna delirii accedunt. *Jacotius coac. fol.* 712.

§. VIII. Morborum mutatio univerſim duplex eſt. 1. ſcil. metaſtaſis, in qua morbo priore ceſſante novus exoritur. 2. Epigenima, cum ad morbum novus morbus accedit, de qua ſic ait Senex magnus: *Si qua mala ſupra mala neceſſario evenerint, ejus rei cauſam qui ignorant, medicum arguunt. Ita peſſima eſt mutatio pleuritidis in pulmoniam, non e contra.* Et *Gale-*

nus

nus 6. epid. sect. 6. dicit. Ut quartana sanat epilepsiam, febris convulsionem, vel etiam catharrhum, asthama, &c. sic ophthalmiam diarrhæa, lienteriam ructus acidus, pleuritis pulmoniam, & phrænetis lethargum. At contra nec in lethargum phrænitis, nec pleuritis in pulmoniam bene commutantur. Et *Hippocrates* lib. de morbis ait omnium partium nobilium morbos, qui vel celeriter revertuntur, vel aliis superveniunt plerumque interficere. Ideo 7. *aph.* 11. & 5. *aph.* 10. notat. A pleuritide pulmoniam malum esse, & ab angina pulmoniam intra septimum diem mortem, vel suppurationem afferre *Jacotius coac. fol.* 786. Axioma *Hippocratis* est ex locis aliis in alios fieri morborum vicissitudines, humoribus, qui ipsos efficiunt translatis, sive propter robur partis alio regerantur, sive propter gravitatem, aut aliam causam v. g. medicamentum acre, & mordax, frictionem, calorem, &c. sive propter communem partium naturam, ut testium atque uteri cum pectore, & mammis *Jacotius coac. fol.* 836. Icterus frequentissime mutatur in tympanitidem. Tartareæ, & calculosæ bilis concretiones, affectionesque in suis organis, tympaniticæ sunt ut fere decies observavi. Morbi dentium in morbos oculorum mutantur, & contra; utilis est cognitu hæc mutatio, ut mihi utilis, fuit. Panaritium index est pruritus cutis, & futuræ scabiei. Sæpe febres longas intermittentes per spirituosa, & volatilia remedia in continuas mutare conatus sum: ad hoc ut continuitate celerius refermentescat, & digeratur peccans materies, quod longa febre per periodos intermittente longum post tempus solum assequimur. Sed audiamus Magnum Virum *Aretæum*. Multis in hydropem podagra concessit, quibusdam in asthma, hæc vero successio medicabilis, atque inevitabilis est, *de morb. artic. fol.* 38. Exiguos quoque morbos majores excipiunt, cumque priores discrimine vacarent, eorum soboles perniciosa exoritur. *Idem fol.* 63. Hydrops siccus ventris, hydrops siccus pulmonum, sive asthma convulsivum. Mola uteri convulsiva, sive hydrops siccus, & vanus uteri non bene adhuc a Medicis cognitus, nec examinatus. Ictericæ convulsivæ adinvicem convertuntur. Singulorum idem status, eædem pene singulis indicationes, remedia, & id genus alia. Spasmodice irritatæ fibræ gravia hæc mala pariunt, ut sæpe vidi: in principio fluidum irritans morbum producit: In progressu, & statu in solidis irritatis, intentis, crispatis unice consistit, liquidorum cursum mille modis turbantibus. His ita prælibatis facile Lector concipiet, quam necessaria sit praxeos incrementis nova hæc, nec hactenus tractata de Morborum successionibus disputatio, cui absolvendæ licet impares meas existimem vires, diligentia tamen, & patientia, quæ ad id maxime, & ad ardua quæque superanda requiruntur, argumento pares fortasse non deerunt. Et licet rem ob argumenti magnitudinem, & difficultatem absolvere prorsus, ac numeris omnibus tractare non poterimus, sufficiet saltem indicasse viam; nam revera, ut Poetæ verbis utar, *In magnis voluisse sat est.*

CAPUT II.

De Præsagiorum originibus, usu, methodo, & certitudine.

QUi bene callet *Hippocratem*, felix erit in prognosi, aliter minime. Qui textus *Hippocratis* memoriæ rite mandaverit, deinde componere simul, & ad curationem determinare noverit, feliciter curare, & præsagire noverit; aliter minime. Si tamen ad *Hippocratis* studium non accedat nativa mentis perspicacitas, & judicii integritas, quo celeriter, & recte de morbo statuamus, difficulter, vel raro assequemur finem.

Cognitio vero eorum, quæ recenter inventa sunt in Medicina, non parum luminis afferet ad liberam, expeditamque prognosim, & ad reddendam causam illius; quod non licebat *Galenicis*, utpote decepti ab hypothesibus facultatum, qualitatum, & similium. Hoc igitur in capitulo demonstrabitur quantum ad prognosin conferant *Hippocratis* opera, quantum ingenium nativum, & quantum lumina ex aliis medicinæ partibus venientia. Tandem aliquantisper disputabitur adversus eos qui prognoseos artem nullam agnoscunt.

CAPUT III.

De constitutionibus annorum, & temporum, aerisque influxibus investigandis, ac perdiscendis ad morbos dignoscendos, & curandos.

CUm fere perpetuo præ manibus mihi sit *Hippocrates*, animadverto nulli rei ipsum tantopere incubuisse quam in observandis constitutionibus aeris cujusque temporis, quæ quantam vim habeant in novis producendis morbis, vel in mutanda eorum, qui ordinario regnant, natura, quotidiana, ac patientissima praxis, & diligens circa minima morborum observatio abunde me docent. Unde Senex magnus *lib. de diebus judic. num.* 1. circa id præcipue scriptum reliquit. *Plerumque enim hominis natura Universi potestatem non superat.* Etenim cujuscumque generis morbi, feruntur earum constitutionum cursu, quæ suo tempore regnant. Medici contra nostrorum temporum nihil magis negligunt, ac spernunt, quam observationem cujusque constitutionis. Oritur igitur earum varietas, aut a vario syderum, præsertim vero lunæ, quæ concentrica telluri est, aspectu, & influxu, ut autumant Astrologi; aut ab intempestivis caloris, frigo-

frigoriſque vicibus inſenſibilem tranſpirationem varie turbantibus: aut a natura ſtantium ventorum, & halituum terræ, e venis, cryptiſque ſubterraneis exhalantium. Denique in horum aliquo, aut pluribus verſantur, quod perſpicue hic examinandum ſuſcipiemus.

CAPUT IV.

De Morbis Incurabilibus, ex ignorantia Medicorum, & ex impoſſibilitate naturæ.

MOrborum incurabilium ſeries noſtris temporibus in infinitum excurrit; non quia revera ſint incurabiles, ſed quia Medentes fallaci, vanaque methodo utuntur. Unde quo in poſterum morbi, qui revera incurabiles ſunt, diſtinguantur ab iis qui proprer Medicorum imperitiam cura deſtituuntur; ſtudebimus hoc in capitulo errores detegere Medicorum, quibus ducti morbos eos incurabiles pronunciant, qui ſpe curationis minime carent, quales ſunt quamplures meſenterii morbi pro incurabilibus habiti, a me tamen maxima adhibita diligentia, ac patientia non ſemel curati; ut præ ceteris nuper mecum obſervarunt Auditores mei in ægro decumbente in Vico Pavonis ad Pontem Hadrianæum nunc arcis Sancti Angeli. Experimentis itaque, & rationibus Medicos ad bene ſperandum & nunquam in quolibet, vel lethali morbo deſperandum, ſed novas ſemper vias ad bene medendum inveſtigandas hortabimur. Atque ad extremum appendicem dabimus morboroum vere incurabilium, quales fuerint inter alios aneuriſmata interna. Etſi ne quidem hæc incurabilia revera ſunt. Exemplo enim conſtat aneuriſmatis latera procedentibus temporibus oſſea, ac fere cartilaginea evaſiſſe, & ægrum convaluiſſe; quod amicus fide dignus mihi narravit ſe obſervaſſe in cadavere maxima cum admiratione.

Et quando incidimus in morbos vel omnino incurabiles, vel cognitu, curatuque difficiles, nihil magis curandum, quam ut a nimia remediorum vel inutilium, vel minus proficuorum copia abſtineamus; eorum namque uſu ſuperfluo, o quam graves oriuntur in ægrotantibus affectiones, & morbis antiquis, medicorum culpa novi acervantur! Quod quidem prænoſcens *Ballonius de arthritide* optime monet; quod dum in morbis abditis de remediis decertatur, quantum detrimenti genus humanum capiat, nemo ambigit. Melius foret, ait ille, homines tanti non emere, aut ſuorum medicorum incuriam, aut ignorantiam; hinc tollitur ea fiducia, & alacritas, quæ in homine perito elucet; hinc impotentia in medendo, & temeraria audacia: quarum illa ab ipſa timiditate, hæc ab ignorantia proficiſcitur. Et hoc dolendum, quod aut nil proficitur: aut quod cum deliberationi, & conſilio locus eſt, graviter peccatur. Tale peccatum nulla excuſatione, aut levatur, aut eluitur: hoc autem Medicum ſolicitare debet, ut ſi non proſit, ſaltem non noceat, nam turpius eſt videri nocuiſſe, quam non profuiſſe. Sed ſi res latent, quid agendum? Excogitanda remedia, ut in ea rerum difficultate, ſi nil ſtatuitur, ſaltem dum læſio, doloriſque exarcerbatio abeſt, innocens officium appareat, quoſque morbi cognitio remedium ſuum inſinuet. In hac igitur rerum, morborumque difficultate, ut citatus ait *Ballonius*, ægro ſufficiat, ægro inquam jam miſera ſua ex morbo calamitas, nec ad eam nova calamitatis acceſſio ex ignorantia Medici fieri debet, ignorantia quippe medici ægro ipſi alter eſt morus. Ceterum dum morbos arduos difficileſque videmus, non debemus eos admirari, ad ipſorum aſpectum horrere, & præ admiratione eos intactos relinquere. Admirari morbos, ait *Ballonius*, non autem curare, hominis eſt ſua arte, & ingenio abutentis, dumque divina animi vis voluptuaria, illecebriſque plena admiratione retinetur, melior pars artis medicæ inculta jacet; hinc pro ubere fructu, nil inde redit, niſi caſſum quiddam, & inani vocis ſono decoratum. Morborum, ut idem laudatus *Ballonius* cit. loc. concludit, alias difficilis, alias facilis eſt cognitio, alias in utroque ambigit. Et cum veritas partim facile, partim ægre cognoſcatur, cauſa ejus rei, non tam a rebus, quam a nobis pendet. Nam animus noſter ad ea etiam, quæ clara ſunt, eodem modo affectus eſt, quo noctuarum oculi ad lumen diurnum. Etſi laboris fuga in has ignorantiæ tenebras nos alioqui rerum a communi ſenſu remotarum capaces adegit. Et cum multi morbi vel natura ſua, vel errore noſtro incogniti adhuc lateant, Medicorum, & Empiricorum inſtrumenta in multis architectandis in manum ſumimus &c.

CAPUT V.

De Morborum occaſionibus.

CAuſæ morborum primo-primæ, & proximæ de quarum certa cognitione tantopere gloriantur, & ſuperbiunt vulgares Medici, omnino pene ignotæ nobis ſunt. Ideo prudens Medicus gnarus difficultatum, & obſcuritatis artis ſuæ, indicationem curativam arripiet, ex levi quolibet ſigno, aut indicio a morbo prodeunte. Curandi vero rationem colligere debet ab occaſionibus, quæ ægrotum impulerunt in morbum. Qui hiſce innitetur vix unquam aberrabit, ſicuti ſuo tempore indicabimus.

Vix credi poteſt, quanto ſtudio, quantaque induſtria indigeant Medici in illis exquirendis cauſis, quæ morbo occaſionem dederunt: ideo Ægri patienter, & ſigillatim aperire eaſdem debent

bent pro desumendis indicationibus curativis morbi, rectèque dirigendis remediis. Necessarium necne id sit, alii ab experientia de hoc abunde reddentur instructi. Ego tamen quotidie experior conducere mihi pluris ad feliciter medendum, morbi occasionem inquirere: quam recurrere ad causas primo-primas, de quibus, usque ad nauseam plures libri scatent; futiliter nihilominus, & inepte. Auctores enim, pro quodam usitato more, aliorum auctorum scripta emungentes; ingerunt in suis operibus tot nugas, totidemque ineptias super causis primo-primis: ut stomachum mehercule, & fastidium mihi pariant, & crambem recoquentes, nullam præbent ansam felicium utiliumque curationum. Quidam homines parum, aut nihil incommodi percipiunt cum mens nimium abstrahitur, vel ob domesticas curas, vel ob maximas res gerendas, & sustinendas, vel ob graves studiorum exercitationes. Alii contra, vel minimam mentis abstractionem molestissime ferunt, & ob id turbari corporis systema, caputque caloribus repleri sibi sentiunt: & si quid diutius animo versaverint, statim labefactatæ digestionis damna pati incipiunt, deinde, & alios morbos, qui a chylo prave digesto, praveque sanguefacto proveniunt. Felicem medium, qui hoc bene cognoverit, cognoverit enim veram radicem malorum mesenterii, hypochondriorum, dentium, fœtoris oris, saporum linguæ depravatorum, &c. in iis quorum corpus est æquilibratum cum animi viribus, ac potentiis; sed inferiorum virium est, minusque resistens. Hac de causa ex gravi mentis abstractione promanat sanitas ærumnosa: causa occasionalis est mentis nimia vis, & imperium in fibras corporis; quæ in hujusmodi casibus sunt levioris resistentiæ. Nec opem, aut salutaria remedia Medicus afferre poterit, nisi Æger sibimet remedium præstiterit, animique morbo animus ipse erectus, ac resistens medelam attulerit.

Ne autem nos humana lædant, ridenda ea sunt, ac spernenda, omnibus enim vanitas inest; ac proinde cogitandum quæ vana sunt, lædere non posse fortia, solida, sempiterna, immortalia, sicuti est animus noster: quid igitur mentis afflictione corporis morbos advocare? Non est id Viri fortis, non animum habentis injuriarum nescium, & incapacem: animus enim utpote immortalis a lubricis hisce, volucribus, & volubilibus, quæ in humana sunt vita minime lædi potest; quod si afflictione lædatur, remedium a se ipso petat. Ad quod apprime quadrat, quæ monet immortalis memoriæ Seneca meus, meus Magister, quemque semper præ manibus habeo, habeo quoque semper & Ciceronem. Sic igitur ait Seneca. *Utrumque infestum est tranquillitati, & nihil mutare posse, & nihil pati. Utique animus ab omnibus externis in se revocandus est: sibi confidat, sibi gaudeat, sua suspiciat, recedat quantum potest ab alienis, & se sibi applicet, damna non sentiat, & ipsamet adversa interpretetur benigne*; de tranquillit. c. 14.

Porro medelam morborum animi peti debet ab animo ipso sapientia instructo, idem Seneca meus nobilius docet, dum ait: *Præterea nihil injustum justitia pati potest, quia non coeunt contraria, injuria autem non potest fieri nisi injuste, ergo sapienti injuria non potest fieri. Nec est quod mireris si nemo potest illi injuriam facere: nec prodesse quidem quicquam potest: & sapienti nihil deest quod accipere possit loco muneris, & malus nihil potest tribuere Sapienti. Habere enim prius debet, quam dare: nihil autem habet, quod ad se transferri Sapiens gavisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere Sapienti, aut prodesse. Quemadmodum divina nec juvari desiderant, nec lædi possunt. Sapiens autem vicinus, proximusque diis consistit, excepta mortalitate, Deo similis. Ad illa nitens, pergensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali, & concordi cursu fluentia, secura, benigna, bono publico natus, & sibi, & aliis salutaris nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus per humanos i casus divino incedet animo*: Seneca *de Constanta Sapientis cap.* 8.

Quæ de causis occasionalibus circa debiliores fibras hic loci adduximus, pertrahi debent ad alias quantumvis minimas, quas unusquisque a diverso vivendi instituto diversas perpatitur, ex diversitate gradus, status, & conditionis; dissimiles enim sunt causæ, quo morbo occasionem dant in plebejo homine ab illis, quæ in nobili, aut studiis exercitato viro; in milite, nauta, mercatore, & sic per singulos personarum gradus procedendo. Pro quarum diversitate, diversæ sint causæ occasionales, & diversæ pariter medendi rationes, sive curativæ indicationes esse debebunt.

CAPUT VI.

De vita salubri ad centum, & plures annos producenda.

Longitudo vitæ non pendet tantum a bono corporis habitu, sed etiam ex optimo usu sex rerum nonnaturalium, quæ si recte dirigantur, diu vivemus, & incolumes. Somni, & vigiliarum horas bene distribuere. Aere ad necessitatem corporis uti. Potum, victumque sumere modo plus, modo minus pro ætate, ac temperamento, & pro negotiosa, vel otiosa vita, quam ducimus. Ambulare, & quiescere pro cibi quantitate, & prout corpore macilentiores erimus, aut pinguiores. Noscere se ipsum, & scire affectibus imperare, eosque redigere in potestatem rationis. Hæc si quis moderetur sapienter,

ter, diu vivet, & raro egebit Medico. Hac igitur methodo præcepta, & leges ad diu, saneque vivendum detegere curabimus.

CAPUT VII.

De Apparatu, & dispositione humorum ad morbos suspiciendos: sive de parvis magnorum morborum initiis.

IN dies observamus ex levi qualibet causa, ex tenui acus punctura, ex incisione calli lethales oriri morbos. Et quia id non ex causa externa procedit, utpote admodum exigua, sed ex interno humorum apparatu sive gallico, sive scorbutico, nec non hysterico, epileptico, hæmorrhoidali, cachochiliæ diu congestæ, ac putis, & similium, pro quorum diversitate sanguis ad varia morborum genera disponitur; propterea periti Medici cura erit apparatum illum investigare, atque expendere, eoque referre indicationes, ut vulgo solent cum tractant de primarum viarum apparatu. Igitur hoc in capitulo explicabitur quidquid ad investigandum, & præoccupandum spectat, atque ad submovendum apparatum in ægroto vigentem. Quando parvi morbi statim in magnos sine causa desinunt, vel difficulter sanantur, latentis apparatus indicium hoc esto.

Ad quod respiciens *Hippocrates* 1. de diæta, ait: *Morbi sensim fiunt, ac generantur, derepente vero adoriuntur*, &c. Revera enim sanitas, ut idem monet *Hippocrates* 3. *de diæta*, consistit in symmetria quadam, & proportione ciborum, & laboris: quare si cibus laborem superet, facilis est in morbum casus. Hinc enim sensim sequitur plethora; & sensim etiam cachochimia; Et cum hæ adsunt repletiones, corpus non amplius admittit alimentum, nequit enim, quia incapax est corpus. Vetus enim excrementum partium, seu vetus alimentum non admittit novum alimentum, nisi vetus primo digestum fuerit, consumtumque: quod si supra vetus non adhuc coctum, consumtumque addas novos cibos, quid facies? produces certe statim varia febrium genera, oppressiones, distillationes, internas phlogoses, &c. horumque omnium signa præcedunt; nempe lassitudines spontaneæ, vigiliæ, leves inappetentiæ, &c.

At dices, si adest hujusmodi pravorum humorum apparatus; quomodo fit ut corpus male habeat, lassitudo adsit, sanguis impurus, & corruptus sit; Febris tamen per illud tempus non oriatur, sed multo post? Ad quod quidem respondendum cum *Ballonio lib. de rheumatismo*, quod istiusmodi sanitatis, & morbi magna sit latitudo. Unde videmus etiam istos tam impuris prædictos humoribus, cum perendie bene habere videantur, cœnent, bibant, cantent, deinde omnia agant quæ & sani, repente veluti mutata sorte ægrotare, & vehementissime, imo magno omnium stupore e vivis eripi, ut prius constet eos interiisse, quam ægrotare. Sed de his, & de proportione ciborum, & laboris ad salutem necessaria, legatur aureus liber divini Senis de Diæta. Penu enim amplissimum est quilibet *Hippocratis* liber, ex quo multa depromi possunt, quæ maxime ad cognitionem morborum, eorumque therapejam pertinebunt.

Omnium hujusmodi apparatuum in humoribus certa præbere signa oportebit. Apparatus in primis viis, læsarumque digestionum indicia lingua monstrat cum sapore depravato, ut plurimum amaro, vel ingrato, inappetentia, affectiones circa hypochondria, potissimum aliquot horis post prandium, digestione pene peracta, &c. Scorbutici apparatus signa præ ceteris gingivæ ostendunt; laxæ enim sunt, erosæ, tumidæ, luridæ, nimium rubicundæ cum ingrato fœtore oris adinstar muriæ putrefactæ. Salsedo in ore adest, alvi siccitas, in urina veluti rubræ arenulæ, dolores vagi, & acuti per intervalla modo alias occupant partes. Hac ratione signa danda gallici, hysterici, epileptici, hæmorrhoidalis, & alterius generis apparatus, ut noviter advenientium morborum certa ratio atque curatio debita possit administari, & multo magis parva magnorum morborum initia, & incrementa prævideri.

CAPUT VIII.

De Patientia Ægroti, & Medici ad bene curandum summopere necessaria.

HOc capite monebimus non modo Ægrotos; qui posse fieri sibi promittunt, ut infra paucos dies viribus, & incolumitati restituantur; verum & nonnulos Medicorum, qui absque eo quod debitæ humorum coctioni prospiciant, curationes expediunt, vel fatali usu chinæ chinæ, vel purgantibus indebito tempore præbitis, vel aliis incongruis remediis. Exinde emergunt postea morbi quos vocant incurabiles: quibus multoties remedium præclusit impatientia ægroti, vel medici; multoties Propinquorum, aut adstantium; quamvis diutinæ, maturæque curationi aliunde cessissent: ut clare demonstrabimus.

CAPUT IX.

De ciborum delectu, sive de methodo curandi morbos quamplures per opportunum Ciborum genus, sine ope Remediorum.

ANimadvertes in Praxi aliquos Ægros fluxionibus, & diuturnis morbis obnoxios, tempore Quadragesimali convalescere; Paschate iterum

iterum ob esum carnium langueſcere. Obſervabis etiam quoſdam morbos ab obſoleto eſu caulium, leguminum, olerum, piſcium, aliorumque ciborum hujuſmodi evaneſcere, cibis vero boni ſucci exacerbari, & creſcere. Qua de re adducor caput inſtituere *de Ciborum delectu*. Hiſtoriam nempe texendo, quando iſtiuſmodi ciborum uſus ſoleat juvare: eruendo poſtmodum præcepta Praxi opportuna, & evertendo morem, & conſuetudinem vulgarium medicorum, qui alia ratione curare morbos neſciunt, quam ſatiando ſtomachum ſyrupis, conſervis, & mille nugivendulis pulveribus. Tyrones mei, quam paucis remediis curantur morbi! Quam plures e vita tollit remediorum farrago! Norunt id viri celebres *Harris* Londini, *Hottonus* in Belgio. *Le Clerc*, *Mangetus*, *Chenaud* apud Helvetios, *Scrocchius* Auguſtæ, & amiciſſimus clariſſimuſque *Lanzonus*. Et nuper hac de re multum conqueſtus ſum Romæ cum *Joane Inglis* Medico Anglo doctiſſimo ac celeberimo, cujus humanitate f.ui per plures dies licuit. Depravatæ vero huic conſuetudini magnam occaſionem dedere medici, qui nunc vernacula ſua lingua omnia typis mandant; & Vetulas docet, e culina cum ipſis etiam Medicinæ Principibus arroganter diſputare, & de mille receptulis delirare. Reipublicæ medicæ, & litterariæ lingua Romana eſto. Per eam jura dicuntur in medicina, & populus arcetur a ſcientiarum myſteriis, Quid Gallica, Quid Anglica, Quid Germanica lingua, medicinæ Sacra in vulgus proferre juvat?

Sacra ſacris hominibus communicanda: profanis vero nefas, priuſquam ſcientiæ myſteriis ſint initiati, ait divinus Senex noſter de lege n. 3. Huic itaque legi obediundum eſt; nec ita lubrice, atque cum tanta facilitate admirabilis noſtræ artis arcana in vulgus ignarum propalanda, & lingua vernacula mulierculas diſcere, diſputare; & impoſtores noſtris gladiis diſcere nos confodere. Ecquid ad Mulierculas typis dare Secreta?

CAPUT X.

De Morbis Venereorum.

PLurimum confert in curatione morborum exquirere caſte necne, vixerit Æger. Etenim diſpar temperamentum, naturamque cœlibes viri a conjugatis ſortiuntur. In prioribus ſemen, quod recirculat a vaſis ſeminalibus in ſanguinem, magnam vim eidem addit, & nimium excitat ſuas partes volatiles: hinc robur, magnum oritur, & ob nimiam fluidorum volatilitatem oriuntur in ſolidis intenſiones, criſpaturæ, ſiccitates, &c. Hinc ſtatus ſub Hipochondriis. Hinc alia id generis quamplurima. Contra vero in conjugatis, aliiſque venerem exercentibus ob deficientiam ſeminis, quod recirculet, ſanguis evadit vappidior, debiliorque: perindeque & liquida a ſanguine promanantia. Unde ob diſparem liquidorum naturam oportet, ut morborum facies variæ quoque ſint utriſque; ideoque indicationes curativas ad diſſimilem ſanguinis ſtatum dirigamus, ut fuſe hoc in capite tractabitur.

Aliquando, ut ſæpe vidi, gonorrhæa corripiuntur etiam homines cum muliere non infecta coeuntes. Id autem contingit in eis quorum ſanguis particulis acribus, ſalinis, ſcorbuticis, vel alterius generis abundat, unde nimio concubitus æſtu univerſa pene liquida in motum concitatiorem poſita, undulando inclinant ad locum, in quo major eſt oſcillatio: quæ quoniam eſt circa vaſa ſeminalia in inguine; ſi concubitus vehemens fuerit, ac ſæpe repetitus, ſingulæ partes acres, ſalinæque tunc excitatæ, & in motum poſitæ deponi circa pudenda incipient; ſemelque incœpta depoſitione, veluti unda ſequente undam, aliæ quæ remanent in liquidis, circulando ibidem deponentur, & ſic fluxus perennitatem producet; quæ gonorrhæa gallica videtur eſſe, ſed revera non eſt, quia cum muliere non infecta ſupponitur concubitus. Idem quoque de bubonibus dubitari poterit, ac etiam de penis ulceribus, eamdem ob rationem. Quo in caſu incumbendum magis eſt remediis acrimoniam ſalinam, vel alterius generis corrigentibus, quam falſo ſuppoſitæ gallicæ affectioni dicatis, quorum ſuperfluo ac indebito uſu acriori reddita ſalina vel ſcorbutica materie, fluxus gonorrhææ copioſior ſit, ac diuturnior, magiſque pertinax ac indomitus evadit. Quod ipſe prænoſcens, materiam corrigo *juſculis cum ſeminibus melonum contuſis, & radice althea in taleolas inciſa ebullitis, biſque in dies calide datis, adhibita per intervalla leni purgatione ex caſſia & diatartaro Petri Caſtelli cum g. 20 circiter maſs. pilul. de hiera cum agarico, addendo aliquando ſpecies diamarg. frigidi*; Sicque ſpurias hujuſmodi gonorrhæas ex falſo ſuppoſita gallica infectione natas, eliminare ſoleo; in quibus ſuſpecta ſunt antigallica remedia: nam in ipſis veris gonorrhæis gallicis, uſu decoctorum ſalſæ, & ſimilium, fluxus redditur copioſior, fuſa nimium ſolutaque ante tempus materie. In gonorrhæis enim, ſinguliſque veſicæ, atque uteri catharris, ſive fluoribus, ipſis quoque calculoſis, & urinæ affectionibus ad alvum ſemper ducendum. A veſica ad alvum tutiſſima via eſt, qui hoc bene noverit, quam bene curaverit!

CA-

CAPUT XI.

De occultis, lethalibus viſcerum varicibus, Aneuriſmatibus, & Hydatidibus.

QUod in arteriis ſunt Aneuriſmata, id in venis ſunt Varices, in lymphaticis Hydatides: & inter morbos ſolidorum iſti ſunt non levis momenti; ſternunt ſiquidem viam quampluribus malis internis, quorum cauſa cum revera in vaſis reſideat, liquidis tamen vulgo, ut moris eſt, adſcribitur. Quot Hydropes ortum accipiunt ab Hydatidibus lymphaticorum Hepatis, vel partium vicinarum? Quot ſævi dolores, quot obitus repentini proveniunt ab occultis aneuriſmatibus, & a varicibus partium? ut cadaverum inciſiones late manifeſtant, & tamen medici aut raro, aut nunquam ad id mentem advertunt. Indicationes igitur, prognoſes, & curationes talium morborum hoc capite colligemus.

CAPUT XII.

De mutando aere in longis, & difficilibus morbis.

PUtat vulgus, quod Medici mutationem aeris in longis, & difficilibus morbis indicunt, non ad valetudinem, & levamen, ſed pro remediorum inſcitia, & quod aliud facere neſciant. Etſi tamen in hac opinione aliquando non erret: nihilominus plures etiam morbi ſtatim ac incipiunt aeris mutatione, ideſt puriſſimo campeſtris, & montani aeris nitro, ac elatere ſtatim indigent, quia per aeris mutationem tantummodo removentur. Præſertim ſi Ægroti gravibus negotiis operiantur, adeo ut tempus quieti, ſomno, & comeſtioni congruum, iiſdem in Urbe deficiat: tunc enim per aeris mutationem conſopito curarum ſtimulo mens, & corpus, tonum, roburque ſalutare reſumunt. His accedit quod aer ruſticanus, quia ventorum flabro magis purgatur, abundet itidem puriori nitro, quam urbanus, ubi mephitis, fumus, fœtores, cloacæ conſpurcant nitrum aereum. Proinde nonnullis aer marinus, aliis montanus, aliis campeſter ob morborum diverſitatem ſummopere prodeſt, quia ſanguis ſingulorum in uno potius, quam alio aere æquilibrium ſibi debitum invenit & acquirit; prout hoc capite ſigillatim aſſeremus. Et plura vide inferius de reſpiratione, ubi de aeris pondere tractamus.

Nil magis confert aſthmaticis quam debita equitatio, & mora in aere ruſticano. Aer montanus, campeſtris, & marinus juvant, varius tamen eſſe debet pro varietate aſthmatis, & temperamenti ægri. Nonnullis montanus, aliis campeſtris, aliis denique marinus. Ipſe conſulo, ut æger meus aſthmaticus arva colat, & fere tota die ſequatur bubulcum terram arantem: & ambulet ſuper ſulcos, ſive viam illam ab aratro recens factam, & continuo reſpiret atque hauriat aerem a recens ruptis glebis exhalantem, qui quoniam plenus eſt nitro aliiſque ſalibus a centrali calore telluris conglobatis ac exaltatis, pulmonum relaxatas roborat telas, eiſdemque impactas viſciditas reſolvit, ac per vias naturæ magis amicas educit. Aſthmata curantur hac ratione, & a novis inſultibus præſervantur patientes, dummodo tamen debita utantur diæta, & debite conſulantur ſex res non naturales: æger qui decumbit ad Forum Boarium in Velabro inter Palatinum montem, Scholam Græcam, & Janum quadrifrontem (ubi nunc Templum S. Georgii) aſthmate ad phthiſin vergente laborat; irritis pluribus remediis conceſſit Neptunum ad novum portum Antiatem ſuper rudera veteris a mortuo Pontifice nuper extructum, 30. circiter ab Urbe lapide: quando ibi degit, & marinum reſpirat aerem, morbo mitius cruciatur, ac pene paulo poſt ſanus evadit. At ſi relicto aere marino ad vicinos ſe transferat campos, ſtatim & ſine mora aſthmate, aliiſque ſymptomatibus corripitur, & tamdiu moleſtatur, donec marinum aerem denuo inviſat. En quanti juvat hiſtoriam mutandi aeris in morbis plurimis conficere ad ægrorum ſolatium? Certe terra vulgaris eſt plena nitro, & recens effoſſa, ac odorata recreat ſpiritus, & ſedat efferveſcentias morboſas noſtrorum fluidorum, & ad longævitatem odorata juvat ex Verulamio. Curioſa quoque ſunt, quæ de vulgari terra narrat *Etmullerus t. 2. fol. 319.* His verbis. *Colonienſis Philoſophus paravit ex terra vulgari ſpiritum, & ex hoc rurſum terram aliquam; ex qua poſtea varia vegetabilia, & animalia fuere nata, pro probando Panſpermia, ſeu ſeminum congerie in terra vulgari, &c.*

CAPUT XIII.

De Febribus Meſentericis, opus novum non a lectione librorum, ſed ab obſervatione Naturæ petitum.

CUm febres quaſdam Romæ mederer vulgari uſu Teſtaceorum, antiacidorum, diluentium, & oleoſorum, obſervaveram, quod radicem eædem a meſenterio trahentes, deterius periculum ſubibant, nihil juvante remediorum vi, & creſcente ſemper, ac concreſcente in dies putri cachochilia in meſenterio, diu ibidem congeſta; maxime vero in Pueris, & opipare viventibus definebant in Hecticam, præſertim ſi præſcribebatur damnabilis uſus chinæ chinæ, cujus pulvis, ſtiptica ſua vi, humorum circuitus regula-

gulares, & ordinatos, in quibus vera eorum coctio consistit, retardat, ac omnino perturbat. Unde marte proprio, patienti nempe, & longa observatione, accurataque meditatione cognovi tandem Febres, quas voco mesentericas Romanorum, & Infantium, fomentis, balneationibus, repetitis purgationibus, & demum educta omni cachochilia, sero lactis cichoreato, vel distillato aliquo ex succis aperientibus curari magis debere, quam exitiali Testaceorum, pulverumque absorbentium abusu, uti hoc capite dicemus.

Ego certe vix capere possum, quomodo medici indiscriminatim ad omnes morbos pulveres testaceorum & alchalicos, ut vocant absorbentes, præbeant, qui non aliud revera sunt, quam terra inutilis, & caput mortuum mixtorum. Cum certum sit stomachum nostrum in statu sano vix digerere eos posse, quoniam difficulter in substantiam nostri vertuntur: quanto minus in morboso, in quo vix jusculà tenuia digeruntur. Quare fieri debet, ut quando mesenterium putri cachochilia nimium repletum est, ponderosi, nullìusque activitatis, ac motus hi pulveres, non solum cachochiliam non movebunt, nec corrigent, sed cum eadem sese miscentes, magis magisque concrescere, indurari, hærere in glandulis eandem facient; & statim ad febrem lentam, quam facillime in hecticam desinere sæpe vidi, Patientem disponunt. Juvat magis herbis stomachicis, leniter amaris, & aperientibus curationem inchoare, quæ cachochiliam solvere, movere, ac digerere valent; sicque præparatam singulis diebus apozemate leniter purgante, clysteribus repetitis, fomentationibus ventris ad exitum, quam celeriter sollicitare: quod ex tempore si non feceris, de curatione nil boni speraveris: & si post imprudenter adhibita testacea, febre minime cedente, chinam chinæ dederis (ut fataliter plurimi faciunt) ventre adhuc humoribus onusto, tria expectato, aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrim, aut mortem. Observa bene, & si falsa dixero, me redarguas. Romæ scribo. In aere Romano.

Pluries certe in hoc opere damnavimus chinam chinæ: ideſt non dmnavimus remedium, sed abusum Medicorum in eodem singulis pene in febribus, ne dicam morbis præscribendo, indiscriminatim quoque, quolibet morbi tempore, nullis expectatis coctionibus nec corpore bene purgato: quæ singula correctione indigere, ipsimet chin. chin. Fautores mecum fateantur necesse est. Quod ad me attinet. Ipse scribo in Urbe Roma, in aere Romano. Hic non ita felices eventus a chin. chin. experimur, sicuti aliis in regionibus, alii experiuntur, eorumque experientiæ credimus, & methodum laudamus; quia in suo climate vere ac fideliter (uti credo) observantes, nobis certe vera scribere debent: agitur enim de pelle humana.

Chinam chinæ dare corpore impuro, ideſt in principiis morborum, nullis præcedentibus signis coctionis, & corpore non purgato, piaculum est in aere Romano: methodus damnabilis ac pernicioſa. Dicunt multi dandam esse, ut impetus symptomatum tunc furentium coerceatur, ac refrænetur: ut inde æger symptomatum sopita vi diutius possit morbo resistere. At si tu loco frænandorum symptomatum, pravos humores per chinam chinæ in aliquo viscere figes, ac concludas, & ita internam pariis inflammationem, ut frequentissime observavi: nonne tu culpandus eris? Nonne tu, ut reus necis, lege Aquilia puniendus? Quomodocumque se res habeat, unusquisque abundat sensu suo, nullius methodum vitupero, sed ab omnibus disco. Hoc certum est me raro uti china chinæ: nam ægri mei raro ea indigent. Febricitantes meos curo per leges coctionum, ac crisium ab *Hippocrate* meo mihi demonstratas: coctum humorem per intervalla purgo, aut per alias elimino vias, sicque tempus & patientia mea curationem feliciter absolvunt coctum humorem debito tempore purgando. Et quod magis interest raro cum recidiva: quam recidivam singulis momentis ab usu chin. chin. expectato. Itaque si quandoque ea utor: utor sane in fine morbi corpore jam purgato, & sine ulla viscerìs læsione, & ea indicatione utor, ut tonum, vim, ac robur det ac restituat solidis & fluidis longo morbo relaxatis, inertibus, vappidis, in ægris humidi, crassique corporis habitus. Hac igitur ratione eam præscribo.

℞. *Salis armoniaci* ℈. 1. *chin. chin. pulv. drach.* 1. *m. & f. pil. sum.* initio paroxysmi quoties urget necessitas.

Sal armoniacum est antifebrile maximum, china chin. amaritie sua styptica eidem juncta, evadit infallibile apud me febrifugum, a me excogitatum, & expertum.

At si me fallat hoc remedium, certe non fallet aliud ex floribus camomillæ peculiariter paratum. Mi Lector hoc febrifugum ex flor. camomillæ est arcanum maximum ad febres intermittentes; nunquam fallit, estque princeps omnium febrifugorum. Quartanam nuperrime eodem profligavi: & suo tempore illud publicæ luci dabimus.

CAPUT XIV.

De Methodo curandi morbos Musica, Saltatione, Equitatione, Navigatione, Venatione, Rusticatione, debitoque sex Rerum non naturalium usu, sine inutili Remediorum acervo. Ubi etiam de Dieta Pythagoreorum.

REgula erat apud Græcos Medicinæ Patres, præscripto moderamine in sex rebus nonnaturalibus, Medicinam in morborum curatione,

ut

ut plurimum exercere. Noviſſime abjecta veterum norma, ſyrupis, aliiſque ſaccharatis induſtum iri video. Doleo ſummopere Ægrotis aſſiduis, ſed inutilibus remediis fatigatis. Quotidie evenit morbos, quoſdam capitis muſica, alios morbos ruſticatione, alios navigatione, alios venatione, alios ſaltatione, vel equitatione, vel peregrinatione deſinere, qui antea nulli medicamini cedebant. Cum itaque nobis in animo ſit Praxis munus extendere, novoſque curandi modos addiſcere, aut veteres, reſtituere: examinabimus hoc capite, quomodo morbi uſu præfatorum tollantur, ac deſinant.

Quare cum frequentiſſime obſervemus in praxi curari morbos poſt ſuſceptum iter navigationem, muſicam auditam, vel exercitam, quod longo remediorum uſu conſequi nullo modo potuimus, non eſt id a Medico ſpernendum, ſed inveſtigandum, quare talia exercitationum genera ſanare morbos valuiſſent: & quod caſu evenit, novis factis obſervationibus, in artis præcepta primo, deinde ad uſum redigere. Hujuſmodi enim rebus Veterum bene vivendi norma conſtabat, & præ ceteris, quam vocant diætam Pythagoreorum; ſingulæ enim diei horæ ita diſtributæ erant, & victui ita accomodatæ gymnaſtice, ut quilibet vel negotioſus homo, nihil a negotioſa vita detrimenti caperet. Hinc admirabilis illa longævitas, hinc ſalubris, & athleticus corporis habitus, nec tam frequentes incurabilium morborum ſeries, quales magno artis dedecore hodie divagantur. Cauſa quoque, qua vetitum erat Pythagoreis animalium carnibus veſci, non inde nata ſolummodo eſt, ne talium animalium mores, & ideas imbibamus; ſed quia olera, fructuſque terræ, talem in ſanguine temperiem, dulcedinem, atque ſimplicitatem inducunt, quæ difficulter vel in morbos ſolvitur fermentatione, æſtu, & ebullitione, vel anſam præbet animi affectibus, iræ, concupiſcentiæ, aliiſque; ut excitentur, nimiumque ferveant, ac ferociant: unde rebus ita bene compoſitis, temperatiſque, nec partibus corporis a frequenti morborum mentis corporiſque invaſione nimium labefactatis, vitæ ſtamina ad centum fere annos magna cum ſalubritate producebantur; præter hæc alia quoque aderant id generis apud ipſos ad beate, ſaneque vivendum præſidia, de quibus plura vivenda apud *Laertium*, ejuſque exſcriptorem *Suidam*, *Porphyrium*, *Jamblicum*, & Anonymum, qui omnes *Pythagoræ* vitam conſcripſerunt: nec non apud *Diaymum* in libro de Philoſophia Pythagorica, apud *Clementem Alexandrinum*: ut decem ab hinc circiter annis legere mihi licuit Florentiæ apud amiciſſimum celeberrimumque Magliabecchium meum. Unus tamen inſtar omnium legendus ſemper erit: ac memoriæ mittendus ſapientiſſimus, & profundæ virorum eruditionis *Auguſtinus Steuchius* in immortalibus ſuis libris de Perenni Philoſophia, quibus ad veram pietatis Philoſophiam manuducimur, & hæc terrena dediſcimus libentiſſime.

Porro varium vitæ genus maxime in uſu fuiſſe apud Antiquos ad longe, ſalubriterque vivendum, vel ex ipſo diſcere licet *Seneca* meo, & *Celſo*. Nihil enim peſtilentius eſt, nihil ad ſalutem perniciouſius in hominibus negotioſis, aulicis, curis publicis vel privatis tota die fatigatis, ſtudio deditis, quam in eadem intentione laboreque continuo detinere mentem, nullam eidem laxitatem, debitamque hilaritatem concedendo: qua de re ſic loquitur *Seneca*.

Miſcenda tamen iſta, & alternanda ſunt ſolitudo, & frequentia: Illa nobis facit hominum deſiderium, hæc noſtri, & erit altera alterius remedium. Odium turbæ ſanabit ſolitudo, tædium ſolitudinis turba: Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat, & Cato laxabat animum vino, curis publicis fatigatum; & Scipio triumphale illud, militare ſuum corpus movebat ad numeros. Imo ut antiqui Viri ſolebant inter luſum, ac feſta tempora tripudiabant, non facturi detrimentum etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur.

Danda eſt remiſſio animis, meliores acrioreſque requieti ſurgent; Animorumque impetum aſſiduus labor frangit. Vires recipiunt paulum reſoluti, ac remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum hebetatio quædam, & languor. Nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt; hunc tamen ſi per diem, noctemque continues, mors erit. Legum Conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni Viri ſibi menſtruas certis diebus ferias dabant. Quidam omnem diem otium inter, & curas dividebant: Ita Aſinius Pollio Orator Magnus faciebat, quem nulla res ultra decimam horam retinuit, ne Epiſtolas quidem poſt eam horam legebat, ne quid nova curanaſceretur, ſed totius diei laſſitudinem duabus illis horis ponebat.

Indulgendum eſt animo, & dandum ſubinde otium, quod alimenti loco ſit, ac virium. In ambulationibus apertis vagandum, ut Cœlo libero, & multo ſpiritu augeat, attollatque ſe animus: aliquando vectatio, iterque, & mutata Regio vigorem dabunt, convictuſque & liberalior potio. Nonnunquam, & uſque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat Nos, ſed ut deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibuſdam, ita triſtitiæ vinum medetur, & liberat animum curarum ſervitio, & aſſerit eum, urgetque, & audaciorem ad omnes conatus facit; ſed ut libertatis, ita vini ſalubris moderatio eſt. Aliquando enim in exultationem, libertatemque extrahendus eſt animus, triſtiſque ſobrietas

tas removenda pauliſper. Nam ſive Graco Poeta credamus; aliquando, & inſanire jucundum eſt, ſive Ariſtoteli nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuit. Non poteſt grande aliquid, & ſupra ceteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria, & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior; tunc demum cecinit aliquid grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam, & in arduo poſitum contingere, quamdiu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet a ſolito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere. Seneca de tranquill. anim. c. 15.

Negotioſis itaque hominibus, & ſtudio deditis, ſingulis diebus debita hilaritas animorumque laxitas juxta Senecæ præceptum concedenda: quod ſi monitum hoc poſthabeant, floccique faciant, mille morborum generibus hac ſolum de cauſa obnoxii erunt. Et unde quæſo tot affectiones hypochondriacæ, ſcorbuticæ, mortes repentinæ, aliique innumeri morbi his diebus in negotioſis hominibus oriuntur, quam a negata animis curarum onere preſſis debita, commodaque laxitate? Ad quod reſpiciens Celſus ſic ait lib. 1. cap. 1. *Homo ſanus, qui & bene valet, & ſua ſponte eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus; modo ruri eſſe, modo in Urbe, ſæpiuſque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere: ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo idipſum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur. Interdum in convivio eſſe; interdum ab eo ſe retrahere: modo plus juſto, modo non amplius aſſumere: Bis die potius, quam ſemel cibum capere; & ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat. Sed ut hujus generis exercitationes cibique neceſſarii ſunt; ſic athletici ſupervacui; nam & intermiſſus propter civiles aliquas neceſſitates ordo exercitationis corpus affligit, & ea corpora, quæ more eorum repleta ſunt, celerrime, & ſeneſcunt, & ægrotant. Concubitus vero neque nimium concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus excitat corpus, frequens vero ſolvet. Cum autem frequens non numero ſit, ſed natura, ratione, ætatis, & corporis ſcire licet eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor, neque dolor ſequitur. Idem interdiu pejor eſt, nocte tutior. Ita tamen ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur. Hæc firme ſervanda ſunt cavendumque ne in ſecunda valetudine adverſa præſidia conſumantur.* Hæc Celſus loc. cit.

CAPUT XV.

De Anatome, Natura, & uſu Pinguedinis, & morbis ab eadem pendentibus.

FAllitur qui putat pinguedinem per corpus protendi, præſertim per meſenterium, quod ejus centrum eſt nulla alia de cauſa, niſi ad tutandas partes internas ab aere externo. Pinguedo forte inſervit, ad ſeparandum ſingulare quoddam oleum, illudque ſenſim in ſanguinem inſerendum, ut conſiſtentiam, & neceſſariam dulcedinem ſanguis aſſequatur: vel refrænandorum ſalium gratia, vel conſtituendis primordiis bilem componentibus. Ex inciſione cadaverum obſervavi, pro morborum chronicorum, vel acutorum diverſitate, diſſimilem etiam pinguedinis ſtatum eſſe in odore, colore, copiaque, &c. In iis qui calculis interierunt, omentum pinguedine abundat; non ita aliæ partes quæ nimium emunctæ obſervantur. Quaſi certe calculi, qui generantur ob copiam partium ſalinarum, & inopiam oleoſarum, neceſſario tunc generari debeant; eo quod obſtructis vaſis pinguedinoſis in omento, non trajicitur in ſanguinem pinguedo, cicurandis ſalibus dicata: ideo ſalia facile concreſcunt in lapidem, pinguedine in omento remanente. Hoc caput igitur hujuſcemodi morbis providebit.

CAPUT XVI.

De Natura, & uſu Salivæ, ejuſdemque morbis.

SApor corporis humani ſaliva eſt: liquor certe omnium in humano corpore utiliſſimus, viriumque, activitatis incredibilis. Primarium eſt chilificationis menſtruum; & aſſiduo ſuo in ventriculum, & inteſtina deſcenſu fibras eorum blanda ſalſedine, & lixiviali natura roborat, contrahit, abſtergitque ſordes, eidem a reſiduis coctionum hærentes, ac propemodum impactas. Ideo de recta, vel parva digeſtione ſtatim certior fies per linguæ ſaporem, quem ſi mutatum deprehendes, ægrum leviter ac male chilificare aſſeres. Conſiderando igitur ſalivæ copiam aſſidue in ſtomachum prolabentem, ejuſque uſum in chilificationibus, indubie adnotabo, quibus in morbis ſapor linguæ mutatur, ut eorum originem in ſtomacho, aut alibi reſidere valeam certo ſtatuere. De quibus infra in peculiari diſſertatione partium tractabimus.

CAPUT XVII.

De uſu, & abuſu diluentium, & oleoſorum, quæ nunc apud Noſtrates maxime adminiſtrantur.

OB imperitiam hucuſque ſolidorum redactam fuiſſe arbitror Praxim Medicam ad exhibendum per os in ſingulis pene morbis oleum amygdalarum dulcium, vel dietim propinandas amphoras aquæ Nucerianæ. Qua utilitate id factum ſit, cuiquam ſolidorum perito patebit. Oleoſis, & aqueis ſolida laxantur & flacceſcunt, ut difficulter reſtitui poſſint, fluidorumque curſus hac de cauſa tardus redditur. Hinc ſæpiſſime Apoplexiæ, hinc obitus repentini, qui hodie magis quam antea ſunt frequentes in Urbe, maxime pendent; aut ab abuſu aquæ gelidæ vario odorum artificio conflatæ, quibus Romanæ officinæ tantopere abundant; vel potiſſimum a medendi methodo per aquea, & oleoſa, ſingulis in morbis copioſe præſcripta. Laxata propterea fluidorum, ſolidorumque compage, facile via ſternitur ad lethales concretiones, coagulationeſque liquidorum; unde mors repentina. Hæc omnia hoc capite pro virili tradere conabimur.

Antequam diluentia, aut oleoſa præbeantur, conſiderandus diligentiſſime erit ventriculi, & digeſtionum ſtatus, & natura: quæ his remediis ſtatim proſternuntur, ſi vel minima in eis adfuerit debilitas, nec ita facile impoſterum reſtaurantur. Facile tibi concedo ſalia ſanguinis per aquæ potum dilui, ſed dilui non debent cum jactura digeſtionum, ac triumviratus, in quibus ſalubris, & longæ vitæ ſtamina unice mectuntur. Stomacho prius proſpice, deinde utere tuis diluentibus. Sed vereor ne ſurdis canamus.

Sed ut clarius conſtent, quæ in hoc de ſolidis ſpecimine aſſeruimus, obſervationes, & experimenta ad id maxime pertinentia, atque a nobis diligenter peracta, ut de morbis ſolidorum hiſtoria magnum ſumat incrementum, deſcribere viſum eſt. Hæc ſingula elapſo anno 1700. typis edita fuere Peruſiæ ab amiciſſimo Domino *Paſcolo*, cujus hortatu, & ſuaſione ſcripta, fuere. Nunc vero hac ſecunda editione re melius digeſta, ordinataque, ſinguliſque experimentis in quatuor diſſertationes diſtributis, in prima ſtatim agemus de Anatome fibrarum, de Motu Muſculorum; & de morbis Solidorum.

Sit itaque.

DISSERTATIO I.

DE ANATOME FIBRARUM, DE MOTU MUSCULORUM, AC DE MORBIS SOLIDORUM.

Ubi etiam de duræ matris elatere, oscillatione perpetua, & de solidorum supra fluida corporis animati majori vi, majori impetu, & longe majori resistentia.

SSIDUIS Ægrorum curis, & occupationibus factum est meis, ornatissime *Pascoli*, ut tibia me per Amicos, ac per litteras observationes aliquot anatomicas flagitanti non ante hanc diem satisfecerim. Nec cum res ita tulisset, ut in Theatro Anatomico meis opinionibus comprobandis plura in Corporis humani structura sint observata, facile inducor, ut ea tibi impertiam veritatis solertius indagandæ causa, ut quæ a me sunt inchoata, ea tuis oculis subjecta felicius absolvantur, cum non modo ingenio atque peritia rerum, sed litterario etiam otio fortasse magis abundes, quæ cum mihi desint, eam a me lucem accipere non potuerunt, quam a studiis tuis in publicam utilitatem habebunt, ut delata in eorum manus, qui praxim exercent, morborum curam maxime juvent; sine quo fructu labor omnis Anatomicorum, studiaque humani corporis frustra suscipiuntur.

Commentarios meos de Praxi medica quod evolvis libenter, amice facis. Laudes tamen quas in me contulisti, vix accipere debeo; nam bonis viris, Artiumque liberalium scientia claris, equidem placere velim, cum eo tamen, ut nolim quemquam nimis esse in mea laude liberalem. Tu autem in tuis litteris ea mihi tribuis, quæ non modo si agnoscam, sed propemodum si optem, modeste parum agere mihi videar, ac propterea judicium de me tuum, officium potius quam sententiam esse existimem. Quamobrem gratiam habeo tibi, quam debeo maximam, nec despero futurum, ut quo in te sum animo, re ipsa aliquando perspicias. Et si parum optatis meis fortuna responderit, memoria saltem, perpetuoque erga te studio, non officiis modo erga me tuis, sed eximiæ humanitatis debito, cumulate mihi satisfaciam. Ego enim te *Pascoli*, ex eleganti, quem de Theorice febrium vernaculo sermone inscripsisti libro, jam pridem cœpi colere; mea tibi voluntas non patuit; amicis tamen quid de te sentirem sæpe in sermonibus declaravi. Et sane, ut benevolentiam tibi meam præsens præsenti patefacerem, libenter Perusiam excurrerem, sed quoniam multa obstant, ne id facere possim, officium, quod absens absenti præstare nunc valeam, litteræ sint, amoris in te mei perpetuum monimentum. Ut autem accedam ad experimenta per te expetita, ea tibi nunc ordine, ac methodo, qua fuere in anatomico Theatro Auditoribus explicata, describam.

Theatrum Anatomicum Romani Archilycæi Kalendis Martiis apertum fuit, hoc Anno Maximo Jubilæi MDCC. Quod ex Majorum instituto primo die Lunæ post primum diem Dominicum Quadragenarii Jejunii quotannis facere consuevimus. In cadavere Viri 30. annorum ætat. ex Nosocomio S. Spirit. in Theatrum delato curiosa quædam, & notatu digna observavimus. In eo dexter solummodo ren in dextera lumborum regione inventus est; deficiebat sinister ejusdemque lateris ureter, vasa emulgentia, spermatica, & vesicula seminalis pariter deficiebant. Non erat solito major ut sinistri partes, & officium suppleret, prout quatuor ab hinc annis videre contigit in cadavere hominis non longe a Domo Capitolii resecto, in quo unicus ren aderat in medio lumborum positus, sed ingens, & amplus, ut duos pene magnitudine sua æquaret; ab ejusdem lateribus ureteres orti in vesicam desinebant.

Prælectionum ordine servato, postquam die Lunæ mane de quatuor universalibus membranis abunde differuimus, vesperi (bis enim quotidie ad explicandas anatomicas Theatrum ingredimur) de musculis obtigit tractatio, qua occasione, demonstratis qui abdomini serviunt, nostram de motu musculorum sententiam, res quidem ardua, & difficilis, in medium produximus: in qua rite explicanda tria nobis ad examen revocare visum est. Primum, quænam sit fibrarum cujusque generis constructio, & in musculis, partibusque componendis artificium. Secundo, quomodo illi ex nostra opinione per trocleostatices, sive potius per scytalæ, & axis in Peritrochio regulas moveantur. Denique præcipuas fibrarum affectiones, quibus ea in salubri, atque morboso statu corporis obnoxiæ fiunt, adnotare. De quibus ut te reddam certiorem, sicuti nuper a me

poſtulaſti per literas experimenta primum detegendæ fibrarum ſtructuræ facta proponam.

Fibrarum ſtructura quoniam inveſtigari vix poteſt, niſi facta prius in debitis liquoribus macreatione; ideo, ut fibram carneam humanam diligentius examinarem, infudi primo eam in aqua communi, mox in ſpiritu vini, demum in aqua aceto temperata, quæ peregi quouſque deleta omni rubedine partes ejus ſegregari commode poterant. Tunc fibra ſuper vitrum explicata, acubus hinc inde, magna cum cura, & diligentia, componentia ſua ſeparare cœpi, factiſque variis cum microſcopio quatuor lentium obſervationibus, deprehendi, quod ſicuti muſculus fibrarum carnearum faſciculus eſt, ita quamlibet fibram carneam ex plurimis, ac pene infinitis aliis fibrillis in faſciculum contractis componi, ut in ſerico filo conſpicimus; quæ fibrillæ, quam cumque figuram obtineant lacerti, paralellæ ſemper ſibique mutuo unitæ procedunt; ſuntque ita copioſæ, ſubtiles, tenueſque, ut impoſſibile ſit numerare ſingulas, vel nudis oculis obſervare. Has tranſverſum ſecant aliæ fibrillæ ſibi quoque mutuo paralellæ, quæ pares angulos cum utroque tendine conſtituunt, & ad id potiſſimum factas crediderim, ut carnearum rectarum nimiam in muſculorum motu dilatationem impediant, atque hujumodi veluti frænulis moderentur.

Diverſo mechaniſmo a fibra carnea conſtructa eſt membranea. Fibram membraneam humanam per dies aliquot in prædictis liquoribus macera vi, donec debite emollita ab acubus explicari commode poterat. Quo facto, ſuper vitrum expanſam acubus accurate diſtrahere, & quatuor lentium microſcopio lumini Solis obverſo obſervare pluries volui, quouſque inveni ipſam conflatam eſſe infinitis aliis ſubtiliſſimis filulis, quæ uniuſmodi non ſunt, neque paralello, rectoque ordine progrediuntur unita, ut carnea, ſed irregulari, inæquali, & frequenter veluti reſciſſo, ut in arborum foliis, vel madida papyro microſcopio conſpicimus. Filula hæc ſubtilia magis ſunt, quam ea carnearum, & ſi fibram in oleo amygdalarum dulcium parum coxeris, commodior fiet obſervatio.

Præter hanc diverſam filorum conſtructionem carnea ingenti ſanguinis copia proluitur, a quo rubicundus in ea color; partes enim ſingulæ ſua natura albæ ſunt, rubent vero a ſanguine circumfluente. Nam ſi carneam aqua tepida ſæpe proluas, aut aqua maceres, muſculum ex rubicundo colore in album deſinere videbis. Nonnulli putant, ruborem muſculorum pendere a tomento, ut ajunt ſanguineo, ſive peculiari parenchymate, quod fibrarum ſpatiis interpoſitum, & adhærens, prima ſit, atque præcipua in motu muſculorum contractionis cauſa. *Aqua pendens*, qui opinionem hanc excogitavit primus, vel defendit, in aureo de muſculotum fabrica commentario, parenchymatis, ſive tomenti ſupradicti a fibris ſeparationem maceratione, coctione, deraſioneque docte ſatis, & eleganter deſcripſit. Quæ quidem opinio, licet mihi nequaquam placeat, cum tomentum illud parenchyma ſui generis a ſanguine prorſus diverſum non conſtituat, ſed ipſemet ſanguis inter fibrarum ſpatia congelatus, & in ſolidum corpus grumefactione coactus tomentum *Aquapendentis* repræſentet; puto tamen cum eo, & *Mulineto* differt. anat. pathol. lib. 3. c. 1. muſculorum perpetuos ad contractionem conatus a ſanguineo tomento præcipue, atque immediate pendere. Carneæ namque fibræ, quæ ante corrugatæ, contractæque cernebantur, abluto per macerationem ſanguine, in unum coguntur corpus, atque ita duræ evadunt, ut corrugari poſtea, atque flecti nequaquam poſſint, & vix a ſui tendinis natura differre videantur.

Quoniam vero muſculorum fabricam tria præ ceteris ingrediuntur, nervus, fibræ illorum albæ paralellæ, & tomentum ſanguineum; operæ pretium nunc eſt, ut in hiſce tribus reconditam, ac pene difficilem ſuorum motuum cauſam inquiramus. Quod præſtare non poterimus, niſi prius muſculorum ex fibris conſtructionem, & peculiarem mechaniſmum juxta *Lovveri*, *Stenoniſque* obſervationes delineemus.

Fibræ carneæ, ut deteximus, ex aliis ſubtiliſſimis filulis componuntur, quorum binæ extremitates tendineæ ſunt, quæque cum corpore fibræ minime planum rectum, ſed quælibet angulum cum altera alternantem efficiunt. Porro in plures ordines, ac veluti ſtrata diſponuntur, quorum quilibet ordo paralellogrammum obliquangulum, aut rhomboidem efformat, & plura paralellogrammata ſibi invicem juncta paralellobipedem, quem muſculum ſimplicem vocant, conſtituunt; quo ordine naturam in omnium pene muſculorum conſtructione procedere, frequenter *Steno* obſervavit.

Contra *Lovverus* exiſtimat, omnes muſculos non uno, ſed duplici ventre præditos eſſe, nec caput, & caudam habere, ut opinabantur Antiqui, ſed duos tendines ſibi oppoſitos, fibraſque muſculares non una, & continua ſerie a capite ad caudam progredi, ut hactenus creditum, ſed oppoſitas in partes niti, ſicuti in libro *De motu Cordis* explicavit. Poſita hac ſtructrura: putat muſculos non moveri ſpirituum inflatione, ſed utriuſque ventris fibrarum, quæ oppoſitos in tendines abeunt contractione, & duplicis tendinis adductione: nam ut quiſque muſculus duplex eſt quodammodo, ita dulplici motu per fibras in diverſa ſe nitentes loca adducitur, & annexa ſibi oſſa vel membra ſecum trahit, non ſecus ac duo homines junctis dextris in mutuum ruunt amplexum, ſeque arctius ſtringunt. Cumque duo unius muſculi motus ab oppoſitis cœptis terminis in commune deſinant centrum, adverſam potius contractionem fibrarum, quam muſculorum inflationem, expanſionemque a

ſpiri-

ſpiritibus factam motus omnes producere arbitratur; nam re vera muſculus in actu motus non intumeſcit, nec amplior fit, ſed ut in corde videmus, conſtringitur, & induratur, immotiſque tendinibus, ſolæ fibræ carneæ moventur, & angulos mutant, ut in ſcala portatili contingit, in qua latera eadem ſemper ſunt, angulis exiſtentibus modo acutioribus, modo ampliоribus. Ideo credendum vim omnem motivam non tantum pendere a ſpiritibus, & cerebro molli, vel nervorum propaginibus per muſculos diſtributis, quos vehementiſſimis motibus obeundis impares judicamus, quantum a peculiari fibrarum ſtructura fibris cordis analoga, & ingenti ac fere recondito ipſarum elatere, & magna quoque ſolidorum ſupra fluida in viventibus reſiſtentia & impulſu; unde fibræ, funiculorum ad inſtar contractæ, contortæque motuum omnium quomodo cumque vehementium capaces evadunt.

Cognitum etiam eſt, *Stenonem* ad motum muſculorum nullam admittere potentiam ſuperadditam a cerebro provenientem, ſed motum omnem peragi per duas potentias contrarias, quarum altera ſit pondus trahens deorſum tendinem, altera contractiva fibrarum vis, quæ agit trahendo oblique ſurſum idem pondus; quæ quidem opinio, tanquam minus rationi conveniens, convellitur *a Borello par. 1. mot. animal. cap. 2.* ubi probat moveri muſculos per ſanguinis, & ſpirituum debitam mixtionem, & concurſum.

His ita explicatis quæ ad fibrarum, muſculorumque compagem pertinent, neceſſarium eſt attingere nonnulla, quæ ad motum illorum ex noſtra ſententia conferre videbimus. Et quidem examinata ſæpe diligenter ipſorum fabrica. & ingenti ſanguinis copia fibris undique circumfuſa, quæ non nutritioni ſolum, ſed nobilioribus uſibus deſtinata eſt, aſſerere cæpi, præcipuam, ne dicam totam vim motus, ſive potentiam moventem muſculos, in ipſis reſidere muſculis, id eſt in peculiari fibrarum artificio, earumque cum ſanguineo tomento proportionata mixtione, & impulſu: ſpiritus vero fluentes per nervos nihil aliud quam determinationem ad motum præſtare. Ad quod credendum præter alia me movet conſtans, & perpetua naturæ lex, quæ methodo ſimplici, atque facili, & veluti per analogiam, rebus in omnibus producendis, tum conſervandis procedit.

Quod præ ceteris in motu cordis; facta comparatione cum aliorum muſculorum motibus, experimur. Cor muſculus eſt ex triplici fibrarum ſerie mirabili artificio compactus, movetur autem non ampliando, & dilatando, ſed contrahendo ſe, & indurando, ut ſectione vivorum animalium conſpicimus, & quod magis mirum, ſi cor Ranæ recens ex aqua ſumptæ, & reſectæ æſtivo tempore obſerves, per ſemihoram pulſare videbis. imo, ſi ſcindatur in partes, ipſa partes ſciſſæ repetitos ſyſtolis, atque diaſtolis motus abſolvent. Et quoniam tunc nulla vis a ſpiritibus, & cerebro avulſo, & in particulas reſecto cordi communicatur, vim omnem moventem a fibris dumtaxat productam eſſe exiſtimo, quæ in mortuo etiam animali, durante impulſu ante impreſſo, alternas contractionis vices perpetuant. Quamobrem, ſi cor muſculus eſt, & movetur contractione quadam, tenſione, ac repetita fibrarum oſcillatione; & magnam vim motus non tantum a rara ſpirituum compage, mollique cerebro, quantum a peculiari fibrarum mechaniſmo recognoſcit, quid obſtat quod ad leges motus cordis, omnium quoque muſculorum motus explicemus?

Fibras vi quadam innata a minimis ſolidis maſſæ ſanguineæ eas prementibus productæ, perpetuo oſcillari, & criſpare ſe, multa confirmant. Et primo ſi carneam fibram ab animali vivo reſectam microſcopio inſpicias, evidenter ſe contrahere obſervabis. Muſculum recens ab animali avulſum ſi per medium ſecueris, extrema ſecta ſtatim contrahentur, quod in viva Anate quiſque poterit experiri. Autopſia quoque probatur continua fibrarum ad contractionem propenſio in vermiculari inteſtinorum motu a ſubſtrata carnea tunica; Uteri poſt partum inſigni corrugatione; Veſicæ poſt emiſſam urinam; ex impulſu cordis in circularem ſanguinem facto; in perpetua ſphincterum contractione, qui non ſua ſponte, ſed a fluidis vim facientibus aperiuntur, demum in glandulis; quæ fibrarum ope expreſſionem continuam liquidorum promovent, & perinde ac ſi eſſent tot minima corcula, hinc inde per partes in cordis ſupplementum poſita, circulationem eorum facilem reddunt, & expeditam.

Vidimus quomodo cordis, & quadam veluti analogia, omnium pene muſculorum motus fiant potius contractione, tenſioneque fibrarum, quam earum ab effervescentibus ſpiritibus inflatione: reliquum eſt, ut breviter nunc inveſtigemus, quid re vera fit, quod immediate in fibris contractionem, ſive criſpaturam producat. Et quoniam ſolummodo inter fibrarum ſpatia magna ſanguinis copia invenitur, quæ, conſiderata partis parvitate, impoſſibile eſt, ut tota nutritione impendatur, eam criſpandis fibis ſolidi vicem gerendo inſervire exiſtimo. Circa quod duas opiniones a me excogitatas, dubioque, & hærenti animo in Theatro propoſitas, nunc tibi examinanda ſubmitto. Dato cordis ſanguiniſque continuo, & nunquam ceſſante motu, ſupponit prima fibras carneas majores, earumque fibrillas minimas pene infinitas eſſe totidem vectes, vel funiculos, quorum ſingula puncta ſuper circulantis ſanguinis guttulas, veluti ſuper totidem trochleas tracta, & ſemicirculariter mota, ſuperveniente ſpirituum determinatione ad motum, magnam vim in tendineis extremitatibus producant. Quam ob cauſam fieri videmus, quod muſculis plus,

vel minus agentibus, motus ſanguinis per eos augeatur, vel minuatur. Et Bajuli in gravioribus geſtandis ponderibus expirationis intenſione, & inde nata circulantis ſanguinis alteratione, magnam vim ſupervenire muſculis experiuntur. Cum igitur per infinitas veluti trochleas, ſive minimos vectes a minimis ſolidis ſanguineis circulando prementibus, moveantur fibræ, potentiæ moventis vis ob innummerabiles earum ſeries, fere in immenſum creſcit; adeo ut mirum non ſit, ſi minima licet ſpirituum ſupperaddita vis non ſolum determinet motum, verum promoveat, & augeat: quod in mechanicis præſtare valent vectes breves multiplicati immenſarum virium: Pancratium infinitæ potentiæ *Simoni Stevini*: Machinæ rotis, & tympanis dentatis conſtructæ: Gloſſocomum *Schotti*, quo talenti potentia moveri poſſet terraqueus globus, etiam ſi aureus foret, ut refert *Curſ. Mathem. lib.* 15. *mechan.* Si tanta poteſt ars, ut exigua vi graviſſima ſublevet, & circumferat pondera, cur id negabimus naturæ, ad cujus modulum principia, fineſque ſuos dirigit ipſa, & abſolvit?

Sanguinem circulantem præcipuas habere partes ad motum muſculorum, ingens ipſius circa fibras copia ad credendum nos impellit. Movet etiam experimentum *Stenonis*, qui acu curva per ſpinam dorſi in cane trajecta, ejus arteriam magnam ſupra vertebras filo ſtricte ligavit, factoque vinculo, poſteriores artus movere amplius animal non potuit, impedita ibidem fluidi univerſalis circulatione. Cor etiam a Rana avulſum, & in partes reſectum æſtivo tempore ad ſemihoram pulſat, nulla ſuperveniente ſpirituum a cerebro irridiatione, ſed omne id, durante adhuc fibrarum oſcillatione a ſanguine facta, a minimis ſolidis ſanguineis calore ambientis excitatis producitur. Porro quotidie obſervamus mulieres chloroſi affectas, hypochondriacos, ſcorbuticos & chronicis laborantes morbis, quoniam illorum ſanguis vappidus, crudus, acidis, viſcidiſque particulis refertus eſt, ac propterea difficile mobilis, fibriſque criſpandis ineptus, perpetua laborare laſſitudine, & ad motum impotentia; certo argumento, ſanguinem præ aliis liquidis ad motum maximas partes obtinere.

Hanc autem veritatem præceteris expertus ſum in iis qui laborant interno partium aneuriſmate. Etenim ex ea parte, in qua eſt aneuriſma, ſive ea pars cui arteria aneuriſmate laborans reſpondet ac proſpicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum, ac demum paralyſi laborat, non alia de cauſa, niſi ob impeditum liberum ſanguinis circuitum per eam ob ſuppoſitum arteriæ aneuriſma. Ita nuper vidi in puella 22. ann. ad ædes Burgheſiorum ad ripam Tyberis hæc vera adamuſſim fuiſſe. Paſſa eſt per duos annos ingentem cordis palpitationem, virtigines, frequentes ſyncopes: ſpirandi difficultates, inæqualitatem pulſus, & alia hujuſmodi, aneuriſma prope cor indicantia. Gravida evaſit, & abortivit 6. menſe. Poſt abortum correpta eſt morbo acuto pulmonum cum febre, tuſſi vehementiſſima, ortophnæa, & maximo pedum tumore, potiſſimum pedis ſiniſtri. Creſcente morbo, & creſcentibus dictis ſymptomatibus, circa ſextum derepente corripitur hemiplegia, ſive paralyſi totius medietatis ſiniſtræ partis corporis, & maximo tumore œdematoſo creſcente, tunc difficillima reſpiratione, & tuſſi horrenda cum genis rubris febre, &c. pro modulo, quo ſanguis per phlebotomiam minuebatur, ſanguinis impetus deprimebatur, & acutus phlegmonica pulmonum mitescebat, & ita liberior circuitus reſtituebatur ſanguini, pro eodem modulo motus reſtituebatur paralyticæ parti, pedesque detumeſcebant, & reliqua pariter mitescebant accidentia, manetque nunc in motu partis libero: ſed tuſſis, & alia aneuriſmatis prope cor ſigna adhuc perdurant.

Nec mireris ſanguinem ſolidi vices gerere in motu muſculorum, nam tota illius maſſa congeries re vera eſt, & aggregatum ſolidorum corporum in aqueo menſtruo ſolutorum, & natantium; ſulphuris inquam, ſalium varii generis, terræ, globulorum rubrorum, ſtriarum nutritiarum, & mille aliarum particularum, quas ab aere, foſſilibus, & vegetabilibus continuo haurit, & in ſinu fovet. Unde igni appoſitus ſanguis, evaporata pauca aquæ copia, ſtatim in durum corpus concreſcit

In prima ſententia probatum eſt fibrarum funiculos ſuper ſanguinis guttulas, veluti ſuper totidem trochleas tractos, magnam vim in motu acquirere. At quoniam in mechanicis videmus trochleas in abſolvendis motibus fixo hærere principio, nec perenni impulſu hinc inde excurrere, ut ſanguinis guttulæ per fibrarum ſpatia; ut hoc vitetur abſurdum, cogitavimus, ſanguinem ſcytalarum ad inſtar moveri circa fibras, iiſdemque ſuum impulſum continuo communicare.

Scytalæ, ſive cylindri lignei, quos vulgo vocant *i Curuli*, duplicis ſunt generis, rotatæ, & ſimplices. Rotatæ dicuntur *Ruzzoli*; Simplices *Toppi*, earumque vires ad leges axis in peritrochio reducuntur. Sit itaque.

I. FIGURA.



In qua horizontis planum AB. ſcytalæ duæ non rotaræ CD. pondus impoſitum E, tangens illas in punctis F, G, Scytalæ vero tangentes planum in punctis HI. Pellatur a potentia quapiam pondus E ad anteriora, rotabuntur quoque ſcytalæ ad anteriora, & pars quædam ſcytalæ, in qua fit contactus, aſcendet in G. alia deſcendet in I. quia nihil motum impedit: nulla namque ponderis, nulla ſcytalarum, nulla demum plani horizontalis invicem offenſio ſuccedit. Inde redditur quoque ratio, cur facilius geſtentur onera per ſcytalas, quam per currus, nam rotæ currum duas ſuperare debent reſiſtentias, nempe contactum axis, circa quem volvuntur, & plani horizontalis; contra ſcytalæ contactum plani horizontalis ſolummodo. Præterea cum ſcytalarum centra ab horizontis plano æqualiter diſtent, pondus horonti æquidiſtanter ac veluti undulando, ſive per ſubſultus movebitur, ejuſque gravitatis centrum in quocumque motu nequaquam elevabitur. Et ſi vectes addantur ſcytalis, ingentia quæque pondera validiſſime tunc a ſcytalis propellentur.

His notatis ſupponimus ſanguinis maſſam per fibrarum muſcularium ſpatia trajectam ex infinitis minimis globulis ſolidis componi, qui ſcytalarum ad inſtar per illa ſpatia volvuntur. Et quia velociter currunt, impreſſo illis a corde pulſante vehementiſſimo impetu, neceſſe eſt, ut fibrarum fila ad contactum globorum currentium premantur, & undulando veluti criſpentur: quæ criſpatura, quoniam maxime ſenſibilis eſt in medio muſculi ubi ſanguis velocius currit, ſequitur inde, ut extrema fibrarum ſingularum verſus medium contrahantur, breviora fiant, & appoſita ſublevent oſſa. Cui quidem velociori ſanguinis progreſſui per media muſculorum ſpatia, in quibus nulla fieri debebat ſecretio, ut providus naturæ genius proſpiceret, vaſorum per muſculos productorum diametros non multum inæquales ordinavit: nec vaſorum ramos nimium multiplicavit, utpote quæ currentis ſanguinis velocitatem ſummopere minuerent, ac retardarent, ut in viſceribus contingit; in quibus, quoniam ad ſecretiones tardior ſanguinis motus requirebatur, vaſa inæqualibus diametris in infinitos pene ramos multiplicata, & contorta diſtribuit. Quæ ut melius intelligantur concipiemus in 2. figura.

II. FIGURA.



muſculum ſimplicem, & in eo fibras AB. CD &c ac per media ſpatia globulos ſanguinis currentes, & a continuo cordis impetu propulſos. Ibi duplex globulorum contactus in ſuperiori & inferiori fibra, ac per conſequens duplex preſſio, ſeu undulatio conſpicitur. Atque ſi globuli currentes ejuſdem fuerint diametri, ut in 2. figura, tunc undulatio erat lenis, & æqualis, & parva extremorum contractio. Si vero mutentur diametri, ſtatim oritur inæqualitas undulationum in fibris, tenſio major in medio; majorque extremorum contractio, ut in 3. figura.

III. FIGURA.

Denique ſi maxima contingat diametrorum in globulis inæqualitas, & ex rotundis evadant ſpheroidæi, ſeu ovales, aut variis prædíti figuris, tunc cum majori diametro tangunt fibram AB, hæc magis tenditur, criſpatur, & inæqualis redditur cum minori, deprimitur, & concidit, & ex majoribus hiſce undulationibus major vis, tenſio, majorque extremorum decurtatio ſuccedit, ut videre eſt in 4. figura.

IV. FIGURA.

Motus globulorum per fibras facilis eſt, & expeditus, nam cum eos ſupponamus ſphæricos, contactus illorum cum fibra minimus erit, & momentaneus (ut contactus rotæ cum plano horizontali), qualem nulla figura, quæ concipererur, poſſet efficere, ac per conſequens ex minimo contactu maxima facilitas, velocitaſque motus reſultat, quia minimum eſt impedimentum, quod ſuperari debet; & ideo facilius, ut diximus, ponſupa moventur per ſcytalas, quam per currus.

Hactenus examinatum eſt, quomodo ex contactu globulorum ſanguinis currentium fibræ criſpentur, contrahantur, & contractione ſua annexas partes elevent, inveſtigandum nunc eſſe, quid fluidum nervorum conferat ad hoc opus. De qua re admodum difficili, ut aliqua dicam, puto illud ad lacertorum motum nihil aliud præſtare, quam, mutationem contactuum in globulis ſanguinis inducendo, ultimam ad motum determinationem afferre. Nam cum ſit ſum mopere tenue, elaſticum, & radiis lucis affine, incredibili celeritate a phantaſia impulſum, cum ſanguine muſculi jam jam movendi miſcetur, & quadam elaſtica irraditione, cum proportione tamen, & æquilibrio, manica ejus mutat, & alterat, mutataqne minimorum figura, mutantur etiam diametri. Et ita interpoſitas fibras diametrorum finibus alterando, premendo, urgendo, criſpaturam, tenſionemque in medio muſculi producunt, indeque oritur extremorum decurtatio, & appenſorum ponderum elatio. Oritur etiam continuus niſus ad contractionem, ob quem muſculi ſponte ſua perpetuo moverentur, niſi antagoniſta contrarii vim coerceret, & æquilibraret, qua vi per ſuperadditos ſuperata ſpiritus, ſtatim pars movetur, elevatque pondera. Ideo fibræ, quæ antagoniſtas non habent, uti carneæ, ſpirales inteſtinorum, circulares ſphincterum, heliceæ cordis, nobis invitis, nec adver ſentibus, perpetuo moventur. Et audeam aſſerere, ſingulis in partibus carneis æque ac membraneis, ob reconditam, nec adhuc bene cognitam, ſed profecto peculiarum Fibrarum ſtructuram & elaterem a fluidis minime pendentem, nec non etiam ob circumfluentes humores adeſſe ſubobſcurum & pene continuum ſyſtolis, & diaſtolis motum, qui quidem membranoſis in partibus ab oſcillatione continua, motuque duræ matris veluti elaſtico dependet; ab ea namque motus omnes partium membranoſarum, & partium, quæ fiunt ex membranis, ſicuti ſunt viſcera, glandulæ, veſiculæ, vaſa, &c. ex noſtra ſententia originem fere ducunt varieque diriguntut, prout explicavimus in 4. libro de fibra motrice, & morboſa, cum de Solidorum morbis, de vitiato ipſorum elatere, de Solidorum ſolidis homogeneis, & etherogeneis, & cum ipſis quoque Fluidis æquilibrio, & reſiſtentia, a naturali ſtatu mutatis, unde morbi progignuntur innumerabiles, diſſereremus. In carneis contra a perpetua & regulari arcus cordis ad peripheriam corporis, & ſingulas ejus partes mediantibus arteriis, & fluido in eis contento vibratione, & impulſu. Evidens tamen, ac regularis obſervatur magis in carneis. Qua de cuſa partes, quas ad motum regularem, & ordinatum abſolvendum natura deſtinaverit, carneis fibris in rete expanſis munivit; quod quidem muſculorum rete in pulmonibus, liene, trachæa, folliculo fellis, ureteribus, tunica oculorum choroidæa, arteriis, & venis, glandulis, in ipſa demum teſtium tunica, aliiſque partibus peculiari motui, vel ſecretioni dicatis, obſervamus. Celeritas vero, quæ in moventibns muſculis apparet, non ſolum pendet a celeri ſanguinis per eos curſu, ut ex eorum rubore in actu motus, deducimus, & celerrima, ac pene imperceptibili ſpirituum elaſtica irradiatione, verum etiam a peculiari ipſorum cum oſſibus connexione: moventur enim, & elevant pondera per vectem ſecundi generis, in qua *hypomoclean* prope potentiam poſitum eſt; unde ex legibus mechanices facile, expedite, parva vi, & ſine magno inſtrumentorum

torum apparatu, motus suos necesse est, ut peragant, & absolvant,

Quæ quidem omnia, licet aliquo modo verisimilia esse videantur, adhuc tamen difficilis nodus restat solvendus; quomodo spiritus cum sanguine concurrendo, minima ejus mutent, fermentandone, an explodendo se, vel aliis mille modis ab Auctoribus excogitatis afficiendo: quæ proportio motus, & resistentiæ sit inter liquidum nervorum, & sanguinem per canales suos currentia. De quibus quæsitum semper est a Medicis magni nominis, minime tamen adhuc plane videtur explicata deliberatio. Horum, & similium explanatio difficilis redditur, non solum quia nos latet quomodo mens agat in spiritus, eosque ad motus per nervos dirigat, ac determinet, verum etiam, quod nemo adhuc quæsivit, & examinavit, quænam sit proportio motus, & gravitatis inter se minimorum quodlibet liquidum corporis animati componentium; quæ proportio motus, & gravitatis inter singula liquida per canales suos fluentia. Quæ nisi recte teneantur, quamplurium phænomenon motus musculorum ardua, ne dicam impossibilis, erit explanatio,

Ad motum enim musculorum recte peragendum duo necessaria videntur esse, primum determinata sanguinis quantitas in ejus fibris, ejusdemque determinata velocitas. Nam sicuti in horologio excedens, vel deficiens appensum pondus horologii motum impedit, & retardat: ita deficiens, vel abundas sanguinis quantitas, velocitasque in musculis, illorum motui maximo erit impedimento. Alterum est proportio debita motus, & resistentiæ singulorum liquidorum per canales suos currentium, quorum alterum si turbetur, musculorum quoque motus inæqualis, & turbatus inde orietur. Id magna ex parte experimur verum in febribus. Homo febri correptus licet sanguis velocius per musculos ejus currat, minus tamen virium in eis obtinet, minorisque gravitatis pondus attollit, quam non efficit dum sanus est; quia scilicet æquilibrium, & proportio inter motum liquidorum currentium mutata est, ac turbata, omnisque motus velocitas absorpta est a sanguine febriente, in quem centrum gravitatis liquidorum omnium currit, & inclinat. Et ob hanc cursus, & inclinationis liquidorum turbationem non solum fluidum nervorum indebite secernitur, & indebite fluit, refluitque, sed etiam omnia pene liquida: ideo in vigore febrium, in quo declinat motus musculorum, declinat, vel deficit etiam seperatio lactis in mammis, saniei in ulceribus, & cauteriis, salivæ, sudoris, urinæ, & sic deinceps aliorum liquidorum in aliis corporis partibus. Quamobrem quoniam fluida ascendunt, & descendunt, moventur, seperantur, & currunt hinc inde ob innatam gravitatem suarum partium, graves enim premunt leviores, hæ coguntur ascendere, & ita vicissim gravitatis causa, & per quasdam stateræ, sive bylancis imaginariæ leges, varios effectus in suis motibus absolvunt. Certe nisi quis recte quæsiverit proportionem hanc motus, & gravitatis inter componentia minima cujuslibet liquidi, & inter singula liquida per canales suos currentia, nec non æquilibrium inter fluida corporis animata currentia, & solida, quæ resistunt, vel contra quæ impellunt, & contrituntur, ac demum inter solida, & solida tum homogenea, ut membranas inter & membranas, & ex membranis compacta viscera, tum etherogenea ut inter fibras, carneas, & membranosas, difficilem profecto problematum mechanices motus musculorum solutionem experietur. Et quod hic dicimus de centro gravitatis liquidorum currentium per canales suos; licet hæc aliquo modo centrum gravitatis non habeant, cum minimæ illorum particulæ firmam inter se connexionem non obtineant, atque adeo singularum gravitas in uno colligi puncto, in eoque totam vim exercere nequeat; nihilominus tamen quando liquidum intra canales continetur, concipere jure possumus gravitatis centrum in liquido ratione canalis continentis, qua de causa liquidum contentum vim habeat, & rationem solidi corporis ad gravitandum, & tota liquidi gravitas vigeat in quolibet puncto axis gravitatis, aut saltem in parte illius inferna, aut potius in parte basis, in quam desinit axis gravitatis liquidi contenti. Et sicuti supponimus aerem veluti per columnas superiorem gravitare in inferiorem; ita in liquidis considerandæ sunt veluti columnæ ex materia ejusdem liquidi, quæ singulæ sua basi æqualibus fundi vasis continentis partibus innixæ deorsum vim faciunt, & sic fundum vasis premunt, suoque nisu æquali, inter se sunt in æquilibrio; major est autem deorsum nisus, juxta rationem gravitatis, quæ major est in longiore, seu altiore, quam in breviori, sive magis depressa columna, eadem supposita vasis crassitie. Quare si aliquæ ex columnulis aqueis breviores fiant, diminutione facta liquidi in ejus parte superiori, columnulæ circumpositæ deprimuntur, columnasque truncatas cogunt, ut ascendant. Et ideo fit, ut si ex altero syphonis crure aquæ pars detrahatur, aqua in altero crure contenta descendet, & sursum protrudet aquam diminutam, quæ ob factam diminutionem levior evasit absolute, & per consequens minus valida ad resistendum. Plures hujus generis observationes clare demonstrant liquida in vasis contenta centrum gravitatis habere, & ob id subjacere legibus centri gravitati solidorum. Ex pluribus quoque experimentis ab Auctoribus factis deducitur liquida secundum altitudinem non vero secundum latitudinem gravitare; nam in cruribus syphonis crassitie, sive diametro inæqualibus, aqua, vel alterius generis liquores sub eodem paralello consistunt in æquilibrio.

Sed relictis multis argumentis, quibus hæc de lacertorum motibus confirmari posset opinio, reliqua jam prosequimur, quæ ad illorum affectio-

affectiones pertinere ſignificavimus, & ita tertiam argumenti a nobis propoſiti partem compleamus.

Duæ ſunt maxime ſenſibiles, & omnium fere primæ fibrarum affectiones, tenſio illarum, & laxitas; quæ ſi debitos intra naturæ terminos contineantur, ſalus inde reſultabit; ſi modum excedent, multiplex morborum genus ingraveſcet, ut in quatuor libris de fibra motrice, & morboſa fuſe diſſeruimus. Præcipuus tamen, ac veluti innatus fibrarum effectus ſive actio; contractio eſt, a qua fluidorum motus promovetur, & dirigitur. Contractio tamen illa, licet ſingulis fibris ratione peculiaris ſingularum ſtructuræ naturalis ſit, aliquo tamen modo membranoſarum ab oſcillatione continua, & elatere duræ matris fovetur, augetur, vel dirigitur: carnearum vero ab æquilibratis oſcillationibus cordis per arterias & ſanguinem in eas propagatis. Et quando ea in debito naturæ ſtatu fuerit, nos tonum partis vocabimus; cum ab eo receſſerit, laxitatem ſive atoniam partium dicemus, vel juxta aliorum opinionem robur partium æquale, & inæquale. Perpetuus hic fibrarum ad contractionem niſus ad vitam omnino neceſſarius erat; nam cum ea in mutua ſolidorum cum fluidis, actione, reactioneque, nec non ſingulorum ad ſingula æquilibrio conſiſtat, circulantes humores difficulter ad vitæ fontem regrederentur, niſi ſolida, continuatis contractionibus, ſive alternis, ut ita dicam, ſyſtoles, & diaſtoles partium ictibus urgerent illos, & impellerent: qua ratione aucto in ſolidis motu, vicissim ille fluidorum augetur, ut in currentibus, & exercitatis experimur. Fibræ enim in nobis perpetuo oſcillant, & moventur, licet talem motum mente non percipiamus. Quis enim motum cordis, diaphragmatis, inteſtinorum, &c. animadvertit, vel animo concipit, & tamen partes illæ in continuo ſunt motu, & agitatione. Et ut quotidiana atque patienter facta morborum obſervatione, & experimentis anatomicis mihi conſtat, major eſt ſolidorum ad fluida reſiſtentia, & vis, quam contra. Quæ ſolidorum vis ingens in viventibus, ut reliqua taceam, ad confirmandam noſtram ſententiam maxime utilia, per analogiam demonſtrari poteſt, facta comparatione cum ſtupenda & incredibili vi motus cordis. Duæ ſunt reſiſtentiæ, quas ſuperare debet cor, ut diſcurrit *Borellus part. 2. cap. 5. pag. 76. mot. anim.* Prima ut arteriæ repleantur ſanguine uſque ad turgentiam, quæ non eſt minor pondere librarum 18000. 2. ut ab arteriis exeat idem ſanguis a corde propulſus, quæ ſecunda vis eſſe debet ingens; nam ſuperandæ ſunt infinitæ reſiſtentiæ muſculorum, viſcerum glandularum, partium omnium, per quas trajicitur ſanguis; & ſuperandæ profecto vi ſola, & impulſu fibrarum emboli cordis. At ſi unica ſolum in pulſatione, teſte *cit. Borello*, cor ſuperat tam vaſtam reſiſtentiam majorem librarum 13500. cum in una hora millies, & amplius corpulſet; ergo in una hora potentia cordis ſuperat reſiſtentiam 13500000. & ſpatio unius ſolius diei ſuperat reſiſtentiam majorem librarum 314000000. Tota autem vis motiva cordis conjici, & explorari poteſt ex comparatione cum potentia muſculorum maſticationi inſervientium, eodem teſte loc. cit. Admirabilis profecto eſt tam ingens vis emboli cordis ac fere incredibilis, niſi adeſſet energia percuſſionis, quæ natura ſua ſuperare poteſt quamcumque finitam reſiſtentiam quieſcentem. Quare ſi cordis muſculus trium ordinum fibrarum peculiari adinvicem nexu, & recondita ſingularum fibrarum mechanica conſtructione incredibiliter fluidorum omnium reſiſtentiam ſuperat; & fluida per motum eiſdem impreſſum in ſolida reſiliunt, & contranituntur: profecto fibræ ſingularum partium, quæ a fibris cordis in ſtructura minima filorum minime differunt, eandem ſupra fluida ad contactum ipſorum circulantia ſuperiorem reſiſtenriam habere debent, & exercere. Et cum fluida a ſolidis pellantur ſive ſint partes fluidi refluentis, ſive ſuccedentis, majus certe momentum erit preſſionis ſolidorum quam reſiſtentiæ liquidorum, multo magis quod ſolida difficilius reflectantur, quam fluida. Major hæc ſolidorum ſupra fluida vis, & reſiſtentia non tantum pendet a peculiari, & recondita fibrarum ſtructura, ac mechanice hactenus neglecta, nec ſatis quæſita; quantum ab æquilibrata vibratione duræ matris & cordis in ſolida ſui generis, membranea inquam, & carnea.

Et ut ego ſentio multorum morborum cauſæ veræ, ſed obſcuræ, difficiles, & a Medicis minus diligenter quæſitæ in hoc ſolidorum vitiato tono, elatere, ſtructura, mutatoque ſolidorum ad liquida, & liquidorum ad ſolida æquilibrio reſidens magis, quam mille ſomniatis acidis, & mille fictis humorum moleculis, innovandi cachoete noſtris temporibus adinventis. Doctores Medici. Solidorum natura Solidorumque morbi, quos per negligentiam noſtram, intactos adhuc luget Medicina, examinandi ſunt nobis, ac perpendendi, nec amplius legentium delectationi in ſcribendo, ſed Medicæ praxeos incrementis, in obſervandis iis, quæ hactenus latuere, quæque majores noſtri, vel ob deſidiam, vel ob rei difficultatem præterire, omni ope incumbendum.

Tonus fibrarum ſupradictus primam perfectionem incipit acquirere anno ætatis decimo quarto, quo tempore fibris debitam ſoliditatem, & conſiſtentiam nactis, poriſque partium confirmatis, & fluidorum ſeparationes non ſolum augentur, ſed promptius, faciliuſque peraguntur: Pili undique erumpunt per cutim, & e ſuis glomis in bulbo reconditis per vehementiores fluidorum circulationes, & ſolidorum magis vividas oſcillationes evoluti, tanquam microcoſmi plantæ vegetando

foras

foras emergunt, suppressa usque ad illud tempus seminis elaboratio feliciter incheat, & prima in temperamenti mutatio manifestatur, quam singulis septem annis fieri philosophorum omnium sapientissimus docuit *Pithagoras*. Cum ante illam ætatem pueri segnes, ac debiles; stolidi, ac pene insulsi, & innumeris obnoxii morbis vivant, ob quamdam veluti immaturitatem, fibrarum, earumdemque nimiam mollitiem, & laxitatem.

Ob variam quoque fibrarum duritiem, ac robur maxima mutatio, & diversitas nascitur in temperamentis, in sexu, & in vario vitæ statu, ætateque crescente, varia in animi, corporisque operationibus vis, & perfectio. Hinc mulieres & pueri quoniam ipsorum fibræ, & potissimum cerebri, laxæ nimis, & molles sunt, ad inveniendam, docendamque veritatem impares omnino judicantur. Eorum cogitationes, & consilia varia, instabilia, volucria experimur, ut ex iis nihil resultet, præter vanitatem. Animi passionibus levi de causa dejiciuntur, & prosternuntur, desperant facile, & lugent, a rebus sensibilibus, & curiosis libenter trahuntur, & afficiuntur: & si fit, ut errent, errores magni momenti non sunt. Mulieres quoque ob antedictam fibrarum mollitiem rerum sensibilium peritæ sunt, ut elegantiæ in loquendo, diligentiæ in vestitu: exquisito demum saporis, odorisque sensu, & molesto cæremoniarum usu ad nauseam usque excellunt.

His omnino contraria viri, ætateque consistentes faciunt; quorum mens quoniam ab anno 30. ad 40. perfectionem suam fibris partium ad debitam soliditatem, maturitatemque perductis, attingit, singulari quadam ingenii ratione, atque consilio judicant de rebus, ac deliberant. Et quoniam mens a rebus sensibilibus, & externis ab operibus suis non distrahitur, ad investigandam, docendamque veritatem cæteris sunt præstantiores. Dolores, & voluptates in ea ætate minus agunt, minusque animi passionibus, vel nequam hominum convitiis terrentur, aut commoventur; quin potius ipsis, ut robusti animi, magnæque constantiæ Virum decet, obviam animose, & fortiter eunt.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.

Et quoniam, ut recte monet *Seneca* meus *c.* 32. *lib.* 6. *quæst. naturalium* non aliunde venit animo robur, quam a bonis artibus, & a contemplatione naturæ: profecto qui sapiens revera est, esse etiam debet fortis animo, & constans, nam alterum sine altero consistere non potest; quique talis revera est, ut Beatus ille Horatianus,

Nec excitatur classico truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat & superba civium
Potentiorum limina.

Et quando in animi securitate, virtute parta, vitam beatam ponunt, nihil ea ætate timere opus sunt præter affectus violentos, qui raro movebuntur, si diligenter vitetur occasio; nam fibræ solidæ jam, & maturæ, circulantibus fluidis ab imaginatione motis, & turbatis, & magna vi resistunt, & in ea reagunt pari cum impetu, & energia.

Visum est hactenus quomodo mens pro vario fibrarum, quibus veluti instrumentis ad operandum utitur, statu, per varia sexuum, ætatum, & temperamentorum discrimina, varie operetur, & agat: & crescentibus illis, atque maturitatem paulatim acquirentibus, ipsa etiam quasi crescere, aut maturescere videatur, cum re vera eadem semper sit, constans, & immutabilis. Immutabilis inquam, & immortalis; revera enim, ut optime dicit *Ovidius* 3. de ar.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus athereis spiritus ille venit.

Restat nunc, ut varias earum in morbis, vel primis ad morbos dispositionibus affectiones perpendamus, quod intelligi difficulter, aut explicari poterit, nisi ante examinemus, quomodo externorum sensuum motiones per nervos in cerebrum desinant, animumque de impressionibus externis animadvertant; & contra quomodo animus pulsatis chordis, quæ in cerebro sunt, per spiritus, & nervos ad externos sensus vim suam propaget, & producat, quod magnam lucem morborum curationi per fibrarum mechanicem ex nostra sententia afferre ex licabimus.

Ad cujus rei clariorem intelligentiam, sciendum primo, nonnullos esse, qui ratione, & experientia freti arbitrantur, partes omnes a cerebro suam originem ducere, & singularum telas ab eo primum ordiri. Atque adeo humanum corpus nihil aliud re vera esse, quam membranearum fibrarum fasciculum, quæ a cerebro, & nervis propagatæ, & modo in membranarum telas expansæ, modo in ossa induratæ, productæ in vasa, contractæ in glandulas, viscera, & musculos, & a fluido per eas currente; veluti ab elatere quodam agitatæ, corporis animati machinam constituunt. Quod a rei veritate non multum aberrare fatebitur, qui vel minimum in re anatomica fuerit exercitatus. Quibus vero auxiliis partes tam diversæ conserventur, ac recreentur, quæque ex numero sex rerum non naturalium singulis proficiant, solide satis, doctequedivinus *Senex* expressit 6. epid. Sect. 5. f. 145. his verbis *Labor articulis, & carnibus; cibus & somnus visceribus. Animi deambulatio, cogitatio est, &c.*

Sciendum porro ex anatomicis cerebrum admirandam esse infinitarum chordarum, quas perforatas supponimus, compagem, quæ fluidum summopere spirituosum, tenue, clarum, & lucis radiis affine, in cerebri cortice separatum, in se recipiunt, & per singulas quasque partes traducunt; Fluidum hoc in perpetuo, ac ferme rectilineo est motu, & pro vario ipsius per fibras cursu, vel regressu,

cum

cum majori, vel minori impetu, copia, & celeritate eas modo laxat, modo intendit: & ita sensuum, animique in se recipendo impressiones, hinc inde, prout necessitas tulerit, transmittit.

His ita animadversis, cerebri, aliarumque partium, quæ ab eo facile oriuntur chordæ bifariam, moventur. Vel per extremum, quod extra cerebrum in sensibus, aut in internis visceribus est; & tunc pulsatis sensibus ab externis objectis, vel a fluidis per ea circulantibus, pulsatio statim propagatur ad chordarum originem, nempe ad cerebrum; & inde nascitur animi de rebus judicatio. Vel per extremum, quod est in cerebro, ita pulsationes, oscillationesque ab animo mediis spiritibus extremitati illi impressæ, externis in partibus momento temporis manifestantur. Et quid ille velit, non solum ex oratione, vultu, & oculis, qui sunt indices animi, paulo certiores, verum etiam ex varia externorum sensuum mutatione in colore, figura, motu &c. facile intelligimus. Imo de hominum natura, & inclinationibus per observationem dumtaxat motionum, quæ in externis sensibus apparent plures docti viri certiores redduntur. Atque hac ratione per simplicem contactum, & impulsum functiones sensuum absolvuntur; impressus namque tremor, ut in chordis musicis debite intentis apparet, ad chordarum originem, vel finem desinit; & dum vigiles, sumus, ac sani earum alterum extremum moveri nequit, quin externum oppositum statim moveatur, & consentiat ob perpetuam illarum intensionem.

Descripta breviter mechanice motus sensuum, redeamus ad propositam de fibrarum affectionibus disputationem. Fibra pro varia hominum ætate, vitæ statu, conditione, nec non locorum, temporum, & temperamentorum diversitate varia, mille modis mutatur, & afficitur, eosque diversis temporibus ad morbos pene innumeros disponit. Per Infantiam sunt molles, flexibiles, & delicatæ, crescente ætate magis aridæ, duræque; in decrepita exsiccatæ prorsus, minusque flexiles evadunt; & ob varium hunc fibrarum statum, qui per ætatis, vitæque cursum manifestatur, ut cuique ætati sua peculiaris est sanitas; ita suæ sunt molestiæ, suus morbus. Unde hi in pueros, illi in adultos, alii in senes, decrepitos; in proceres humilemque plebem alii auctoritate *Hippocratis* sævire consueverunt. Pueri tamen, & senes ceteris ad morbos sunt magis proclives: illi ob fibrarum laxitatem nimiam, mollitiemque; hi ob extremam siccitatem, & ariditatem. Vivere enim nostrum siccescere est: & major pars corporum curis, vino, venere, ætatis, & annorum cursu squallet primo, deinde siccescit. Ideo apparuit sæpe, & constitit certis signis, eos celerius senescere, qui magis spirituum, humorumque per intemperantiam impensis factis, fibras rore suo orbatas ad celeres rugas, ad immaturam nempe senectutem disponunt. Quales rugas, & arditates extra in cute senum videmus, tales quoque internis in partibus supponere cum ratione possumus; prout observavi nuper in homine octogenario apoplexia mortuo, in quo vasa cerebri dura, tumida, & varicosa deprehendimus, & dum secaretur cerebrum, manifesta durities cultro percipiebatur. In nonagenario, naturali fere morte extincto, cor durum & exsiccatum adinstar tabulæ inveni, quod cultro vix poterat scindi, imo pilis hinc inde vestitum erat, ut quatuor abhinc annis admirati sumus cum amicis in Urbe. Ob naturalem hanc fibrarum in senibus exsiccationem, deficiente in illis vivida oscillatione, & in studiis elastico motu, ac fermentatione, varii humores inter ipsarum spatia congeruntur, qui stagnando ibidem, nec manentes amplius sub potestate circulantis sanguinis, catharros, articulorum dolores, tumoresque, lassitudinem, virium debilitatem, vigilias, inappetentiam, alvi siccitatem, & quam plures alios molestos morbos producunt. Et sæpe licet non multum periculosis afficiantur morbis, virium tamen languore, qui a Solidorum exsiccatione, fluidorumque vappiditate pendet; nec non ab ætatis miseria oppressi difficulter liberantur.

Quoniam vero sensationes per contactum, & impulsionem fibrarum fieri animadvertimus, dum hæ nimium resiccantur, sensus impressiones objectorum vix percipiunt, vel si percipiant, ad cerebri sedem difficulter, vel tarde admodum propagant. Qua de causa in senibus interni, & externi sensus debiles sunt, ac languidi, ætateque confecta, memoria perit ratio hebescit, & a puerorum natura parum differre decrepiti observantur: qui pariter in extremo vitæ stadio, quoniam tenor, & vis naturæ, partiumque omnium compages paulatim solvitur, ob quamdam naturæ maturitatem magis, quam suffocationem moriuntur.

Ex his deduci jure poterit, remedia ad vitam longam, & revera esse, & talia dici debere, quæ in humano corpore elaterem cum rotis, & rotas cum elatere mollia, laxa, & facile flexibilia conservare valent. Cujus rei non ignari primi Medicinæ Parentes, nihil magis in morborum curatione, præservationeque procurabant, quam ut balneorum, fotuum, lotionum, unctionum, frictionum, & omnis generis exercitationum usu, debitus in solidis servaretur tonus, & mollities, ne impedimento essent circulantibus fluidis; & contra, ne fluida nimio impetu, acrimonia, tenuitate, velocitateque præternaturali morbosas ariditates, tensiones, crispaturas in solidis inducerent; mellis, lactis, oleorum, fructuumque esu, & omnimoda vini, atque carnis abstinentia in naturarali quadam dulcedine ea perpetuo conservabant. Quo fiebat, ut non solum prospera semper uterentur valetudine; sed ad centum, & plures annos dulcem vitam protraherent, ut

ut olim Pithagorei Philosophorum omnium Principes, hujusque dietæ primi Auctores fecerunt; quorum balneum ex ligno cedrio pro retardanda senectute, leniendisque artuum morbis adhibitum, & odorosa cedria pice temperatum incredibile quantum mihi arrideat: multa enim ad hoc in tota citro latent arcana, & multa in herbis ad citri naturam accedentibus, ut in melissa, thymis citratis, cedrelate, quæ cedriam dat picem, &c. *sed sapienti pauca.*

Sicuti fibra in debito tensionis, laxitatisque gradu posita, corporis animati effectus recte, atque ordinate procedunt; ita præternaturaliter, & morbose, eadem vel nimis laxa, vel nimis intenta. Quod cum pauci animadvertant Medici, nil mirum, si maximos errores in morborum curatione quotidie committant. Videbis enim frequenter eos, non examinato Solidorum statu, morborum causam tribuere, ut hodie mos invaluit, acidis fictis, & somniatis, commentitiis viscerum obstructionibus, humorum copiæ, vel ridiculis eorum qualitatibus (tantum antecepta potest opinio, tantum fingendi, opinandique; quæ hodie juvenum Medicorum invasit mentem, puerilis, & effusa libido) quas nec in orbe Lunæ quis inveniet: cum in solidorum duntaxat laxitate, vel tensione nimia, positam eam esse ratione, & experientia confirmetur.

Falsas hujusmodi opiniones, & superstitiones pene aniles imperitia genuit anatomicæ, & mechanicæ. Errori vero occasionem dedit Medicorum socordia, dixerim an negligentia, qua factum est ut ab *Hippocratis* Dictatoris legibus, ac sententia desciscerent: cujus divinos Commentarios si legissent uti legere debent, ac memoriæ mandare, in tantis tenebris erroris, & inscitiæ, immortalis famæ Senex clarissimum illis lumen prætulisset. Qui quoniam magnam in morbis solidorum, rationem habuit, de nullo remediorum genere meminit frequentius, quam de balneationibus, lotionibus, embrochis, frictionibus, unctionibus, successionibus, sacculis exsiccantibus, vel humectantibus, ustionibus, divulsionibus, & cujuslibet modi exercitationibus, quæ omnia immediate agunt in solida, in iisque impressione facta, ipsorum, & fluidorum per ea circulantium vitium corrigunt, & sanant. Non enim promiscue curandi morbi sunt per anti-acida, ut hodie faciunt Medici per ingentes aquarum potiones, vel quodpiam universale remedium a chimiæ nebulonibus venditatum, quod fluidis corrigendis dicatum est; & solida, in quibus vis, & anima morbi residet, ne minimum attingit. Sed facto prius solidorum, & fluidorum examine, ab utro ipsorum morbus pendeat investigandum, reque perspecta, ei quod læsum fuerit medendum.

A neglecto solidorum studio in morbis curandis, plures apud Medicos erroneas, falsasque opiniones vigere hodie non sine animi mœrore video. Sunt enim qui morbis in omnibus tum acutis tum chronicis, copiosas aquarum potiones, frequentesque sanguinis emissiones præscribunt; eo consilio, ut salinas sanguinis partes diluant, & segregent, ejusdemque fervorem moderentur. Quæ quidem optima ratione fierent, si ardens, & acuta febris cum magna salinarum, & acrium partium in primis viis, & ipsomet sanguine redundantia Patientem molestaret, ad quas proluendas frequentem aquarum potum, ut hodie apud Medicos invaluit usus, utilem, ac necessarium judico. At si hæc non fuerit, sed contra quampluribus in visceribus, & fluidis cumulatarum cruditatum suspicio, a quibus oriatur & foveatur morbus: tunc aquas indiscriminatim propinare est ægrum Medici manibus morti tradere, vel ad longos & incurabiles morbos disponere; potissimum si talia fierent intermittentibus in febribus, quæ a congestis primarum viarum cruditatibus, laxoque ipsarum tono dependent: quæque ex pernicioso hoc aquarum copioso potu, & sanguinis evacuatione, quoniam laxaretur magis solidorum, fluidorumque compages, vel augescerent nimium, vel ex simplici duplices aut continuæ evaderent; & si Medicus tali methodo pertinaciter inhæreat, in chronichas, aut lethales desituras videbit. Quod etiam experturos fere judico hos ipsos Medicos, qui præfatam methodum ad nauseam usque in celebri Urbe Italiæ extollunt hodie, & adhibent. Amara namque lixivo alchalia, chalybeata, & alia hujusmodi præscribenda potius sunt, utpote quæ amissum solidorum tonum restituunt, viscidasque cruditates solvunt, & per vias naturæ magis accomodatas deducunt.

Eodem modo si quis curandam suscipiat mulierem menstruorum suppressione laborantem, eamque macilentam, siccam, facie rubicundam, colore fusco, crassi sanguinis, sulphureo, & calido, ut ajunt, temperamento præditam, nec ullam habendo solidorum rationem, eidem propinet amara remedia, acria, aperientia, volatilia, & id genus alia, quæ somniatam visciditatem sanguineas venas obstruentem solvere possint, tali methodo non solum non promovebit interceptum fluxum, sed magis magisque impediet, imo longo dictorum remediorum usu, cancros, scyrrhos, lethalesque uteri tumores producet. Suppressiones enim mensium, in similibus mulierum temperamentis, solidi magis, quam fluidi vitio oriuntur; solidi inquam sicci, irritati, constricti, crispati, & convulsivi, fluidorum cursum ob fibrarum duntaxat nimiam reseccationem impedientis. In quo casu non acria, & volatilia remedia juvant, sed anodina, emollientia, humectantia, balneationes nempe, lotiones pedum, calida fomenta emollientia uterum, emulsiones seminum, decoctiones radic. altheæ, & semin. lini, copiose per os sumtæ, ol. amygd. dulc. gelat. corn. C. & similia, quæ fibrarum irritationem, a qua suppressio fit, molliendo, laxandoque, cursum liberum humoribus per

uteri

uteri vias præbent, & omnimode tollunt ſupreſſionem. Et ſi ante hujuſmodi remedia ſanguis mittatur, ea magis celeriuſque conferre experientia ſæpe docuit.

Ob idem ſolidorum ſtudium his temporibus prætermiſſum, Medici in celeberrima, & amœniſſima Italiæ Urbe lapſi ſunt in errorem ab antecedenti longe diverſum. Hi nimium *Helmontio* addicti chronicorum æque, atque acutorum morborum originem ab acido varie affecto deducunt; ad quod corrigendum omnibus in morbis indiſcriminatim exhibent ſalia volatilia, ſpiritus, tincturas, omnis generis alchalia aliaque hujus naturæ remedia, quæ fictis, & ſomniatis acidis retundendis ſunt dicata. Sed hi doctiſſimi Viri, qui ceteroqui chimiæ peritiſſimi jactantur, multum a rei veritate aberrant. Et ſi legiſſent magnum *Hippocratem*, ut legere debent, abſtractis hujuſmodi opinionibus, ita mordicus non adhæſiſſent; ait enim ille 6. epid. ſect. 2. fol. 144. *Nihil temere affirmandum; nihil contemnendum. Contraria, paulatim facta acceſſione, adhibenda ſunt, & interquieſcendum.* Nam examinatis rite accidentibus, & natura chronicorum morborum, fieri vix poteſt, quin fateamur, eos ab acida primarum viarum cacochilia produci, adeoque per alchalia, & volatilia ſupradicta, ut ipſi volunt, corrigi, & emendari debere; at ſi loqui velimus de acutis, omnino contrarium ſentiendum eſt; nam ſicuti ſal acidum regnat, & dominatur in chronicis: ita urinoſum, & acre in acutis, & inflammatoriis affectibus, ut ipſorum, & ſymptomatum eos conſequentium indoles abunde nos docet: hæc enim duo ſalia præ ceteris peccant, dum maſſa ſanguinis a ſuo naturali ſtatu declinat, & prout alterum ipſorum ſupra alterum dominium in fluidis obtinuerit, ita longarum, vel acutarum affectionum moleſtiæ pullulant, & vigent. Cum igitur acre, acutum, urinoſum, acutos, & inflammatorios morbos pariat, nemo niſi fatuus alchalia, ſpiritus, ſalia volatilia, & id genus antiacida præſcribet, quorum uſu acriori, magniſque impetuoſo reddito ſanguine, ſitis, & linguæ ariditas, vigiliæ, capitis dolores, calores per totum, anxietates, deliria, aliaque acutorum familiaria ſymptomata magis, magiſque ferocient. Quæ omnia miteſcere hæ *Helmontii* Simiolæ videbunt, præſcriptis emulſionibus, aquarum potione debita, acidis vegetabilium, anodinis, & emollientibus remediis; nam non fictum, & commentitium acidum acutos gignit, ſed acre, urinoſum, cui corrigendo præſtantius pharmacum anodinis, & emollientibus non datur. Sanguinis enim maſſa acribus, & urinoſis effervescens particulis, circulando per ſolidas partes, irritat eas, pungit, criſpat, convellit, quæ ita conſtrictæ impedimento ſunt circulantibus fluidis, variaque producendo ſymptomata, ipſæ quoque veniunt in læſionis conſortium. Quamobrem in acutis, non ſolum ad fluida corrigenda reſpiciendum eſt, verum etiam ad ſolida, quorum vitium ab effervescentibus fluidis inductum, aliquando omnes ad ſe trahit indicationes, ut in deliriis, convulſionibus, & ariditatibus partium in acutis videre contingit: quæ lotionibus, fotubus, & anodinis remediis curari magis expoſcunt, quam mille inutilibus per os aſſumtis. Semper enim in curatione morborum obſervandum eſt, an mutatum ſit ſolida inter, & fluida æquilibrium, & ſi mutatum, an ſolidi magis, quam fluidi, vel potius utriuſque vitio, ac defectu. Quod niſi recte teneant, & examinent noſtri temporis Medici, qui curandis in morbis nullam fere ſolidorum rationem habent, felices curationum eventus raro expectent.

Taceo hic demum abuſum non parvi momenti quamplurium magni nominis Medicorum per Italiam, qui nulla ratione adhibita ſolidorum in morbis inveſtigandis, quibus nos, utpote majori reſiſtentia, robore, & elatere præditis, quam fluida non ſunt, quorum progreſſivus, motus ſolidis omnino debetur, magna partem, occaſionemque producendis in morbis tribuimus, ad omnes morbos promiſcue laudant *ol. amygd. dul. gelatinam cornu C. lac, ſerum lactis, & ocul. canc.* ac veluti in orbem eundo, hæc iterum, & denuo per ſingula morborum tum acutorum, tum chronicorum tempora, ad corrigendum, ut ajunt, ipſorum minus dulcem naturam propinant, quid autem per hanc dulcedinem intelligant, ignorant. Dum interea relaxato nimium, & enervato ſolidorum tono, imprudenti hoc laxantium, & præſertim olei per os uſu, ad longos, & incurabiles affectus Patientem diſponunt.

Ita nuper vidi nobilem Virum, ventriculi languore, febricula, & ictero flavo laborantem, copioſo ol. amygd. dulc. moderandi caloris gratia a Medico imperato potu, proximum fuiſſe, ut incideret in hydropem; niſi loco hujus ſtatim ſubſtituiſſem infuſionem rhabarb. & aliquando decoctionem ex radic. helenii & marrubii albi, quandoque decoctionem ex fragaria, chelidonio majore, & card. bened. quibus utpote appropriatis remediis, alvo, & urina libere ſolutis, convaluit.

Paulo longiores fuimus, quod magni referat ſcire, quis fibrarum ſtatus in morbis ſingulis fuerit, ut curatio recte peragatur: laxus ne nimis an intentus: an fluidum ſui, vel ſolidi culpa hæreat alicubi: & ſi ſolidi, an laxati, vel contra criſpati, & contracti. Quod a majore Medicorum parte non ſine ingenti ægrotorum damno ſpretum, vel neglectum videmus, quodque niſi ad unguem teneatur circumforaneorum, & circulatorum exemplo, miſeros mortales curatione noſtra tumultuaria, ac temeraria obruemus, ac opprimemus, ut in 4. Libro de fibra motrice, & morboſa, & in Libro de morbis ſolidorum Medicos fuſe monuimus.

Neque quis has fibrarum affectiones internis in partibus concipere melius, & inde curativas indicatio-

dicationes deducere poterit, nisi eas in externis perspexerit prius, & examinaverit. In externa cute rugas, ariditates, convulsiones, laxitates, crispaturas, & id generis affectus, ab iisque producta accidentia quotidie observavimus. Et quoniam eadem partium compage interna quoque viscera constant, in illis etiam eadem prorsus mechanice talia fieri posse credendum. Quod sufficiet probare mechanice per productiones tumorum ex dolore dentium. In dolore dentis, quoniam vi doloris fibræ partium vicinarum præter modum tenduntur, crispantur, convelluntur, statim mutatur æquilibrium inter fluidum circulans & solidum circulans & solidum propellens, fluidaque ad contactum crispaturam fibrarum circulantia paulatim hærere incipiunt, quousque congesta humorum quantitate, quam pars regere nequeat, in tumorem demum attollatur. Ob eandem rationem in intenso pedis, aut crurum dolore, inguinum glandulæ intumescunt, communicata iisdem dolorifica crispatura cursum fluidi cohibente. Et frequenter prope dolorosos tumores alii vicinis in partibus ob eum dem mechanismum excitantur. Quæ in externis partibus a crispatura, variaque fibrarum affectione fieri videmus accidentia, eadem in internis quoque produci experimur: & non multum diversa methodo curanda esse arbitramur. Ita post vehementes intestinorum, aut abdominis dolores, icteri, paralyses, tumores, abscessusque in visceribus superveniunt: fluidorum cursu in affectis partibus ob communicatam dolorificam crispaturam intercepto. Pariter si extremitas nervi, quæ vas sanguineum magnum circumdat, aut in glandulam, vel aliam definit partem, convellatur, fluidorum impedita circulatione, in tumorem statim elevatur pars, ut quotidie contingit, si viscerum internis convulsionibus (quas ægroti dolores internos vocant) animi passionibus, variisque nervorum affectibus torqueantur Patientes.

Quod ut clarius intelligatur, narrabo breviter accidentia a crispatura calculi renum producta, a quibus per analogiam ad alios morbos argumentandum. Duobus ab hinc annis Romæ nobilis Mulier 40. ann. ætat. derepente corripitur dolore renis sinistri cum vomitu, & urinæ suppressione. Omnia signa calculi renum ab *Hipp.* in coac. descripta: variis exhibitis remediis, nihil levabatur. Interea dolor renum crescebat, urina prorsus suppressa, circa hypochondria sentire se dicebat fortissimam ligaturam summopere dolorosam, perinde ac si funibus esset constricta. Respirabat veluti singultiendo. Convulsiones internæ frequentes. Tinnitus aurium in principio. Inappetentia maxima. Sapor oris pessimus. Nulla, vel levis febricula. Circa septimum omnia in deterius. Venter tumere cœpit. Ab umbilico ad costas mendosas circa stomachum pessime habebat, canes ibi esse rodentes, & lacerantes asserebat, Nona die pessime in omnibus. Tumores pedum, respiratio singultuosa, remediis variis nihil proficientibus. Sapor linguæ omnino malus, inquieta, anxia sedere magis, quam decumbere cupiebat. Bis, terque gestata curru per Urbem pejus habuit. Irritis balneis, & quibuslibet remediis, die morbi undecima obiit miserrime, vehementissimis motibus convulsivis paulo ante mortem correpta, cum quibus periit fere. Pulsus ante mortem parvi, & quædam veluti strangulatoria crispatura circa stomachum, & œsophagum. Secto cadavere, calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus, & partim in pelvi, partim in principio ureteris existens, in dextero rene inventus est; cum tamen dolor, quod sane mirum, & observatione dignum est, sinistrum dumtaxat renem, molestaret. Reliquis in partibus nihil morbosum observavimus. Atque hæc est vera morbi historia & exitus, me scribente, dictante vero, atque loquente natura. Hæc notare volui, ut inde discant Tyrones quanta, & quantum gravia producat accidentia, & mortem ipsam, sola crispatura renum a calculo facta, & singulis quibusque partibus communicata, & quanta sit vis, resistentia, atque potestas solidorum, dum externa vi crispantur, ad fluidorum cursum intercipiendum, & inde varios producendos morbos a solidis dumtaxat vitiatis pendentes, ut in præsenti vidimus historia. Et sicuti impossibile est curare exterius tumorem dolorosa fibrarum contractione productum, nisi ea prius per anodina, fomentationes, balneationesque tollatur; ita quoque interius interceptos vi doloris fluidorum cursus, & inde natos tumores solvere antea non poterimus, nisi lenita primo per oleosa, anodina, & humectantia intus, extraque adhibita, vehementi fibrarum crispatura.

Neque solum ob earum nimiam contractionem tumores nascuntur, verum etiam ob laxitatem excedentem, quæ tumores vulgo frigidos, & indolentes, fibræ, non fluidi culpa parere solet. Quorum tumorum curatio per ea instituitur remedia, quæ tonum soliditatem, & amissum partis robur restituendo, humorum impeditum cursum promovent, fecilemque reddunt, & expeditum: uti sunt amara, aromatica, amaro stringentia, & chalybeata, quibus Veteres in strumarum, & indolentium tumorum curatione, licet hac mechanice destituti, optimo cum eventu utebantur. Et nos quoque his temporibus eadem in chronicis viscerum naturalium affectionibus, quas a laxato solidorum tono oriri putamus, non dissimili successu præscribimus, chalybeata namque, præsertim purus chalybs in subtilissimum pollinem redactus, & ad VIII. vel plura grana datus (chalybs enim quo magis arte solvitur, eo infirmior redditur) præterquam quod acidum imbibunt, laxitatem partium tollunt, in qua frequenter vis, & anima morbi residet in chronicis. Laxitas, sive atonia

partium

partium efficit aliquando, ut tumores, doloreſque periodici oriantur; diſtentis enim divulſiſque longo morbo illarum fibris, ſolutaque ſolidorum compage paulatim ibidem congeri, & hærere incipiunt ſucci: & quando in ingentem copiam creverunt, ut a parte recipi, atque regi nequeant, ſub ſpecie dolorum, tumorumque ſtatutis periodis ægrotantem affligunt. Credendum itaque, bifariam tumores produci, vel vitio fluidi, cujus turbata craſis a craſſis, acidis, viſcidiſque, vel acribus, acutis, & ſalinis particulis in eo redundantibus, circulationi ineptum reddit; vel fibrarum, ſuccorum curſum oſcillatione ſua promoventium culpa, dum vel nimis intentæ, contractæque, vel laxæ, indolentes, ac veluti paralyticæ evadunt. Quæ niſi ſedulo examinentur in morbis, curationem nunquam recta cum ratione fieri poſſe putamus.

Sed ut quamplurium, quas in fibris producunt humores peregrinis, morboſiſque ſalibus pleni, me reddam certiorem, cernes variorum Animalium in diverſis liquoribus infundendo, effectus, & accidentia, quæ poſt infuſionem apparebant, ſedulo notavi, ac deſcripſi, atque in 4. lib. de fibra motrice, ac morboſa, pro confirmanda morborum curatione per regulas mechanices, ſingula ſuo ordine inſerui. Horum experimentorum, ut aliquod ſpecimen habeatur, tria dumtaxat, quæ ad rem noſtram faciunt, ex longa illa ſerie excerpta, hic proponere non verebor.

Sal commune in aceto coctum liquori ſtipticam qualitatem attulit, ſapore inter acidum & amarum medio. Carnem hœdi in hoc liquore infuſam ſenſibiles mutationes ſubjiſſe obſervavi. In externa ſuperficie parum erat rubicunda, interius alba. Fibrarum craſſities, & contractio erat multo major, quam in ſtatu naturali, non ita tamen ſolidæ, craſſæque, ſicuti cum vitrioli infuſione ſucceſſit. Diſtincti apparebant fibrarum faſciculi, earumdemque ſeries magis circumſcriptæ, ut ſingulæ fere poſſent facile numerari.

Aqua communis cocta cum alumine crudo, lacteo colore tincta eſt. In hac maceravi 20. dierum ſpatio hœdi carnem, & exiguam quantitatem aluminis crudi pulver. ſuperaddidi. Tunc eam ſedulo examinando deprehendi naturalem colorem non amiſiſſe. Erat nimium flaccida, laxaque ea parte, quæ liquoris ſuperficiem reſpiciebat, ubi minor ſoluti aluminis quantitas aderat; Ibidem tingebatur quoque hinc inde colore minii non multum rutilantis. Et ibi etiam fibræ nimis craſſæ, magis albæ, & ſeorſim diſtinctæ conſpiciebantur. Contra vero fibræ fundo vaſis vicinæ, ubi major ſoluti aluminis copia flaveſcebant, magis duræ, magiſque conjunctæ cernebantur.

Aqua communis cum vitriolo Rom. pulv. ebullita colorem flavum intenſum acquiſivit. In ea infudi per 20. dies fruſtulum carnis Agni, quibus elapſis per medium ſecui, parſque interna obſcuro colore, externa vero flavo ad rubrum tendente, tingebatur. Carneæ fibræ ſummopere duræ evaſerunt, & magis, quam in aliis aliorum liquorum carnibus obſervaveram: earum ſeries, ſive faſciculi facillime ſeparabantur, & diſtincti adinvicem erant. Aliqualis fermentatio in hoc, & aluminoſo liquore in actu infuſionis, macerationiſque apparuit, quod factum non eſt cum liquore aceti falſo, ſive muriatico. Alumen tamen ceteris liquoribus affecit carnem majori labe, magiſque corrupit. Ex quibus deduci poteſt, quomodo ſalinæ particulæ in ſanguine redundantes ſolidas partes varie labefactent, ex quarum varia conſtitutione chronicorum, acutorumque morborum idea certior atque clarior poterit deſumi. Sed his, quæ de fibra promiſimus, paulo longius deſcriptis, exponamus nunc breviter nonnulla experimenta, quæ circa ſalivam, bilem, & ſanguinem in Anatomico Theatro ſunt pertractata, & primo.

DISSERTATIO II.

DE EXPERIMENTIS

Circa Salivam, ejuſdemque natura, uſu, & morbis.

SEcunda die, poſtquam apertum fuit Theatrum Anatomicum, de ore, ventriculo, & inteſtinis diſſerentes, plura, quæ ante meditati fuimus, de natura, uſu, & morbis ſalivæ diſputavimus, adjectis quoque nonnullis experimentis, quæ ad inveſtigandam ſolertius ipſius naturam, ejuſdemque ſal eliciendum conferre videbantur. Hæc nunc tibi, quam potero breviſſime, curioſitati tuæ ſatisfacturus deſcribam.

Salivam ob inſignes ſuas, ac pene innumerabiles virtutes, quas in nobis fundendo, ſolvendo, abſtergendo, ac celeriter penetrando, producit, quæque paucis notæ, & a paucis quantum debet explicatæ ſunt, primarium chilificationis menſtruum ſæpe in Theatro pronunciavimus. Qui enim ingentem glandularum ſecernendæ ſalivæ dicatarum, tonſillarium nempe, maxillarium, parotidum, jugularium tyroidæarum, buccalium, palatinarum, & eſophagæarum numerum, & maximam limphæ ſalivalis copiam ab

eis

eis in ventriculum ſingulis momentis exoneratam ſerio conſiderat: multo nobilioribus uſibus, quam ori humectando deſtinatam eſſe animadvertit. Sicuti igitur, dum in naturæ ſtatu eſt quamplures optimos effectus id ſolvendis, dirigendiſque humoribus parit, ut inde principem locum inter omnia corporis animati menſtrua meruerit: ita contra, dum ab eo morboſis imbuta particulis, recedit, fons eſt, & origo morborum innumerabilium.

Quare ſæpe expertus ſum, eos qui proximi ſunt, ut in febrem, vel gravem viſcerum, & præcipue naturalium affectum incidant, plures ante dies, nulla in parte evidentius, quam in lingua futuræ affectionis ſigna percipere; in qua, loco naturalis ſaporis, amarum, viſcidum, acidum, aut falſum, præſertim circa horas matutinas, cum magna virium laſſitudine, & innappetentia obſervant; quibus paulatim accedunt alia ingruentis mali ſymptomata, donec tandem ipſe morbus erumpat. Certo indicio hujuſmodi affectuum cauſam, vel a vitiata pendere ſaliva, vel eam læſæ chilificationis, & inde nati morbi primum eſſe, ac præcipuum ſignum. Neque ſolum ſaporem, verum etiam colorem linguæ mutatum morborum initio cernimus, nam ex naturali rubro, in fuſcum, viſcidonigrum, flavum cum ſiccitate, & aſperitate mutatur, ut in libro *de Saliva morbis* fuſe diſſeruimus.

Ex halitu pariter oris ſpirantis odorem vitrioli, aluminis, cibi corrupti, vel aliorum hujuſmodi odorum male ſerientium nares, ego frequentiſſime in cognitionem venio peccantis lymphæ, & peccantis interni humorum apparatus, ſcorbutici, meſenterici, ſtomachici, &c. Et frequenter ex odore halitus oris ægrotantium, aut ſanorum vel curativas indicationes in morbis jam factis deſumo, vel futuros morbos eorumque eventus veluti ex alta ſpæcula prævideo: conſiderato tamen univerſo corporis ſtatu, & cauſis quamplurimis, in idem conſpirantibus.

His de cauſis ſummopere mihi arridet opinio putantium, morbos epidemicos, & contagioſos, mediante ſaliva ab infecto aere conſpurcata communicari; cui pariter experientia ſuffragatur. Nam in hujuſmodi affectibus ex contagione, ægrotantes ſtatim atque primo conqueri incipiunt de nauſea, ſapore linguæ mutato, & ad vomitum propenſione, primaque contagioſorum malorum ſymptomata circa ventriculum, & hipochondria per anxietates, vomitus cardialgias, calores viſcerum &c. manifeſtantur. Et quoniam eadem eſt tunica, quæ os, æſophagum, & ventriculum interna ex parte veſtit; præter ſalivam, illam etiam ſummopere facit, ut magnus ſit conſenſus linguam inter, & ventriculum, ipſorumque morbi, & morborum cauſæ facile, & ad invicem mutentur. Quare illi, qui peſtilentium curationi inſerviunt, ſi velint eſſe a contagio immunes, procurent quantum poſſunt ut nunquam ſalivam deglutiant, cum qua morboſi, ac peregrini ſales infecti aeris intime mixti in ventriculo vires ſuas explicant, & morbum, niſi valida fuerit ægri natura, neceſſario inducunt; & ut magis præſerventur a labe, ore juniperum, fruſtulum citri, offam panis aceto ſambucino, calendulato, vel ſimili madefactam, & alia id genus ex claſſe acidorum vegetabilium, quæ acres, & peregrinos aeris ſales retundunt, atque coercent.

Longum hic eſſet recenſere velle innumeros effectus, qui a vitiata ſaliva producuntur, vel invadendi occaſionem ab eadem acquirunt, quorumque aliquos libenter deſcriberem, niſi tædium prolixa oratione me tibi certo allaturum crediderim. Liceat ſolummodo animadvertere morboſam ſalivam, cum talis naturæ pancreatico, vel, aliarum glandularum ſucco junctam, febres lymphaticas lentas cum acri calore circa veſpertinas horas ſe exacerbant producere; accedente iiſdem appetitu dejecto, capitis gravitate veluti ſoporoſa, ſapore linguæ depravato matutino tempore, cum ejuſdem viſciditate, ac dentium ſpurcitie, & quodam fœtore oris, quæ certe præternaturalem ſalivæ cum ſanguine fermentationem ſignificant: malo creſcente, creſcunt etiam dicta ſymptomata, & hypochondriorum tenſiones, calores, laſſitudines totius, &c. Hujuſmodi febres (quæ hodie ob nimium gelidarum potionum abuſum, quibus innumerabiles abundant officinæ, præ ceteris in Urbe regnant, & ex centum & quadriginta Incolarum Urbis millibus, dupla fere pars, dum ægrotat, hiſce febribus ægrotat) ſi male tractentur a Medicis indebita methodo, nec correctioni lymphæ ſalivalis per ſaſſofraſſata, timum citratum, epithimum, radic. Helenii, corticem citri, limonum, malorum aurantiorum, ſal. armon. depuratum, &c. operam dantibus, facile tranſeunt in hecticas, in meſentericas occultas, difficiles & lethales, quod etiam ſubodoravit olim *Fernelius*. Et ſi nimio aqarum, juriſque potu, & imprudenti olei amygd. dulc. ſimiliumque laxantium abuſu, ſolidorum, fluidorumque compages, atque tonus magis relaxetur, prout hodie mos apud Noſtrates invaluit, de recuperanda ſalute fere deſperandum, vel ſane, magna cum difficultate. Et mirum non ſit, ſi noſtris temporibus, ob intemperantiam rerum gelidarum, & depravatam, per aquas, olea, & jura carnium ſingulis in morbis præſcripta medendi methodum, majorem copiam hydropum pectoris, & abdominis, tumorum pedum, diuturnarum febrium cum palloribus vultus, cachexiarum, & morborum ventriculi, & hiſce ultimis ſex annis apoplexiarum, mortium repentinarum, & aſthmatum ſuffocantium, quam unquam antea obſervemus. Intenſa enim, ac pene glacialis liquorum varie conditorum frigiditas, quos Aulicorum profuſa voluptas produxit, repen-

tina torpedine membra ligat, humorum cursum retardat, & ad morbos difficillimos disponit. Quoniam vero ceteris humoribus lympha ob tardiorem sui motum & consistentiam gelatinæ similem coagulationi prona magis est: dum semel concrescit, difficillime per medicamenta solvitur, & irritis quibuslibet auxiliis breve post tempus Patientem jugulat. Observavi in morbis ex lympha viscida ægros sibi videri bene se habere, torpidi tamen sunt & impotentes ad motum, color faciei naturali similis, nares non multum emungunt: parce vel minime spuunt, & quod spuunt viscidum est adinstar ichtiocollæ. Inappetentia molesta. Urina varia, modo naturalis, modo aquæ similis. Somnus gravis, alvus stiptica, febres lentæ cum pauco colore: nilque juvantibus remediis, cum his symptomatis paulatim tendunt ad mortem, ut nuper evenit Seni, qui habitabat prope Jesuitarum Collegium Jesu ad radices Capitolii.

Sed ut reliqua sileam, quanti fecerit magnus Medicinæ Parens linguæ, & salivæ observationem ad recte dignoscendum, & præsagiendum in morbis, videatur ipse in aureis suis operibus, sed præsertim *De diebus judic. num.* 2. & 8. *De glandulis. In Aphorismis, Prasagiis, Coacis. De humoribus. De Humidorum usu, & reliquis.* Et ab eo discant elegantes & speculativi nostrorum temporum Medici indicationes curativas in morbis non a cogitationibus fortuitis, & indigestis, nulla maturitate consilii, nulla probatis experientia; sed ab observationibus naturæ petere, cujus motus certi sunt, constantes, & perpetui; iisdemque fundata praxis medica impossibile mihi videtur, ut fallat, & a veritatis scopo aberret, sicuti fuse disputavimus in duobus libris nostræ praxeos 1696. Mense Novembris publicæ luci hac in Urbe primo datis, doctorumque Virorum judicio probatis. Nunquam igitur ab ægro discedant Medici, nisi prius linguam inspiciant, utpote quæ lymphæ, sanguinisque statum certius, quam alia signa nobis ostendit. Bona lingua, semper bonum indicat: mala, semper suspecta, semper timenda; multo magis si viscida fuerit, arida, spurca, malique saporis; quæ singula vitiatam lymphæ naturam denotant; cujus morbi occulti sunt, longi, maligni, & curatu difficiles ob tardum hujusce humoris motum ejusdemque difficilem dissolutionem, quando ab acidis, & peregrinis salibus concrescit, ac coagulatur. Hinc notatu dignum est, quod sæpe observavi, chronicos viscerum naturalium affectus, quibuscumque bonis signis apparentibus, quæ alioquin salutem spondere possent, nunquam sanatos fuisse, nisi quando sapor, color, & reliqua linguæ accidentia ad naturalem statum reducebantur, quod sedulo norint Tyrones in curatione morborum ventriculi, qui Medicorum patientiam magis, quam alii, molestant, & torquent.

Observavi quoque quando morbi sedes in lympha lymphaticorum, & glandularum est, urinam fere naturalem esse, cum debita coctione, & naturali sedimento, non ita quando in sanguine sedes est. In iisdem ex lympha morbis color faciei vividus, & naturalis, somnus, motus, appetitus, & reliquæ id genus functiones rite se habent, contra si sanguis etiam affectus fuerit. Pariter gingivarum, & dentium inspectione de salivæ, lymphæ sanguinisque statu certiores facile reddimur. Gingivæ laxæ, tumidæ, erosæ, nimium rubicundæ, cum dentium visciditate, & spurcitie, scorbuticam, vel alio modo affectam lympham, salivamque significant. Ad corrigendam lymphæ acrimoniam, ejusdemque scorbuticam dissolutionem, nec non ad stomachum roborandum, & juvandum digestionem magno utor cum profectu potione calida, ex decoctione ligni Carabaccii nuper ad nos ex Indiis delati; cujus utilem, & arcanam descriptionem pro humanitate sua mihi nuper tradidit Vir doctissimus eruditissimusque *D. Godefridus Gaspar Ostercampius* Viennensis Excellentissimi Principis Abb. de Lobcovitz magnæ spei Adolescentis, & avitæ virtutis æmuli, Nostrique amicissimi Archiater: Carabaccium cariophillis similem saporem habet, sed valde temperatum, ac plane gratissimum, colorem vero illi Caffe, vel cinnamomi valde affinem.

At redeuntes in viam, e qua divertimus, dum de præcipuis salivæ usibus superius differebamus, inutile futurum puto hic multis probare velle, salivam liquorem esse abstergentem, solventem, & mire penetrantem, cum ipsius effectus apud vulgus notissimi sint; ulcera mundificat; furunculos, omnisque generis tumores solvit; mercurium extinguit; massam farinaceam fermentat, aliasque plures a docto satis & erudito medico *Tachio* descriptas virtutes possidet: ut merito dici possit humanæ naturæ sapo, ob saponarias abstergentes facultates, raras, occultas, arte vix parabiles, & paucis notas. Impossibile namque videtur conficere posse liquorem, qui salivæ ad instar diversi generis esculenta peculiari artificio in suum primum ens, ac veluti florem totius mixti redigat, ut in sanguinem postea mutari commode valeant. Comparari tamen aliqua ratione potest liquori Alchaest qui, si Chimicis præstanda fides, corpora in minima, & sua prima entia resolvit: vel aquæ forti, quæ sicuti tota fere spiritus nitri est, & per ipsum metalla omnia dissolvit, ita saliva ob nitro-salinam, quam habet substantiam, variæ naturæ cibos incidendo, abstergendo, & penetrando digerit, ac solvit.

Saliva enim a sale nomen sumsit, quia salis magna copia abundat, suumque sal chylo, & sanguini communicando, eo mediante fermentationes omnes vitales promovet, & excitat, vitamque ipsam conservat, ac fovet.

Unde qualis saliva, talis chylus, talis etiam sanguis. Stamina itaque vitæ longæ, aut brevis

in

in ipso sanguine sunt. Sanæ, aut morbosæ in ventriculo, & saliva.

Neque sal illud vulgaris est naturæ, sed de Universali participat, & in se continet intensam rubedinem, lucemque vitalem in sanguine mutandam, ac dirigendam. Quamobrem summopere decipiuntur, qui salivam pro inutili excremento habentes, fere continuo spuunt, & ita magno cum vitæ discrimine ventriculum hoc naturali, & maximo necessario sapone privant: quo non solum ejusdem sordes mundantur, & diluuntur, verum quamplurimæ ipsius plicæ blanda salivæ salsedine confirmantur, & in debito tono, sive necessaria crispatura, contractioneque continentur; lymphæ gastricæ fermentatitiæ sales acuuntur, & excitantur, aliisque plures effectus optimi a descendente saliva producuntur. Ut non mirer, si tales homines ex abusu spuendi, stomacho sint debiles, languidi, inappetentia, & alvi siccitate laborent, imo etiam pallore vultus, & urinæ cruditate; quorum nonnulla vidi in Puella prope Suburram: in Presbytero juvene ad Forum Piscium: in alio ad Templum Pacis prope Forum agonale; & in erudito viro in Vico Rotundæ, sive Pantheon Agrippæ ex voluntario ptialismo in marasmum fere redacto. Hoc tamen intelligendum est de saliva sanorum, non autem si scorbutica, gallica, aut simili lue laboraverint ægrotantes: in quo casu quoniam ipsa saliva morbosa est, si frequenti sputatione nimium eliciatur, ad salutem potius ipsorum erit quam perniciem. Qui plura velit de saliva, donec nos nostra demus, legat *Paracelsum*, *Ludovicum de Comitibus*, *inter veros Adeptos maximum virum*, *Helmontium*, *Kabalam Chimicam*, *Basilium Valentinum*, alioque, apud quos invenient salivam liquorem esse de universali menstruo participantem: sive potius elici ex saliva menstruum fere universale, corpora in suum ens redigens, nec non sal volatile, & fixum magnis usibus ad rem chimicam destinatum; sed longa dies meliora feret.

Cum igitur existimem salivam liquorem esse solventem, cui par in natura rerum non invenitur, insipidum ut videtur, sed mire penetrantem, ex nonnullis experimentis, quæ circa ipsam elapsis annis feci, pauca duntaxat hic proponam, quæ præsenti confirmando argumento conferre arbitramur.

Saliva cum solutione Mercurii sublimati, & Jovis mixta, ceruleum colorem ad album tendentem acquisivit. Aqua fortis cum jejuni hominis saliva idem prorsus effecit. Sal Cardi S. absynt. tamaricis, & id genus lixiva salia subalbum salivæ sedimentum in fundo vasis deponunt, cui liquor supernatat limpidissimus.

Distillata saliva juvenis sani, ac jejuni relinquit in fundo salino-acidum sedimentum in parva copia. Et liquor limpidus, qui ab ea distillando prodit, mercurio sublimato, & aquæ forti adjunctus, nec fermentationem, nec ullam in colore mutationem subit.

Salivæ jejuni hominis, & sani libras sex premissa plurium dierum putrefactione distillari feci leni calore; ad alembici summitatem liquor ascendebat, quo caloris gradu aqua communis distillando non ascendit. Peracta distillatione, remansit in fundo sal subalbum, paululum acre, & linguam feriens, quale hoc anno in publico Theatro degustarunt Auditores. Ex quibus, aliisque brevitatis gratia prætermissis experimentis inducor, ut credam, salivam continere in se sal nitro salinum universali sali analogum ob eximias, ac prorsus mirabiles suas vires, quas solvendo, fundendo, abstergendo, & licet insipida videatur, potenter penetrando in fermentatione ciborum, purificatione chyli, ejusdemque in sanguinem, mutatione coctioneque absolvit, &c.

Quatuor ab hinc annis distillavi nivem ex eaque magnam copiam salis nigri distillatione eduxi: nigrum hoc nivis sal verum nitri saporem habebat, & parum differentem a sapore salis e saliva distillati, & in Theatro anatomico anno Jubilæi 1700. demonstrati. Sal pluviæ, & sal grandinis distillando eliciti, nitri quoque saporem habent: major tamen copia e nive, quam e pluvia, & grandine extrahitur. Crediderim itaque salivam abundere sale nitro, salino, universali sali valde analogo, & maxima solvente virtute prædito: & qualis salivæ natura, & status erit in corpore, tales erunt aliorum liquidorum; nam saliva primarium chilificationis menstruum est ex nostra opinione. Et sicuti saliva acida, amara, salsa, dulcis, alteriusve saporis in ore manifestatur, tales quoque spiritus erunt in cerebro, tales humores in aliis filtris, si in iisdem eadem causa uti in saliva regnaverit.

DISSERTATIO III.
DE EXPERIMENTIS

Circa Bilem, ejusdemque natura, usu, & morbis.

Bilis humani corporis Balsamum, humorumque condimentum per analysim chimicam examinata, quatuor principiis constare creditur, Sale fixo, & volatili, sulphure, & phlegmate: quorum duo, sal fixum, & sulphur, dominantur ceteris, suntque partes præcipuæ, quæ

ipſam componunt. Diſtilla bilem blando igne, prodibit phlegma, remanente in fundo reſina denſa, & facile inflammabili. Aucto igne aſcendit ſal volatile acre in debita quantitate; quod in inferiori parte vaſis in formam offæ obſcuræ acerrimi ſaporis, odoriſque penetrantis, magnam copiam ſalis fixi, acris lixivi poſt ſe relinquit. Adſunt ergo in ea ſalis volatilis, & phlegmatis debita quantitas, magna ſalis fixi, & ſulphuris, ſive reſinæ denſæ, & inflammabilis.

Hæc bilis principia per experientiam quoque facile patent. Nam cum a Pictoribus pro ſolvendis coloribus, & a mulierculis pro veſtium abſtergendis maculis uſurpetur, vim hanc ſolventem, & abſtergentem a ſale acri lixivio in ſaponariam indolem, ex mixtione cum ſulphurea reſina evecto pendere pro certo habendum, cujus ſalis particulæ ſub olei, ſeu ſulphuris tegmine in bile delitescentes ex facili illius cum aqua commixtione clare quoque manifeſtantur. Oleoſa enim corpora conſortium aquæ non patiuntur, niſi ſalinarum partium interveniente concurſu, & unione, ut in præfata bilis cum aqua ſolutione facilime apparet.

Magnam quoque partem alchali acris lixivi in ea eſſe ex ipſius cum acidis fermentatione deducitur. Cum acidis, & præſertim mineralium effervescit paululum, & nimium in colore mutatur. Mixto ſpiritu vitrioli, nitri, ſulphuris, ebullit parum, & plus, vel minus viridescit, depoſito acri ſedimento in fundo cum remiſſione ſuæ amaritiei. Contra vero alchalia volatilia magis tenuem magiſque claram eam reddunt cum incremento caloris flavo-citrini. Et quando bilis colorem mutat in excrementis, ſignum eſt in ea redundare acridum. Intenſe viridis intenſam aciditatem ſignificat, quæ viriditas ſi ſtatim initio morborum appareat cum nimio fœtore, morbum fore diuturnum, vel lethalem experientia didici in ægro nobili prope Forum Fontis Trevii ad radices Quirinalis; in puero ægrotante ad Forum Hiſpanicum in extremitate Collis Pincii: in Vetula prope Ædes Medicæas in Campo Martio & prope alias Medicæas Ædes non longe ab Archilyceo Romano in foro Agonali. Non ita ſi appareat in pueris lactantibus, quorum fœces ob acidam lactis corruptionem facile viridescunt, nec gravia mala præſagiunt, ut ſucceſſit lactanti puero non procul a Ponte Molis Hadriani, ubi nunc Caſtrum S. Angeli; alibi circa Montem Citatorium, quo loci Curia Romæ decus quinque ab hinc annis ſupra ædes Ludoviſias cœptas olim, ſed non abſalutas, erecta eſt, & duobus aliis ad latus Noſocomii Stultorum in Foro Columnæ Antoninæ non longe a Telonii ædificio, in quo mercium vectigalia ſolvuntur, quatuor jam elapſis annis ſupra rudera columnarum porticus Antonini extructo, &c.

Bilis, conſideratis ſuis partibus, ejuſdemque origine, progreſſu, & ingreſſu in inteſtina, videtur eſſe facta in gratiam chyli; adeo ut, ſi chylus per inteſtina non deſcenderet, nullus bilis in iiſdem uſus eſſet, & nulla ibidem mora, aut curſus. Quare fit, quando in ea indebito tempore, & magna copia profluit, non concurrente tunc ſuo reagente, chylo ſcilicet crudo, impuro, & ſubacido, varie lædat ventriculum, & inteſtina, falſos exhalando vapores, qui nauſeam, ſputationem, vertigidem, præcordiorum anxietatem, varioſque capitis, & ſtomachi morbos producunt; quod etiam aliquo modo experimur, cum prandendi, aut cœnandi conſuetum tempus præterierit.

Chylus ex alimentis vi ſalivæ, & fermenti gaſtrici elicitus, dum per Pylorum in Duodeni cavitatem deſcendit, ſubacidus, crudus; & veluti caſeoſus, impuris abundans partibus obſervatur. Et ſi ita crudus in ſanguinem deferretur, fluidorum compagem, puritatequem varie lædendo, perpetua incommoda œconomiæ corporis animati minaretur. Quod ne contingat, bilis liquorem ſummus Opifex conflavit, quæ per modum condituræ vi ſua balſamica perficiat chylum, & in puriſſimum rorem commuret. Bilis enim, quoniam particulis ſalinis, ſulphureis, lixivo acribus, & volatilibus conſtat, cum chylo ſubacido, ac fere caſeoſo (major namque pars fermentantium corporum, præſertim vegetabilium, crudum veluti acorem exhalat) acidoque pancreatis ſucco ſtatim effervescit, miſcetur ad minima, & effervescendo totum ſal acidum chyli retundit; cum eoque intime conjuncta in alchali volatile, naturæ amicum tranſmutat. Eodem tempore bilis particulæ, veluti totidem parvi cunei, viſcidiores chyli partes ſcindunt, divellunt, & hinc inde ſegregando magis fluidas reddunt; ut præcipitatis hac ratione fæculentis ſui partibus ad inferora, purus ipſe, ac veluti flos, & eſſentia ciborum per lacteas in regium ſanguinis flumen propellatur. Hinc, quando bilis vel deficit, vel morbi cauſa fluxus ejus in inteſtina impeditur, ne chylus fraudetur hoc balſamo, ſoleo ſtatim ante prandium maſticationem rhabarbari præſcribere, qui paulo ante cibum deſcendens, bilis vicem gerat in eodem ſolvendo, ac depurando, quod animadvertant cum fructu Tyrones; ut nos præter alios vidimus in mercatore ad Forum Judæorum ex parte pontis Ceſtii, & Inſulæ Tyberinæ S. Bartholomæi, ubi antiquitus celebre templum erat Æſculapio dicatum; in puero prope porticum Octaviæ, ubi nunc S. Maria in porticu; & in Presbytero erudito ad Thermas Olimpiades, ſupra quarum rudera Domus eſt hodie Monialium S. Laurentii in Paniſ-perna.

Si numerare hic vellem ingentem morborum ſeriem, qui a depravata chyli in duodeno purificatione pendent; nunquam profecto dicendi finem facerem; nam præter chronicos affectus, qui pene omnes ab hoc fonte, & a morboſo primarum viarum acido oriuntur, innumeri viſce-

viscerum naturalium acuti morbi cum lumborum, & hypochodriorum pravis accidentibus, uti & omnes fere cutis, & quamplures aliarum partium affectiones, quam obstructiones vocant Medici, principium inde suum cognoscunt. Pauca dumtaxat notare sufficiat, quæ a morbosa bile, læsaque cum chylo fermentatione producta sæpe vidimus.

Experientia didici pueros lenta febricula cum macie, siti, inappetentia, pallore vultus, tensione, caloreque hypochondriorum, & alvo nunc lubrica, nunc adstricta laborantes, usu remediorum, quæ stomachica dicunt, aromatica, & deobstruentia, pejus habuisse, præfatisque symptomatis accessisse sudores nocturnos, majorem maciem, & magis acrem febris calorem, ac fere proximos fuisse, ut marasmo corriperentur. Purgantia Medici præscribere non audebant, ne per ea, ut ipsi putant, ventriculi calor digerens, & facultas coquens debiliores redditi, novis humoribus cumulantibus occasionem aliquam præberent. Ipse tamen perpensa sedulo natura bilis, ejusdemque commixtione cum chylo, nec non supradictis examinatis symptomatis, cogitare cœpi, an forsan illorum, febrisque causa, non tantum sit supposita ventriculi debilitas, quantum amurcosa bilis, acris, viscida, & circa jecur, vicinasque partes coacta, & in motu impedita, quæ longa ibidem mora acrior reddita, & cum putri cacochilia ebulliens, fallos vapores exhalando, accidentia circa ventriculum primo, & sensim affusa sanguini febrem cum sociis symptomatis producit: atque adeo loco stomachicorum, & deobstruentium, danda potius essent remedia bilem diluendo temperantia, & per alvum subducentia, habita quoque ratione solidorum ab ejusdem ebullitionibus crispatorum, & ita fluidorum cursum inducta tensione intercipientium. Cui indicationi ut satisfacerem, sequentem potionem præscribebam:

℞ *radic. gramin. fragariæ, cuscutæ, agrimon. trifol. acetos. sive sol. alleluja. an. q. s. f. decoct. cujus in unc. vi. dissolvere infus. rhabarb. unc. s. syrup. ros. solut. vel Cassiæ. q. s. m. f. p. alternis diebus.*

Hoc remedio ingens copia fœtidæ, & cretaceæ materiei profluebat cum febris, & accidentium fere subitanea remissione. Cui hæc potio ob ingratum saporem, aliamve causam, quam fingere sibi solent pueruli, non placet, substitui poterit alia ex decoctione Senæ, Tartari, & Epithimi cum flor. cordial. vel serum lactis tamarindatum, & rhabarb. vel similis, quibus subducta amurcosa, & cretacea bile cum putri cacochilia, breve post tempus convalescent. Ad quorum faciliorem evacuationem decoctionibus, emollientibus, & temperantibus, vel lacte, foveantur mane tepide jecur, & viscera: ut laxatis fibris, longa bilis irritatione crispatis, noxiorum humorum fluxus promtior reddatur. Sepe enim perperam intus dantur remedia, nisi habita solidorum ratione, per externa quoque obviam eamus morbo, ut superius de fibra motrice, & morbosa animadvertimus, &c.

Cum de potionibus vegetabilium sermo sit, hic obiter notandum remedia ex vegetabilibus parata ceteris omnibus in curatione morborum in Urbis Incolis antecellere, & præstare magis, quam secreta mineralium e chymiæ furnis petita: quæ sive climatis natura, sive peculiaris Incolarum Urbi temperies ea respuant, nunquam, aut raro succedunt ex voto. Quod etiam sæpe se expertum testatur Vir doctissimus, amicissimusque *Joan. Bapt. Triumphettus* Botanices in Rom. Archilyc. Professor, & Botanicor. ætate nostra facile Princeps, cujus indefessa diligentia Archilyceum nostrum gloriatur se habere hortum Medicum, cui par in tota Europa vix invenitur, nam supra sex plantarum millia in eo aluntur, & vegetant, quarum pars major exoticæ sunt ex Indiis, Africa, Europa, & Oriente ad nos magna cum impensa delatæ. Nec solum in acutis, verum etiam in chronicis morbis remedia ex vegetabilium genere hic summopere conferunt. Ita nuper Virum 40. ann. ætat. hydrope pectoris cum ingenti pedum, femorum, faciei, & manuum tumore, maxima spirandi difficultate, febre, vigiliis, &c. laborantem, adhibitis frustra innumeris e classe mineralium remediis, per annum circiter, & a Medicis Urbis desperatum, sola decoctione nonnullarum plantarum, & peculiari præparatione oximellis scillitici, educto per urinas copioso sero, mensis spatio perfecte sanavimus cum solertissimo, doctissimoque Practico *Matthæo Palilio* Viro optimis moribus prædito, & ob id mihi amicissimo, conjunctissimoque. Ægrotus hic religiosus Presbyter est, Sacrista Virginum Vestalium S. Cæciliæ ad Ripam Tyberis, ubi sex ab hinc annis novum Telonium constructum est, sive Ædificium, quo merces per Tyberim advectæ vectigalia Principi persolvunt.

Quæ superius de lenta puerorum febricula diximus, breviter quoque animadvertenda sunt in curatione icteri, cujus causam putant esse interceptum bilis cursum, vel impeditam ejus in jecore secretionem. Alia namque methodo uti debemus in curatione icteri, a bile viscida, amurcosa, & inerti, circa jecur impacta: alia vero ob eandem, dum copia peccat, & acrimonia. In primo casu tartarea, quibus concretio bilis solvitur, & amissa restituitur fluiditas, maxime utilia deprehendi.

℞ *tartar. bonon. unc. s. aq. tetucil unc. vi. bull. ad tertias, tunc adde syrup. flor. persic. unc. ij. m. f. p.*

Et post duas horas, more Urbis Medicorum

consueto, per intervalla superbibe totum ænophorum aq. tetucianæ, dummodo non adsit febris, in quo casu, loco illius sumi poterit aqua quævis diuretica, vel mineralis, sed temperata, nec sale com. abundans, ut tetuciana. Diluta plurium dierum spatio hisce remediis, & educta bile, ad roborandum tonum partium, quæ longa humoris inter fibrarum spatia stagnatione, relaxari solent, & morbo redeundi occasionem præbent, nec non ad reliquias bilis corrigendas, detur singulo mane tinctura martis tartarea ad drag. 1. juxta descriptionem *Lemeri* in jure cum cichoreo, acrimonia, absinth. pontic. &c. ebullitis. Vel potio aquæ chalybeatæ Fontis Jani in valle Spoletina. At in Ictero a copia bilis, tenuitate, & acrimonia, utendum diureticis, diluentibus, nitratis, & similibus, quæ illam temperare, ejusdemque impeditum cursum solvere valent, prout vidimus in ictero, juxta plateam Pasquini, qua tendimus ad Cancellariam Apostolicam, cui, loco sanguinis, e naribus, & e cucurbitulis scarificatis aqua flava solummodo prodibat. In alio propre Theatrum Pompeji Magni, ubi nunc Campus Floræ. Et in sexagenario habitante circa ædes Theatri Marcelli Nepotis Augusti, supra cujus ruinas nunc magna Domus Sabellorum, &c. In omnibus autem icteris, etiam illis, qui vitio dumtaxat solidi oriuntur, crispatura nempe, irritationeque ductuum biliferorum a doloribus ventris frequenter producta, supponendum semper, vel bilis secretionem læsam in hæpate adesse, vel ibidem cursum ejus impeditum. Quare sæpe contingit, ut si diuturni fuerint, ex indebita bilis mora in suis locis, calculis vesicæ felleæ nascantur: quandoque vero hujusmodi calculi icteros longos, & incurabiles gignunt: sanari enim solent, sed paulo post recidivant, quare cum icteros videris pertinaces, vel sanatos, sed recidivantes, pro certo habeas, eos a calculo vesicæ felleæ progigni, ac proinde incurabiles prædicito, quod Cadaverum sectiones te docebunt. Quod etiam confirmare possum observatione, quam in doctissimo Præsule mense Januarii proxime elapsi 1701. feci. Hic per annos aliquot ante mortem facie nonnihil pallido-citrinus erat, potissimum in albo oculorum. Anno circiter ante obitum, dolorem vehementissimum, ac fere continuum, nullisque cedentem remediis in brachio dextero, quod elevare, aut circumferre vix poterat, passus est. Pruritus frequens per totam cutim. Derepente correptus fuit semel dolore in dextera lumborum regione, qui fuit ita crudelis, & atrox, ut omnino patientiam humanam superaret; debite tamen a me præscriptis remediis cessit. Sobrie vivebat Patiens, licet pinguis esset. Statura eidem mediocris, & quoad reliquum corpus bene dispositus. Curis publicis, & Juris utriusque studio quasi continuo, nimium opprimebatur, hisque de causis nimium sibi de salute detrahebat. Quare die 18. Januarii 1701. prima noctis hora apoplexia derepente correptus, ipso momento interiit.

Aperto cadavere inveni duram matrem stricte satis cranio ex omni parte adhærentem. Sanguis in maxima copia ruptis cerebri vasis intra ventriculos, & universa cranii cavitate fluitabat satis niger, & grumefactioni proximus, penetratisque futuris pericranium quoque inundavit, quod rubicundum observavimus Ingens pinguedinis moles in regione naturali, & omento. In vesica fellis duo erant calculi, alter magnitudine ovi columbini, alter vero paulo minor; ambo tamen duri, nigri, scintillas veluti emittentes, quasi essent congeries nigri salis crystallizati. Pauca bilis, eaque nigra adinstar picis in vesica fellis. Color oculorum, & faciei continuo citrinus. Dolores brachii dextri, & dexteræ lumborum regionis supra descripti, pruritus per cutim, ipsa denique apoplexia originem fortasse debebant latentibus in fellea vesica calculis. Cur enim dexteras corporis partes semper occuparunt dolores, nunquam sinistras; & cur brachii dolores ita perennes, nisi a latentibus in dextero hypochondrio calculis vicinas partes irritantibus, & dolorificas crispaturas ad partes e directo positas producentibus? Nam & in dolore renum a calculo, stupor cruris, & elavatio testiculi e directo observantur.

Sectis cadaveribus, calculorum concretiones pluribus in locis observamus: frequentissime tamen in vesica fellis, & urinaria. In vesica fellis facilius, & levi quaque de causa coguntur: nam cum analysi chymica constet duo esse quæ calculum componunt, principia, sal acre muriaticum sanguinis, & acido-viscidam mucaginem primæ digestionis vitio factam, certe bilis, quoniam dicto sale summopere abundat, si ab cachochymia acido-viscida mucago eidem addatur, brevi concrescet in calculum ea ratione, qua quis ex intemperantia vini, & lactis diu, simulque ingurgitatis, brevi tophos, calculosque patietur. Ex quibus reddi potest ratio, cur existentibus calculis in vesica fellea, germinent quoque in urinaria, & contra. Cur Ictérici calculosi sint, & calculo obnoxii ictero facile afficiantur. Et qui semel calculosus est, nisi fuerit in sex rebus non naturalibus temperatissimus, nec sanguinem per debita remedia, potissimum per aquas minerales acidulas, & chalybeatas, præsertiam Anticulenses, & Fontis Jani spoletinas, quibus hodie utimur, optime repurgaverit novos expectet calculos, qui si fuerint in vesica, signa ipsorum difficilia sunt, obscura, & vix humana mente investigabilia; ut mirum non sit, si Medicos derisioni obnoxios, frequenter reddant, quod obiter moneo, ut cauti sint medici in pronunciandis vesicæ calculis; quia figura illorum etiam expertissimos fallunt.

Porro qui vesicæ calculo laborant pallidi sunt, languidi, lassi, ac veluti impotentes ad motum

cum

cum affectibus capitis quasi vertiginosis, ejusdemque debilitate, idque duplici, ut credimus, de causa. Primo quia ob vehementissimum dolorem centrum gravitatis fluidorum, pene omnium inclinat ad inferas partes circa vasicam, in quibus stimulus potens, vis, & crispatura solidorum summopere viget, qua ratione superiores partes corporis humore debito, & æquilibrato cursu destitutæ pallent, & albent, & ob id etiam universalis languor artus corripit, caputque vertigine, ac debilitate vexatur. Secundo cum bilis etherogeneis, impurisque particulis abundet, inepta evadit, ut chylum solvat, diluat, sanguificationis rudimenta eidem impertiat, quamobrem ex crudo, digestoque chylo talis quoque fit sanguis, indeque albedo, & pallor. Ideo sæpe calculosis icteri veniunt, & circa finem inrermittentium ob succorum debilitatem ab antecedenti febre productam iidem quoque regnant, sicuti videre contingit in puella prope Circum Flaminium, ubi nunc Templum Sanctæ Catherinæ Restionum, & Domus Mathæjorum, quæ post longam intermintentem 24. Decembris 1699. (qua die Emanuel Cardinalis Buglionus pro Innocentio XII. Pontifice graviter tunc ægrotante, & pro Cardinali Cybo Decano fere nonagenario Portam Santam Vaticanam aperuit, cujus apertionis a Cardinale quopiam factæ nullum ante extabat exemplum) molesto correpta ictero, non ante liberata est, quam proxime Kalendas Martias ann. Jubilæi magni 1700.

Sed ut redeamus ad bilis usum, miscetur quoque cum chylo, ut primam eidem pro sanguificatione dispositionem beneficio olei, seu sulphuris præstet, quod in sanguine ad instar rubini nitet; in bile vero, ad instar auri tincturæ sub flavo cortice reconditæ flavescit. Cæpta hæc in chylo pro sanguificatione tinctura invisibilis in eo est, cum retundatur, ac veluti obvolvatur ab acido gastrico, & pancreatico in eodem adhuc latentibus; sed per repetitas sanguinis circulationes aciditate retusa, & absorta, rubineus chyli color, sub acidi tegmine latens in sanguine tandem manifestatur. Docet enim chymia liquores sanguine rubicundiores, affusis acidis lactescere, & albos evadere: qua ratione nil mirum si ob inertiam, vel defectum bilis, cum prima sanguificationis principia acquirere nequeat in intestinis chylus ineptus omnino evadat, ut in sanguinem mutetur.

Denique bilis a quacumque Putrefatione chylum præservat, quod enim in condiendis cadaveribus est aloe, id in arcenda chyli, humorumque corruptione bilis est. Cum enim eliciatur ille ex cibis diversæ naturæ animalium, vegetabilium; &c. facile putrescentium, nisi cum eo misceretur bilis, quæ acri sua vi, laxiva, resinosulphurea putridum omnem acorem extinguit, & nascentes morbosas fermentationes coercet; ob longam, aut indebitam in intestinis moram, non solum promte corrumpererur, sed corruptis fere principiis sanguineæ massæ affusus morbos innumerabiles quotidie produceret. Ita obstructa bilis via ad intestina, statim in his vermes pullulant, in puerili ætate: nam nihil magis inimicum est vermibus, quam amarum: quod solo absinthio in formam cataplasmatis umbilico, vel ubi dolorem in ventre sentiunt pueri, appositio, verum expertus sum in puero prope Mausolæum Augusti, ubi Templum est hodie S. Rochi, & in alio ad Collem Hortulorum, sive Pincium circa Hortos Salustii, qui magnam inde vermium copiam excreverunt. Idem vidi in muliere ægrotante juxta Circum Floræ Rusticæ, vocant hodie Pleteam Grimanam, cujus vermium historiam descripsi hoc anno in Epistola de lumbricis latis ad *D. Andry* Medicum Parisiensem datam, quam cum Libro suo de lumbricis edidit Parisiis 1700.

Non solum vermes ob billis inertiam, aut defectum, verum etiam ex inde nata chyli putrilagine, ejusdemque circa Jecur, & Mesenterium una cum bile congestione, fermentationeque graves, & acutæ febres oriuntur cum magno stercorum fœtore capitisque affectibus, levi delirio, & lethargia; quæ capitis accidentia cum pravo excrementorum odore; cum in principio febrium, & aliquando, si male tractentur, etiam circa finem observo, statim suspicor chyli, bilisque acidam, fracidamque in primis viis putrilaginem, a qua tetri vapores sistemati nervorum, & capiti communicati, præfata cum febre symptomata producunt, certiorque de his factus, statim præscribo purgans *ex decoct. tartari cassia cum fistula, & epithimi, &c. cum solutione syr. ros. solutivi, &c.* cujus usu evacuata ingenti copia fœtidorum stercorum, delirium, febris, & singula pene accidentia, vel remittunt, vel si morbus diu protractus fuerit omnino cessant, prout observarunt nuper mecum Auditores mei in erudito Viro ad Ædes veteres Pomponii Attici, & Balnei Agrippinæ, vocant nunc Vicum serpentum, & S. Vitalis. Et quatuor ab hinc mensibus in homine 50 ann. ægrotante ad mansiones Veteres Militum Albanorum a Tullo Victorum, quo loci sunt hodie Templum, & Collegium S. Mariæ de Vallicella PP. Oratorii S. Filippi Nerii, & aliis pluribus, quos silemus. Ut autem præfati effectus bilis clarius intelligantur, accedamus ad experimenta.

EXPERIMENTA.

I.

NOn est hic animus experimenta describere Idibus Martii circa bilem humanam, caninam, & hædinam in Theatro facta, quorum effectus cum de die in diem mente rebus aliis intenta, notari commode non potuerint, manca illa esset, & imperfecta; sed ea, quæ de bile vervecina magna cum diligentia Domi peregi. Bilem itaque vervecinam in varios cyathos 13. Kalen-

das Aprilis mane, auſtrino tempore diviſi. Ingratus, ac velut urinoſo-fracidus illius odor feriebat caput cum levi dolore, & irritatione in gutture. Color bilis clarus, & colori tabaci ſimilis. Digiti qui bilem tractabant nitidi, ac terſi cum corrugata cuticula evaſcerunt, ut fieri ſolet cum eos ſapone abluimus.

Cum Spiritu Vini rectificato mixta bilis, in actu mixtionis nulla fermentatio. Poſt 24. horas idem color fuſcus. In claro liquore fuſco natabant confuſe alba filula, & in fundo ſedimentum farinaceum. Eadem, ac fere aucta amaricies. Tertio die eadem. Addita aqua communi fuſcus color clarior fiebat. Die 12. odor gratus, liquor clarus, & color fuſcus. In fundo ſedimentum.

II. Oleum tartari affuſum bili nil attulit novi in mixtione. Elapſis 24. horis color ad fuſcum obſcurum tendebat: liquor omnino limpidus, & clarus. In fundo ſedimentum paucum album. Odor veluti ovorum nimis toſtorum. Eadem, imo intenſior amaricies. Tertia die eadem. Addita aqua com. nil novi. Die 12. odor veluti calcis, paucum in fundo ſedimentum, liquor ſupernatans, clarus, color leviter viridis.

III. Sal abſinth. pulver. aſperſum bili nullam in principio mutationem producit. Poſt 24. horas ſal nullo modo diſſolutum jacebat in fundo, reliquus liquor aliquantum clarus. Color colori tabaci obſcuro ſimilis. Idem bilis odor urinoſus, fracidus; eadem amaricies; ſed paulo poſt acrior, & nimium aucta: parum guſtata a me ſtatim vehementem præ amaritie movebat vomitum. Adjecta aqua com. color mutatur in flavo-obſcurum. Die tertio poſt aquam affuſam fœtor aliquis. Idem color. In fundo vaſis ſal non adhuc ſolutum, & uſque ad 15. diem eadem phænomena cum ſale in fundo.

IV. Almen crudum pulver. in actu mixtionis nihil attulit notatu dignum. Secunda die maxima turbatio in liquore. Color liquoris obſcurus, in ſuperficie vero clara viriditas. In fundo viſcida, denſa, ac cinerea offa reſidebat. Odor qualem ſaliti piſces ſpirant. Amaricies remiſſa. Tertia die eadem in omnibus. Mixta aquæ com. ſtatim butiraceum colorem acquiſivit. Die 12. liquor clarus. Idem odor. In fundo ſedimentum fuſcum.

V. Cum aqua cinnamomi poſt 24. horas in fundo ſedimentum albo-cinereum. Liquor ſupernatans clarus, coloris fuſci, ſed non multum obſcuri. Odor erat aq. cinnamomi, quæ urinoſo-fracidum vervecinæ bilis odorem ſuperaverat. Amaricies grata guſtui, nec adeo acuta, ſicuti cum ſale abſinth. obſervavi. Tertia die eadem in omnibus. Affuſa aq. com. nulla coloris mutatio. Odor tamen gratiſſimus. Die 12. turbato, & malus odor.

VI. Tinctura Cantharidum ſuper cineres calidos aqua ſimplici elicita, & bili mixta, in mixtionis principio nullam ſubit mutationem. Secunda die in fundo paucam ſedimenti tenuis farinacei copiam depoſuit. Liquor ſupernatans clarus erat, & coloris tabaci. Odor ingratus, qualem ebuli folia contrita exhalant. Amaricies non multum ingrata. Tertio die eadem. Poſt additam aq. com. nil novi. Die 12. turbatio in omnibus, color veluti rubicundo fæculentus cum inſuavi odore.

VII. Cum ſpiritu ſalis acidi vulgaris ſtatim fermentatio, & mutatio coloris in obſcure flavum. Secunda die color intenſe viridis, & in fundo veluti farina craſſa alba. Odor ingratus, qualem ſaliti piſces præſeferunt. Ingrata amaricies, quæ parum guſtata veluti vomitum ciebat. Tertia die eadem in ſingulis. Mixta aqua com. clarior liquor ad album tendebat. Die 15. idem odor, ſed paulo remiſſus; in fundo viride ſedimentum; liquor ſupernatans clarus, & viridis.

VIII. Spiritus Cornu Cervi bili junctus ſtatim mutavit colorem in flavum eleganter clarum, licet aliquantum obſcurum. Nullum in fundo ſedimentum. Odor ſpiritus bilis odorem obſcurabat. Amaricies grata, ſicuti pene cum aqu. cinnamomi apparuit. Tertia die idem bilis color, claritas, & odor uſque ad octavum: tunc affuſa aq. com. omnia clariora fiebant. Die 15. poſtquam nempe aquam addidimus, turbatio, confuſio, color vitellinus, & odor ingratus.

IX. Cum ſpir. ſal. armon. poſt 18. horas color elegantiſſimus adinſtar rubini undique clarus. Odor ſalis arm. bilem odore ſuperabat. Sapor cum grata amaritie, ut factum eſt cum aqua cinnam. & ſpi. Cornu C. Tertio die eadem. Color magis obſcurus, & hæc uſque ad decimum diem. Quo tempore ex mixtione aq. ſimp. acquiſivit colorem vini albi clarum, & elegantem. Poſt hæc ob aquam ſupperadditam turbatio, confuſio, & odor inſuavis.

X. Cum ſpiritu nitri ſtatim mutatio coloris in vitellinum cum levi fermentatione. Secunda die color intenſe viridis, & magis quam cum ſpirit. vitrioli. Odor ingratus, acidus.

In fundo offa alba craſſa. Liquor ſuperior viridis, & aliquantum clarus, limpiduſque; & ſapor acido-amarus. Tertio die eadem in ſingulis. Aqua com. ſuperaddita, intenſa viriditas remittebat. Die 11. ſedimentum copioſum, cui ſupernatabat liquor clarus, ſed nimium viridis. Idem color.

XI. Cum ſpir. vitrioli confeſtim colorem mutavit in vitellinum (ſæpe diximus colorem bilis vervecinæ fuiſſe fuſcum, quod denuo moneo) cum exigua ebullitione. Secunda die magna turbatio in omnibus. Filamenta craſſa confuſe natabant in liquore. Color undique viridis ad ceruleum inclinans. Odor veluti piſcium ſalitorum. Sapor omnino acidus. Tertia die eadem in omnibus. Acidum potenter feriebat nares.

XII. Cum aqua forti mixta bilis, ſtatim bullæ, quæ ſtatim virideſcebant cum tela veluti

cerulea

cerulea natante. Post 14. horas odor acuciſſimus acidum ſprans. Confuſio magna. In fundo ſedimentum craſſum farinaceum. In medio liquor aliquantum clarus. In ſuperficie craſſa veluti mucilago innatabat coloris albo-cinerei cum ſpuma, & bullis ad latera vaſis. Die tertia eadem. Odorem tamen referebat veluti lactis acidi, & currupti. Die 11. eadem.

XIII. Cum aceto ſtatim mutatus color in vitellinum omnino craſſum. Secunda die ſedimentum depoſuit in fundo craſſum farinaceum. Liquor ſupernatans coloris ſubviridis, ſed turbidi. Odor urinoſo fracidus, ut ſolent ſaliti piſces exhalare. Amarities retuſa. Tertio die eadem uſque ad 15.

XIV. Cum aqua com. mixta bilis ſtatim color ex obſcuro fuſco mutatus in flavum, non ita tamen pellucidum, acuties odori bilis eadem, ac quaſi intenſior. Poſt 24. horas idem color urinoſo fracidus. Color parum virideſcebat. Affuſa pauca aquæ nova quantitate, idem viridis color; amarities ſummopere remiſſa. Tertia die turbatio in liquore, in ſuperficie erat veluti tela, ut in corruptis rebus fieri ſolet, & ingens fœtor.

XV. Cum vino albo temperate dulci ſucceſſit confeſtim turbatio in bile, & mutatio coloris in flavo-turbidum, acrimonia bilis nares feriens ſtatim temperata. Poſt 24. horas ingratus bilis odor deſiit. In fundo depoſuit veluti farinam albam, liquor ſupernatans flavus, clarus, & intenſe amarus. Die 3. eadem, nullus fœtor. Decima ſecunda fœtor, & turbatio maxima in omnibus, &c.

XVI.

EXPERIMENTA VARIA.

IN Theatro anatomico nigra bilis Cadaveris hominis eo die reſecti, affuſa aqua cinnamomi, ſtatim flava evaſit abſque ulla fermentatione, & ad tertium ita duravit.

Ejuſdem Cadaveris fellea bilis addito ſpiritu vitrioli ærugineum acquiſivit colorem, & fere ad atramentum accedentem.

Bilis vituli recens mactati cum ſpiritu vitrioli ex flava viridis ſtatim facta eſt, & ita ad tertium permanſit. Minus viridis cum ſpiritu nitri. Cum oleo tartari eadem bilis concreta fuit magna ex parte in offam albam, quæ in reliquo liquore hinc inde veluti divulſa innatabat.

Bubula bilis ex mixtione ol. tartari per deliquium concreſcebat in coagulum veluti fibroſum cum ſpuma, eodem permanente colore.

Bubula quoque bilis mixto mercurio ſublimato illico coagulatur cum obſcura viriditate, & viriditatem quotidie creſcentem vidi.

Bubula bilis cum ſpir. vitrioli, magna antecedente ſpuma, coagulatur in viridem Maſſam, aciditate integra manente, & viriditate. Poſt 24. horas viride, & craſſum ſedimentum in fundo. Idem ſapor.

CONCLUSIO

Ab experimentis deducta.

SEd hic audio obmurmurantem Medicum, quid hæ bilis ſteriles, & nudæ obſervationes ad recte medendum? Quid hæc liquorum anatome languenti homini utilaitits feret? Horum, quæ mihi forſan objicientur, vetus etiam cantilena fuit quamplurimorum Medicorum contra experimentorum per infuſoriam in vivis animalibus Auctores, quaſi ea ad pompam artis potius, & inanem curioſitatem, quam ad commodum aliquod inde capiendum facta eſſent. Ae ſicuti ipſi ſpretis id genus convitiis alacriter ſe dederunt inveſtigandæ partium per multiplicem liquorum infuſoriam ſtructuræ, eandemque magno cum labore pertractantes, totius corporis veram compagem, & genuinos partium uſus magno cum Medicinæ incremento detexerunt; ita futurum ſpero, ut ſi quis animum dederit anatomicæ humorum inveſtigationi per variorum liquorum infuſionem, argumento ſane a paucis animadverſo, & examinato, eum magnam lucem curationi morborum allaturum, ingentemque ob id ſibi laudem ab univerſa poſteritate reportaturum exiſtimo. Magna enim morborum pars cum ſedem in fluidis habeat, examen, quod circa ipſa peragetur, chymia vel infuſoria duce, fieri non poteſt, ut in curationis morborum utilitatem non redundet.

Qui enim curationi, praxique dant operam, recte iciunt, indicationes curativas peti, non ſolum a cauſis magnis, & patentibus, verum etiam a minimis quibuſque circumſtantiis, & occaſionibus, & vilibus etiam accidentibus, quæ ſi ſpernantur, vis, & anima morbi ſpernitur, & per conſequens occaſio recte medendi. Nec ſolum morbi naturam, ſed occaſiones ejus ad bene medendum noſſe oportet. Sola linguæ ariditas cum flavedine latentes veſicæ vel aliorum viſcerum inflammationes aliquando detegit, quas alia ſigna vix manifeſtant. Solus humorum color quandoque ſufficit, ut in cognitionem veniamus morbi, ejudemque cauſæ, & eo duce curativas indicationes dirigamus.

In tertio experimento ſal abſinthii bili mixtum ſuper fundo cyathi hæſit, nec ſolvi unquam potuit: & tantam ex eo bilis amaritiem acquiſivit, ut leniter guſtata vomitum præ amaritudine cieret. Ex hoc quis non deduceret, exiguam aquæ portionem adeſſe in bile, & ideo ſal abſinthii ſolvere non potuiſſe; & bilis virtutem nihil magis accuere, aut augere, quam ſalia lixivialia plantarum, & amaras plantas, quæ partibus ſuis acribus, fundentibus, debilia, & languida bilis principia reſtituunt; ac proinde in morbis chronicis viſcerum naturalium, in quibus acidum, & acido-viſcida cacochilia ob inertiam bilis vel ejuſdem inopiam regnat, & inde humorum concretiones naſcuntur, ceteris præſtare

reme-

remediis salia plantarum fixa, & herbas eodem sale abundantes, quibus restituta bilis temperies, confectio, ac depuratio chyli melius perficietur, & præcludetur occasio novis cumulandis humoribus, vel jam cumulatis stagnandi, hærendique in visceribus?

In decimo, & aliis experimentis, quæ cum acidis facta sunt, bilis maximam mutationem in colore, & tota substantia subit, quasi nihil magis inimicum sit bili, quam acidum. Et si hæc exterius contingunt bili, cur negabimus etiam in humano corpore ab acidis peccantibus eadem fieri posse? atque cum excrementa videmus nimium in colore mutata, & ad viridem, eruginosum, &c. accedere, id ab acido maligno vitriolico corrodente factum esse credamus, cui retundendo curativas indicationes dirigere nemoremur. Ipse contra hujusmodi potentia acida utor. chrystall. mont. præp. cum bezoar. oc cid. cum profectu. Et quoniam acidum purgantibus non cedit, nisi corrigatur, eo correcto purgationem instituo, ne mora pejus malum inducat. Ubi igitur regnat acidum, ibi inopia bilis est, vel maxima mutatio in tota ejus substantia. In experimentis cum aq. cinnam. & spiritibus factis, bilis color elegantior, & nulla in ea corruptio; quasi concluderemus in bile magnam partem esse alkali volatilis, quod dum in illa viget, nunquam bilis colorem mutat in pejus, sed constanter optimum servat. Contra si alkali depresso corrumpatur, confestim mutatio in colore fit. Hæc Itaque humorum per infusoriam anatome manuducere nos potest ad cognitionem malium, qui regnant in iisdem; quibus perspectis curatio, & præsagium morbi commodius peragentur. Est incredibile quantum intacta hæc Medicæ artis provincia utilitatis feret, si diligenter, magnaque cum patientia excolatur. Atque hic finem habeat experimentorum bilis historia, quam humanitas tua fere e manibus extorsit: nunc ad respirationem, & experimenta sanguinis, quæ paucis absolvam properemus.

DISSERTATIO IV.

DE EXPERIMENTIS

Circa Sanguinem. Ubi obiter de Respiratione, & Somno; de Statice aeris, & liquidorum, per observationes barometricas, & hydrostaticas, ad usum respirationis, explicata; & de Circulatione Sanguinis in testudine, ejusdemque Cordis Anatome.

QUoniam respiratio in gratiam sanguinis facta esse videtur, rem gratam, & maxime necessariam me facturum credo, si antequam experimenta circa sanguinem peracta describam, nonnulla breviter de Respiratione attingam, utpote cujus investigatio indicare nobis poterit causam, quæ ipsum per pulmonum substantiam impellit, secernitque.

Respiratio est actio, sive Vis Animalis, ita recondita, & abstrusa, ut qualibet ætate, felicia quæque Medicorum ingenia fatigaverit, cum de illa differere voluerunt. Et difficultatem inde natam esse nonnulli putant, quod in ea explicanda, causam ab effectu, effectum ab instrumentis non recte distinxerunt, sed promiscue instrumentum pro causa, & causam pro effectu sumentes, ac confundentes, errorlbus, & confusioni occasionem dedisse existimantur. Musculi namque pectorales, intercostales, diaphragma, ac reliqui respirationi dicati pro causa respirationis sumebantur: cum re vera nil aliud sint, quam mera instrumenta inservientia causæ cuidam generali, sive necessitati, quæ homines, animalia, & vegetabilia ad hauriendum aerem cogit; atque adeo eos quodammodo ad pulmonis motum moveri, pulmones ad motum aeris in ipsorum cavitates impulsi, ac se expandentis. Porro quod respiratio necessaria sit, ut cordis incendium refrigeret, fuligines expellantur, nitrum aeris separetur in pulmonibus, & sanguini misceatur, demum ut aer ingrediatur in sanguinem, &c. hi sunt effectus respirationis secundarii, nec confundendi cum causa universali, viventibus, & vegetabilibus communi in aere ducendo, hauriendoque.

Atque cum de respiratione, & arcana ipsius mechanice tractationem habeamus, eadem difficultas in ea explicanda notari solet, quæ in examinanda natura somni solet contingere. Quando differitur de somno, magna ex parte ejus causa quæritur in cerebro & in eodem determinatur; raro investigatur causa quædam universalis, ac remota in solidis, ac fluidis latens, somnumque ducens; & hac ratione hic quoque causa cum effectu confunditur. Ad quorum clariorem intelligentiam sciendum est, quod sicuti sapientissimus rerum Conditor alternas diei, ac noctis vices produxit, ut per diem motu, calore, & irradiatione Solis, tanquam causæ cujusdam generalis, res creatæ in motum ponantur, quo singulæ quos quoque effectus parere possint; per noctem vero a motu aliquantum quiescant, ne si continuus esset, dissolutionem compagis, corruptionemque pareret. Ita humani structura corporis, ut in salubri statu permaneat, motum continuum cum quiete interposita requirit, diem vigiliis, & exercita-

citationi, ad humores excitandos, noctem quieti, & somno, ad eosdem, si nimium effrænes fuerint, demulcendos, debet impendere: neque causam, quæ ipsum ad dormiendum invitat, investigare poterimus, nisi ante vigilantem eundem consideremus. Homo dum vigilat in perpetuo est motu, currit hinc inde, recurritque, membra varie circumfert, & magna ex parte erectus: ac perpendicularis manet. In erecto, ac perpendiculari corporis situ, quoniam humores ab inferioribus partibus ad superiores, ideſt ad vitæ fontem cor, ascendere debent, ascendunt quidem, sed contra vim innatæ suæ gravitatis eos ad inferiora semper pellentis: coguntur quoque hinc inde per musculos, viscera, viasque partium obliquas, & curvas varie trajici, ac filtrari. Quibus innatæ suæ gravitati contrariis motibus, debiliori reddita ipsorum compage, minorem vim in solida faciunt, quorum intensio, & robur a fluidorum vivida vibratione, impulsioneque dependet. Hac de causa paulatim relaxari quoque incipiunt solidæ partes, ex quo fit, ut paucis horis ante somnum experiamur primo lassitudinem, sive quamdam membrorum relaxationem; paulo post debiliori sensim redditа fluidorum, solidorumque compage, universalem torporem cum palpebrarum concidentia, denique sensuum omnium intermissionem, quam vulgo somnum dicimus. Quæ quidem omnia contingunt, ut veluti cogant animal ad mutandum situm corporis erectum, incommodum, ac pene violentum humorum progressui, in horizontalem, & planum, veluti necessarium ad restituendum solidis, & fluidis amissum ob laxatam compagem robur, unde qui diutius, ac vehementer laborant, & exercentur, longius quoque, profundiusque dormiunt. Qua de causa nec commode, nec cum levamine capere somnum possumus, nisi corpore in longum, & horizontaliter distento, ac strato. Ob eandem quoque solidorum, ac fluidorum laxiorem texturam pueri, & pituitosi homines sunt magis ad somnum proclives, quam adulti & bilioſi.

Qui mechanices ignarus non est, certo scit, fluida in situ horizontali commodius, celerius, & juxta inclinationem innatæ suæ gravitatis percurrere, quam in elevato, aut obliquo. Ideo decubitus horizontalis in lecto statutis diei horis necessarius fuit, ut fluida per aliquod tempus in sua libertate posita, nec ab externo motu, aut interno, ab animi facultatibus impresso distracta, possint per partes progredi cum tanto gradu celeritatis, ac impetus, quantum ab impulsu cordis receperunt, & quantum sua cujusque gravitas, motusque internus fermentativus expoſcit. Et in hoc statu tamdiu manere debent, donec tam fluidum generalem, quam particularia fluida ad talem pervenere motus determinationem, quæ ad secretiones singulis in partibus peragendas necessaria est, sive quousque per somnum, situmque corporis horizontalem debita humoribus restituta compage, ac tono, illorum centrum gravitatis dictis de causis turbatum ad naturale æquilibrium perducatur. Quo facto, positisque humoribus in æquilibrio, acquisitoque a singulis proprio gravitatis centro animal expergiscitur, situmque horizontalem in rectum denuo commutat. Et si in dicto situ horizontali post somnum inutili jam, ac minus necessario, magis quam par est persistere quispiam vellet, turbato ob indebitam quietem humorum cursu, centroque gravitatis, varios in morbos delabetur, nam æque noxius est somnus abundans, ac labor excedens.

His positis, reddi potest ratio, cur effectus somini in cerebro potissimum, & magis quam in aliis partibus observentur, ac veluti absolvantur. Nam cum omnium mollissimum sit, quia singulorum centrum esse debebat sensuum, nil mirum si laxiori, ut dixìmus, reddita fluidorum compage, ibidem magis, quam alibi hæreant, tardiusque progrediantur, unde gravedo quædam capitis, sensuumque omninm silentium, & torpor, quem somnum vocamus. Quare singula, quæ fluidorum compagem laxant, turbationemque in fluidis inferunt, somnum producere solent, sicuti sunt morbosæ causæ in læthargicis febribus, & affectibus, vinum, repletio cibi, & potus: e quibus novum liquidum elicitum, sanguinique intromissum turbationem in tota fluidorum mole, laxitatemque inducunt, & hinc statim a pastu somnolentia. Ex quibus concludendum causam, quæ nos ad dormiendum cogit, non tantum in cerebro, quantum in solidis, ac fluidis quærendam esse, ac investigandam, quorum laxato tono torpor, membrorum concidentia, necessitas decumbendi in horizontali situ, & id genus alia contingunt, quæ somnum antecedunt, vel consequuntur.

Explicata causa somni, & ab affectu debite distincta, eadem methodo procedendum erit in examine respirationis. Qua in re tria sunt prius distinguenda, causa, nempe, effectus, & instrumenta; deinde de usu disserendum. Et quod pertinet ad instrumenta, musculos intercostales, diaphragma, pulmones, &c. libenter ab iis describendis abstineo, cum ab omnibus Anatomicis fuse satis explicentur: nec arduis solvendis quæstionibus tempus perdam, num pulmones ad motum thoracis, vel contra moveantur, & dirigantur varie, utpote quibus Medicorum libri quam pleniſſimi sunt, sed tantummodo investigationi causæ incumbam, quæ animalia, & vegetabilia ad trahendum aerem impellit, & cogit.

Si recte perpendatur aeris moles, gravitas, ac circumpulsio, constabit causam universalem, quæ viventia ac vegetabilia ad illum sugendum, hauriendumque per proprias fistulas cogit, solum atque unicum aerem esse. Etenim cum aer gravis sit, & inferior prematur a superiori, qui pressus est eo cogitur ingredi, ubi minorem invenit

resi-

reſiſtentiam, quam quidem in trachæis plantarum, & animalium eſſe mox probabimus. Quæ ſi vera ſunt, credere poſſumus moveri thoracem, & reſpirationis inſtrumenta, quia compreſſus aer, & ingreſſum in pulmones ſibi procurans, facit ut hi locum cedant, & ad motum aeris ingredientis pariter moveantur; non vero, uti putant nonnulli, moveri primo thoracem, & vicinum aerem pellere, ut pulmones ingrediatur. Neque quis dicat motum thoracis, utpote motum aliquantum voluntarium, non pendere ab impulſu aeris introeuntis, ſed ab arbitrio hominis reſpirantis, qui ſi reſpirare nolit, thorax non movebitur, & aer non ingredietur. Siquidem hæc experientiæ repugnant: nam non reſpirando poterit vim facere gravitanti aeri ne ingrediatur, ſed per breve tempus, quippe compreſſus aer coget eum, velit, nolit, ut reſpiret. Qua ratione certum quodam modo videtur, ſi aer non adeſſet, neque reſpirationis inſtrumenta neceſſaria futura, ut fere contingit infanti in utero, qui cum natet in aquis uteri, & vivat vitam piſcium, nullamque ab externo aere preſſionem patiatur, pulmo, & reſpirationis inſtrumenta paulum otioſa in eo obſervantur. Pulmones fœtus mortui in utero Matris, ſi extrahantur, & in aqua ponantur, petunt fundum: mortui vero extra uterum, & aquæ injecti, innatant in ea. Quod ſignum ad infanticidia detegenda eſt evidentiſſimum.

Verum, quod præcipue ſpectat ad aeris naturam, & pondus, Aer non eſt poſitive levis, ut Veteres putarunt, nullum enim corpus eſt poſitive leve, ſed habito reſpectu ad alia corpora. Omnia enim corpora gravitant, & ob gravitationem hanc, & impulſum inter ipſa, alia coguntur aſcendere, alia deſcendere, ut in bilance contingit. Aerem gravitare primus omnium detexit *Galileus*, qui cum vidiſſet aquam in hidraulicis ſuctione altius non attolli pedibus 34 circiter, pendere id a gravitate aeris, non a ficta & ridicula vacui fuga variis experimentis comprobavit. Ejuſque veſtigia ſecutus *Torricellius* rem magis illuſtravit, perfecitque experimentis circa hydrargirum in vitreo tubo clauſum factis, notatiſque in Diario Acad. Florent. Deinceps alii docti Viri, & celebres, Acad. Romana, Londinenſis, Pariſienſis, ac reliquæ, hoc idem clarius demonſtrarunt, ſed omnium melius accuratiuſque *Boylaus*, qui non ſolum gravitatem in aere, ſed elaterem, nec aerem tantum, ſed flammam etiam gravitare explicavit.

Duæ igitur præcipuæ aeris affectiones ſunt gravitas, & vis elaſtica. Gravitas a natura ſua, & preſſione ſuperincumbentis, vis elaſtica a preſſione dumtaxat dependet; partes enim compreſſæ majorem ſemper, ac priſtinum, quem amiſerunt, ſitum omni ope recuperare conantur. Et ut quælibet aeris pars ſuam habet gravitatem, quæ factis experimentis fere eſt milleſima ejuſdem molis aquæ, ſic tota aeris moles ſuum habet pondus, quod tamen finitum eſt, cum moles aeris finita ſit: ſed gravius eſt in montium radicibus, quam in eorumdem jugis, gravius in infima Palatiorum parte, quam in ſuprema, ut barometro experimur. Pauca inter innumera hic deſcribam experimenta aeris gravitatem probantia. Et primo ſi ſumatur tubus vitreus mercurio plenus cum ſubjecto vaſe mercurium quoque continente, ponaturque in machina pneumatica; paulatim, ac extrahitur aer, paulatim ad inferiora concidit mercurius e tubo, quia deficit preſſio aeris in ſubjectum vaſis mercurium; ſed aere denuo per gradus intromiſſo, ſubjectumque premente mercurium, mercurius in tubo ſtatim aſcendit. Follium quoque experimento gravitas aeris demonſtratur. Folles enim clauſis omnibus foraminulis deduci non poſſunt, quod eorum dilatationi moles incumbentis aeris reſiſtit, & obſtat, quæ vinci non poteſt, niſi vis ingens adhibeatur. Eandem gravitatem ſatis probant, quæ vulgo dicuntur de ſiphonibus injectoriis; de carnis intra cucurbitulas medicas in tumorem elevatione; de impedito exitu aquæ e foraminibus vaſis, cujus amplum foramen, per quod patet preſſioni cylindrorum aeris gravitantium locus, claudatur; de difficillima, ac pene ſuffocatoria reſpiratione in altiſſimis montium Pervanorum jugis, teſte *Joſepha Coſta*: & in cacumine montis Olympi, obſervante *Ariſtotele*, & id genus infinitis, quæ brevitatis gratia prætermitto.

In aere tamen gravitatem ineſſe, eamque determinatam, determinatus aſcenſus aquæ, & hydrargiri in ſuis tubi, ceteris evidentius pateſaciunt. Aqua, ut primus omnium notavit *Galileus* Italiæ decus, intra antlias aſpirantes eo altius aſcendit, quo major adhibetur ſupra vis, ſed nunquam attollitur ſupra altitudinum 34. pedum plus minus: varia tamen aeris temperie, varia quoque liquorum elevatio cernitur; quando levis eſt aer, ut Æſtate, vix ultra pedes 32. aſcendit, quando gravis, ut hyeme ad pedes 35. circiter. Neque ob vacui fugam altius non attollitur, ſed quia cum vis, quæ aquam premendo ſurſum eam tollit, non alia ſit, quam pondus columnæ aeris, quæ antliæ ipſi latitudine æqualis eſt, & pondus aeris finitum ſit, eo uſque aquam intra antliam evehet, donec fiat quoddam veluti æquilibrium aquæ elevatæ, & columnæ aeris incumbentis. Preſſio ergo aeris incumbentis æquipollet preſſioni, ſive altitudini aquæ pedum 34. circiter majori vel minori, ſervata ſemper proportione ſpecificæ gravitatis liquorum, & aeris pro varia ejuſdem in diverſis annorum, & temporum conſtitutionibus quoad gravitatem, & levitatem naturæ. Et ſi tubus longior fiat, ut porrigatur ad altitudinem pedum 49 tum aer cedere cogitur, & aqua ad 34. pedum altitudinem circumcirca ſuſpenſa manebit, reliquum vero tubi, ideſt ſex pedes vacui erunt. Certo argumento, non metu vacui, ſed ſolo aeris incumbentis pondere aquam in tubis tamdiu ſuſpenſam manere, donec aeris gravitas aquæ gravitatem non vincat. Et ſi ob fugam vacui

fieri

fieri hæc putentur, cur aqua altius 34. pedum attolli nequit in antliis ? cur 34. pedum altius manere non potest ?

Sicuti aqua non ascendit altius pedibus 34. ita mercurius unciis 29. ideſt digitis 28. 29. 30. circiter pro varia constitutione aeris ; est enim mercurius quatuor decuplo aqua gravius. Atque si tubi vitrei, quem barometrum vocant, altitudo perpendicularis superficiei hydrargiri infra in vase contenti, major sit digitis 29. hydrargirus suspendetur in tubo, nec decidet, idque non ob vacui metum ; sed quia pondus aeris incumbentis æquipollet ponderi digitorum hydrargiri plus minus 29. sustineturque a contrapondio aeris externi prementis hydrargirum vasis subjecti, natura quippe suis in rebus semper affectat æquilibrium. Subsidebit tamen aliquantum hydrargirus tubi, parte aliqua subtus effluente, donec perveniat ad altitudinem unicarum 29. pondus namque hydrargiri cum aqua ejusdem molis comparatum rationem habet 14 ad 1. ut fere unus hydrargiri digitus 14. aquæ digitis æquiponderet, quæ singula nos movent ut credamus effectus, motusque corporum, qui ad fugam vacui referri solent, ex aeris pondere, & elementorum veluti æquilibrio proficisci.

Occurrit nunc difficile solvendum problema, cur flante Borea, & Cœlo sereno aer gravior sit, quam Austro flante, & calida constitutione, ut barometro expertum est, & relatum a doctis Viris ; nam in tubo ascendit vigente Borea mercurius, descendit contra in australi temporis statu, quod idem in machinis hydraulicis per aquæ ascensum, ac descensum manifestatur. Horum ratio est, vel quia flante Austro pars quædam crassi aeris in pluvias, aut nubes concrescit, quas halitus e terra sublati sustinent, & ita pondus minuunt ; vel potius quia boreali tempore aer fit densior, magis compactus, magisque gravis propter vapores, halitusque terræ cum eo mixtos, & in unum corpus concretos, unde major nascitur in aere gravitas. Ideo flante borea asperior, ac veluti undulosus optico tubo ob majorem gravitatem atmosphæræ aer, quam austro ; montesque nivibus pleni eminus non ita distincte sereno Cœlo cernuntur, ut solent nubilo. His accedit quod Aquilo dum spirat, ruit deorsum, & materiam infra se positam premit, contra Auster rarefaciendo eandem supra attollit.

Horum ut certior fierem veras cum barometro observationes Romæ peregi in varia aeris constitutione, & vidi imminente Austro, quasi aer magis rarefiat, minusque ponderet, mercurium in tubo insensibiliter deprimi, elevari contra in frigidum mutata constitutione. Attolli quoque ad radices alicujus collis, deprimi in summitate, quod etiam in summo, & imo altissimorum palatiorum expertus sum. Ita in eodem aeris quoad gravitatem statu, aliam deprehendi hydrargiri altitudinem in cacumine Collis Vaticani, quem dicunt Montem Marium (quo loci fuit 40. ab hinc annis Villula docti Viri Jani Nicii Erithræi, nunc est Ædes sacra religiosorum Hominum, ab eo fundata, suaque ossa ibidem quiescunt) aliam in imo, minorem illic, majorem hic, minorem quoque in summitate turris Capitolinæ, in qua pulsatur æs Campanum, quod raucos vocat Causidicos ; majorem in foro Romano prope Columnas veteris porticus Templi Concordiæ, propter breviorem illic, quam hic gravitantis aeris cylindrum, levioremque pressionem. Sed qua proportione crescat, & decrescat singulis momentis, res est longioris, magisque accuratæ indaginis.

Præter innatam graviratem habet quoque aer superadditam a superincumbente Luna & si conjectari licet, etiam a Syderibus. De Luna nemo dubitat, nam cum sit corpus grave, & opacum, habeatque centrum gravitatis commune cum centro gravitatis telluris, premit immediate subjectum aera, atque æthera ; & hac continua pressione varios, ac prorsus admirabiles effectus in sublunaribus producit ; præ ceteris vero æstum marinum, sive certam, ratamque fluxuum, ac refluxuum marinorum periodum, qui ita accommodate Lunæ motus sequuntur, ut credendum sit Lunæ, marisque motum, vel ab altero alterum, vel a communi quopiam principio gubernari, quod explicatu non erit difficile hoc sæculo, quo primus magnus *Galileus* principia mechanica difficultatibus philosophicis solvendis adhibuit, & mundana corpora, eorumque motus ad Statices principia, legesque dirigi, & absolvi probavit. Taceo hic quæ idem *Galileus* circa uniformitatem motus Lunæ, & maris ex theoria motus diurni, atque annui globi terraquei deduxit, cum hæc veritati catholicæ religionis non consonent.

Qua ratione Lunæ corpus subjectum æthera premendo gravitatem aeris auget, varioſque in rebus sublunaribus effectus producit, eadem reliqua quæque sydera in hæc inferiora influere, si quisquis assereret, puto non multum a rei veritate aberraturum. Si quidem cum sydus quodlibet de genere corporum sit, gravitet, & suspendatur in æthere, hunc forsan premit, tremulamque infinitorum syderum pressionem ad atmosphæram usque nostram propagari crediderim. Neque obstat lucida esse, levia, & ignea ; nam flamma quoque tenuis est & lucida, & tamen gravitat, ut de ponderabilitate flammæ docuit *Boyleus* Atque si vera sunt, quæ de syderum influxu dicuntur, sola pressione, atque irradiatione influere putarem, quibus quidem innumeros effectus in atmosphæra nostra pariunt, varias nempe annorum, temporum, & morborum constitutiones, varias quoque in meteoris impressiones, & quamplurimas in viventibus, ac vegetabilibus mutationes,

tiones. Quarum non ignarus *Hippocrates* magnus in morbis difficilibus, quique debite præscriptis remediis non cedunt, ad potestatem Cœli respiciendum esse consulit; ait quippe lib. de diebus judic. n. 1. *Iderumque enim hominis natura Universi potestatem non superat, &c.* Et quod sæpe animadvertit ipse, ut observemus, an aliquid divinum in morbis insit, pro divino certe nihil aliud intelligo, quam occultam, ac omnino reconditam superiorum cum inferioribus connexionem, & Universi in sublunaria potestatem. Et probabile videtur, corpora per aera vagantia vitalium infinitarum pressionum, alia cogi ut ascendant, alia descendant, & invicem varie misceantur; ut bullæ vitreæ solent, quæ in aqua tubo vitreo conclusa natantes, attollente se, aut deprimente digito foramini tubi applicito, ipsæ quoque modo attolluntur, modo deprimuntur.

At sive pressione, sive lucis propagatione influant sydera, hujusmodi influxuum operationes plurimis in rebus observantur, nec solum a Botanicis, & Pharmacopæis in plantarum genere, & a Philosophis in animalibus, & mineralibus, sed a Practicis quoque in morborum curationibus. Capitis vulnera, plurium Medicorum observatione, periculosa magis sunt in plenilunio, quam in novilunio, quia in hoc cerebrum magis subsidet, in illo turget, fitque cranio vicinius. Luna silente morbi graviores fiunt; quod præ ceteris in calculosis observarunt Medici, & in aliis morbis varii varia detexerunt, quæ syderum in res naturales influxum evidentissime probant. Quamobrem agendi, & patiendi ratio a quodam corporum cœlestium influxu est, & constat quantum hæc inferiora superiorum impressiones experiantur; præsertim cum qualitates quædam interjaceant, quibus mediis supera cum inferis consentiunt, quæ causa est cur corpora nostra artis qualitates, ejusque mutationes facile experiantur, & una cum temporibus mutari corporis conditionem observemus, & quale aeris pondus, aliæque qualitates, tales esse quoque nostrorum humorum motus, separationesque. Ceteris tamen syderibus magis patentes influxus producit Luna, quod etiam ipse quatuor ab hinc annis admiratus sum in erudito Juvene ad Mausolæum Augusti decumbente, ubi Templum est hodie S. Rochi, qui cum laboraret fistula stercoracea in intestino Colo prope jecoris regionem, crescente Luna ingens stercorum humorumque copia per illos dies e fistula prodibat, quæ paulatim eadem decrescente minuebatur; cujus rei certam habebat experientiam ægrotus, ut de Lunæ quadraturis & periodis sola humoris per fistulam excreti observatione rite judicaret.

Dicam quoque quod de Lunæ motibus ab erudito Presbytero Syro Damasceno, in maritimis itineribus, & in re nautica versatissimo, audivi, eam nempe, veluti dies critici solent, statutis, determinatisque periodis in hæc inferiora influere, mutationesque temporum producere. Qua in re sic procedendum esse me docuit. Post duas, vel tres horas a facto novilunio vide, quæ temporis constitutio, qui venti tunc regnent; & qualem constitutionem, ventosque dictis horis observaveris, tales durabunt ad tertium diem Lunæ, scilicet ad dictam horam, qua factum est novilunium. Si tertio non mutetur, durabit ad quintum circa dictam horam; si neque quinto ad septimum, a 7. ad 9. a 9. ad 11. ab 11. ad 13. ab hoc ad 15. inde ad 17. hinc ad 19. a 19. ad 21. ab hoc ad 23. ad 25. ab hoc demum ad 27. finem lunaris periodi. Si quid circa mutationem ventorum, aut temporis, aut eorum durationem evenire debet, dictis diebus, & ordine recensito eventurum pro certa, & infallibili Nautarum experientia confirmavit Vir optimus; mutationesque majores, ac magis sensibiles in quadraturis Lunæ futuras asserunt. Quæ si certa sunt, rationem periodorum regularium, & ordinatarum in diebus criticis pro imperscrutabili hactenus habitam, exploratam nunc habebimus, & fere patefactam.

Constat ex antedictis, aerem natura sua esse gravem, oportet ergo, ut partes ejus superiores gravitent in inferiores, hæ in proxime subjectas, & ita continua serie usque ad atmosphæram, & aerem, quem inspiramus, & hac ratione elateri aeris, vim undequaque sese dilatandi, atque expandendi gravitati partium incumbentium æquipollentem communicent, parteque aeris, quem respiramus, superioribus compressæ magis sint, magisque gravitantes.

Vis elastica, sive potentia innata aeris ad majora spatia sese expandendi, immediate pendet ab ejus gravitate, & compressione. Hanc vim elasticam dari infinitis experimentis inter ceteros probavit *Boylæus*, ut esset puerile eadem negare, vel multis hic probare velle. Imo multorum in aere observatorum phænomenon certa ratio assignari vix posset, nisi vis adesset elastica, & præsertim quando gravitas aeris nihil agere potest, ut in experimentis, quæ fiunt in vase clauso, in quo perit tota vis, ac pressio cylindrorum aeris incumbentium. Verum si gravitas antecedens in aere non adesset, neque etiam vis elastica daretur; quæ tota pendet a pressione aeris superioris. Quilibet enim elater quomodocumque fortis, nisi comprimatur, nil agit, cum tota ejus vis consistat in conatu restituendi sese in situm, e quo depulsus est.

Quanta sit gravitas, & dilatatio, quarum capax est aer non est facile determinare. Magnam esse plurimis experimentis probavit primo *Galileus*, deinde *Torricellius*, & reliqui docti Viri. *Boylæus* expertus est aerem absque calore sola vi sua elastica se dilatasse in locum pristino majorem vicibus primo novem, deinde vicibus 31. mox plus quam 60. ulterius vicibus 152. quæ dupla est expansionis Mersennianæ, vi caloris pro-

promotæ: imo majoris dilatationis capacem fore si ſpatium adeſſet, quo dilatatus aer recipiatur, ut docuit in experimentis phiſic. mechan. de aeris elatere. Idem *Boyle* in experim. de mira aeris rarefactione dictam expanſionem aliis mediis multo magis promovit ad vices nempe 8000. ſola vi ſua elaſtica, non caloris ope. Et experimento aliter inſtituto pervenit ad vices 10000. ſeu plus quam decies millecuplum loci, quem prius occupaverat: imo ad locum occupandum vicibus 13769. majorem.

Præter obſervationes *Boylei* conſtat in ingenioſis experimentis Acad. Florent. aerem beneficio experimenti Torricelliani expanſum eſſe in molem priſtina majorem ſaltem ad 173. & in multo majorem ſe dilataturum, ſi quis hujuſmodi obſervationes promovere continuo cuperet. Merſennus inter experimenta ſclopeti pneumatici, a quo globus plumbeus vi compreſſi aeris projicitur, ut a pulvere pyrio projici ſolet, non in majorem, quam in partem quindecimam ejus, quem prius occupaverat loci, potuit comprimere. Idem prorſus Soc. Reg. Londinenſis uſu machinæ compreſſivæ obſervavit. Quomodo, & quantum comprimatur, ac dilatetur aer ab externo calore, & frigore, innumeris experimentis notum fecit *Boylæus* in tract. de aeris a frigore condenſatione, ubi videmus aeris a frigore compreſſionem arte factam in ſpatium a priore diverſum, fuiſſe ut 147. ad 138. plus minus. Hæc autem vis aeris elaſtica id habet cum aliis corporibus elaſticis commune, ut vim ſemper obtineat æqualem preſſioni, quam ſuſtinet ab aere incumbente: ſi major detur preſſio, major quoque vis elaſtica ſuccedet, aeriſque in ſtatu ordinario elater cenſendus eſt æqualis ponderi totius aeris incumbentis, quem ſuſtinet.

Ex his colligimus ſtatum, naturamque aeris, quem inſpiramus non eſſe ſimplicem, ſed alteratam, ideſt gravem, & elaſticam, quibus qualitatibus mirum in modum in res ſublunares agit, & præſertim in impellendis, vel æquilibrandis liquoribus animalium media reſpiratione, & vegetabilium ſimplici circumpreſſione. Et niſi aer compreſſus eſſet, nulla foret in eo vis elaſtica, quæ quidem certa eſt, & tota pendet ab aeris compreſſione in ampliorem ſitum ſeſe reſtituere conantis, compreſſio vero ab ingenti athmoſphæræ altitudine ſecundum quam vis premendi debet æſtimari. Sed ad quantum ſpatium, ſi omnis tolleretur compreſſio, ſe dilataret aer, quæſitum eſt hactenus, ſed non omnino explicatum. Hoc certum eſt, ſi utramque ſummæ rarefactionis, ſummæque condenſationis aeris, ſupra quam eſt in ſtatu apud nos ordinario, rationem perpendamus, cum ſpatium, quod occupat aer ſic dilatatus, ſit ad ſpatium, quod occuparet ille, quem ordinario reſpiramus ut 13769. ad 1. atque quod aer ordinarius occupat ad ſpatium, quod ſic compreſſus ſit ut 40. ad 1. erit ſpatium ſic dilatati ad ſpatium ejuſdem ſic compreſſi, ut 13769. ad 40. 550760. ad 1. ſeu ut quinquies centena millia ad 1. Quæ ſatis indicant uſum aeris in reſpiratione, ſive vi elaſtica, ſive gravitate propria operetur, & agat in humores per pulmonum ſubſtantiam circulantes, vel in ipſos pulmonum parietes, & vaſa, eſſe maximum, & ſatis evidentem; ſimplicique mechanicæ æquilibrationis, & impulſus reſpirationis munus peragi, & abſolvi, ſicuti etiam plantarum ſuccis contingit.

Præterea totam vim, quæ nos ad reſpirandum, & reliqua quæque animalia, ac vegetabilia ad hauriendum aerem cogit, in ſimplici aeris mechaniſmo poſitam eſſe ex legibus centri *gravitatis* in genere, & liquidorum in ſpecie deducitur. Sic ſi ſupponamus duas moles aeris æqualis magnitudinis, ſed inæqualis gravitatis ad motum diſpoſitas, certum eſt eam ſe primo moturam, quæ gravior eſt altera; quoniam primum punctum corporis, quod movetur eſt centrum gravitatis, quod accedere conatur ad centrum gravitatis commune, ideſt telluris: centrique gravitatis motum tota moti corporis moles conſequitur; ut obſervamus in ſagitta projecta, cujus ferrea cuſpis ſuperioris aeris parti objecta eſt dum aſcendit; contra vero dum deſcendit terram verſus inclinat, quia in ea, utpote magis gravi, centrum reſidet gravitatis. Idem prorſus contingit in bilance aſcendente, vel deſcendente, prout in alterutra ex partibus majoris, vel minoris gravitatis pondus collocatur.

Cum igitur centrum gravitatis duorum liquidorum æqualis molis, ſed diverſi ponderis ſit in parte, quæ gravior eſt, neceſſario conſequi debet, ut aer externus, qui gravior eſt interno ex antedictis mechanica vi ac neceſſitate, & nobis nec animadvertentibus, primus ingrediatur in pulmones, foraſque extrudat internum minus gravem, minuſque reſiſtentem; ſicque mutuæ inſpirationis, expirationiſque vices abſolvantur; atque adeo thoracem cum vicinis partibus inſtrumenta tantummodo eſſe, non cauſam reſpirationis.

Intuper aerem ingredi, & egredi e pulmonibus poſſe, immoto thorace, patet obſervatione doctiſſimi *Marci Aurelii Severini* de reſpiratione Piſcium, cujus præcipua verba ſunt hæc. *Sciendum eſt, quod pluries avem grandem aquis amicam, dictam Querquetulam, ſecando, ut ea non inveni pulmonem, ſed loco ejus cochleam inſtar limacis duram, ſeu tranſpirationem, qua aerem inſpirat, & reſpirat abſque motu pectoris, &c. Severinus de reſpirat. Piſcium diſput. 1. anth. part. 2. fol. 22. ad finem.*

Aeris denique extreme rarefacti ad aerem, quem ordinario reſpiramus, magnam, ac pene incredibilem rationem eſſe, atque proportionem fere unius ad mille evincitur per guttas vitreas mathematicas, de quarum admirando phænomeno plures docti Viri diſſeruerunt. Ipſeque cum nuper non-

nonnullas habuiſſem, Venetiis Romam mihi tranſmiſſam a doctiſſimo, & celeberrimo Medico Conſtantinopolitano *Iſraele Conigliano*, de illis publice experimentum feci cum eruditiſſimo, ſagaciſſimoque Domino *Quartaronio*, & in publico Theatro anatomico Romano.

Poſt explicatam ſummam vim aeris elaſticam arte, & experimentis detectam, reſtaret dicendum aliquid de determinata ejuſdem gravitate, ſed quoniam id fuſe probatum eſt a *Galileo*, & reliquis *Auctoribus*, qui de experimentis ad vacui fugam tractarunt, libenter abſtineo. Addam ſolummodo ad majorem hujus rei claritatem nonnulla, quæ ſpectant ad proportionem, quæ eſt inter pondus aquæ, & pondus hydrargiri in uſu experimentorum ad fugam vacui. Pondus aquæ ad pondus hydrargiri æqualis magnitudinis eſt ut 1. ad 14. numero rotundo, ſive ex accuratâ obſervatione *Boylei* ad $13\frac{1}{4}$ circiter, vel ut aſſerit *Marinus Ghetaldus Raguſinus* Conterraneus noſter in Archimede promoto, ut 1. ad $13\frac{4}{7}$ quo cylindrus aquæ æquipolleat externi aeris preſſioni, requiritur, ut altior ſit cylindro hydrargiri æquipollente vicibus 14. ſaltem $13\frac{1}{4}$ aut $13\frac{4}{7}$ prout hæc, aut illa proportio ſit accuratior, atque adeo quæ poſita eſt altitudo hydrargiri a gravitate aeris producta unciarum, ſive digitorum 29. in aqua erit pedum plus minus 33. ſive ut *Boyle* obſervavit maximam altitudinem aquæ ſuctione elevatæ ſupra ſuperficiem, infra ſtagnantis aquæ fuiſſe pedum 33. & unciarum 6. hoc eſt pedum $33\frac{1}{2}$, quo tempore altitudo hydrargiri propter atmoſphæræ æquipondium ſuſpenſi fuit unciarum pedis $29\frac{1}{4}$ proxime, quæ ſane hydrargiri altitudo per $13\frac{1}{4}$ multiplicata exhibet uncias 402. circiter, hoc eſt pedes 33. cum ſex unciis; ſicuti etiam ex *Boylæo* monuit doctiſſimus *Jo. Vvallis Oper. mathemat. tom.* 1. cujus Viri ſcripta omnia ad me nuper ex Anglia venere.

Quos effectus producit aeris gravitas in hydrargiro, & aquæ tubo concluſi, eoſdem, & multo majores in corporibus omnibus ſublunaribus, præſertim vero animalibus, & vegetabilibus. Nam ſicuti in machina pneumatica hydrargirum tubo ſuſpenſum aere exſucto ſenſim deſcendit, intromiſſo eodem aſcendit; hoc idem etiam in aliis corporis in aere vagantibus, vel eodem indigentibus contingere poſſe affirmaverim. Partes enim hujus Univerſi, cum ita ſint a Deo inter ſe devinctæ, ut ſibi mutuo communicare ſuos motus poſſint; certas huic communicationi, ex qua omnes ſingulorum rerum mutationes pendent, præfixit leges, quæ nullo modo poſſint violari. Vis autem omnis corporis ſive agat, ſive reſiſtat, in eo poſita eſt, ut quantum poteſt in eo ſtatu in quo exiſtit perſeveret, ſive quieſcat, ſive moveatur; ac vis illa præcipue ex mole, aut maſſa corporis, & celeritate motus æſtimari debet; nec motus proprie eſt motui contrarius, ſed quies motui adverſatur, celeritas tarditati, determinatio alteri determinationi. Quantum vero corpus ex aliorum occurſu motum ſuum augeat, vel minuat, aut ſuam mutet determinationem, ut ad certas determinationes, aut calculos redigere poſſimus, duriſſima corpora mutuo inter ſe conferri oportere *Carteſius* exiſtimat, & a legibus duriſſimorum ad mollium leges argui debere affirmat.

Sed circa leges motus a *Carteſio* traditas, ſciendum eſt nonnullos ex recentioribus dubias, ac pene falſas exiſtimare; probabiles contra quas *Henricus Regius* deſcripſit. Revera namque *Carteſius* non recte diſtinxit inter corpus flexibile, & vi elaſtica præditum, & aliud quod ſupponit infinite ſolidum, adeoque inflexibile, quod etiam reflexionis capax facit. Arbitror enim ipſe, corpora in tantum reflecti, in quantum flexibilia ſunt, ac per conſequens corpus infinite ſolidum nullius capax eſſe reflexionis. Quare, ſi dentur duo corpora inflexibilia, æqualia, quæ æqualibus viribus cum ſuis centris gravitatis currendo collidantur, & impellantur ad invicem, dico ibidem remanſura immobilia, ubi colliduntur, nec reflecti. Porro ſi eadem ſolida corpora lateribus ſuis, ac veluti oblique collidantur; quod erit in ſiniſtra parte non reflectetur ad ſiniſtram, nec quod in dextra ad dextram, ſed contra; poſtquam quod ex ſiniſtra parte eſt, ſe parum revolverit juxta ſuperficiem alterius, declinabit ad dextram, & ibidem progredietur curſum ſuum, eodemque modo faciet quod in dextra ſupponitur. Ulterius ſi alterum ex hiſce corporibus ſupponatur ſphæricum, & oblique cadat ſupra planum indefinite ſolidum, motum ſuum continuabit ſe ſolvendo ſupra dictum planum majori, vel minori celeritate, prout angulus incidentiæ erit major, aut minor. Demum non ſolum in corporibus duris, verum etiam in flexibilibus accidit, ut corpus antequam reflectatur, volvatur parum ſupra planum, aut ſupra corpus, in quod incidit, & deinde reflectatur.

His ſuppoſitis, & clare demonſtrata aeris gravitate, & elaſtica vi, non erit difficile nunc cauſam, & uſum reſpirationis per ſolam aeris ingredientis, fluidorumque per pulmones circulantium mechanicen explicare. Cauſa, quæ cogit aerem, ut ingrediatur, eſt ipſa ſui gravitas, & preſſio partium ejuſdem ſuperiorum facta in inferiores, cujus continuæ preſſionis cauſa fit, ut ipſe ingrediatur facillime in loca, in quibus minorem invenit reſiſtentiam, & locum capaciorem ſeſe inſinuandi, & expandendi. Capaciſſimam cavitatem reperit in trachæa, & pulmonum ſubſtantia, & præter capacitatem, inſignem quoque calorem, unde neceſſe eſt, ut per leges antecedentium

dentium experimentorum ipſe mirum in modum rareſcat, magnam vim elaſticam acquirat, & in majus ſpatium dilatatus vicinas partes premat, extendat, & quod ad contactum ipſarum eſt, promoveat, & propellat. Porro quoniam aer quo majorem vim elaſticam acquirit eo minus reſiſtit; ut per experimenta probatum eſt ſuperius, fit inde, ut aeri de novo ingredienti cedat, & locum det, atque ab eo magis gravi, minuſque elaſtico propulſus foras exeat per expirationem. Unde concipiendum pulmones poſitos eſſe veluti in æquilibrio duplicis aeris interni, & externi, quod quandiu juxta naturæ ordinem eſt, nihil inde noxæ Animali ſupervenit; quippe dum qui intus eſt aer, pari vi per elaterem ſuum extrorſum nititur, qua externus gravitate ſua nititur introrſum, nulla læſio in reſpirando ſuccedit. Quando vero vel pulmonum aerem recipientium, vel vaſorum humores vehentium, aut ipſorum humorum culpa, vel etiam externis aeris affectione infinitis imbuti corpuſculis contingit, ut hæc duo aera male invicem æquilibrentur, & alterius ab altero ſuperentur reſiſtentiæ, ſtatim oritur læſio in reſpiratione. Ob id etiam fit, ut preſſio, & impulſus ab interno aere in pulmones, & vicina loca per elaſticam vim ſuam factus, ea non offendat, nec rumpat, propter æquipollentem preſſionem ab externo aere in eadem exterius factam, qui pari cum energia interni vim moderatur, & ſuſtinet. Quod confirmatur experimento *Boylæi*, qui obſervavit ſæpiſſime poſito brachio intra machinam pneumaticam, aere exſucto, ortos fuiſſe dolores vehementiſſimos, quia deficiebat externi aeris æquipollens, preſſio, quæ intus in brachio factam ſuſtineret. Ita pariter, quoniam tota vis, & actio, quam aer in pulmonibus abſolvit, vi elaſtica id facit, & ob calorem, quem ibidem reperit, ea creſcente in immenſum, pulmonibuſque vim faceret: provi ſum eſt a natura, ut novi aeris ſupervenientis pondere vis elaſtica veteris coerceatur, & vetus aer noviter ingredienti locum concedat, ſicque alternæ vices inſpirationis, & expirationis peragantur. Vim aeris elaſticam ab ejus pondere, aut preſſione minui, vel augeri probatum eſt ſuperius experimento Schol Burgund, tom. 3. cap. de experiment. ad fugam vacui, de veſica ligata, & flaccida, quæ ad radice montis altiſſimum ejuſdem culmen translata ſenſim turgebat, & diſtendebatur, aere intus contento ab externi preſſione, liberato, in amplius ſpatium ſe expandente; & denuo ſenſim flacceſcebat, a jugo montis ad radicem deportata. Quod etiam frequenter contingit veſicæ in machina pneumatica, in qua ſi ponatur ligata, & flaccida, exſucto paulatim aere, incipit extendi, donec tandem rumpatur.

Quæ ſingulæ rationes, & experimenta abunde nos docent effectus, quos producit aer in pulmones ingreſſus ſola vi elaſtica, gravitateque ſua abſolvere, reſpirationemque alternis preſſionis, expanſioniſque aeris vicibus promoveri. Et videtur probabile motum thoracis ab inflatis aere pulmonibus pendere, thoracemque dilatari, ut locum det pulmonibus aere ſe expandentibus; nam primo ſuccedit aeris ingreſſus, deinde dilatatio thoracis. Et nos nolentes, volentes reſpirare cogimur aerem, qui preſſus ab atmoſphæra incumbente, ſuaque natura gravis in pulmones minoris reſiſtentiæ locum ingreditur, & animali non animadvertente, ut fit in ſomno, aer exit, & ingreditur, gravitateque ſua & elaſtica vi fluidis ibidem circulantibus novum motum imprimit, novumque impulſum. Thorax vero ad dilationem pulmonum hac ratione attollitur. Coſtæ cum vertebris & ſterno ita committuntur, ut paralellogrammum efficiant, dum vero eriguntur, quadratam acquirunt figuram, unde major dilatatis pulmonibus locus. Sucto enim aere, pectus attollitur, coſtæ erigunrur, atque eæ dorſo, ac ſterno ad perpendiculum magis inſiſtunt, hinc major dilatatio. Ubi vero coſtæ ſua ſponte, & proprio pondere decidunt, tum pectus fit anguſtius, conciditque & pulmo, ſicque inſpirationis, expirationiſque motus peraguntur. Diaphragma quoque in iſpiratione deprimitur, unde major ſit pectoris dilatandis pulmonibus capacitas, quæ minuitur cum diaphragma in expiratione ſurſum elevatur.

Eadem igitur cauſa, quæ aquam in hydraulicis, & mercurium in barometro ad determinatum locum propellit, circulationemque, & motum ſuccorum in plantis promovet, eadem inquam, & humorum per pulmones circulantium curſum perpetuat. Exſucto enim, exempli gratia, aere in E, ſeu potius loco facto in ſugentis thorace dilatato, quo recipiatur aliunde protruſus aer; ſubjectum fluidum aeris extra incumbentis preſſione in ſiphonem protruditur in C, & protrudetur eouſque donec æquilibretur liquidum cum aere extra premente in hydrargiro ad altitudinem unciarum, ſive digitorum ſex re 29. In aqua pedum 34. circiter, & ſic pro proportione aliorum liquidorum. Sed in omnibus eadem communis cauſa, aer nempe operatur & agit; nam quæ ſuctione fieri videntur, pulſione revera fiunt ab aere extra gravitante; ſuctione in antliis, & hydraulicis machinis, nil aliud agente, quam ut locus paretur, recipiendo aeri preſſione pulſo. Hoc unum diſcrimen eſt inter motum impreſſum ſanguini per pulmones circulanti a gravitate, & vi elaſtica aeris, & impreſſum liquidis contentis in tubis: quod hæc non niſi ad determinatam altitudinem aſcendunt, nec alium ſuſtinent impulſum, quam illum, quem ab aere ponderante recipiunt: contra ſanguis quoniam impulſum maximum habet a corde, cujus cauſa circulare cogitur, & varie hinc inde urgetur, quando nimium remotus eſt a primo mobili, ideſt ab arcu vibrante cordis, uti eſt ſan-

guis, qui ab omnibus partibus refluus in pulmones insinuatur, difficulter ad cor reverteretur, & circulationem terminum adcogeret, nisi ab alia causa in pulmonibus ipsis propelleretur, ac promoveretur, quod ab aere fieri probavimus; sed quomodo id faciat aer investiganda est proportio gravitatis inter aerem, & aquam, quæ factis experimentis fere est millesima ejusdem molis aquæ, habitaque proportione gravitatis aquæ, & sanguinis (sexta parte circiter magis ponderasse aquam, quam sanguinem vitulinum recens emissum, & ejusdem molis observavi; sed incertus adhuc sum de hac re) invenietur arithmetice quantum ponderat aer in pulmones ingrediens, quantaque vi fluida per ipsos circulantia impellat.

Quamobrem ut proxime deveniamus ad usum aeris pulmonici, nec cordi ventilando, nec fuliginibus pellendis, nec aliis id genus usibus excogitatis ab Auctoribus, inservire superius diximus, cum hi sint effectus secundarii, si revera dentur, non primarii aeris ingredientis. Difficile quoque inducor, ut credam, universam aeris molem, quam inspiramus ingredi in sanguinem, cum eoque ad partes singulas propagari ejusdem æstui temperando. Nam si tanta moles aeris singulis haustibus medio sanguine per corpus distribueretur, ob insignem calorem, quem in partibus reperiret aer, summopere elasticus evaderet & turbaret potius, atque impediret sanguini circulum, ac fermentationem, quam promoveret. Probabile etiam est, molem liquidam copiosam, & gravem aeris, mixtam cum mole liquida sanguinis, se facile æquilibraturas: proprium enim est naturæ corporum fluidorum, ut simul mixta se æquilibrent, ratione diversæ suæ gravitatis, factaque æquilibratione non amplius moveantur, ut aquæ cum oleo contingit. Id etiam manifeste patet in plantis, in quibus circulatio fluidi nutritii non pendet a mole fluida aeris cum eo mixti, sed ab aere per trachæas respiratorias currente, & ad latera premente fistulas nutritias, vel ab atmosphæræ gravitate, solisque actione succos terræ fermentante, & ad superiora promovente, ut promovetur liquor thermometri, applicata inferius manu calida. Qua de causa succedit, quod si ramus arboris rescindatur, ut exteriori moli aeris aditus pateat, vicinæ rescissioni partes marcescant ob turbationem ab externo aere factam succo nutritio ibidem circulanti, ejusque motum impediente. Et ideo natura validissimo cortice munivit plantarum semina, plantam ipsam, hominem, & animalia densissima pelle, ne tam facilis sit aditus aeri in partes fluidas eorum.

Rationi magis consonum est aerem, qui gravitate sua pressus, in pulmones nobis ne advertentibus quidem, imo dormientibus ingreditur, ad nihil aliud inservire, quam ut sanguinem per eos circulantem elastica vi sua ibidem magis aucta, & etiam gravitate sua urgeat, propellat, dimoveat, & torpidum jam, ac motui ineptum ad cordis fontem vivida circumpulsione perducat. Porro sanguinem ab omnibus partibus refluum, & dextro cordis ventriculo per pulmones trajectum vappidum esse, languidum, & circulationi ineptum, est ita certum, & a Recentioribus confirmatum, ut superfluum putem, id nunc multis probare. Et quoniam tali sanguini miscetur quoque chylus, & lympha a singulis quibusque partibus reflua, eundem magis incrassant, ac per consequens magis torpidum, atque vix mobilem reddunt. Quare ut per ingentem pulmonum molem pertransire possit, & ad sinistrum cordis thalamum pervenire, valido, fortique impellente, & nunquam cessaturo indigebat, quod nonnisi aer vi elastica, gravitateque sua poterat absolvere.

Respirationem autem præ ceteris inservire ad circulationem liquidorum perpetuandam, variequ dirigendam, ex observatione, quam nunc referam, evidentissime colligitur.

Causidicus illustris in montis Citatorii Curia octo ab hinc annis extructa, altus, valde carnosus, facie rubicundus, studiis, Curiæque negotiis, omnibus pene horis occupatus, laboravit per novem annos polypo in nare sinistra, cujus de causa difficile spirabat, & aerem difficulter hauriebat: interea bene dormiebat, comedebat, alvo secedebat, & ad reliqua bene se habebat: solummodo venter sensim in dies mole crescebat, & pedes quoque maximopere intumescebant: facile sudabat ad quemlibet, vel levissimum motum: spirabat interim difficile, dum progrediebatur per Urbem, quia præ ceteris polypus nari respirationem impediebat. Venter itaque in dies intumescebat; uti & pedes. Tandem per manum solertis Chirurgi cum forcipe Aquapendentis extirpari sibi fecit polypum, & libera respiratione acquisita; (mirum dictu) viginti dierum spatio venter latitudinem duorum palmorum cum Amicorum admiratione detumuit, & pedes quoque paucos post dies omnino detumuere, & convaluit. Facies ægri erat rubicunda, & naturalis: ergo tumor ventris non erat vitio obstructionum in visceribus, sed vitio tardioris motus sanguinis per abdomen; tarditatem producebat negatus aeris liber ingressus in pulmones, vitio prefati polypi; negatoque aeris ingressu, non fiebat tanta pressio in liquidis pulmonum, quanta necessaria erat in ea mole corporis ad bene, saneque vivendum; unde ex tardiori motu sanguinis, & tumores pedum, & moles magna ventris nascebantur; quæ statim evanuere cum totalis libertas aeris restituta fuit, ut pulmones ingrederetur.

Neque solum propellendo sanguini destinata est respiratio: Verum etiam, ut hujus magni sollis motibus tota fluidorum moles, solidorumque compages in vivida veluti vibratione permaneat,

maneat, quo facilius, feliciusque animales functiones absolvantur, promtiusque villi carnei musculorum pressionibus cordis per arterias, & currentem in eis sanguinem propagatis; villi vero membranei continuis oscillationibus, vibrationibusque duræ matris, quam nos veluti alterum cor, principium, & centrum motionum membranosis in partibus supponimus, cedant, ac obtemperent. Pressione diaphragmatis circulus liquidorum in naturalibus visceribus, præ ceteris mesenterio excitetur, & augeatur, quippe nisi ea esset, difficile per tot infinitos vasorum meandros percolarentur. Sed præter innumeras observationes ab Auctoribus relatas, quibus aeris ad circulationem promovendam primarius usus demonstratur, mea me experientia in hac opinione magis, magisque confirmat. Vidi enim quatuor ab hinc annis Juvenem, qui decumbebat ad Vineam inter Amphitheatrum Flavium & Arcum Constantini Magni in abdomine circa dextrum inguen vulneratum, sola respiratione sanguinem e vulnere egressum varie moderasse, suppressa namque respiratione, supprimebatur & sanguis; laxata, ipsius etiam cursus laxabatur. Ad promovendam sanguinis circulationem primario factam esse respirationem, nec non in auxilium cordis, ideſt ad minuendos labores, & ingentem vim, quæ necessaria ipsi esset ad circulandos humores, clare ac evidenter demonstratur, non solum ex situ cordis in pulmonum medio, vasorum dispositione, aeris in eos pressione, aliisque hujusmodi, quæ Phisiologi docent, verum etiam ex ipsa cordis mole, nam nullo modo parvus musculus, qualis est cor, centum annorum spatio, quo quisque protrahere vitam potest, sanguinis circulationem velociter, & interrupte perpetuaret, nisi pulmones follium adinstar concurrente aeris gravitate & vi elastica continuo premerent illum, & urgerent: & ita veluti manus darent, atque auxilium vicino cordi, ut admodum emboli, humores, nunquam cessante cursu, protruderet.

Sed objiciet aliquis. In motu corporis paulo vehementi crescit spirandi difficultas, frequentisque respirationis necessitas, licet eadem insit in aere gravitas, idemque pondus: non igitur a gravitate aeris immediate pendet respirandi necessitas, sed ab ipso thorace per musculos suos dilatante se, & comprimente.

Respondemus, frequentem in citato cursu spirandi necessitatem pendere a mutato æquilibrio, sive alterna resistentia inter aerem gravitantem, ac prementem, & inter fluida per pulmones circulantia; nam tunc, cum majus sit momentum cursus fluidorum momento pressionis aeris, necesse est ut inter hæc duo liquida oriatur turbatio, resistentia inæqualis; & ita vis fiat pulmonibus, atque instrumentis respirationis, a quibus demum oritur frequens, mutatus, aut inæqualis ordo respirationis, turbaturque aeris egressus & ingressus per pulmonum telas. Ob hanc pariter homorum per eos circulantium majorem vel minorem crassitiem, tenuitatem, velocitatem, aut alias affectiones morbosas, vel naturales, succedit ut ex hominibus alii salubrius degant in aere tenui & magis levi, alii in gravi magisque crasso; prout varie aer cum circulantibus humoribus premendo æquilibratur, & cum pulmonum telis colliditur. Ob eandem quoque rationem, nec non ob variam instrumentorum respirationis læsionem, variæ spirandi difficultatates in sanis æque ac ægrotantibus oriuntur. Et aliquando, quod mirum est, homines obesi crassis viscidisque repleti humoribus, melius se habent in aere gravi crassoque, quam tenui, quia forsan ille, cum majori elatere sit præditus, & ob majus sui pondus magis premat humores in pulmonibus, facilem & expeditum circulum sive cursum ipsorum reddit, unde major respirandi facilitas & obesorum salubrior vita. Qua de re sola consulenda est experientia.

Reliquos usus respirationi assignatos, superiusque reprobatos hic amplius non commemoro, ne tempus perdam in inutilibus. Quæ enim dicuntur de fuliginibus a tamperato corde exeuntibus, non videntur esse fuliginosa materies, sed aer egrediens, & a novo subingrediente expulsus in formam vaporum; ut succedit in machina pneumatica, cujus exterior superficies, dum aer exhauritur, veluti nebula obfuscatur, & ob egredientem aerem tanquam rore madescit. Quod vero spectat ad nitrum aeris per pulmones filtratum, quid fieret de tanta nitri quantitate, si singulis momentis diu, noctuque in sanguinem ingrederetur? Certe obrueret vitalem flammam magna sui copias multo magis cum non sit in potestate nostra, dum nimium redundat, ejusdem ingressum impedire. Portionem aliquam salium aeris filtrari per solidas pulmonum partes, & sanguini commiseri concederem in gratiam eorum, qui talem tuentur opinionem, sed tantam nitri quantitatem omnino nego. Crederem potius, ut superius quoque de saliva monui, aeris salia fundi, & imbibi a saliva, ac lympha oris, utpote menstruo proprio, ac peculiari salium, & ita per ventriculum in sanguinem traduci, quod quidem menstruum in pulmonibus non invenio, & licet lympha in pulmonibus quoque reperiatur quoniam tamen cum sanguine confusa est, inepta evadit salibus aeris solvendis, & imbibendis: Sed videatur tractatio de saliva superius tradita.

Qua mechanice aer per gravitatem, & vim elasticam suam fluidorum cursum in hominibus per pulmones promovet, eadem in reliquis animalibus, volatilibus, insectis, & omni genere viventium; nam omnibus eadem, & communis est aeris necessitas. Eadem quoque ratione trachæas plantarum respiratorias in Italia primum hoc sæculo detectas ingressus aer, fluidorum circulum in

plantis perpetuat, & excitat, ut videre eſt apud *Borellum de mot. animal.* Romanæ Academiæ fulgentiſſimum ſydus.

Ad finem hujus tractationis dicendum breviter, cur nunnulla animalia, licet aere indigeant, ſine aeris tamen uſu commode vivant, ut Ranæ, & id genus amphibia. Quod a peculiari pulmonum mechaniſmo, & fluidorum ad eos proportione particulari, ideſt peculiari æquilibrio, & reſiſtentia pendere, teſtudinis anatome, quam decem ab hinc annis Patavii feci eruditoque juveni Medico Pariſino communicavi, ſatis evidenter me docuit.

Teſtudinem nemoralem ingentis magnitudinis (quæ Venetias ex Dalmatia feruntur, & interdum centum circiter, ut audivi libras pendent, & apud Indos inter magna ſatis animalia numerantur, teſte *Boyleo de util. phil. nat. exper.*) ſumſi; aliter ſi parva fuerit teſtudo impoſſibile erit anatomen recte, atque perfecte inſtituere; ejuſque nares, os, & partes adjacentes linteo xilocolla oblinito obturavi, ne pateret aditus aeri, & vidi ſine aere vixiſſe per viginti, & plures dies. Cur autem tamdiu ſine aere vixerit, ob ſequentes rationes factum eſſe exiſtimo. Quod teſtudinis cordiu protrudere ſanguinem poſſit abſque reſpirationis ope, non pendet id a ſolidiori ſuarum fibrarum compage, ſed ab aliis cauſis, quæ in homine, atque aliis animalibus non reperiuntur. Conſiderata enim ſanguinis qualitate, quam propellere debet cor; conſiderato quoque ſpatio, quod percurrit, & velocitatis gradu, quo curſus abſolvitur: patebit ob has dumtaxat rationes fieri, ut cor teſtudinis abſque reſpirationis beneficio ſanguinem diu circulare poſſit, non vero a vi majore ipſius, aut ſolidiori fibrarum tono, quem aliis in animalibus reperire neſciamus. Sed examinemus nunc vim, ſtructuramque ventriculorum cordis, molem pulmonum, vaſorum diſpoſitionem, & curſum ſanguinis in teſtudine. In ejus corde tres cavitates, ac veluti ventriculi obſervantur. Dexter ſeparatur a ſiniſtro per parietem carneum, qui verſus cordis baſim habet foramen ſimile foramini ovali fœtus, ſed neſcio an ejuſdem uſus, ejuſdemque revera ſtructuræ, & perforatur a pluribus foraminulis, quibus dicti duo ventriculi communicant. Medius ventriculus, qui minor eſt ſupradictis, communicat cum dextero ventriculo, per foramen fere ita latum, quanta eſt tota ſui cavitas, & revera mihi videtur eſſe idemmet dexter ventriculus elongatus, a quo nonniſi per quamdam veluti contrictionem diſtinguitur. Cum communicent ad invicem hi tres ventriculi, pro uno tantum habendi probabiliter ſunt, nam omnium fere vires in unum conſpirant. Vaſorum diſpoſitio talis eſt. Ventriculus ſiniſter nullam emittit arteriam, ſed recipit ſolummodo venæ pulmonalis truncum, quæ deſinit in auriculam ſiniſtram. Medius producit arteriam pulmonis, nec ulla vena in ipſum ingreditur. Dexter denique originem dat trunco aortæ, & arteriæ, quæ in fœtu vicem gerit communicationis inter arteriam pulmonicam, & aortam deſcendentem, & recipit truncum venæ cavæ, quæ deſinit in dextram cordis auriculam. Medius ergo ventriculus inſervit, ut ſanguinem in pulmones impellat, ex his trajicitur in ſiniſtrum, ex hoc in dextrum, & univerſum corpus. Unde omnes hi ventriculi in agendo alter ab altero pendet, omneſque cordis vires ſimul concurrunt, ut ſanguis a dextro ventriculo per ſingulas quaſque partes circuletur.

Examinata vaſorum diſtributione, perpendamus modo curſum ſanguinis. Secto teſtudinis ſterno, quod hoc anno 1701. pluries fecimus publice in Theatro anatomico, vivit ipſa per aliquod intervallum; & per microſcopium, vel nudis oculis liquidorum circulus, in ſuis vaſis cum cordis vibrationibus notari poteſt. Sanguis dum exit a *dextro* ventriculo dividitur in duas partes. Portio major ingreditur in aortam, & in arteriam communicationis, & facta per totum corpus, exceptis pulmonibus, circulatione, per venam cavam in *dextrum* ventriculum, qui terminus eſt ſuæ circulationis, deſinit, ſiniſtrumque ventriculum non attingit. Reliqua ſanguinis pars e dextro ventriculo intrat in medium, inde in arteriam pulmonicam; ac per pulmones diſtribuitur: e pulmonibus per pulmonicam venam regreditur in ſiniſtrum ventriculum, ubi non inveniens arterioſa vaſa, ut egredi poſſit, cogitur per foramina parietis carnoſi deſinere in dextrum ventriculum, unde circulum inchoavit, & ita per ſolos pulmones curſum ſuum perpetuat.

Ex quibus concludendum, vires omnes cordis teſtudinis unitas eſſe, ac deſtinatas, ut ſanguinem a dextro ventriculo in ſingulas partes protrudant, & ut a ſingulis in eundem revertatur. Quod non fit in corde hominis, in quo foramina in pariete carnoſo non adſunt, ejuſdemque ventriculi alter ab altero diſtincte agunt. Contra in teſtudine tres ventriculi unite agunt, & in unum finem. Secundo quantitas ſanguinis humani a corde propellendi eſt ingens, & ſpatium longiſſimum, in teſtudine exigua ſanguinis copia, & ſpatium breve. Tertio pulmones teſtudinis data proportione corporis multo majores ſunt illis hominum, nam tertiam partem corporis teſtudinis ipſi ſoli occupant, ſicuti publice in theatro demonſtravimus, cum in homine vix decimam. Hujuſmodi magnos, & oblongos pulmones habita ratione molis corporis vidi quoque hoc anno in vipera in Anatomico Theatro diſſecta; tales quoque, ac multiplices obſervantur in bombice, aliiſque inſectis: quas ob cauſas ſuccedit forſan, ut vivere poſſint hæc animalia per aliquod tempus in vaſe clauſa abſque ſuffocationis periculo.

Auricula dextra cordis duplo major eſt ſiniſtra, & in illa ingens funiculus vaſorum afferentium, & deferencium inſertus obſervatur.

Renes

Renes habita ratione molis corporis ſunt valde magni, forſan quia præter urinam ſecernere debent laticem, qui per tranſpirationem eliminandus eſt, ſed eliminari nequit ob oſſeam teſtudinis ſuperficiem.

Jecur eſt etiam ingens, & in lobos diſtinctum, & ab eo prodiens ductus coledochus evidenter in inteſtina exoneratur. Teſtes mediocritate minores renibus ſunt, rotundi tamen & flavi.

Hæ ſingulæ circumſtantiæ efficiunt, ut cor teſtudinis curſum circularem ſanguinis diu promovere poſſit ſine reſpirationis ope: nam vires omnium ventriculorum unitæ ſunt, & in unum conſentiunt, paucamque ſanguinis copiam expellunt. Et tandem omnis ſanguis una circulatione iter ſuum per totum corpus abſolvit, licet lente procedat. Hominis vero cor licet robuſtum ſit, nihilominus tamen habito reſpectu ad modum, quo ſanguinem propellit, ad ingentem quantitatem per pulmones tranſeuntem, ad ſpatium, & velocitatem, qua percurrit, impoſſibile eſt, ut abſque reſpirationis beneficio poſſit illum ad remotas quaſque partes impellere, & hic reddi poteſt ratio, cur teſtudines, & amphibia animalia, licet aere indigeant, ſine aere tamen per aliquod tempus vivant, fluidorumque circulationes in iis recte peragantur, de quibus fuſe hoc anno 1701. Menſe Februarii in anatomico Theatro diſſerui, cum teſtudinem cultro anatomico ſecarem, ejuſque cordis & viſcerum ſtructuram publice exponerem, ad meam de Reſpiratione ſententiam valide confirmandam.

Plura dici poſſent de Teſtudinis anatome, ejuſdemque partibus publice in Theatro examinatis, potiſſimum de comparatione circulationis ſanguinis teſtudinis ad comparationem circulationis ejuſdem in fœtu humano, in uteri cavitatibus concluſo, nec non de diſpoſitione vaſorum, & ventriculorum cordis in fœtu; de communicatione foraminis ovalis cum cordis cavitatibus, hujuſque foraminis ad vaſa cordis, & pulmonum peculiari diſpoſitione, reſpectu, ac proportione; & pulmonum denique uſu in circulandis, trajiciendiſque fœtus humoribus; quæ res hoc anno magnas ſuſcitavit lites Pariſiis inter celebres illius Univerſitatis Anatomicos, utinam ſine Anatomices dedecore, ac medicinæ detrimento; audio enim alios pugnare rationibus, alios contra experimentis; ſed ab iis deſcribendis libenter abſtineo, nam nec tempus ſuppetit, nec epiſtolæ brevitas orationis prolixitatem requirit.

Plura quoque dicerentur de aeris pondere, ejuſdemque cum liquidis æquilibrio, quæ ſatis ejus in pulmones ingredientis uſum ac poteſtatem illuſtrant. Sufficiat tantum circa finem animadvertere, quod cum nos in fluida aeris mole vivere debeamus, corpuſque noſtrum, & noſtri pulmones taliter fabrefacti ſint, ut ſingulæ totius machinæ partes ad aerem, & aer ad ſingulas accommodetur, ac veluti proportionetur, in tractatione de reſpiratione, niſi aerem rite perpendant, ac examinent medici, de illa nunquam optime judicabunt, &c.

EXPERIMENTA

Circa Sanguinem.

EXperimenta, quæ ſequuntur, alia in Theatro anatomico, alia Domi apud me peracta ſunt; quare ut clarius percipiantur, decrevi abſque multis verborum ambagibus eodem ordine, eademque brevitate deſcribere ſingula, qui per experiundi methodum nobis innotuere, ita unuſquiſque deducat concluſiones curandis morbis proprias, & neceſſarias.

I. Sanguinem Vitulinum recens e vena exeuntem pro ſingulis ſumſimus experimentis. Spir. C. C. cum ſanguine Vitulino calente adhuc, mixtus parum fermentavit cum ſpumæ magna elevatione: fluiditas in ſanguine eadem, ut ante: 2. die odor Spir. C. C. cum fluiditate eadem, ſpumoſus, ut prius coloris inter rubrum, & nigrum, conſiſtentiæ mellius. Uſque ad 3. diem eadem in omnibus.

II. Oleum tartari ſanguini affuſum fere nullam excitavit fermentationem. Fluiditas major, quam cum ſpir. Corn. C. Color roſeus obſcurus. Secunda die eadem: 5. die conſiſtentia mellis. Color obſcurus, ac nullus fœtor. Idem ol. tartari cum ſanguine Canis e vena jugulari recens educto mixtum eadem produxit phænomena cum fluiditate & nulla coloris mutatione.

III. Ocul. Caner. cum aceto diſtill. irrorati fere ſtatim coagulationem in ſanguine induxerunt cum aliqua fermentatione. Color elegantiſſime purpurinus, ac rutilans. Secunda die nihil novi. 5. die odor ingratus, color niger, & quædam veluti aranearum tela cinerei coloris in ſuperficie.

IV. Spir. Vini in actu mixtionis quamdam veluti undulationem cum leni fermentatione effecit, cum nulla tunc temporis coagulatione. Sed refrigerato ſanguine in ſolidam conſiſtentiam concretus eſt, & ita permanſit ad tertium, abſque ulla mutatione in melius, vel deterius. Odor gratiſſimus. Color obſcurus inſtar tabaci. Uſque ad 5. idem odor, eadem in omnibus ſine corruptione. Cum ſanguine canis mixtus fluiditatem per aliquod tempus conſervavit, deinde concretus eſt. Color non fuit ita rutilus, uti fit a ſale abſinthii.

V. Alumen crudum pulverizatum ſtatim ſanguinem congelavit. Color obſcuro lividus, fere nulla fermentatio. In ſuperficie bullæ, quæ ſtatim rumpebantur. Secunda die eadem. 5. color lividus cum totali conſiſtentia, ac duritie. Idem ingratus odor. Eadem cum ſanguine canis contigerunt.

VI. Pulvis cantharidum nigredinem illico induxit, & inde coagulatio ſecuta eſt cum nulla antecedente fermentatione. 2. die eadem. 5. odor ingratiſſimus cum corruptione, & ad

inſtar aranearum telæ fuligo in ſuperficie. Tinctura cantharidum cum ſanguine canis mixta, is fluiditatem per exiguum tempus conſervavit, ſed cum omnimoda coloris mutatione; poſtea coagulatus eſt.

VII. per ſpir. nitri nigerrimus confeſtim evaſit cum magna coagulatione. Die ſequenti colore tabaci tingitur cum conſiſtentia mellis. Odor ingratus, veluti piſcium rancidorum. 5. die major durities in liquore. Eadem in omnibus cum majore corruptione. Cum ſpir. nitri ſanguis canis nigrefactus eſt, & coagulatus minus tamen, quam cum ſpir. vitrioli.

VIII. Cum aqua Cinnamomi nulla fermentatio. Leniter concretus eſt ad conſiſtentiam tremulam gelatinæ. Color naturali ſimilis, ſed non ita rutilus, iſti cum ocul. Cancr. 2. die eadem in ſingulis, eadem quoque uſque ad 9. cum odore gratiſſimo, & ſine corruptione. Sanguis Canis cum aqua cinnam. fluidus & rubicundus evaſit; ſed deinde in conſiſtentiam mutatus.

IX. Spiritus ſal. ammon. nullam produxit fermentationem; fluiditatem tamen conſervavit. Color idem obſcuro-rubicundus; odor acutus, nares feriens. Secunda die eadem fluiditas, color idem, & odor. 5. die conſiſtentia gelatinæ ſimilis; color ut ſupra; odor gratus.

X. Per Spir. vitriol. coagulatio cum effervescentia ſtatim nata eſt. Nigredo obſcura, odor ingratus. Secunda die odor ingratus, fracidus, major conſiſtentia, & color tabaci obſcuri. Eadem uſque ad 6. cum odore ingratiſſimo, & majori corruptione. Cum eodem ſpir. ſanguis canis ſtatim concretus eſt cum maxima nigredine.

XI. Sal abſinth. pulver. cum ſanguine mixtum, confeſtim ab hoc abſorptum fuit, ſecuta eſt in eo actu levis grumefactio, deinde fluidus evaſit ſanguis. Colorem rubicundum acquiſivit ſine ulla fermentatione in actu mixtionis. Secunda die eadem fluiditas, & color vividus, ac rutilus, & ſupernatabat portio ſeri pauca flavedine tincti. 3. die major conſiſtentia in ſanguine. Idem color cum odore grato. Serum cum ſolita fluiditate. 5. die conſiſtentia ſolidior, color niger, odor inſuavis cum exigua lividitate in ſuperficie. Cum ſanguine canis eadem obſervata ſunt cum colore vivido, & fluiditate.

XII.

Infuſoria in Jugularem Canis.

CAni juveni ad tabulam ligato infudimus in Theatro Anatomico Auditoribus pleno 7. Martii 1700. ſpir. vitrioli debitam quantitatem in jugularem ſiniſtram. Statim moveri fortiter, ac conqueri cœpit animal cum ululatu ingenti, & poſt vehementes corporis concuſſiones periit; ſemiquadrante horæ vis elapſo. Cadavere reſecto univerſam pulmonum molem nigerrimam, & omnino exſiccatam vidimus; idque in interna, ac externa ejus parte. Sanguis in pulmonum vaſis erat omnino concretus, ſed ad inſtar carbonis nigrefactus. Pars colli, qua factum eſt experimentum denigrata, ac fere ſphacelo correpta apparuit, &c.

Conſtat ex his quantum acida inimica ſint ſanguini, & quantum immutent ejuſdem compagem. Contra vero alchalia non amica tantum, ſed ejuſdem naturæ fere affinia, uti obſervatum eſt ſuperius infuſione ocul. Cancr. aq. Cinnam. ſpir. Corn. C. olei Tartari, &c. Et cum duo ſint in ſanguine prima, ac præcipua principia, Acidum, & Urinoſum, prout hoc, aut illud in eo dominium obtinent, univerſa maſſa ſimili natura inficitur; ſed acidum regnat, & auctor eſt chronicorum morborum, urinoſum vero acutorum, quod ſummopere ſcire convenit ad morbos recte dignoſcendos, & curandos.

Atque hæc, ſunt, amiciſſime *Paſcoli*, quæ de rebus anatomicis, te ſuadente, in mentem venerunt. A quibus quidem libenter abſtinuiſſem, cum raptim, & negligenter ſcripta ſint, niſi humanitas tua, veluti per vim ea extorſiſſet. Scis enim quam ſevera ſit hodie Librorum omnium examinatio, quam ſint, ubi quid ſcribimus, ambigua cavenda, ne qua omnino ſecus interpretandi, trahendique in deteriorem partem occaſio præbeatur. Neque mireris ſi tardius, quam deſtinaveram ad te mittuntur, nam occupationes obſtiterunt, quæ diem quandoque totum eripiunt a mane ad veſperam. Quod etiam ſi non ſcriberem, tamen opinari tuæ prudentiæ, & humanitatis eſſet. Opuſculi tui quamprimum edendi exemplar unum, iterum atque iterum rogo, ut tranſmittas Academiæ Phyſiocriticæ Senenſium, potiſſimum vero *Pirrho Mariæ Gabriellio* eruditiſſimo Viro, cui, & univerſæ Academiæ ſummopere debeo, quod me in nobiliſſimum cœtum ſuum nuper aggregarunt, & de te, ac ſtudiis tuis optime ſentiunt. Opus noſtrum de ſolidis, & ſolidorum morbis quamprimum expecta. Ibi plura de origine motus ſolidorum a cerebro, & meningibus, de illorum æquilibrio, uſu, poteſtate, & elatere rationibus, & experimentis comprobata habebis. *Antonium Magliabechium* celeberrimum Virum, & utriuſque noſtrum amiciſſimum meo nomine peramanter ſalutes, ſi Florentiam ſcribendi occaſio detur. Sed longius progredior. Ama me, & tibi perſuade, te mihi eſſe in animo aſſiduum. Saluti conſule, & vale. Romæ prid. Idus Julii Anno Jubilæi 1700.

GEOR-

GEORGII BAGLIVI CANONES

DE MEDICINA SOLIDORUM AD RECTUM STATICES USUM,

AD VIRUM AMPLISSIMUM

JO. FRANCISCUM MAUROCENUM

Oratorem Venetum ad CLEMENTEM XI. Pont. Max.

PRÆFATIO.

UM multæ, ac variæ rationes sint, Maurocene Orator Ampliſſime, *quibus Populi, & Urbes longe aliis præcellere, maximamque inter alias gloriam conſequi poſſunt, tum duæ præcipue in ampliſſimo & laudis, & dignitatis gradu illas locare conſueverunt; res nempe a Civibus præclare bello geſtæ, & Scientiarum decus egregie, atque cum utilitate publica ab iiſdem aſſertum. Hinc de Patria præſtantiſſimorum Virorum inter plurimos populos contentio, ac pugna orta fuit ſæpenumero, & humilis ignotarum urbium conditio unius Civis amplitudine, nobilitatis, & gloriæ ſplendorem ſibi comparavit. Quæ cum ita ſe habeant, quantum aliis præeſſe ſummo jure debet Itala Tellus, armis, & litteris florentiſſima, cujuſque ingentem famam felicitate, ac virtute ſuorum partam, univerſæ Terrarum Orbis Civitates æquare nunquam, aut minuere potuerunt! Atque, ut de Viris litterarum gloria claris aliqua dicamus, potiſſimum qui noſtris temporibus de re medica, & philoſophica ſcripſere; cuinam compertum non eſt ingenium Bernardini Teleſii, & M. Aurelii Severini, veræ Philoſophiæ, Medicinæ, atque Chirurgiæ Reſtauratorum? Cui non conſtant exercitationes, arduique labores Mercurialis, Martiani, Ficini, Benevenuti, Patritii, aliorumque optimis diſciplinis eruditorum pro Platonis, Pythagoreorumque ſententiis in priſtinum reſtituendis? Et quod primum eſt, neminem latent inventa Galilæi Philoſophorum ætatis noſtræ Principis; qui ut veterem in litteris Italiæ gloriam tueretur, & confirmaret, res Mathematicas, Aſtronomiam potiſſimum, & Mechanicen exornando, philoſophandi methodum illam Græcorum, qui Philoſophiam cum Mathematicis, conjunxerunt diſciplinis, primus omnium revocavit, aliiſque facem præbuit inveſtigandi interiores naturæ latebras, atque omne Immenſum mente, & animo peragrandi. Ut modo prætream, Cavalerium, Torricellium, & qui ætate noſtra floruere Borellum, Malpighium, Redium, Bellinum, alioſque, quorum ope Phyſices ſcientia, & Ars medica novis inventis fuit exornata. Quare cum ea ad mentem revoco, quæ in homine, vel aliis corporibus comperta ſunt; facile in eam adducor ſententiam; Italos nempe magna ex parte illa propriis ingenii viribus adinveniſſe, atque illuſtraſſe. Etenim, ut de uno tantum loquar, Sanguinis tranſitum ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum per pulmones, ducentis pene ab hinc annis primum aperuit Realdus Columbus immortalis famæ in Romano Archilycæo Anatomicus, primuſque circulum ſanguinis ſubindicavit; quamquam nonnulli Cæſalpino, & alii Sarpio id adſcribant. Huic rei accedunt quamplurima elapſo ſæculo detecta ingenio, & ſedulitate Virorum illuſtrium Bartholomæi Euſtachii, in Archilycæo noſtro olim Anatomici præſtantiſſimi, Fallopii, Aquapendentis, aliorumque, quos animus hic non eſt recenſere.*

Verum meo judicio majorem fortaſſe gloriam, atque famam ſibi, & Italiæ comparavit Sanctorius Juſtinopolitanus, qui merum, & inauditum in re medica philoſophandi modum inferens ætate illa inculta, corporis motus ad Trutinæ pondus metitus eſt, & definivit. Hic quoniam ſcite callebat hominum vitam curriculum eſſe, atque perennem fluxum materiei, varias ex Pythagoræ mente formas ſubeuntis: rem voluit experimento comprobare; inſenſibilemque tranſpirationem ad Trutinam perpendi poſſe primus omnium animadvertit; & exinde veras

morborum origines, ac certa ſalubris, & inſalubris vitæ principia magna cum hominum utilitate determinavit. Ortus eſt anno 1560. Juſtinopoli in poſtrema Italiæ Provincia, ad inclyta Adriaci maris littora, nobili Urbe, Viriſque illuſtribus clara: inter quos jure & merito recenſet Andream Græcis in litteris peritiſſimum, qui Homerum, Theocritum, Ariſtophanem in latinum convertit ſermonem: & Mutium, qui Ochinum, Vergerium, Centuriatores, alioſque heterodoxos oppugnavit, atque contrivit. Sanctorio autem, inter tot laudes, quibus præfulget, hæc una ſufficeret, natum eſſe ſub feliciſſima Venetorum ditione, qui nempe Terra, marique, belli, atque pacis temporibus ſummos inter Principes clari, rationem Libertatis, & Imperii ita ſedulo cuſtodiunt, ut animorum magnitudine, & liberalium artium patrocinio, Athenienſem ſimul, & Romanam Reſpublicas Civium virtute exæquatas, Imperii diuturnitate ſuperaverint. Nec laudum poſtrema fuit Auctorem noſtrum floruiſſe Patavii in Archilycæo inter cetera celeberrimo, ubi medicam artem magna cum ſui nominis celebritate, & Auditorum frequentia docuit, atque immortalem Statices librum exaravit. Hunc ego cum ſæpe Medicinæ Tyronibus ex Cathedra commendaverim hoc anno; cumque illum diligenter quæſierint, nec datum fuerit invenire: forte venit ad me Bibliopola Romanus, plurium Doctorum Virorum, qui Sanctorium deſiderabant, petitionibus laceſſitus, meque rogavit, ut ejus Staticæ, quam Typis committere cupiebat, aliquid ex meo ſyſtemate de Solidis, ſive de fibra motrice, & morboſa adjungerem, noviſque notationibus exornarem, quibus poſſet hæc nova editio reliquis elegantior prodire, & locupletior. Ad quod obeundum muneris, cum imparem me agnoſcerem, tum ob ingenii tenuitatem, tum ob incredibiles, quibus diſtinguor, occupationes, diu renui, donec Bibliopolæ precibus, & medicinæ Tyronum Romani Archilycæi motus, ac tandem victus, paucorum dierum intervallo horiſque pomeridianis hoſce Canones de Medicina Solidorum deſcribere, & Sanctorii Staticæ, cum qua ſyſtema noſtrum de Solidis conſenſionem habet non modicam, apponere non repugnavi. Hæc autem omnia cur tuo nomini nuncuparem, Maurocene ampliſſime, *fecit tuorum in me beneficiorum jucunda recordatio: quæ quanta ſint, & quam ſingularis tua erga me benevolentia, & voluntas, cum de me honorifice loquaris, & ſentias, nemini fere ignotum eſt. Quamobrem ut cunctis itidem innoteſcat non apud ingratum, atque immemorem beneficia tua eſſe locata, publico hoc monumento tibi gratias, agendas eſſe exiſtimavi. Debuiſſem, ut fieri in ſimilibus aſſolet, tuas in laudes excurrere; ſed quis ego, qui tantam provinciam aggredi valeam? Quippe nos in te non illud ſuſpicimus tantum clariſſimum trium Reginarum Maurocenarum decus, & celeberrimam tot Avorum gloriam ubique terrarum illuſtrem, verum, quæ propria tua laus eſt, ſummam civilibus in rebus prudentiam, pulcherrimis ſcientiarum ſtudiis admixtam. Gravitatem præterea tantæ comitati, atque humanitati conjunctam; miram in arduis quibuſcumque dexteritatem; ingenium ad omnia felix; integritatem quoque, munificentiam, ceteraſque ſingulares animi tui dotes, quibus omnium ſententia, non familiæ tuæ tantum, ſed Perpetuæ Venetorum Reipublicæ ſplendorem & decus addis; factus Noſtrorum amor, delitiæ Bonorum omnium. Sed tuas nunc laudes aliis reliquo, quibus meliores dicendi ſuppetunt vires: meis & ego aliquando ſcriptis, ſi potero, late, & peramanter dicturus. Interim ut hæc tibi noſtra, ex aliquali ſigno, voluntas comperta ſit præclaram edo ſub tuo nomine Sanctorii Staticen, cum noſtris de medicina Solidorum Theorematis, quæ, me tacente omnes apud ætates loquentur, quid de te ſenſerim, & quanti te exiſtimaverim, ac ſupra cunctos ævi noſtri Viros coluerim. Neque hæc velim dicta putes a me, dum mihi tecum eſt oratio: nam quid te abſente, & nondum tibi notua de te dicerem, teſtem habeo præ ceteris Juſtum Fontaninum Virum eruditione præclarum, tibique ſatis probatum, qui tunc quoque me audiebat, mecumque modo lubens, & ſæpius de te laudando, & prædicando contendit. Accipe igitur, optime* Maurocene, *ea, qua omnium tibi corda devincis humanitate, hoc Sanctoriani, noſtrique libelli munus, cui ſi locum tribues eos inter libros, qui tuis ab oculis abeſſe non ſolent, vigebit apud Te aliqua noſtri memoria: quoties illos circumſpicies, toties animo tibi occurram: tacitus ſæpe tecum loquar; meque de tuis eſſe familiaribus unum; de iis maxime, qui tuo honori ſerviunt, exiſtimabis. Valde decus Italiæ, & inclytæ Venetorum Reipublicæ.*

Romæ prid. Nonas Quintiles 1704.

GEOR-

GEORGII BAGLIVI CANONES DE MEDICINA SOLIDORUM AD RECTUM STATICES USUM.

CANON I.

TATICEN corporis habere ſine Statice mentis ad bene medendum, beneque vivendum eſt inutile. Æquilibrium inter mentem, & corpus a Medico inveniendum: mentis per Staticen Philoſophiæ moralis; corporis per *Sanctorii* Staticen. Quippe in horum æquilibrio ſanitas, & vita.

II.

Animi motiones corporis motus varie afficiunt, & mutant in melius, vel deterius: ut nobis magnus teſtis eſt *Sanctorius*. Quare qui Staticen motionum animi per moralis Philoſophiæ canones ad Staticen motuum corporis Sanctorianam dirigere, atque accommodare non noverit, diu, & ſalubriter vivere non noverit.

III.

Qui mente agit ſupra vires corporis, ægrotat corpore, animoque ob moleſtam morboſi corporis diuturnitatem, indignato animo tandem ægrotabit. Hinc melancholici, maniaci, impatientes, iracundi, ſimilibuſque animi affectionibus laborantes evadunt, qui ſupra vires, temperiemque corporis, animum nimis abſtrahunt cogitatione. At verum eſt, mentem affectus corporis per Staticen moralis Philoſophiæ corrigere, atque moderari poſſe, ſi velit, & ſciverit. Quanta autem ſit poteſtas, & vis animi motuum, in perſpiratione varie turbanda, ex ſequentibus *Sanctorii* aphoriſmis certo conſtabit.

Duo ſunt exercitia alterum corporis, & alterum animi: corporis evacuat ſenſibilia excrementa; animi inſenſibilia magis, & præcipue capitis, & cerebri, ubi ſedet animus, lib. 5. aph. 14.

Nimia animi quies magis prohibet tranſpirationem, quam nimia corporis, lib. 5. aph. 15.

Exercitium animi & corporis violentum reddit corpora levioris ponderis, efficit velocem ſenectutem, & mortem prematuram minatur: citius enim ex Philoſopho moriuntur exercitati, quam non exercitati loc. cit. aph. 19.

IV.

Mirantur multi Medicos intemperate vivere, tamen ſane vivere. Staticen *Sanctorii* in uſum ſex rerum non naturalium quotidie adhibent, & ſane vivuut. Quæ artis arcana in inſanum pandere vulgus, nefas eſt: nam Medicis hodie minor, quam par eſt reverentia, & minora meritis præmia. Quod ad me attinet, certe ſemper

Odi profanum vulgus, & arceo.

V.

Sicuti conſervatio ſanitatis inſtituitur detractione eorum quæ exuberant, & eorum additione, qnæ deficiunt, habita cognitione per Staticen occulti perſpirabilis uniuſcujuſque; ita & morborum curatio per eaſdem dirigetur regulas, ſive de proximis, ſive de procatarcticis eorumdem cauſis diſſeratur.

VI.

Mirantur multi ſobrios, & temperatos homines, nec diutius ceteris vivere, nec ſalubriter, imo ſæpe vita tolli derepente. *Sanctorii* Staticem ignorant, nec ſalutis navim in continua ſex rerum nonnaturalium tempeſtate poſitam per ſolida ejuſdem præcepta regunt optime, ac ducunt; hinc mors præpropera, vel inſalubris vita. Quod Medicis tam facile non contingit, quia Statices ſunt periti.

VII.

Fallitur ignarum vulgus, ſi credit æſtate morbos vehementius lædere, atque vagare frequentius ob nimiam in eſu fructuum intemperantiam. Ægrotant potius homines, quia inſenſibilem tranſpirationem, æſtate copioſiorem, aura frigida, diu vel noctu incaute ſumta repente deprimunt, atque coercent: hinc ſtatim febres, catharri, tuſſes, diarrhææ, aliique per æſtatem morbi. Quod vulgus ignarum, & Medici rudes cauſis longe remotis tribuunt, quia Statices imperiti.

VIII.

Notitia ſolidorum varie oſcillantium, & liquidorum vario motu currentium per corpus animatum ad doctrinam Statices rite percipiendam maxime confert.

IX.

Si *Sanctorio* doctrina circulationis nota fuiſſet quam minori incommodo, ac feliciori auſu Staticen ſuam conſcripſiſſet!

X.

Statice *Sanctorii*, & circulatio ſanguinis Hervejana ſunt duo poli, quibus univerſa regitur

veræ

veræ Medicinæ moles hiſce inventis reſtituta, & confirmata: reliqua potius illam exornant, quam augent; præcipue quando de oraculo naturæ pronunciata non ſunt.

XI.

Qui bene noverit æquilibrium inter ſolida oſcillantia, & liquida currentia, morbos quam plures recte curare noverit. Quique inſenſibilis tranſpirationis modum, & quantitatem cum illorum excrementorum fluxu, atque copia rite comparare, & æquilibrium, proportionemque invenire ſciverit, tuto vel in difficillimis morbis remedia præſcribet.

XII.

Aer Romanus ſua vitriolico-aluminoſa natura noxius eſt ſtomacho, & pulmonibus; pulmones inficit immediato contactu per reſpirationem; ſtomacum vero per ſalivam in ipſum ex palatinis, & aliis ex ore glandulis diſtillantem.

XIII.

Ob id Romani præ aliis populis pulmonum, & ſtomachi morbis frequentor, & graviter afficiuntur. Stomacho ſunt debiles, non bene digerunt, nec nimium voraces ſunt, dentium viſciditate atque immunditie, aeris vitio laborant. Ex iiſque ſic affectis aut ſtomachi debilitas arguitur hoc in aere familiaris; aut ſi fortis ille ſit, neglecta dentium cura in ipſorum nitore conſervando, atque tuendo. Dentium curam habeto, ut bene digeras, & diu vivas; laxatis dentibus, laxantur & Chyloſeos Officinæ; hinc mile malorum occaſiones.

XIV.

Qui quotidie ſordidos, viſcidoſque dentes habent, licet eos quotidie abſtergant, ii ut plurimum ſunt ſtomacho debiles, male digerunt, ore fœtent; poſt prandium capite dolent, mœſti ſunt, atque debiles: & ſi ſtudiis, atque negotiis eo tempore dent operam, iraſcuntur, impatientes fiunt, capiplenio cum dolore corripiuntur; ad venerem minus proclives ſunt; generaliter enim ſtomacho debiles, venerei non ſunt, imo potius frigidi, & impotentes. Debiles quoque ſtomacho, natura ſunt ſomnolenti; mane vix evigilant, imo nunquam ſomno ſatiarentur matutino, potiſſimum quando veſperi replentur victu copioſiore. Sunt pariter debiles, languidique corpore, facie aliquantum pallidi; & quod primum eſt, maxime ſomnolenti: & ſi non dormiant quamtum ſtomachi debilitas poſtulat, peſſime habent, morbiſque quamplurimis ſiunt obnoxii. Sinendi itaque ſunt ut dormiant, præcipue ſi pueri ſint, aut Juvenes. Hæc omnia cum dentium immunditie, & viſciditate conjuncta videbis. Potionibus Caffè, Thè, Chocolatæ, ſimilibuſque liquidis ſtomachum recreantibus, ſtatim veluti in ſe redeunt, & ſanantur, deleta malorum nubecula, culpa ſtomachi in caput delata. Frequentiſſimum id eſt in negotioſa Urbe, ſive aeris, ſive aulicæ vitæ culpa.

XV.

Qui nitidos dentes habent, & ore bene olent, bene etiam Chylum præparant im ventriculo. Exemplo ſint canes, quorum dentes nitidi, ac elegantes, & voracitas incredibilis, ob præpotentem acidi gaſtrici vim, & ob id optimam chyloſin. O quantæ ducuntur inde ad morbos bene curandos indicationes!

XVI.

Qui munditiem, & nitorem dentium curæ habent, gingivas obtinent ſolidas, & hac de cauſa incredibilem dentium fortitudinem, quorum robur a gingivarum robore pendet, & firmo iiſdem coalitu. Cadunt enim dentes, relaxata gingiva, aut eroſa. Laxatur hæc ab immunditie, & inquinatione dentium. Eroditur autem ab acrimonia ſalina liquidorum currentium ad contactum.

XVII.

Qui rebus calidis, dulcibuſque nimium utuntur, & acido-acris ſunt temperamenti, ante tempus laxitate dentium afficiuntur. Baccho, Veneri, rebuſque acidis, atque ſalinis nimium indulgentes, quam male dentibus ægrotant, oriſque fœtore! Nitor, & munditia dentium, aut ſobrietatis indicium eſt, aut bonæ chyloſeos, aut debitæ in munditia conſervanda diligentiæ.

XVIII.

Animi paſſiones diuturnæ, negotia gravia, curæ moleſtæ, ſtudia poſt paſtum, & vehementes animi contentiones, iniquinationem dentium pariunt primo, deinde laxitatem eorumdem, cariem, dolorem &c. Dictis de cauſis ſtomachi vis in digeſtione peragenda labefactatur; hujuſque in ſtomacho affectionis indicia per ſaporem linguæ mutatum; Sordidam dentium viſciditatem, gingivarum laxitatem, oriſque fœtorem manifeſtantur. Si vis de digeſtione uniuſcujuſque optime diſſerere, reſpice dentes. Nitor, & elegantia ipſorum, bonam, inquinatio, & labes malam ſignificant chylificationem. Non negaverim tamen, inquinationem illam ſæpe naſci a neglecta dentium cura: quæ revera a quovis urbano homine poſt ciborum uſum, atque poſt ſomnum negligi non debet, ne culpa corruptorum, & ſordidorum dentium in malas incidamus digeſtiones: prima enim digeſtio in ore fit, & primum, ac princeps digeſtionum menſtruum, ex opinione noſtra, ſaliva eſt, ſaliva nobile liquidum, potenter ſolvens, & pene dicam anima ſtomachi, anima digeſtionum.

XIX.

Uſu calidorum, acrium, aromaticorum calli pedum ſummopere dolent, & exacerbantur. Et quando hi ſine cauſa dolent, ſignificant latentem apparatum regnare in liquidis acrium, acutarum, pungentium, ſalinarumque particularum. Regnant autem acria hæc in ſanguine, vel ob uſum antecedentem acrium eſculentorum, & potulentorum; vel ob ſucci nutritii, atque ſpirituum in ſanguine inopiam, conſumtionemque, veneris cauſa, aut nimiæ exercitationis mentis

vel

vel corporis, vel quod frequenter ſuccedit, culpa prohibitæ tranſpirationis. Quod de callorum dolore monui, dicas pariter de dolore dentium repente orto ſine cauſa. De catharro, ac ſternutatione ob exiguum ſuſceptum frigus, vel auram nocturnam. Hæc nos experientia docet, continua animadverſio naturæ, atque notatio. Et ſicuti ex naturæ motionibus ars conficitur, ita ex iis, quæ in arte recte, maleve fiunt, conveniens, aut inutilis naturæ motus intelligi poteſt.

XX.

Mors naturalis venit ob ariditatem, exſiccationem ſolidorum, & ſalſedinem, atque vappiditatem liquidorum. Solidis medetur balneum tepidæ; liquidis vero inſenſibilis tranſpiratio, & cibus boni ſucci ſobrie ſumtus, atque quantum naturæ tenor in ſenectute relaxatus, expoſcit.

XXI.

Via regia eſt a cuti ad alvum, ab alvo ad cutim; mutuæ ſunt & humorum & morborum per eas ſucceſſiones. Torminoſa ventris deſinunt in dolorifica articulorum, & e contra. A veſica ad alvum, ab alvo ad veſicam ſunt pariter ſucceſſiones, commutationeſque; hic tamen ob vicinitatem, illic vero ob liquidorum omnium generalem quamdam, & communem per univerſalia illa filtra deſpumationem. Hinc optime *Hippocrates* magnus 6. epid. ſect. 3. & alibi: *Alvi laxitas, cutis denſitas: cutis raritas, alvi conſtrictio.*

XXII.

Qui nimium replentur cibis, ſi poſtea bene dormiant, beneque per ſomnum tranſpirent; non ita facile ob nimiam repletionem ægrotabunt, ſicuti ægrotarent ſi non dormirent, & non tranſpirarent. Inter ceteros exempto ſint Medici, quorum vita perpetua eſt militia, mortis immagine perpetuo afflicta: vivunt tamen ſine morbis, quia ſomni, & tranſpirationis curam habent continuam; ſomni ad bene digerendum; tranſpirationis vero ad excrementa digeſtionum bene deſpumanda.

XXIII.

Qui otioſam, vel negotioſam vitam cum Statice *Sanctorii* rite accommodare ſciverit, raro ægrotabit, & ſecurus erit longævitatis. Moleſta quidem hæc medica vita eſt; ſed quantum dulcis, ſancte Deus, & immortalis!

XXIV.

Quæ de acido, & alkali, de archæis, de nitro-aereo, de acido pancreatis morborum Domino, ſimilibuſque hypotheſibus garriunt Medici, ſunt cognitiones nimis abſtractæ, & generales ad morborum naturam inveſtigandam, & removendam. Quæ vero ex Statice Sanctoriana liquidorum, excrementorumque: nec non ex æquilibrio ſolida inter & liquida, aliiſque fibrarum effectibus petuntur, e naturæ libris prodeunt, ejuſdemque oraculo confirmantur.

XXV.

Fruſtra curas chronicos, aut acutos morbos per Purgantia, Diaphoretica, Diuretica, aliaque id generis, niſi ſolidorum, & liquidorum naturam ad rectum ordinem reducas. In chronicis fibrarum laxitas in priſtinam reſtituenda ſoliditatem; in acutis vero criſpatura, & ariditas earumdem, quibus liquidorum curſus varie intercipitur, atque turbatur. In utriuſque enim liquida prompte current, ſi ſolida ſint intenta, quantum neceſſe eſt. Si tamen culpa ſui liquidum non currit, eidem tantummodo medendum.

XXVI.

Dogma generale: *Qui male digerunt male tranſpirant.* Perſpiratio inſenſibilis excrementum eſt tertiæ coctionis. Quare ſi bene non fiat prima coctio in ſtomacho, nec etiam bona erit tertia in partibus: errata enim primæ digeſtionis non corriguntur a ſecunda, & tertia. Duo itaque præ aliis ſunt Medico cognitu neceſſaria: primo accurata methodus curandi febres: deinde doctrina ſolida de curandis ventriculi, & proximi meſenterii morbis. Quæ ſi negligantur, vel oſcitanter, aut leviter tractentur, Dii boni, quam fœcunda errorum ſoboles inde naſcitur, & peſſimorum morborum periculoſæ naſcuntur ſucceſſiones!

XXVII.

Qui rigida, & indebita dieta inſulſe utuntur, incidunt in morbos, in quos per extreme tenuem victum incidere non poſſe credebant. Stomachus enim plenus, & vacuus æque minuunt perſpirationem: plenus eam divertit per ciborum corruptionem; vacuus eam trahit oſcillando, ut impleatur: eadem ratione qua vomitus perſpirationem impedit, aut divertit, trahendo ad interiora perſpirabile. Quis hæc crediderit, niſi *Sanctorii* Statice nos hæc doceret? Quare æque noxius nimius cibus, ac extrema dieta: ſed magis hæc, quia partes defraudat debita reſtauratione, in qua conſiſtit vita.

XXVIII.

Perſpectam habere velle mechanicen, qua agunt medicamenta in curatione morborum, difficile eſt; niſi habeatur notitia Statices Solidorum, & Liquidorum, cognitioque æquilibrii, virium, & reſiſtentiarum inter ipſa; nam quæ de primis remediorum qualitatibus circumferuntur in Scholis, figmenta ſunt. Vis, & poteſtas remediorum in motu, figura, & pondere ſuorum minimorum reſidet magis, quam in pompa qualitatum, & jejuna, atque arida ipſarum activitate. Quod etiam de rerum generatione, corruptioneque hoc anno 1704. Auditoribus ex cathedra in hoc Archilycæo dictavimus.

XXIX.

Non bene conveniunt ſimul indicationes irritandi eodem tempore ſolidum, & laxandi liquidum, ut faciunt ſcioli Medentes, eodem tempore

pore veſicantia, fricationes, ſinapiſmos, uſtiones candenti ferro, vellicationeſque præſcribendo in ſolidis: & potentia diaphoretica, emetica, aut purgantia in liquidis. Hæ binæ vividæ, atque potentes oſcillationes in utriſque diſponunt rem ad ſtrangulationem, concretionem, ſuppreſſionemque liquidi, morbique incrementum magis, quam declinationem ejuſdem. Æquilibrium & proportio intercedere debet inter ſolida ad oſcillandum, & liquida ad undulandum. Utraque eodem tempore in extremo gradu conſiſtere nequeunt ſine vitæ diſcrimine. Dictum id eſto pro apoplexiis, catharris ſuffocativis, ſcyrrhis viſcerum, falſa gravidatione, ſive mola uteri convulſiva, interniſque chronicorum morborum circa viſcera concretionibus: in quibus Dii boni, quanta, & quam vehementia intus, foriſque imprudenter eodem tempore propinant remedia ſcioli Medentes!

XXX.

Quantum doleo, quando video Medicos violentis, acutiſque Diureticis urinam movere velle in chronicis, aliiſque ex infarctu meſenterii, obſtructiſque viſceribus, productis morbis; urinam tamen non venire, ſed magis ſupprimi; & ſi venit, ejicitur quod ejici non debet; ſummo cum ægrotantis incommodo. Cum ipſe urinam moveam copiose, in his caſibus (taceo de morbis qui ſedem habent in ſanguinis maſſa: in quibus juvare poterunt Diuretica) non diureticis, ſed purgantibus, ex pilulis, electuariis, & apozematibus ſolutivis per intervalla datis, & mihi notis. Quod de urina dico, de ſudore quoque, aliiſque evacuationibus ſentio. Libertas in curſu liquidorum, debitaque in ſolidis laxitas ad ſecretiones liquidorum neceſſariæ ſunt primo, deinde noxiorum evacuatio. Quique horum ignarus eſt, veram praxeos cognitionem ignorat. Et ſi quis dixerit, credis ne Diureticis, Baglive? Credis quantum Medicorum vulgus? Reſpondeam: minime. Quare non? Reſpondeam: ipſe ſcio, & opportuno tempore aperiam. Et ſi quis obſtinate crediderit Diureticis, more quo vulgus Medicorum tumultuarie, & oſcitanter iiſdem credit; & more pecudum, non qua eundum, ſed qua itur, in morbis ea indiſcriminatim præſcribit, ignorantiæ Medici pœnas luet miſer ægrotus. *Sapienti pauca.*

XXXI.

Qui Staticen Solidorum oſcillantium; & Liquidorum currentium, vel traditam ab aliis, vel a nobis in libris de Medicina Solidorum, ſive de Fibra Motrice, & Morboſa explicatam poſſidet: ipſam *Sanctorii* Staticen, atque clavem plurium difficillium morborum naturam reſerandi, tollendique poſſidet. Recte itaque ſcripſit Divinus *Senex* lib. de Diebus Judic. num. 1. *Magnam artis partem eſſe arbitror de his, quæ recte ſcripta ſunt, poſſe conſiderationem facere, ac judicare; qui enim hoc novit, & his utitur, non videtur mihi in arte multum falli poſſe.*

XXXII.

Quid confert populares quaſdam, & vanas inſani vulgi regulas ad vivendum ſalubriter tenere, atque adamuſſim obſervare? Uti eſt aquam bibere magis, quam vinum poſt ficus. Ficus nominare calidos, melones frigidos. Lactucam, & id generis olera aceto, & oleo condita in fine potius, quam inter initia paſtus edere, ſimileſque nugas memoria tenere, ſi ſolida immortalis Statices præcepta per ſex rerum nonnaturalium examen demonſtrata, & confirmata recte non teneas? Illa ſunt figmenta vulgi delirantis, verbaque otioſorum Senum ad imperitos Juvenes: hæc autem Naturæ docentis oracula, ſuorumque librorum perpetui characteres.

XXXIII.

Æſtate ſudore madere, & auram frigidam captare, peſtis eſt. Manant vi caloris æſtivi copioſa ad cutim effluvia, & omnia liquida ad ipſam undulant impetu: aura frigida ſuperveniente ſiſtuntur, & ad interiora reflectuntur; hujuſque perpetui refluxus cauſa ſtatim veniunt febres, aut catharri, laſſitudines, diarrhææ, eryſipelata, & mille morbi graves, qui per æſtatem vagantur. Præterea qui æſtate nimium ardent propter externum calorem, vel minus, aut impatienter calorem æſtivum ferunt; aut plenitudine humorum laborant, aut calido prædiți ſunt temperamento: qui vero temperate ſe habent, & calorem ferunt, contrariam prædictis naturam obtinent, & contrariam ad morbos diſpoſitionem.

XXXIV.

Æſtate fructuum eſus, & tuendæ inſenſibilis tranſpirationis neglecta cura, ſunt cauſa malorum: ſed major peſtis ab inſenſibili tranſpiratione ſuppreſſa per auram frigidam noctu, diuque captam. Quod profanum vulgus, Ganeones, & inſipidulæ mulierculæ credere vix poſſunt, credent tamen cum ſentient morbi flagellum.

XXXV.

Qui ſunt valetudinarii, ſanitate infelices, aſthmatici, & natura debiles ob morbum, æſtate beneficio copioſioris tranſpirationis ſalubrius vivunt: hyeme vero vix incipiente ſtatim ægrotant tranſpitatione cohibita. Hyeme ad præſervandum, præter ſobrietatem, tenuitatemque victus, purgationes mediocres per intervalla juvabunt, æſtatiſque traſpirationem compenſabunt. Hac etiam de cauſa ſcabies, morbique cutis quamplurimi circa ſolſtitia hyemis incipiunt, aut vigent.

XXXVI.

Si autumno vigeat apparatus calidorum, ſalinorum, & acrium humorum; deinde ſupervenit hyems frigida, & nimium aquilonaris; hyeme, vel circa ver vagabuntur morbi pectoris acuti, ſcabies, ophtalmiæ, febriculæ catharroſæ, ſimileſque, vel alii affectus, citius, aut tardius, prout æger complexione valjdus erit, aut

debi-

debilis, magis, minusve sobrius, & viscoris alicujus intemperie affectus, vel non.

XXXVII.

Qui sobrie non vivunt, cibisque mali succi nimium utuntur, debitamque salutis curam quotidie non adhibent, ac denique liberæ, & copiosæ transpirationis beneficium non obtinent ob cutim naturaliter nimis densam, nec facilem ad sudandum: si morbis corripiantur, vel lethaliter ægrotant, vel chronice. Imbibita namque massa sanguinis loco boni chyli vitiosis excrementis, hoc ipso apparatus nascitur funestorum malorum: quique Medicorum id non bene norunt, non bene mederi norunt. Quam difficile est, & molestum mederi hominibus intemperate viventibus! Quam gravibus, diriisque malis, dum ægrotant, corripiuntur. Quantum timeo in ipsorum curatione, & quam libenter curam ipsorum non susciperem!

XXXVIII.

Coctio humorum in laxitate debita solidorum, & liquidorum consistit: cruditas vero in contractione, ac veluti confusione, strangulationeque eorundem. Testis horum est dira pleuritis, crudelis colica, febris nimium ardens. Si solida in his ad laxitatem non venerint, & liquida ad lenitatem ac veluti laxitatem despumationis, nunquam bene spera. In magno humorum apparatu semper time; nam ægri moriuntur inopinate, licet exiguis, ac velui benignis febribus laborent. Horum exempla scripta sunt a me quam plurima.

XXXIX.

Quantum exardeo, cum video Medicos indicationes omnes ad corrigendam in morbis, & dulcificandam, ut ajunt, peccantem materiam dirigere; at de correcto humore foris eliminando numquam cogitare! Quo præcepto spreto, aut neglecto, morbi omnes pessima veniunt successione; quos post longum usum alkalium, testaceorumque, nec non Chinæ Chinæ, cui credulum Medicorum vulgus nimium confidit; non adhibitis per intervalla purgationibus, culpa methodi, non naturæ oriri videmus.

XL.

In liquidis animati corporis manifeste observatur Mechanici chimica digestionum; coctionum, fermentationum, despumationum, exaltationum, præcipitationum. In solidis autem Mechanice cunei, vectis, elateris funependuli, projectionum, resistentiæ, & oscillationis. In utrisque vero simul junctis certo patent regulæ æquilibrii, proportionis, centri gravitatis, resistentiarum, pressionum, projectionum: quæ singula ad morbos per *Sanctorii* Staticen, perque Medicinam solidorum fibræ motricis, & morbosæ curandos, & explicandos quam belle accomodentur, est incredibile, imo si vera fateamur, utilius certe quam per vulgarium figmenta hypotheseon de cardimelecho, de archæo, de acido, & alkali, & de mille Chymistarum hypothesibus, quibus tantopere triumphant, & gloriantur valgares Medici. Dii boni, quam remota est morborum natura ab hisce nugis!

XLI.

Æquilibrium solidorum, & liquidorum; divisio fibrarum in systema carnearum, & membranearum; vis, origo, effectus, oscillatio, & Mechanice solidorum corporis animati; de quibus, pluribus ab hinc annis in Theatro Anatomico Romano, & ex Cathedra in Archiyceo disputavi primus, & tandem sub titulo fibræ motricis, & morbosæ, in praxi nostra novem ante annos edita promissæ, publici juris feci, ad assequendam *Sanctorii* Staticen, & reconditas morborum indicationes eruendas præ aliis hypothesibus utiliores, clarioresque videntur. Et si interim homuncio Medicus garrire non desinat, quæ garrit, quæque nos scimus, ac de quibus ipsum in litteris ad Parisienses monuimus, responsiones nostras cum castigationibus debitis habebit quam citissime, & acerrime.

XLII.

Primarum digestionum excrementa per alvum ducuntur, secundarum per urinas. ultimarum per insensibilem transpirationem. Inter has admirabilis est proportio, & æquilibrium; dum altera ex egestionibus vel supprimitur, vel minuitur, copiosiori fluxu alterius debet compensari. Quod si non fiat, mutato, turbatoque æquilibrio, morbi veniunt. Hinc arcanæ fluunt, ac veræ ad morborum originem investigandam curandamque indicationes.

XLIII.

Optime dixit *Hippocrates* magnus lib. de Diebus Judicat. n. 1. *Plerumque hominis naturæ Universi potestatem non superat*. Quod vere dictum est ab illustri Medicinæ *Dictatore*, quia revera vivit homo in aere elastico, ponderoso, resistentiarum, & impetus capace, influx busque caloris, & frigoris, similiumque qualitatum singulis momentis obnoxio, & ob id difficile est ei in tam vario aereo liquido, vitam sine labe ducere, ejusdemque superare potestatem, nisi summam adhibeat diligentiam usu Statices *Sanctoriana* insensibilem ponderandi transpirationem: eandemque ad tam perennes, & inæquales aeris mutationes ita accommodandi, ne aut nimium cohibita morbos pariat, aut nimium soluta, vires solvat, vitamque, morbosque gignat prioribus contrarios, sæpe vero oculos, graves malignos, & quorum aliquando ignoramus naturam, quia ab occulto aeris influxu pendent; & de epidemicis malis vera hæc magis sunt, quam de vulgaribus, & frequenter vagantibus. Quod dico contra vulgus insanum, qui perpetuo hæc garrit contra Medicos, Febris maligna fuit, Medicus eam non cognovit, & æger mortuus est. Hæc est quotidiana per Urbem fabula, dum ægri moriuntur. O vulgus stultissimum! Ecquid tu Judex esse poteris in quæstionibus, & oraculis artis, quam non possides? Ecquid credis dari has

ri has febres malignas ab Orbe Lunæ in haſce terras depulſas? Falleris. Nam iſtæ malignitates febriles ex occultis Scholarum qualitatibus petitæ non dantur: ſed Philoſophia chymico mechanica experimentali teſte ex manifeſtis acidi coagulantis, & acris diſſolventis, aut inflammatorii qualitatibus, vel potius ſubſtantiis deducuntur: quo ex fonte omnium origo malignarum. Ac proinde in fictis hiſce malignitatibus febrium, ac malorum, de quibus garrit vulgus, reſpiciendum magis eſſe ad cauſam febris, quam ad febrim ipſam certo crediderim.

XLIV.

Quid juvat eruditionis pompa? Quid elegantia ſermonis, & fucus? Quid lunatica methodus curandi morbos per ſecreta Ciniflonum ab Orbe ſtellato, & ab Orbe Solis petita? Quid inanis plurium ſcientiarum, atque linguarum oſtentatio in Medico? Si perſpectam non habet arcanam, reconditamque vim motuum ſolidorum, & liquidorum, æquilibrium inter ipſa; unde origo vitæ ſalubris, & inſalubris; nec non fundamentum Statices *Sanctorianæ*? Quam multi ab hoc veræ praxeos portu diſtant adhuc, & in tempeſtoſo errorum, falſarumque hypotheſeon pelago jactantur miſerrime, magno ægrotantium detrimento! *Prudenti pauca.*

XLV.

Coctio in morbis non tantum conſiſtit in deſpumatione morboſæ materiei, ejuſdemque a bonis liquidis ſeparatione; verum etiam in debita laxitate canalium, & fibrarum oſcillantium, ſi morbi ſint acuti; ſi autem chronici in tono earundem naturali, & intenſione elateris debita. In acutis namque criſpatura, & potens oſcillatio viget in ſolidis; in chronicis vero laxitas, & atonia. Sæpe hujuſmodi laxitas, & atonia morboſa deſinit in tabem viſcerum, ſive hecticocachecticam eorum intemperiem, culpa ſolidi magis, quam liquidi. O quam reconditæ ſunt, & occultæ hujuſmodi viſcerum tabes! O quam pauci Medici eas dignoſunt, & quam pauci curare ſciunt! Diuturnæ hypochondriorum, ſcorbutorum, hyſteriarum, morborumque meſenterii affectiones in eas deſinunt, emortuo in fibris ob morborum diuturnitatem elatere, & æquali robore; hinc macies, febriculæ purulentæ, laſſitudines, ſyncopes frequentes, inappetentiæ, tandem ſoluto naturæ tenore mortes veniunt. De tabe viſcerum peculiari diſſertatione tractabimus quamprimum, potiſſimum in libro de *Medicina Agonizantium*, in quo Medicos hortamur, & nova noſtra methodo docemus atque monemus quomodo ſubvenire debeant ægrotis in ultimo agone conſtitutis; ut ſi poſſibile ſit ex divina arte noſtra ſalutem valeant recuperare. Semper enim nova perquirenda ſunt, ſemperque cogitandum de juvandis ægrotis in ipſo etiam agone, & ultima rerum deſperatione. Qui hæc neglexerit, veros indicationum fontes neglexerit.

XLVI.

Ex Statices *Sanctoriana* experimentis vomitus ſummopere impedit tranſpirationem, quia retrahit ad interiora tranſpirabile. Si facit id potens oſcillatio fibrarum ſtomachicarum per vomitum, evacuando foris materiam: quanto magis idem efficiet oſcillatio vehemens, vel inflammatoria, vel dolorifica aliorum viſcerum cum febre, vel ſine ea, ad quas oſcillationes non ſuccedunt avecuationes materiei, ut in vomitu? imo a corporis habitu retractis ad interiora liquidis, & ad oſcillantem locum vim facientibus, concreſcunt ibidem, ardent, æſtuant, atque ad tumores, ſcyrrhos, inflammationeſque diſponunt ægrotantem? Ars tamen ab affectis in oſcillatione locis, evacuando divertere poteſt materiam per veſicantia, cauteria, ſinapiſmos, ſcarificationes, & ſtimulos omnis generis, quæ quidem non ſunt Galeniſtarum figmenta, aut ſomnia, ut Helmontiſtæ arbitrantur; ſed naturæ docentis, ac præmonentis oracula, & voces.

XLVII.

Præter externum frigus duo ſunt, quæ præ ceteris tranſpirationem turbant, & ad interiora retrahunt: unda liquidorum velociter currentium, & fibra ſolidorum fortiter oſcillantium verſus aliquam partem: proinde diarrhœæ, dolores interni, morbi interni diuturni vehementer, & nimium diſtrahunt perſpirationem, imo etiam omne id, quod æquilibrium turbat inter fluxum, & refluxum liquidorum, & inter ſolidum oſcillans, ac liquidum currens.

XLVIII.

In hoc te exerceto, ut cognoſcas in morbis an æquilibrium mutatum inter ſolidum oſcillans, & liquidum currens ſit culpa liquidi, aut ſolidi, vel utriuſque ſimul. An æquilibrium mutatum in ordinem redigendum ſit per remedia externa, fricationes nempe, balnea, unctiones, uſtiones, exercitationes, muſicen, navigationem, venationem, tripudiationem, peregrinationem, amicorum ſuavem & gratam converſationem, perpetuarum, ſive campeſtris atque montani aeris oblectamenta, diuturnam equitationem, perpetuam cum ruſticis terram arantibus conſuetudinem ad reſpirandum nobile nitrum, e telluris magnæ matris viſceribus vomere ruptis recenter exhalans, ſtimulantia univerſalia, vel particularia an vero per remedia interna; an per utraque ſimul. Quæ qui recte tenet, veras morborum quamplurium indicationes curativas poſſident, aliter minime.

XLIX.

Diſcrimen eſt inter Leges Staticas ſolidorum, & liquidorum pro vario diſcrimine morborum. Statim ac ægrotat homo, tenor legum Staticarum turbatur ſtatim, atque mutatur, & varia fors naſcitur, tam in perſpiratione inſenſibili, quam in excrementis aliorum filtrorum. In chronicis ſolida, & liquida undulant, & oſcillant ad viſcus, in quo vis eſt, &

anima

anima morbi; nam fere semper in chronicis organi læsio adest, & si non est, diuturnitate mali tandem succedit. In acutis, quoniam oscillatio solidorum, & undulatio liquidorum est vehemens & universalis, prout altera ex hisce superaverit alteram, varia pariter nascitur conditio inter leges Staticas secernendorum tam sensibilium, quam insensibilium; & hinc ex acutis, alii solvuntur per crisin excrementorum graviorum per alvum; alii minus gravium per urinam; alii denique tenuium ac volatilium per insensibilem traspirationem.

L.

Quantum doleo, magne *Hippocrates*, tuque conditor artis inclyte *Esculapi*! Cum video Medicos statim ac observant mulierculas menstruorum corripi suppressione, & inde ventre intumescere, ac ad molam ventosam uteri, sive hydropem siccum ejusdem, sive vulgo falsam graviditatem pervenire, statim instituta pluries malesana, & a nobis minus probata sanguinis missione, eisdem diu præscribere amara, calida, aperientia, myrrhata, castoreata, & alia id generis, quæ sanguinis menstruum fluxum promoveant: donec tandem augescente magis, quam declinante malo, res desinat in cancros, scyrrhos, aliaque difficilia uteri mala. Doleo quidem, nam hæc adhibent indiscriminatim in omnibus mulierculis, & omnibus pene ipsarum morbis, nullo ante facto examine, an iracunda sit mulier, an Placidis prædicta moribus; an arida, siccaque, an vero mollis, & succi plena, an morbis animi laboret, necne; quinam sit elater in solidis, quæ acrimonia in liquidis, quod æquilibrium in utrisque. Quo facto examine a nobis, eisque curatis more, quo hydropes siccos ventris curare solemus per emollientia, crispaturam mulcentia, indignationem liquidorum lenientia, aliaque nobis nota, & usu probata, & ventrem detumescere, & menstrua fluere videmus, ipsasque ægras stupentibus adstantibus sanitatem recuperare. Felicem Medicum, qui reconditas morborum successiones noverit, & Abecedarium Naturæ per analogismum loquentis optime didicerit. Qui hæc non habet, non credat se clavem habere curandorum morborum.

LI.

Libera transpiratio debilem facit corporis constitutionem, sed salubritate compensatur. Difficilior contra robustiorem naturam, sed ad morbos procliviorem. Hæc omnia complexus est Medicinæ Dictator *Hippocrates* his aureis verbis, lib. de morbis. *Quibus corpus probe transpirat, ii imbecilliores, & salubriores existunt, promteque ad sanitatem restituuntur. Quibus corpus male transpirat, ii priusquam agrotent robustiores: cum vero in morbos inciderint difficilius restituuntur.* Miror sane quomodo *Sanctorius* hanc duplicem de transpiratione sententiam neque citarit, neque se vidisse saltem asseruerit. Vel cum idem divinus Senex ait 6. epid. sect. 3. *Cutis raritas alvi constipationem efficit, cutis coarctatio carnium auctione; ventris torpor omnium conturbationem, & vasorum impuritatem.* Sed ex dictis fiat Epilogus legum medicarum.

EPILOGUS LEGUM MEDICARUM

LII.

IN Theorices quæstionibus agitandis *Sanctoriani*, & *Harvejani*, at in veris sensibus practices, & naturæ morborum eruendis *Hippocratici*, & *Duretiani* præferuntor.

LIII.

Sophistarum captionibus abstinento, curandi leges ab *Hippocrate Dictatore* petunto. Contra prespectam veritatem pugnantium ne contendunto.

LIV.

Verbis perspicuis communibusque loquendi formulis a natura morborum dictatis utuntor. Atque dum ratio cum oraculo naturæ patescit, de argumentorum forma, sophistarum exemplo, ne laboranto.

LV.

Prius in thesibus, quæ in natura per ægrorum morbos loquente, & per symptomatum characteres se pandente fundamentum habent, deinde in hypothesibus exercentor.

LVI.

Argumentum satis explosum ne regerunto, neve obstinanto, ac si diutius contendere libesit, aliunde petunto.

LVII.

Objectionibus responsione solida renituntor; si desit, honestius tacento.

LVIII.

Si legum medicarum repugnantia nulla fuat, communes medicinæ regulas opponunto: si nec hæ sint, primo vetustum jus ex *Hippocrate*, deinde dogmaticas, & rationales sententias a Græcis Arabibus, & Latinis Medicis mutuantor.

LIX.

Penes *Hippocratem* summa potestas esto. Ad eumdem cuilibet provocare jus esto. Et siquid in his legibus obscurum perplexumve fiet: communi *Hippocraticorum*, consultis peritioribus inter Medicos, more majorum interpretandi, supplendique jus esto, & in perpetuas Medicinæ tabulas redigitor.

LX.

Qui secus faxint, nec in Theorice *Sanctoriani* sint, nec *Harvejani* ad leges mechanicas solidi, & liquidi: in Practice *Hippocratici*, & *Duretiani*, *Elaterones* habentor, Doctorum cœtibus excluduntor, erroribusque suis perpetuo torquentor.

GEORGII BAGLIVI DISSERTATIO V.

De morborum, & naturæ Analogiſmo. De Vegetatione Lapidum. De Terræmotu Romano, ac Urbium adjacentium anno 1703. Ad JO. FRANCISCUM MAUROCENUM Virum ampliſſimum, atque Oratorem Venetorum, apud CLEMENTEM XI. Pont. Max.

Nec non DISSERTATIO varii Argumenti; Potiſſimum vero de progreſſione Romani Terræmotus ab anno M. DCCIII. ad annum M. DCCV. De Syſtemate, & uſu Solidorum in corpore animato. De vegetatione lapidum, & analogiſmo circulationis maris ad circulationem ſanguinis. Ad PETRUM HOTTONUM Medicum Doctiſſimum.

JO. FRANCISCO MAUROCENO
SENATORI AMPLISSIMO
GEORGIUS BAGLIVUS.

CUM pro ſingulari tua erga ſtudioſos omnes benevolentia, & liberalitate factum ſit, *Jo: Franciſce Maurocene Decus Patriæ*, ut tecum ego tum de Litteris, tum de aliis permultis rebus privatos ſermones ſæpiſſime contulerim, propterea mearum partium eſſe duxeram, memoriam, quam debeo tibi pro gratia, ac beneficentia hujuſmodi præſtare, eam & coram teſtari, & publici juris facere, nec qua id ratione aſſequerer viam hucuſque inveneram. Accidit autem nuperrime, quod cum ſenſum tibi meum aperuiſſem ſuper vegetatione, ac nutritione Lapidum; quodque adductus eram, ut crederem Lapides more Plantarum nutriri ac vegetare; tu, quæ tua humanitas eſt, huic meæ opinioni adhærere, eamque probare viſus es. Et quamquam nihil me de tali argumento publice conſtituturum fuiſſe affirmaſſem, ne audacter id feciſſe putarer: tamen tuis conſiliis audaciæ notam evaſurus, iis eiſdem Typis, quibus nunc denuo in Galliis opera mea omnia vulgantur, ſpeciem ejuſdem argumenti adjicere, te cohortante ſum aggreſſus. Cui accurate firmando, cum mentem, hiſce diebus, quibus Roma magno Civium terrore, & plures vicinæ Urbes horrendo terræmotu quatiuntur, appoſuiſſem, eo uſque auctum eſſe comperi, ut diſſertatiunculæ formam obtinuerit. Quamobrem ſi me tua auctoritas ad illum ſcribendum, evulgandumque impulit; jure tibi id dicandum exiſtimo, quod apud te quodammodo natum eſt, tuiſque conſiliis probatum, & confirmatum. Nemo enim aptius de hac re ferre judicium valebit, ſi te unum excipiam, quem pro uberrimo ſapientiæ, atque eruditionis penu, ſingulari quadam gemmarum, & pretioſorum lapidum notitia ornatiſſimum eſſe cognoſco. Commendationem idcirco omnium accipiet hæc diſſertatio, tum quia Nobiliſſimo Viro eſt nuncupata, tum quia tuarum virtutum præſtantiam, Litterarum amorem, in Doctos, ac Litteratos munificentiam omnes homines ſuſpiciunt, & celebrant. Nec dignius in hominum manus obvenire poterat, niſi tuum Nomen eidem fuiſſet adjectum. Siquidem incredibilis illa ſapientia, & ſumma generis nobilitas, quibus apprime apud Venetorum Rempublicam es commendatus, & primoribus muniis obeundis unice delectus, aperte comprobant data tibi hæc fuiſſe a Deo, quo conſiliorum copia, & maturitate Rempublicam juvares, & quo ſtudioſorum tuendorum exemplar Principibus Viris præberes. Et quamvis multi nobilitatem generis ex Proavorum honoribus, non autem ex proprio ſplendore oſtendant: tu vero Maurocenam tuam Familiam non tam Imaginibus, & ſtatuis, quam proavorum gloria ubique clariſſimam, virtutibus per manus traditis, acceptiſque a majoribus prorogas potiſſimum tuis meritis, & recte factis amplificas. Unde ob incrementum Gloriæ tuæ ſeri Nepotes in te præcipue, tanquam in excelſam, atque illuſtrem Familiæ Maurocenæ ſpeculam oculos dirigentes, dignitatem non exi-

guam

guam ex tui imitatione ſibi comparabunt. Si autem a modeſtia tua impetrare valerem, ut laudum tuarum cumulum enumerare, & ea hic dicere ſigillatim poſſem, quæ de te ſentio, perpetuum certe de te monumentum in hac diſſertatione peragerem; ſed quoniam vetitum hoc mihi quodammodo eſt; ideo ſat erit proferre, quod is, cujus fidei atque prudentiæ Veneti Senatus arcana traduntur; is qui apud Clem. Undecimum Pontificem Optimum Max. apud quem Oratoris munere fungitur, gratia multum pollet; gratia inquam veræ virtutis opinione quæſita, cujus judicio optimus Pater plurimum defert difficilibus hiſce, & Europæ luctuoſis, Italiæ vero noſtræ calamitoſiſſimis temporibus, is denique, qui graviſſimis negotiis detentus, reliquum tempus artium maximarum cognitioni, jacentibus litteris ſublevandis, & litteratorum colloquiis impendit, non cum aliis eſt conferendus, ſed ceteris omnibus ſummis viris anteponendus, cui quo ſimilior aliquis, eo glorioſior haberi debet. Neque putes mihi ſpem fore in te efferendo, ſive gratierga te animi teſtimonium poſteritati tradere, ſive ab annorum oblivione te vindicare. Quamvis enim multi effecerint, ut quorum nomina perire nollent, eorum. dem in ſuis ſcriptis meminerint, prout Attico accidiſſe advertit *Seneca* Epiſtol. 21. *Nomen Attici perire Ciceronis Epiſtola non ſinunt. Nihil illi profuiſſet gener Agrippa, & Tiberius progener, & Druſus Cæſar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, niſi Cicero illum applicuiſſet.* Idque teſtatur Maro his verſibus.

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt.
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Tu tamen altius multo, longiuſque evolans, nulla exterius laude opus habes pro immortali gloria conſequenda. Siquidem admirationi omnibus eſt tua prudentia cum eloquio conjuncta, gravitas cum comitate ſociata, ſapientia ab humanitate ſtipata, & copulata cum moderatione nobilitas: adeoque ex hac tantarum virtutum præſtantia tuum Nomen, quod nunc Romæ, hoc eſt in publico terrarum Orbis Domicilio omnium plauſibus excipitur, nulla impoſterum obſcuratura erit oblivio. Meum itaque de te benemerendi animum conſiderabis, & eam in partem accipies, quam ſumma, vel mea in te obſervantia, vel tua erga me benevolentia poſtulat.

De Morborum, & Naturæ Analogiſmo.

INter ſæcula, quæ ab Orbe condito memoranda fuerunt, noſtra hæc ſæcula potiorem ſibi exigunt admirationem; tum quia talia hiſce temporibus evenerunt, quæ alias nunquam; tum præcipue quia ita ſe ſcientiæ, ac bonæ artes nunc evexerunt, ut de incremento ulterius deſperent. Si quis enim adinventa, & cultum reſpiciat, nec coli amplius ſcientias, nec amplius adinveniri poſſe pro iiſdem augendis fatebitur. Via tamen, quam nonnulli tenraverunt, ut increbreſcerent, vocatur a Philoſophis analogiſmus, ſive argumentatio a ſimili. Id aperte conſtat in Anatome, in Chimia, in Botanica, in Mechanica, in Meteoris, aliiſque innumeris artibus, ac ſcientiis, quæ nec aliter adauctæ ſunt, nec aliter illuſtratæ. Proinde eandem mihi viam eruendæ veritatis cauſa proponens, in novo hoc tractatu eodem etiam modo incedendum mihi eſſe putavi ſuper Natura, Curatione, Diagnoſi, prognoſi morborum; ideſt in inveſtiganda alicujus morbi natura, cauſa, aut curatione, per analogiam ratiocinari, ac procedere poſſumus ab aliquo morbo manifeſto, & apparente cum quo occultus ſimilitudinem aliquam habeat. Certum ſiquidem eſt, quod in cunctis operibus ſuis analogice natura procedit, ſive *ſuperius inferius unum* ex *Pithagora*: nec plures, ſed unus eſt modus procedendi; & differentia, quæ intercedit inter corpora oritur ex diverſis illorum formis, propter quas diſſimilia ſunt corpora in operationibus, quamvis unica ſit omnium cauſa. Undeſegregie monet *Seneca* Epiſtol. 65. *Omnis Ars imitatio eſt Naturæ, itaque quod de univerſo dicebam, ad hæc transfer, quæ ab homine facienda ſunt.*

Cujus argumenti ut exemplar apponam, non abs re fuerit conſiderare Pleuritidem. Dum pleuritis generatur, generatio ejuſmodi eſt, qualis eſt generatio inflammationis aliarum partium. Adeoque ut in curatione Pleuritidis Medicus plene debet adjicere animum ad procurandam laxitatem in fluidis morboſis ut exinde facilius ad exitum promoveantur, ita pariter in aliis omnibus inflammationibus per anodina, & diluentia ſolidorum laxitas procuranda primo eſt, nec non libertas, laxitaſque fluidorum, ut debito tempore per vias magis familiares naturæ, ac per leges coctionum hujuſmodi mala eliminentur: & ſicuti noxium eſt exhibere in Pleuritide ſpirituoſa, volatilia acria, atque urentia, potiſſimum quando nimia in fluidis viſciditas, cruditas, & apparatus tenacium humorum in Pulmonibus non regnat, quæ tunc expoſcerent remedia magis ſpirituoſa, mixta tamen diluentibus; quia in fluidis, & ſolidis vis, intenſio, & criſpatura creſcerent: ob eandem etiam rationem in aliis internis inflammationibus hujuſmodi remedia exhibenda nimium non erunt; & ſi cauſa viſciditatis, cruditatiſque humorum exhibenda ſint, miſcenda tunc ſpirituoſa cum julepis pectoralibus: uti ego facio miſcendo ℈. i. vel minus ſpiritus fuliginis, vel Corn. cerv. cum ℥. iij. ſyrup. ſcabioſ. & pauca aqua tuſſilag. & cochleatim exhibendo in pleuritide, quæ provenit ex nimia humorum

viſciditate cum pauca tamen ariditate, inflammatione, criſpaturaque partium affectarum. Quod ſi hæc adſint: emulſiones ſem.card. ſanct. ſperma cæti, gelat.corn. cerv. & his ſimilia præſcribenda. Quare a pari, a Pleuritidis generandæ, ejuſque curandæ modo procedendum eſt analogice ad generationem, curandique methodum aliarum inflammationum in viſceribus quoad purgationem, ſanguinis miſſionem, remedia debita, & morbi eventum: habito tamen ſemper reſpectu ad peculiarem cujuslibet partis naturam, ſitum, uſum, ſtructuram, conſenſum cum aliis &c. quæ mutationem non levem afferre ſolent in natura inflammationum, dum iis corripiuntur ægroti.

Et ut brevitati ſtudeam, ea ratione qua de Pleuritide diximus, comparata ad alias inflammationes, differi poteſt analogice de aliis morbis, unius nempe ad alium. Ita in theoria, modoque procedendi dolorum generaliter Colica mutatur in paralyſim, dolores humeri deſinunt in Lumbaginem, & e contra. Rheumatiſmus, & arthritis in paralyſes incurabiles. Dolores, qui neque purgatione, neque ſanguinis miſſione, neque alio modo cedunt, in ſuppurationem deſinut ex *Hippocratis* ſententia. Unde ex his de dolore ad dolorem facile, ideſt analogice, differere poſſumus, quoad generandi, curandique modum, eorumque eventum. Criſpatura ſolidorum in ſingulis regnat: ea demulcenda eſt.

Scorbutici, Melancholici, Gallici, torquentur ſæpe doloribus ſa viſſimis variis in partibus, & pro varietate characteris trium horum morborum varie curandi ſunt. Gallici cum antigallicis; ſcorbutici cum antiſcorbuticis; melancholici cum ſero lactis, ſuccis herbarum, & his ſimilibus attemperantibus demulcendi: ſi contrariæ indolis remedia in melancholicis dederis, ægrum jugulabis. Unde in præſcribendis remediis ad dolores, præter criſpaturam, intenſionem, irritationemque ſolidorum, quæ ſingulis doloribus communes ſunt, habenda eſt ratio characteris morbi alicujus generalis, a quo dolores foveantur, aliter cura vana, & irrita erit. Melancholicos doloribus vagis dire excruciatos vidi, & quando decoctis exſiccantibus, aut ſudatione in ſtufis ſiccis curatio peragebatur, in deterius ire obſervabam; juvari contra ſummopere ſero lactis ſimplici, vel viperinato, ſuccis depuratis ſonci, borraginis, cichorei, &c. diſtillatis refrigerantibus, longa potione aquæ nucerianæ, ſalſa pariſ. alteratæ, & ſimilibus.

Hiſteria ac hipocondriaca, quam analogice inter ſe procedant, quoad generationis, & quoad curandi modum, pene exacte, atque ſimili ritu, & ordine, recentiores aperte probarunt, & docuerunt; pariter Aſthma ſiccum, & Hydrops ſiccus; mola uteri convulſiva, ſive hydrops ſiccus uteri ex noſtra ſententia, nonne analogice pariter uti ſuperiores procedunt in omnibus? Ideo analogice ab iſtis morbis convulſivis ad alios convulſivos, quoad generandi, curandique modum, & quoad eventus procedendum.

Mictus ſanguineus, ideſt ſanguinis nigri, vitriolici, & ad inſtar atramenti valde obſcuri, & nigri criticus ſolet eſſe, & aliorum morborum liberator, nempe capitis, & pectoris, ut in nonnullis ſenibus obſervavi, potiſſimum in Sene ad Clivum Quirinalis, non longe ab Hortis Palatii Mazzarinorum. Et ſi quis ſtringeret hu.m. fluxum, utpote fluxum ſanguinis atri, fœtidi, peſtiferi, & vitriolum manifeſte redolentis, in evidens mortis diſcrimen conjiceret, patientem, ut etiam obſervavi. Ita fluxus ſanguinis atri, nigri, vitriolacei fœtidi, peſtiferi per alvum effluens, criticus ſolet eſſe, & liberator plurium morborum ventris, dolorum diuturnorum circa lumbos, & ſimilium: dummodo tamen non ſint dura, obſtructa, & intenta hypocondria, præcipue dextrum, in quo caſu lethalis eſt hic ſanguinis fluxus niger ac fœtidus, ut divinus Senex animadvertit, & ego nuper vidi in ſene ex jecore duro laborante in Campo Martio, prope Ædes Mediceas, cui mortem palam prædiximus, quia *Hippocrates* ita jubet: quare in mollibus hypochondrius ſanguinis fluxus per alvum, ſanguinis nempe nigri, vitriolacei, fœtidi, non eſt ſtatim ſiſtendus, ſed ſinendum ut fluat, donec veluti per criſim viſcera naturali liberentur, ut de cruenta urina ſupra diximus. Id feliciter hac ratione vidi ſucceſſiſſe nuper quinquagenario ad ſuburram, prope ædes S. Mariæ in Montibus, ſanguinem nigrum fœtidum, & vere vitriolicum ejiciente per alvum dolente tunc dextro hypocondrio per plures menſes, ſed jecore molli, nec obſtructo; uſu ſeri lactis, cum hedera terreſtri recenti, & radic. ſcabioſæ recent. cocti, ac plures per dies uſurpati, a dictis crudeliſſimis doloribus lumbi dexteri, & a ſanguinis nigri fœtidi, & vere vitriolici fluxu liberatus eſt felliciſſime. Ex hujuſmodi doloribus dexteri lumbi pertinaciſſimis, & diris durantibus per totum triennium, obiit derepente Vir melancholicus, & hypochondriacus in campo Agonio inter vallem Martiam, & circum Flaminium.

In Cadavere obſervavimus plures libras ſanguinis concreti, congelati, fœtidi circa omnes muſculos lumbi dextri, & qui in ſuperiori ægroto feliciter excretus fuit per alvum, illumque liberavit a morbo; huic ſecundo, quoniam intus remanſit, mortem intulit repentinam, ob diunurnos dolores fibris dictarum partium, omnino criſpatis, convulſis, ac pene exſiccatis, hinc ſtrangulata fluidorum circulatione, mors ſucceſſit repentina.

Quare ut rem concludamus, in hoc tractatu de Morborum analogiſmo, plura repetemus, quæ diximus in tractatu de conſenſu ſolidorum jure originis, vicinitatis, uſus & communicationis officii. Nam ſumme conferunt ad argumentandum analogice, & cum certitudine de morbo ad morbum. Analogia autem explicabit quomodo morbi, qui ſunt natura iidem, partibus vero læſis differentes ſymbolizant ad invicem in modo procedendi in ſymptomatibus eos concomitantibus, in cura, & re me-

remediorum eventu, & demum in prognoſi, & quod ab altero ad alterum tuta poſſit fieri argumentatio quoad omnia ante recenſita : neque ſolum in morbis natura iiſdem, ſed in pluribus natura diverſis, pro peculiari quadam læſione, quam in fluidis inducunt, utriſque pene ſimilem, per analogiam ab altero ad alterum recta fieri poſſit argumentatio ad curandum eoſdem methodo pene eadem, iiſdemque remediis, ut ſuo tempore explicabimus ; & in lue gallica cum ſcorbuto comparata id quotidie verum experimur ; & in Rheumatiſmo inflammatorio ad Pleuritidem mere inflammatoriam comparato. Vagatur enim Romæ rheumatiſmi, ſive dolorum univerſaliter vagantium ſpecies, quæ revera ab inflammatoria ſanguinis diatheſi dependet ; nec alia ratione curatur, quam repetita ſanguinis miſſione, ſanguis enim vena emiſſus cruſtam albam gelatinæ non abſimilem in ſuperficie habet, & fere ſimilem albæ cruſtæ in Pleuriticorum ſanguine frequenter apparentis. Ideo repetita ſanguinis miſſione, victu, ſive ptiſana hordæcea, avenacea, & juſculis ſem. melon. ebullitis, denique diluentibus, & anodinis, ut in pleuritide mihi uſuvenit, talem curo inflammatorium rheumatiſmum, ut dicam ſuo tempore. Et quando in declinatione morbi vires ob tenuiſſimum victum, & curam evacuantem ſunt nimium proſtratæ, acuties tamen aliqua morbi, necnon acrimonia inflammatoria adhuc viget ; tunc ſumo flavedinem ſubtilem corticis limonum in fruſtula reſectam, eamque bullio leniter cum aqua fontis, & hujuſmodi aquæ citratæ calide præbeo bibendos ægro tot cyathos, quot velit, dummodo poſſit ſtomachus regere. Hac enim copioſa potione refræno ſalium acrimoniam, vires reſtauro, & fluxiles reddo humores, ut in ſuis philtris facilius, citiuſque repurgentur. Hanc potionem aquæ citratæ frequenter præſcribo Romanis noſtris loco Caffe, aut Chocolatæ, & facio ut aliquot cyathos ejuſdem valde calidæ quotidie ſorbeant ; nam calida ſtomachum exhilaro, cortice vero ſive flavedine calidæ incocta reſtauro, & corroboro. Caffe enim ſi nimium potetur officit nervis. Chocolata nimia, ſangu ni & capiti, ut fuſe diſſeruimus in praxi noſtra ſuperius ubi de morbis : Cyathos itaque calidæ citratæ quotidie ſorbere ſaluberrimum eſt. Sed uti hujus, & ita aliarum potionum uſus nimius, ſive abuſus perniciosiſſimus judicatur, &c.

De Vegetatione Lapidum.

ATque ne recedam a propoſita mihi ratione diſſerendi per analogiam de Naturæ effectibus in novo hoc, nec a quopiam adhuc exculto de vegetatione lapidum argumento ; id pro virium mearum tenuitate demonſtrare, ac probare enitar. Quamobrem ſi quis ingenii acumine, ac aſſiduo labore ad Naturæ effectus perſcrutandos juxta triplex illius Regnum Animale ſcilicet, Vegetabile, ac Minerale, mentem attollet, Naturam ſane analogice operare, æqualitate pari in his omnibus, ac ita facili itaque placido modo, uſque ad admirationem obſervabit. Quiſnam credidiſſet Plantas reſpirare, earumque liquores circulare eodem modo, quo liquores circulant in animalibus ? Attamen ex tot tantiſque Recentiorum experimentis id ſatis deducitur, nec in dubium revocatur ; etenim id omnium primus perdocte noſtra in Italia *Malpighius*, experientia demonſtravit. Animalia quæque, ac vegetabilium genus omne ab ovo naſci, quis unquam putaſſet ? Hoc tamen tali evidentia in ipſamet Italia, & tali ſoliditate comprobatum eſt, ac illuſtratum, ut non abſque imperitiæ, ac temeritatis nota hujuſmodi veritatem aliquis improbaverit. Imo patet Naturam eodem uti artificio in producendis a Plantarum ovo, (nimirum ab illarum ſemine) futuris plantis, quo ipſa utitur in efficiendo, ut ab ovo Avis naſcatur, ut Auctor præcitatus, & quamplurimi illius veſtigia ſequentes nuper obſervarunt.

Quare multo ſatius eſt tempus impendere in Naturæ operibus ſcrutandis, unde utilitas aliqua emanat, quam inanibus ſe exercere. Hinc optime ait *Seneca* quæſt. nat. lib. 3. in præfat. *Conſumſere ſe quidam dum acta Regnum externorum componunt, quaque paſſi invicem, auſique ſunt populi. Quanto ſatius eſt ſua mala extinguere, quam aliena poſteris tradere ? Quanto potius Deorum opera, quam Philippi, aut Alexandri latrocinia celebrare ? ceterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfuſum eſt ; quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit ? Quanto ſatius, quid faciendum, quam quid factum ſit quærere ? Itaque in ſecundis nemo confidat, in adverſis nemo deficiat ; alterna ſunt vices rerum. Magna iſta, quia parvi ſumus, credimus. Multis rebus non ex natura ſua, ſed ex humilitate noſtra magnitudo eſt*, &c. hucuſque ille.

His ita præmiſſis, ac veri exiſtentibus, cum nemo hoc ſeculo ob tot adinventa, & nova experimenta feliciſſimo animadvertiſſet ad conſiderandam generationem, nutritionem, ac vegetationem lapidum, ideo præſentis hujus noſtræ lucubrationis hic erit finis, & hic unice noſter ſcopus. Elapſis ante annis per varias Italiæ regiones iter faciens plura de lapidum vegetatione meditabar, & plura in itineribus per montes, & potiſſimum Florentiæ, de eadem obſervabam, ac ſedulo adnotabam. Plurima tamen obſervare ac diſcere Romæ datum eſt, decem his annis, quibus hic moror. Ubi cum incredibilis Marmorum, lapidumque omnis generis copia præ aliis Regionibus proſtet ; pro locupletando hujuſmodi Argumento, nobis obſervandi, ac perſcrutandi res ſane curioſas, ſcituque dignas in his illuſtrium, nobiliorumque Virorum Muſeis, atque Marmorum, Gemmarum, ac magnæ æſtimationis lapidum Gazophylaciis modus non defuit ; imo aliquando, ne dicam ſæpeſſime, officinas Lapicidarum Ur-

bis, ubi innumeræ ſunt, luſtravi, ut lapidum differentias, & naturam animadverterem, ac de illis cum Artificibus quicquid praxi, & uſu ipſi noverint, differerem. Cum ipſis quoque Statuariis, Cæmentariis, & Lapicidis frequenter locutus, plura ab iiſdem didici, quæ hujuſmodi materiem illuſtrant. Neque hujuſmodi indagine contentus, Tybur petii, ut obſervarem Latomias Marmoris Tyburtini, vulgo *Travertino*, albi, ac duri. Petii quoque Marini Oppidum, duodecimo ab Urbe lapide, ut ibidem lapidis cujuſdam nigricantis, vulgo *Peperino* lapicidinas adnotarem. Denique quicquid dictis in locis, & in lapicidinis ſuburbanis, in quibus lapis excavatur tofaceus obſervatione, & experientia Lapicidarum addiſcere potui, ſatis ſuperque me movent, ut credam lapides in ſuis Matricibus nutriri, creſcere, ac vegetare.

At quia ex obſervatione centenorum prope marmorum, Saxorum, Gemmarum, aliorumque pretioſorum lapidum inter ſe differentium, ſuper quibus animadvertere mihi Romæ occaſio fuit, deducimus de hujuſmodi materia plane differi non poſſe, niſi prius rite diſtinguantur Lapides, Saxa, Marmora, Gemmæ, aliaque hujus generis, & in ſuas claſſes ordinate reducantur; neque huic argumento ſatisfieri poſſe exiſtimo brevi tractatione, & tumultuaria obſervatione, ſed laboribus aſſiduis, ac multorum annorum exploratione; quibus faciendis, cum impar omnino ſim ob graves, quibus quotidie premor, occupationes, tum etiam ob brevitatem huic diſſertationi neceſſariam; ideo ſtatim ad præfatorum probationem deveniendum eſt.

Superius innuimus, quod ut exacte de hac materia tractetur, obſervationibus eſſet incumbendum; verum ne tædium propter innumeras, quas adhuc peregimus obſervationes Lectoribus afferamus, ſatis erit nonnullas, imo illas adducere, quibus coactus ſui opinari, lapides illos, quos duriori ſubſtantia præditos reſpicimus, eoſdem antea aquam fuiſſe, poſtea principiorum ſalinorum terreorumque concurſu ac unione, tranſmutatos eſſe in Lapidem: adeoque ſi antea teneri erant, ac molles, commodius vegetare poterant, ac creſcere, dum adhuc ſuæ Matrici, veluti utero ſuo adhærebant, non tamen poſtquam ab ea reſciſſi ſunt. Idque obſervationes, & experimenta ſequentia abunde comprobant.

OBSERVATIONES.

I.

PLaſma rariſſimum prope Urbem ad Portam Oſtienſem noviſſime repertum, ex quo ſingularis ſtructuræ Menſulæ confectæ ſunt. Plaſma hoc, ſive Figmentum Marmoris ſpeciem habet, ex quatuor pretioſis lapidibus, Smaragdo nimirum, Amethyſto, Onyche, & Agata compoſitum; & quamquam color ille viridis tranſparens, vere non ſit Smaragdi, ob qualitates autem, quas præſefert, vel matrix, vel ſpecies Smaragdi videtur; cum duritiem, coloremque Smaragdo ſimilem gerat, & conſervet: idem & de Amethyſto, & de Onyche cum ſua duritie aſſerimus: Agata etiam in hujuſmodi compage, licet in minori quantitate ſit quam alii lapides pretioſi, perfectiſſima tamen eſt, & quamvis Ametiſtus, ac Smaragdus tranſparentes, ac perlucidi ſint, Onyx tamen obſcura videtur. Accidit autem quod cum rari, pretioſi, ac omnino inter ſe diverſi quatuor hujuſmodi lapides molles, atque teneri in ſuis reperirentur Matricibus, principio ſalino, ac bitumineo coagulante ſimul conſtricti, hujuſmodi Plaſma, aut figmentum produxere, cujus apud me nonnulla conſervantur fragmenta.

II. Marmor Tyburtinum, vulgo *Travertino*, Tybure in Villa Hadriani ad viam Latinam excavatur: ex hujuſmodi Lapide Romani antiquitus & Principes elapſis temporibus ædificia innumera admirandæ molis conſtruxerunt; potiſſima ſunt Amphitearum Flavium, & ſpecioſiſſima Vaticana Baſilica; & quotidie pro conſtruendis Urbis ædificiis ingens hujus Marmoris copia tum Romam, tum vicinas ad Urbes advehitur. Unde ergo materies tanta, niſi vegetaret? Ideoque Lapidicinæ, quæ ducentis, ſive quadringentis ab hinc annis exhauſtæ erant, nimiumque profundæ, nunc publicam viam, ſubtus jam lapide vegetato, adæquant. Hoc idem aſſeri communiter ab ipſis Lapicidis, ſive Foſſoribus audivimus, cum anno elapſo experimenti gratia Tybur adibimus, ibi eorum opiniones, atque experientias accepturi, eoſdem de hoc marmore allocuti ſumus, atque ibidem multa extranea corpora, ferrum videlicet, antiquorum Foſſorum & conchylia lapidi immixta, ac prope lapidefacta obſervavimus.

III. In montibus Piciniſci lapidicina eſt Alabaſtri, & aſſerunt Lapicidæ, quod marmoris hujus venæ magis, minuſve coloratæ fiunt a tellure, quam aquæ a locis vicinis filtrantur, & ab ea varietatem coloris ſuſcipiunt. Præterea ab hujuſmodi Alabaſtri corticibus, in quibus aquarum guttæ, uti in Cryſtallo montana lapidefactæ, & conglaciatæ obſervantur, illud primum tenerum, ac molle fuiſſe deducitur, imo in illo corpora extranea etiam reperiuntur ad inſtar Tubi conglaciati; hinc ſi molle, ac tenerum in ſuis primordiis fuit hoc Alabaſtrum, ut ex corporibus extraneis in eo lapidefactis deducimus, cur vegetare etiam, ac creſcere continuo non poteſt?

IV. Subniger lapis, coloriſque cineritii, minus tamen durus, quam Tyburtinum marmor duodecimo ab Urbe Lapide, & præcipue Marini, olim Villa Marii dicta, excavatur, & vulgo dicitur *Peperino*. Viſendi cauſa lapidicinas hujuſmodi, Marinum, Caſtrum Gandulfum, ac Albanum paucis ab hinc menſibus acceſſimus; ibique nobis Foſſores, ac Latomi retulerunt, creſcere, & vegetare lapides illos ſibi videri

rid ; nam præter rationes , ac obſervationes ſuperius in lapicidinis Tyburtinis adductas, iidem retulerunt Foſſores , & Lapicidæ Marinenſes, Albani , aliique vicinorum oppidorum, quod poſtquam ad debitam profunditatem excavarunt lapides in hujuſmodi foveis , ne inutiles & otioſæ impoſterum ſint , replent illas fragmentis ejuſdem lapidis , poſt ſciſſionem remanentibus, terraque ſuperaddita , & ſato arundinum ſemine atque radicibus. Arundinetum efficiunt , quo pro fulciendis vitibus utuntur. Elapſis centum, vel ducentis circiter annis arundinetum reſecant , & obſervant foveam jam eſſe repletam, & lapidem ſubtus jam vegetaſſe, & creviſſe. Unde hi novi lapides ad uſum denuo revocantur, & Jam repletæ foveæ ſcindendo, denuo exhauriuntur.

V. Lycii in clariſſima, & nobili Urbe Apuliæ in Salentinis , quæ mea pueritia ſuo in ſinu fovit, & aluit, cuique omnia mea debeo, lapis albus, ac ita tener excavatur , ut Cæmentarii in illo pertractando, & lævigando utantur iiſdem inſtrumentis, quibus fabri lignarii in Tabulis lævigandis : adhibitus poſtea ad tecta , ac ædificia conſtruenda, tantum durescit, ut marmoris duritiei pene aſſimiletur . In excavando hoc lapide inveniuntur in eodem frequenter Cochleæ , ferri moleculæ , teſtæ conchyliorum , & marinorum animalium , aliaque hujuſmodi . Cum ergo omnes pene incolæ illius Provinciæ ad ædificia , delubra, & ſacella conſtruenda illo utantur lapide , certe niſi vegetaret , conſumtus adhuc eſſet .

VI. Inter domeſticas memorias quas Urſinæ familiæ (ex qua Benedictus XIII. P. M. feliciter reg.) Principes a majoribus conſcriptas adſervant, adnotatum eſt quod e quadam ſulphuraria ducentis ab hinc annis ſulphur effoſſum fuit ; quod ſpatio temporis elapſo , & concreto ſenſim , ac vegetato ſulphure , fovea paucis ante annis vicinos æquabat campos , adeo ut nunc denuo ſulphur ab ea excavatur ; idque idem de ferro , de Alumine ſciſſili , hujuſmodi materei effoſſores adſeverant.

VII. Lapis Cochlearis dictus , in Sicilia reperitur , & prope mare excavatur ; eſt cineritii coloris , & quadammodo pellucidus ad inſtar matricis margaritiferæ , qui cum in fructa ſecatur cochleis interſectis abundat , a quibus nomen accepit ſuum ; & niſi mollis antea fuiſſet , ejuſmodi cochleis non ſcateret ; & ſi mollis ante fuit cur vegetare non poteſt, matrici ſuæ adhuc adhærendo ?

VIII. In Muſeo Viri nobilis *Marci Antonii Sabbatini* noſtrum amiciſſimi , ac celebri rerum antiquarum ſcrutatoris, inter alia, quæ in eodem admiratione digna ſervantur, Onychem vidimus, pellucidum , & diaphanum habentem corpus , cum nonnullis arborum folliculis in medio inſertis. Quæ gemma cum natura ſua duriſſima ſit, niſi antea mollis fuiſſet, utique folia illa in ſe non contineret . Pariter apud eundem amiciſſimum Virum aſſervatur dens Elephantis pondere , & magnitudine admirabilis ; pendit enim libras 300. circiter , longus vero eſt palmos fere 18. Repertus eſt anno 1698. in ipſa Tophacei lapidis ſubſtantia in quadam Tophi lapidicina extra Portam Oſtienſem ad Baſilicam Divi Pauli . Calcinatus pene nunc eſt, ac albus , eoque utor ipſe pro Diaphoretico magnarum virium in malignis Febribus , & ad abſorbendum acidum nil invenio præſtantius ; ex hoc clare deducitur Tophacei lapidis materiem mollem ante fuiſſe , deinde creviſſe, ac vegetaſſe, aliter extraneum hoc corpus includere non potuiſſet.

IX. In chryſtallo montana extranea corpora ſæpius inſunt ; prout ſunt aquarum guttæ , lapilli , grana argenti , corpuſcula flavi coloris , & ſimilia , idque abunde excepi in eodem Muſeo Domini *Sabbatini*.

Ab Jaſpide cum rubris maculis, quæ appellatur heliotropium , nonne aperte deducitur fuiſſe antea mollem , ac teneram , poſteaque duram evaſiſſe ?

X. Elapſis annis in Sicilia inter fodiendum genus novum lapidis repertum eſt formæ admirabilis, ac pretioſi. Lapis hic evidenter in externa parte obſervatur eſſe compoſitus ex foliis , & ſtratis lapideis , uti foliati obſervantur lapides Bezoar , calculus humanus, &c. Interius vero per totam ejus ſubſtantiam ab Artifice lævigatam, videtur eſſe veluti quædam gelatina argentea lucida, ac nitida , in qua auri , & argenti ramenta , aliorumque lapidum pretioſorum fragmenta confuſe inter ſe mixta grato propemodum ſpectaculo conſpiciuntur , & ſi ſolis radiis admoveatur veluti Iris , *mille trahit varios adverſo ſole colores* , quo carmine explicatum habeas ſuum mere incredibilem aſpectum. In ſupradicto Muſeo fruſta quædam adſervantur : in Muſeo autem Columnenſium Principum duæ ſunt Menſulæ ; ſive Tabulæ marmoreæ ex hoc lapide confectæ : & niſi mollis antea hic lapis fuiſſet , tam diverſæ naturæ corpora profecto non contineret .

XI. Obſervavi lapidem ex dimidio Pyropo, & alteram medietatem a ſaphiro in eademmet matrice compactum ; ac lapidem ex Amethiſto , & Topatio etiam in eadem matrice compactum , & ſimul concretum in unum corpus. Vidi itidem parvum Adamantem roſacei coloris , qui rarus eſt , & pretioſus. Jaſpidem multicolorem & variis lapillis coloratis compactam vidi , & ipſius conſtructionem examinando , deprehendi eſſe revera congeriem plurium lapillorum in unum corpus a ſucco aliquo bitumineo coagulatam , & concretam .

Lapis aquilinus natura ſua durus eſt , & intus extranea corpora adſervat , hinc auribus admotus, atque concuſſus aliqualem ſonitum edit . De hoc lapide referunt , quod renibus mulierum parturientium ligatus partum acceleret . Lapides, vulgo Ceratnii , omnes pene perforati ſunt. Denique in eodem Domini *Sabbatini* Muſeo vidi

carbones, hominum, & animalium dentes, ac lignum ingentis magnitudinis, omnino lapidefacta. Rami quoque arborum, ac arbores integræ petrefactæ obſervantur. Corallia ſunt mollia in fundo maris, ſtatim ac extrahuntur, dureſcunt, idem de ſuccino aſſerunt; idem etiam in diem de calculis humanis obſervamus, molles enim ſunt dum extrahuntur a Corpore, deinde marmoream duritiem acquirunt. In Icterico, obſtructionibus laborante, & calculo veſicæ defuncto, in veſica fellis tres flavos calculos valde molles obſervavimus, cum elapſis menſibus cadaver via Aventina ſecuimus, poſt nonnullos autem dies iidem Calculi duriſſimi evaſerunt.

XII. Interamnii in Urbe celebri in Umbria lacus eſt, vulgo *Piè di Luco* ſive Pedelucanus, in quem duo exigua flumina, Velinus, & Nares, vulgo *Nera*, ſe exonerant. Hujuſmodi fluminum, & lacus aquæ, fluxu, atque exitu impedito, ob canales limo, vel alia materie repletos inundant omnes agros prope Reate, & Interamnium con ingenti Incolarum damno; cui incommodo, ut providerent antiqui Romani duas excitarunt foveas, ſive Caveas in vivo lapide, dictas Curinas a Curio Conſule forſan, vel Viarum Curatore: per quas dato exitu, & curſu dictis aquis, hæ in ſummitate vicinis montis perductæ, per altitudinem fere medii milliaris, grato ſpectaculo, decidunt in Planitiem Interamnii prope Oppidum, vulgo *Papignio* tribus milliariis ab Interamnio Reate verſus diſtans, & in Tybrim, ni fallor, per occulta viarum tandem decurrunt. Longitudo dictarum Cavearum erat medii fere milliaris, latitudo, ac profunditas viginti quatuor palmorum ex utraque parte ſigillatim. Tempore Clementis VIII. Pont. ex omnibus lateribus, ac profunditate cavearum, vegetato ob longum annorum curſum, & augmentato lapide, aquis recipiendis, ac vehendis incapaces evaſerunt, nam ad planum telluris jam repletæ videbantur. Qua de cauſa, futuris innundationibus ut proſpiceret Pontifex, novam excitari foveam juſſit longitudinis medii milliaris, & latitudinis, ac profunditatis ſupradictæ, ab ejus nomine dictam Clementinam, in qua cum evidenter vegetent, & creſcant latera lapidea, ferreis inſtrumentis, ſtatuto quoque tempore, a Foſſoribus deſcinduntur augmentatæ partes, aliter longa mora nimium vegetato lapide, etiam hæc clauderetur Fovea.

XIII. Omnis itaque generatio pene ex fluidis proficiſcitur, ne Gemmis quidem, & lapidibus exceptis. Sic res lapideſcunt, cum partes lapidificæ in aqua minutim exſolvuntur. Sic aliquando ſilices lapillos pellucidos ex ſucco puriori, & percolato coaleſcentes intus concludunt, interdum alii ſuccreſcunt, aut plures velut ex eadem matrice aſſurgunt: ut in iis foſſilibus, quæ flores appellantur. Nec fere aliter Gemmæ formantur, quam ſales ipſi ex variis lamellis; nec dubium eſt, quin hæc tenuiſſimæ lamellæ ex ſucco paulatim concreſcente, fere in talco, aut in cryſtallis vitrioli accidit prodierint. Calor Gemmarum, quoniam pendet a ſulphure mineralium eas tingente, ideo gemmæ pene omnes, igni vi ſuis coloribus plerumque exuuntur.

XIV. Simili ratione cryſtallorum fruſta interdum guttam aquæ pellucidæ intus continent. Sic in duriſſimis Indiarum lapidibus, & Gemmæ aliquando deliteſcunt. Quoniam vero ſubſtantiæ duræ ita exquiſite miſceri non poſſunt, niſi antea fluidæ eſſent, Matricem lapidum, ac Gemmarum fluidam ante fuiſſe exiſtimamus. Quid enim iiſdem figuris Gemmas ubique circumſcribit, niſi conſtans, vegetus, & ubique regnans ſpiritus rationibus ſeminariis prægnans? Neque enim figuram ſuam a loco tanquam a vaſe mutuantur, cum plures ex una ſuccreſcunt radice, vel in eadem matrice, ut grana in ſpica continentur, ut vidi nuper in matrice Smaragdi apud præfatum eruditiſſimum, ac nobilem *Sabbatinum*: creſcunt enim in ſuis fodinis Gemmæ, & aliæ aliis decedentibus ſuccedunt. Pariter Dominus *Boyle* narrat ſe vidiſſe lapidem cryſtallo ſimilem, & exquiſite figuratum, qui circa filum ramoſum argenteum concreverat; imo etiam habere ſerpentim in lapidem converſum.

XV. Tempore maximi, & memorabilis incendii Veſuviani anno 1631. plura notatu digna obſervata ſunt, & typis data ab Abb. *Braccino lib. de incendio Veſuviano*. Et primo quidem homines ab igne conſumti inventi ſunt, illæſis tamen veſtimens. 2. Ad litus maris cadaver hominis inventum eſt, in quo femur alterum erat omnino lapidefactum, alterum vero nequaquam. Lapidefactæ quoque inventæ ſunt ſub Veſuvii cineribus Ficus paſſæ, capſula lignea claufæ. Veſuvius ardens per ſubterraneas ſpecus abſorpſit ingentes aquas maris, eaſque paulo poſt, litore exſiccato, evomuit in vicinos agros quos ingenti pariter innundatione devaſtavit.

Declinato poſt menſis ſpatium incendio in ſummitate montis idem *Braccinus* invenit conchylia, aligam, teſtas conchiliorum, & plura marina corpora marinis aquis abſorpta, & per ſpecus ſubterraneas ad ſummitatem denique deducta; qua de re fuſe Dominus *Buliſonius* amicus noſter peculiari libello de Veſuvio diſcurrit.

CONCLUSIO.

EX his veluti per corollarium deduco ſequentes propoſitiones a Doctiſſimo *Stenone* in libro *de ſolido intra ſolidum* contento fuſe probatas, ac demonſtratas: Et quidem,

Si corpus ſolidum alio corpore ſolido undique ambitur, illud ex iis primo induratur, quod in mutuo contactu ſuæ ſuperficiei proprietates exprimit: ideo in illis terris, ſive ſaxis, quæ undique circumdant, & continent cryſtallos, marchaſitas, teſtas, & oſſa animalium, plantas, &c. jam tum induriſſe illa corpora infero; quo tem-

tempore terrarum, saxorumque illa continentium, materia adhuc fluida erat: adeoque marchasitas primum productas fuisse, deinde lapides, quibus includuntur, tandem venas mineralium, quæ lapidum fixuras replent.

Si Crystallus Crystallo, selenites selenitidi, Marchasita Marchasitæ quadam sui parte includitur, jam tum induruisse contenta illa corpora, quando corporum continentium pars etiamnum fluida erat, arbitramur.

Crescit corpus, dum particulis ejus novæ apponuntur particulæ ab externo fluido secretæ; fit autem appositio hæc, vel a fluido externo immmediate, vel mediante fluido interno, uno, vel pluribus.

Quæ ab externo fluido immediate apponuntur solido, in quibusdam proprio pondere versus fundum delabuntur, ut in sedimentis, & corporibus factis ex sedimentis supra sedimenta cadentibus, uti sunt agri, & terræ novæ ex fluminum sedimentis, ac depositione factæ, &c. in aliis a fluido penetrante in solidum, determinate, vel undique apponuntur solido, ut in crustationibus: vel certis dumtaxat superficiei solidæ locis, ut in illis corporibus, quæ fila, ramos, & angulata corpora exhibent. Hic obiter notandum, continuari dictos modos interdum, donec totum aliquod spatium illis impleatur; unde repletiones oriuntur, quæ modo simplices sunt, modo e crustis, modo e sedimentis, modo ex angulatis corporibus, modo ex variis varie inter se mixtis componuntur.

Quæ particulæ mediante interno fluido apponuntur solido, vel fibrarum figuram assumunt (dum partim in longitudinem extensæ fibrillæ deductis poris apponuntur, partim in fibrillarum interstitiis, in novæ fibrillæ figuram a permanente fluido disponuntur) vel simplices repletiones constituunt, e quibus duobus generibus partium Animalia, atque Plantæ componuntur.

Quare si libuerit solida solidis naturaliter inclusa, prædicta methodo in certas classes redigere, erunt eorum quædam producta per appositationem ab externo fluido, quæ referuntur, vel ad sedimenta, ut sunt strata variarum terrarum, Collium, Montium, &c. vel ad incrustationes, ut Achates, Onyx, Chalcedonius, Æcrites, Lapis Bezoar, &c. Vel ad fila, ut Amiantus, Alumen plumosum, varia genera filorum, quæ in fixuris lapidum deprehenduntur, vel ad ramos, ut illæ plantarum figuræ, quæ in rimis lapidum conspiciuntur, nec nisi superficiales sunt. Vel ad angulata corpora, ut Crystalli montium, angulata corpora ferri, æris, cubri, marchasitæ, adamantes, amethystus, &c. vel ad repletiones, ut omnis generis variegata marmora, granita, Dentiotides, conchylia lapidea, crystallina, plantæ metallicæ, & hujusce generis plurima corpora, consumtorum corporum loca implentia, &c. Et hæc ad mentem *Stenonis* supra laudati, &c.

Ab omnibus hujusmodi observationibus concluditur, quod sicuti Gemmæ, ac Lapides pretiosi durissimi, primum teneri, & molles erant, ac postea eam obtinuerunt duritiem, quam nunc observamus; ita etiam per analogiam dici posset, idem evenire aliis omnibus lapidibus, quibus in construendis utimur ædificiis.

Hanc veritatem ut quivis aperte excipiat, explicanda est nobis causa duritiei, ac etiam modus, quo lapides, vegetare, & crescere existimamus.

Variæ, ac innumeræ Philosophorum opiniones sunt circa Marmorum, lapidumque duritiem, & si eas recensere velimus longius profecto, quam par est oratio excresceret. Asserimus igitur duo simul concurrere ex nostra sententia ad lapidum compositionem, tenax scilicet lutum, & succum lapidificum: lutum reperitur, ubi terræ copia adest: succus vero ubi magis axuberant aquæ. Hic tamen succus lapidificus aliud non est, quam aqua ipsa saxeis ramentis turgida, ac gravida, quæ quamdiu liquida est, aquæ formam demonstrat; cum vero induratur, lapidis formam exhibet, ac repræsentat. Posito hoc vulgarium lapidum materiali principio, causa adinvenienda est, qua ipsi lapides duri, solidique evadunt.

In experimentis, quæ in diem fiunt circa res naturales tria observamus esse principia, atque causas quæ corporibus marmoream, aut lapideam duritiem communicant; *Humor*, scilicet, *bituminеus*, conglutinativus, ac pinguedine plenus, aliud *Sal*, tertium vero *Succus*, aut *aura lapidifica*, quæ mollia momento adstringit, ita ut lapides durissimi fiant. Sed an hic succus lapidificus ad peculiare quoddam salis genus reduci possit, qui de nautra sua corpora mollia ipso contactu dura reddit, & mormorea: rem ita revera esse posse, ego plane crediderim.

Quod spectat ad partem bitumineam, ac congultinantem, equidem observavi in pluribus, diversisque pretiosis lapidibus, ut in Jaspide, atque in similibus versiculoribus, inter utrumque colorem, idest inter minima componentia hujusmodi marmorum diversicolorum adesse nescio quid tertium bituminei coloris, & consistentiæ, quod minima illa ligat, nectit, indurat, consolidat. Id autem cuilibet ostendere possumus in pretioso, ac raro plasmate, cujus nonnulla fragmenta apud me servantur, ac etiam in Siculis, atque Cyrneis Jaspidibus in marmore versicolore, & similibus: adeo ut post plures super hujusmodi lapidibus accurate factas observationes, concludendum putem illorum duritiem oriri ab humore, vel aura bituminosa coagulante, subterraneis ab ignibus exhalante, & secundum diversas terræ subteraneæ matrices, per quas exhalatio ipsa transit diversimode illa nectitur, ac condensatur in marmor. Color vero hujusmodi varie coloratorum marmorum

pendet a varietate ſulphuris, mineralium, per quæ dicta principia terrea bituminoſa tranſeunt, unde tincturam accipiunt ſuam, eadem prorſus ratione qua tinguntur ipſæmet Gemmæ: ſuccus enim aqueus limpidus, tranſeundo per mineras ſubterraneas, concurrente principio ſalino, figitur, & concreſcit in lapideam Gemmarum duritiem, varie coloratam pro varietate Mineralium, per quæ tranſit, ut infra dicemus.

Imo ut latius eluceſcat hæc veritas, non abs re putavimus referre experimenta, quæ facilius poſſent eandem comprobare, ſi quis ſumſerit pulverem ex lapillis pluvialibus detritum, ille idem pulvis lapideſcet ſicubi reſinæ fuſæ incoquitur; ſic etiam Lithocolla, ſeu lapideſcens gluten ex calce, & adipe ſuillo, vel ovi albumine effingitur ideoque multi ex his lapidibus, dum ſub terra ſunt, molles ſunt, ſtatim vero, ac aerem vident indureſcunt, ſicuti in hominum calculis accidit, ac in ovorum putaminibus. Poſito itaque hoc principio, ſi calor ſubterraneus alicujus regionis ſit nimium urens, atque excedens, & impetuoſus, adeo ut in continua liquiditate permanere faciat bitumen, hac de cauſa nulla fieri poterit ex arena, aut terra, lapidum concretio, ſicuti fieret ſi ſolutum bitumen intervallum aliquod frigoris haberet, ut concreſcat. Ideo in Libiæ, Arabiæque regionibus hujuſmodi conglutinantis ſuccidefectu, nulli ex arenis illis fieri poſſunt lapides, & quamvis immenſos habeat lybia campos, attamen aut rari, aut nulli ſunt ibidem lapides: porro quis neſcit Succinum, Gagatem, & alia bituminoſa in lapides concreſcere? Et hæc quoad primum ex principiis, quod duritiem corporibus impertitur.

Sequitur nunc conſiderandum aliud lapidefactionis principium, nempe *Sal*. Ejus tanta eſt in indurandis, conſolidandiſque corporibus poteſtas, ut magna Philoſophorum pars Principium coagulativum corporum ſal eſſe credat. Quare majori abundans ſalis quantitate, eo durius inter alia corpora, corpus efficitur. Huic tamen ſententiæ multi adverſantur, ut *Duhamel*, &c. Quomodocumque ſit, quam plurimorum lapidum indurativum principium, ſalem eſſe certum eſt; hinc materies ſalis omnino expers, nunquam certe lapideſcet. Etenim Aquæ, ac terræ ſimul mixtis, niſi ſuperaddas ſalem, non lapidem, ſed lutum habebis. Ob experientias igitur factas circa lapides duros, ædificiorum uſui deſervientes, ut eſt Marmor Tyburtinum, ac Marmora alia alba, hos a principio pure ſalino duritiem, ac ſoliditatem accipere credimus, ideſt ab eo ſale, qui magna in copia in centro terræ reperitur, ut inferius aſſerere ſpondemus. Et ut dureſcant lapides iſti, non eſt opus humore bituminoſo, quo Marmora verſiculorata ſupradicta dureſcere animadvertimus. Ac ideo in Sicilia, atque in Regno Neapolitano, ac in aliis Italiæ regionibus Verſiculorum Marmorum caveæ, magis quam albi reperiuntur, quia ibidem ſubterraneus ignis, quo flagrat tota Italia, bitumen fundit, terramque ligat, atque dicti bituminis cauſa in Marmor indurat. Nec mirum ſi hac de cauſa ad radices Montium ignivomorum, uti Veſuvius eſt & Ætna, &c. colligatur in mari bituminoſum oleum, vulgo dictum *Petroleum* magnarum virium apud Noſtrates remedium. At quod præcipue ſpectat ad ſalem, certum eſt terram omni ſale ſpoliatam, nunquam lapideſcere. Sal terram cum aqua conſociat, & utriuſque commune vinculum eſt, invicem ſibi auxilia præbent, nam terra ſalem retinet ne in aquam exſolvatur, ſal terræ corpuſcula coercet, ne in minutum delabantur pulverem. Ulterius quid dicemus de Conchyliorum Nuricinorum duritie, ac de duritie lapidea ſalis gemmei, & foſſilis, quæ cum quodammodo ſal antea eſſent, poſtmodum in duritiem concreverunt? Imo etiam ligna, quo magis ſolida ſunt, eo majori ſalis copia abundant: ſic plurimum nitri e Quercu, Fago, Guajaco &c. elicitur, & quoniam duplex eſt ſal, volatilis ſcilicet, & fixus, credideriмus ſale volatili corpora penetrari, ac ſolvi, fixo vero adſtringi, uniri, atque indurari.

Porro quæ dicunt de ſpiritu lapidifico, qui quæcumque obvia, etiam ſi ſint ligna, herbæ, &c. veluti ex aſpectu Gorgonis, in lapidem indurati multo ſale abundare hujuſmodi ſpiritum eſt credendum, atque per illum corpora qualitate, ac natura, (ut obſervationibus enarratis demonſtravimus) indurari, & conſtringi. In Arvernia teſte *Duhamelio lib. cit.* amnis eſt, cujus alveus lapideus ſenſim intumeſcit, eo quia aquæ germine lapidifico fœtæ dureſcunt. Ita multæ Arbores in Germania inveniuntur in Cotes mutatæ. Pariter e Rhodano, aliiſque fluminibus eruuntur enſes, ſcleæ, ligna, carbones, ac omnia, quæ in eum immerguntur, jam in lapides converſa. In Montibus potiſſimum, & fluviis occultis ille regnat ſpiritus. Ideo raro in campis, qui nimis diſtant a Montibus, ac fluminibus, magna lapidum copia invenitur. Unde ergo tot emerſere lapides, ut ait *Duhamelius*, quibus herculei Campi, quos *Crau-tiam* vocant prope Arelatem, tecti ſunt? Putat *Gaſſendus* hanc lapidum portentoſam congeriem in Campis illis non aliunde, quam ex Rhodani, vel Druentinæ exundatione, & lunga aquarum reſtagnatione prodiiſſe: indicio eſt quod in extremis veluti marginibus lapilli minutiſſimi, in medio majores jaceant. Quemadmodum Sal in Catino exſolutus, ubi aqua leni calore exhalata ſit, majora in medio, minora in extremis grana deponit. Porro Arbores in Bohemia inveniuntur in lapides converſæ, Calculi in veſica, ac in partibus aliorum animalium lamellatim omnes incruſtantur, & lamellatim quoque Jaſpis rara, & pretioſa, in Sicilia inventa, quam incruſtatam eſſe egomet vidi apud amiciſſimum Sabbatinum in

Muſæo

Musæo suo pretioso, & refertissimo rebus raris, ac vere Regalibus. Probaturi itaque salem fixum ex principiis indurativis lapidum unum esse, innumeras adduceremus observationes, ac quamplurimorum Auctorum testimonia, sed ne prolixus fiam, maxime recensendo ea, quæ alias ab aliis Auctoribus scripta sunt, libenter id omitto, atque ad explicandam nostram de marmorum, lapidumque vegetatione sententiam descendo.

Sed antequam de lapidum vegetatione dicamus, sciendum eosdem in quatuor genera dividi, idest in lapides proprie dictos, Saxa, Marmora, & Gemmas. Lapides, vel ex arena compinguntur, ut Cotes; vel lamellatim crescunt, ut lapis specularis, aut talcus; vel contusi in frusta comminuuntur, ut silices, & Marmora. Alii e viventibus, alii ex non viventibus eruuntur; alii certam obtinent figuram, alii incertam; alii in nidis avium; quidam in ventribus, & partibus animalium; alii in renibus Draconum, serpentum, reptilium, & bestiarum, ut monet Doctissimus *Camillus Leonardus* Medicus Pisaurensis, in eruditissimo libro de Gemmis, ut inferius narrabimus.

Lapides eorum matricibus inhærentes, & non adhuc a lapicidis excisos, crescere, vegetare, ac nutriri evidentissime observavimus in Marmorum Latomiis Tyburtinis, atque in Peperinorum Lapicidinis Oppidi Marini, & Caveis Tophacei Lapidis ad Mœnia Urbis, ac in Latio Solo, aliisque in locis; & quamvis tot sæcula jam ab Urbe condita elapsa sint, & semper excavatum est, & adhuc excavatur construendorum causa tot ædificiorum tam pro veteri, quam pro nova Roma; at nondum materiei finis, & semper effoditur in iisdemmet, vel parum dissitis locis, quibus bis mille ab hinc annis semper effodiebatur pro Romanis, vicinarumque Urbium ædificiis: unde concludendum est, lapides hujusmodi vegetare. Multo magis quod Caveæ illæ, quæ centenis, ac millenis ante annis profundæ erant, nunc viam publicam æquant, & in eodem pene sunt horizontali plano. Quodque de istis caveis verum est, id alias in omnibus totius Orbis observari crediderim. Hoc idem observatur in foveis Lapidis Tophi prope Romam; In foveis *Latii Pulveris Puteolani*, vulgo *Pozzolana*, qui cum calce ad ædificiorum constructionem miscetur. In sulphuraris, sive mineris sulphuris, aluminisque in Latio, quæ post elapsum certum annorum spatium, denuo replentur. Sic minera sulfuraria Ursinorum Principum ducentorum annorum spacio elapso excavata, nunc denuo effoditur ab ea novum ac jam vegetatum sulphur.

Celebris rerum Indicarum Scriptor suadere conatur in terra, in qua semel effossi sunt Adamantes, certo annorum spatio renasci, ut notat *Steno de solido intra solid. fol.* 49. Observatur etiam in fodinis lapidum Piperinorum in agro Marinensi, quod incolæ fragmenta lapidea a sectione residua in foveam denuo immittunt, & super ea arundinum radices injiciunt. Elapsis aliquot centenis annis, vegetato jam subtus lapide, & fovea fere complanata cum plano horizontali vicini agri, aut viæ publicæ, novos denuo effodiunt lapides, nec amplius fragmenta adsunt, sed lapides integri, jam vegetati, & cum fragmentis dictis commixti. Ad quod forsan respicientes *Avicenna*, & *Albertus Magnus*, Lapidum generationi quamdam plasticam vim inhærere sunt opinati, quæ producat, ut ita dicam, hanc vegetabilium speciem solidorum, ac marmoreorum, &c. atque lapides arbores esse duras & marmoreas sui generis, quæ Corallium instar crescant, nutriantur, ac vegetent. Quæ quidem vis plastica materiam nacta aptam similes ubique terrarum lapides gignit, quasi lapides instar plantarum vel animalium, vi seminaria, & formatrice donentur, & ob seminariam hanc vim aliquo modo lapis lapidem producat, nec non crescat ac vegetet. Et idem *Albertus Magnus* vim plasticam hujusmodi vocat etiam spiritum mineralem; hunc autem spiritum, ut notat *Duhamel lib. cit.* acutum esse, penetrantem, & salsum necesse est, ut cæmenti instar stringat, & compaginet; imo spiritum illum nitrosum infusum esse in omni natura, ita ut in eo sit procreandi vis, & causa gignendi; est quippe vi prolifica, ac sui assimilatrice præditus: nonnunquam instar halitus effunditur, quo facilius corporum meatus subeat: interdum pinguis est, ac sulphureus, quo bituminosa, & oleosa corpora citius premat: sæpius humori aqueo insidet, ut terrestrem materiam ex omni parte penetret; sed nisi acutus, & salsus sit, nec mixtionem exquisitam perficiet, nec poterit materiam pervadere, aut comprehendere; hactenus *Duhamel lib. cit.* Neque solum citati magni Viri vim hanc plasticam Lapidibus, & Metallis tribuunt, sed plures alii, quorum nomina hic recensere nolo, nam cuilibet obvia sunt. Inter ceteros autem *Sendivogius* vir doctissimus in XII. tractatibus novi luminis Chimici fuse probat omnia metalla ex quadam veluti seminaria seu plastica virtute progigni.

Augurellus vero lib. 1. Chrysopejæ sequendo vestigia Divi Agustin. lib. de Trinitate ait re vera dari vim plasticam rebus in omnibus creatis, & singulis inesse occultum istinctum sese multiplicandi; quod his verbis demonstrat. *Natura est vis quædam rebus insita ex similibus similia procreandi, vel natura est ignis invisibilis, vel igneus quidam vigor, aut spiritus omnibus rebus creatis insitus, quo cuncta res se multiplicant. Hanc naturam in omnibus rebus corporeis posuit divus Augustinus l. c. de Trinitate dicens: Omnibus rebus corporeis seminaria quædam rationes insunt: quæ cum ipsis data fuerit opportunitas, prorumpunt in causas debitas, & species suis modis, & finibus, &c.*

Hanc eandem vim plasticam rebus omnibus innatam, potissimum vero lapidibus, & metallis fuse satis ostendit, & probat inter alios *Petrus Bonus Lombardus*, Ferrariensis in Margarita

pre-

pretiosa. Theatr. Chimc. volum. 5. fol. 709. his verbis. *Semen plantarum est hermaphroditum, & etiam metallorum in seminibus; quia non sunt corpora mobilia localiter: a principio interinseco conjunxit natura ex his simul marem, & fœminam. Ita quod in quolibet semine est conjuncta, & indistincta virtus maris, & fœminæ ad generationem faciendam. Sic similiter & propter eandem causam conjunxit in mineris metallorum argentum vivum ad faciendam generationem ipsorum. Ideo minera omnium metallorum sunt necessario mixtæ ex sulphure, & argento vivo vulgi, cum sint simul ibi generata, mixta, & coagulata.* Hæc ille, &c.

Sed ut more nostro de singulis reus, ideſt de causis earum, & effectibus analogice disseramus; sicuti rerum creatarum omnium generatio, ac conservatio in peculiari quodam motu omnibus coporibus debito secundum uniuscujusque diversam naturam consistit, & corruptio in ipsiusmet motus cessatione; qua de causa corpus necessario mutari debet, assumendo aliam formam, speciem, atque naturam; ita etiam, ut ab alto repetamus Lapidum generationem, ac vegetationem, necesse est ut mentis aciem dirigamus ad communem quamdam causam, quæ & fluminibus originem, & lapidibus vegetationem, nutritionemque præbet, quæ in continuo motu, & circulatione existens admiranda parit in subterraneis phænomena. Hanc autem esse Mare, si dixero, forsan non multum a veritate recessero. Historici pene omnes a mundi creatione ad nostra hæc tempora sexaginta duo circiter sæcula numerant: toto hoc tempore infiniti orbis flumina in Mare intrarunt. Mare autem non redundat. Redundare deberet, etenim finitum est, suisque septum limitibus: quoniam vero non redundat, credendum est aquas Maris circulare, ac per subterraneos specus filtrari, donec ad telluris superficiem regrediantur, unde ortum habuere. Hic enim perpetuus motus si communis est omnibus rebus creatis, ut inde fiant variæ earum generationes, corruptionesque: Mari quoque, & aquis subterraneis inesse debere, ut in telluris centro variæ generationis, corruptionisque metamorphoses producantur, certo credendum. Huic meæ opinioni cum apprime faveant *Senecæ* verba, ea hic apponere placuit: sic itaque ille *q.n. 3. c.6. Primum ergo quæramus quomodo ad continuandos fluminum cursus terra sufficiat, unde tantum aquarum exeat. Miramur, quod accessionem fluminum maria non sentiant. Æque mirandum est, quod detrimenta exeuntium terra non sentit. Quid est quod illam sic implevit, ut præbere tantum ex recondito possit, ac subinde suppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit riverum, & fontium. Quidam judicant terram quicquid emisit rursus accipere, & ob id maria non crescere quia quod influxit non in suum vertunt, sed protinus reddunt. Occulto enim itinere subit terras Mare, & palam supra eas venit, secreto revertitur, colaturque in transitu idem Mare. Quod etiam per multiplices terrarum anfractus verberatum amaritudinem deponit, & saporis pravitatem in tanta soli varietate exuit, & in sinceram ac dulcem aquam mutatur, &c.*

In sæculo proxime elapso compertum est a magno *Galilæo* aerem esse gravem, & inferiorem premi a superiori; & ob id elasticum esse. Hujusque pressionis continuæ causa varia oriri phænomena in sublunaribus, fuse probatum est ab omnibus Philosophis. Quare si aer, qui multo levior est aquis, magis fluxilis, ac tenuis, gravitati subjicitur, & superior revera gravitat in Inferiorem: quanto magis dicendum id erit de aquis, de quarum gravitate, & gravitatis effectibus variis cum multa disputata sint ab hydraulices scriptoribus, ea singula accommodari posse, ac debere ad immensas Oceani aquas non abs re affirmaverim. Debet ergo aqua marina superior gavitare in inferiorem, quæ quo magis proxima fundo erit, eo magis pressa erit, quia major aquæ moles superincumbit, & quoniam a supervenientibus fluminibus nova moles, ac per consequens nova pressio continuo producitur; certe, nisi aqua fundi maris, maxime pressa circularet, mare ab ortu Mundi ad nostra hæc tempora, necessario redundasset. Circulat iraque mare, & ad perpetuandum circuitum hunc quatuor concurrunt pressiones, seu pondera. Primo nempe pondus aquarum Maris, deinde fluminum advenientium, tertio Aeris superincumbentis, quarto demum pressio corporis lunaris, quæ ceteris aliis sensibilior in mari observatur.

Sed ut clarius pateant, quæ de hoc motu Maris dicemus; sciendum est, quod Maris motus generalis (de particularibus, qui a ventis unicuique Regioni propriis proveniunt, non loquor) duplex est, unus continuus ab ortu in occasum, alter vero veluti compositus ex contrariis motibus; hicque æstus reciprocus, sive fluxus & refluxns maris appellatur: hic secundus, sive fluxus, & refluxus, quo Mare duodecim fere horarum spatio ad eadem litora fluit, & refluit, ex primo motu generali sic pendet, ut nihil revera sit, nisi ejus affectio quædam, aut modus, sicuti optime judicat *Varenius* in sua Geogr.

Motus itaque primus sive generalis Maris est ab Oriente ad Occidentem pene ubique, sed maxime in Zona torrida inter Tropicos se prodit, ibique est adeo validus, ut alii motus; aut venti cum non impediant. Hinc navigantes ab India in Africam, vel ab Africa in Brasiliam, longe celerius promoventur, quam si ab Africa in Indias, e Brasilia in Africam remeent. Sic ubi freta, seu Maris angustiæ ab Ortu in Occasum porriguntur, ut fretum Magellanicum, per quod ex Oceano Atlantico in Oceanum Pacificum patet iter, tum motus ille maris est incitatior. idque in plurimis Americæ, & Indiæ locis contingere, imo & hunc motum in Septentrionali Oceano esse conspi-

cuum

cuum idem obſervavit *Varenius*. Nam Oceanum Tartaricum per fretum novæ Zemblæ, & fretum Vaigas Ferri, ex copioſa glacie, quam Oceanus Tartaricus ejicit in Fretum novæ Zemblæ, & ex ipſo Maris motu obſervatur; ſic ad littora Septentrionalia Americæ in mari Pacifico motus fit verſus fretum Anian: item a Japonia verſus Sinas, & ubique fere: & ſi aliquando inconſpicuus eſt, a ventis id provenire certo fatentur.

Denique in Fretis quæ ab Oriente in Occidentem diriguntur, mare intumeſcit ſex horarum ſpatio, tum aliquantulum in eodem ſtatu permanet, nimirum per duodecim horæ minuta, deinde eodem temporis ſpatio detumeſcit. Sed continenter ab Oriente in Occidentem delabitur per freti orificium, nunquam remeat in contrarias partes. Idque obſervatur in Freto Megallanico, atque in Canalibus inter Maldivas Inſulas. In Freto Manilienſi, Javæ, & aliis in locis frequentiſſime. Et hæc quoad brevem notitiam primarii motus Oceani, & ſecundarii ab eodem pendentis.

His ita præmiſſis; Recentiores pene omnes pro certo credunt fluxus, refluxuſque Maris, ac Marinorum æſtuum cauſam eſſe lunam, prout magis, minuſve Apogæa, aut Perigæa, ac prout nobis proprinquior ſit, vel a nobis remotior. Atque adeo quæ ſit cauſa hujus intumeſcentiæ, aut detumeſcentiæ maris, & cur certis temporibus, aut locis ita ſit adſtricta, ut fere intra viginti quatuor horas mare ad idem litus bis accedat, & ab eo bis recedat; cur in Noviluniis, ac Pleniluniis, longe ſit major, aut minor, quam in quadraturis; cur Lunæ motum adeo religioſe conſequitur, & tamen in Æquinoctiis aquæ multo magis intumeſcant; hæc ſingula pene omnes cum *Galileo*, *Carteſio*, ceteriſque recentioribus fatentur a Luna pendere, etenim magna eſt inter Lunæ, & Oceani motum connexio. Cum enim Luna ad noſtrum Meridianum non redeat niſi poſt viginti quatuor horas, & quinquaginta minuta; eodem prorſus temporis ſpatio æſtus redit; adeo ut ſi æſtus hodie hora ſexta incipiat, cras poſt horam ſextam, & quinquaginta minuta revertetur. Vix tanta inter res naturales occurrit neceſſitudo, quin una alterius ſit cauſa, idque ob perpetuum quemdam, ac generalem omnium circuitum. Cum igitur Maris æſtus reciprocus cum Lunari motu adeo ſit colligatus, vix negare poſſumus, quin Luna eum moderetur motum.

Itaque ubi præ motu diurno orbium longius a nobis recedit Luna, tunc aer ex iis anguſtiis expeditus Oceanum non amplius premit, & aquæ ultro relabuntur. Eis unoquoque die æſtus recurrit marinus, quod idem terræ punctum ad illas Cæli anguſtias motu diurno revertatur, juxta Scholæ Burgundicæ ſententiam, quæ motum telluris tuetur, ab Eccleſia tamen Romana damnatum, cui me ſubſcribo, pro eaque ſanguinem, ſi occaſio dabitur, effundam. Vel ipſius lunæ motus juxta noſtram opinionem, ſenis fere horis mare fluit, ſenis itidem refluit. Æſtus porro marinus ſingulis diebus una fere hora tardius recurrit. Sic Dominus *Richer* in Inſulis Braſiliæ vicinis hæc præ ceteris obſervavit circa marinos æſtus: nempe in ea Regione, quæ prope Flumen Amazonum, & Inſulam *la Cayenne* non minus ſtatis horis æſtum recurrere, quam ad Galliæ litora in pleniluniis nimirum, & noviluniis circa horam a meridie quartam: adeo ut illud principii loco haberi non oporteat, tum æſtum eſſe maximum, cum luna ad Meridianum loci perveniat. Secundo eo loci mare ad ſex pedum altitudinem, cum æſtus ſunt maximi, intumeſcere, quod ex palo infixo per integrum annum fuit obſervatum. Circa æquinoctia æſtus eſſe maximos, cum tamen differentia vix ſex digitorum exiſtat. Porro æſtus eſſe maximos non ipſis interluniis aut pleniluniis, ſed tertio die a novilunio, aut plenilunio, quod ab aliis fuit etiam obſervatum: aut certe his diebus eadem perſtat maris intumeſcentia; imo & creſcit; fere ut ſolis æſtus tertia meridie hora major eſt, quam in ipſa a meridie: ſed plura de hiſce videantur apud Auctores, &c.

Cum denique Cœlum lunare figuram habeat ovali proximam, & nobis ea proprior ſit circa novilunia, & plenilunia, tumque majores ſint anguſtiæ, quam in Quadratis aſpectibus, hinc fit, ut in pleniluniis, & interluniis major ſit tum aeris, tum Oceani preſſio, majorque adeo æſtus. Quamquam forte id non adeo pendet ex corpore Lunæ tantum, quantum ex ipſius Lunæ orbitaquæ figuræ eſt ellipticæ, ut apud recentiores fuſe eſt diſputatum.

Omnium hujuſmodi preſſionum cauſa, nempe maris ſuperioris in inferius, fluminum ingredientium, aëris demum, ac Lunæ ſuperincumbentium, aquæ fundi maris & laterales coguntur ingredi poros terræ cui ſunt contiguæ. Et ſane non video quid obſtet quominus aqua marina eadem facilitate terram ſubeat, qua fluminum aqua terram pervadit arenoſam, vel alterius generis. Neque huic filtrationi, ſive preſſioni maris terræ per poros obſtare non poteſt pondus ſalinæ partis, quæ in eo eſt; cum majori mole incumbentis aquæ preſſa, facilius terram penetrat, & circulum ad telluris ſuperficiem perpetuat, & quoniam preſſiones ſunt continuæ, continui quoque eſſe debent ingreſſus aquæ marinæ in poros telluris; cumque preſſio preſſionem conſequatur, nulla vel ſaltem pauca interpoſita mora; aqua ante preſſa, cogitur ultro progredi a ſubſequenti: Donec tandem urgente ſemper a poſterioribus nova preſſione, ad telluris ſuperficiem aqua primum preſſa emergat, & per eam vel ſub forma fontium, fluminum, lacuum, aut paludum, in mare denuo revertatur, ut circulum perpetuet. Quæ vero ad ſuperficiem telluris emergere ac pervenire nequeunt aquæ: in ſubterraneis exiſtentes locis, puteis originem præbent, lapidi-

bus

bus & vegetabilibus incrementum, & reliquis subterraneis generationibus aptam generationi materiem.

Neque quis dicat originem fluminum ab aquis pluvialibus, & solutis montium nivibus pendere: his enim de causis augentur flumina, non vero prima exinde ducunt principia, aut originem. Ad quod quidem confirmandum, ut reliqua sileam, sufficiat Senecæ mei unicum dumtaxat testimonium: ille igitur in natural. quæst. lib. VI. cap. VII. ita diserte loquitur. *Per omnem terram multa aquarum genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum navigabilis etiamsi sine adjutorio imbrium magnitudo est. Hinc Nilus per æstatem ingentes aquas vehit. Hinc Danubius, ac Rhenus. Adjice nunc patentissimos lacus, & stagna populis inter se ignoris circumdata, & inaccessibiles navigio paludes, nec ipsius inter se pervias, quibus incoluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum, subitos, & ex occulto, amnes vomentia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus, quorum vires quam repentinæ, quam breves. Omnis hæc aquarum, quæ exterius apparent, etiam intra terram Natura faciesque est. Illic quoque alia vasto cursu deferuntur, & in præceps volutæ cadunt, alia languidiores in vadis referuntur & leniter, ac quiete fluunt. Neque est diu probandum, ibi multas aquas esse, ubi amnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex repositо, multeque refunderet, &c.* Ac idem Seneca loc. cit. cap. 8. circa idem argumentum diserens, sic sequitur: *Unde enim ista prorumpunt, unde ad nos veniunt, nisi quod origo humoris inclusa est? Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itineris siccari, & non universum avehi, sed paulatim non apparentibus damnis minui primum, deinde consumi, quo illum putas abire, nisi in obscura terrarum? utique cum videas emergere iterum non minorem eo, qui prior fluxerat? Quid cum vides Alpheum celebratum a Poetis in Achaja mergi, & in Sicilia rursus transjecto mari effundere amœnissimum fontem Arethusam? Nescis inter opiniones, quibus narratur Nili æstivi inundatio, & hanc esse, a terra illum erumpere, & augeri, non supernis aquis, sed ex intimo redditis?* Huc usque egregie noster Seneca. Qua de re cum multo clarius tractet q. nat. lib. 3. cap. 10. singula ejusdem verba cedro digna apponamus; ait itaque: *Habes primam aquarum sub terra, nascentium causam. Adjicias etiam, quod fiant omnia ex omnibus. Ex aqua fit aer. Ex aere aqua. Ignis ex aere. Ex igne aer. Quare ergo non terra fieri potest ex aqua & ex terra aqua? Qua si in alia mutabilis est, & in aquam: imo maxime in hanc. Utraque cognata res est, utraque gravis, utraque densa, utraque in extremum mundi compulsa. Ex aqua terra fit. Cur non aqua fiat e terra? at magna flumina sunt, cum videris quanta sunt, rursus ex quanto proveant aspice. Miraris cum labantur assidue, quadam vero concitata rapiantur, quibus præsto sit semper aqua nova? Nihil deficit quod in se redit: omnium Elementorum alterni recursus sunt: quicquid alteri perit in alterum transit, & Natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat, ne portionum æquitate turbata, mundus præponderet. Omnia in nobis sunt. Non tantum aer in ignem transit, sed nunquam sine igne est. Detrahe illi calorem, rigescet, stabit, indurabitur. Transit aer in aquam, sed non sine aqua: & aerem, & aquam facit terra: sed non magis unquam sine aqua, quam sine aere: ideo facilior invicem transitus est, quia illis, in qua transeundum est, jam mixta est: habet ergo terra humorem, hunc exprimit: habet aer, hunc umbra hiberni frigoris densat in aquam: ipsa quoque mutabilis est in humorem cum natura sua utitur, &c.* Hæc ille, &c.

Quare si circuitus hic aquarum non daretur, tot phænomena, quæ in imo terræ, ac Naturæ centro observantur explicari vix possent. Porro, ut reliqua taceam, si paulo profundius terram fodias, nonne statim aquas prosilire cum impetu e visceribus terræ videbis? Quid hujsmodi aquis commercii est cum imbribus? Neque multum me movent rationes putantium flumina ortum ducere a pluviis, & solutis nivibus, quodque fontes a fluminibus nascantur: nam fusè refelluntur ab Auctore Schol. Burgund. *t. 4. physic. de font. origine.* Quia revera fontes vivi in altissimis montium jugis, non aliunde possunt originem ducere, quam ex circuitu aquarum maris, ex nostra sententia: neque illud negari potest fontes nonnullos e mari oriri quod salsedo ipsa in fontibus, & puteis mari vicinis ostendit.

Sunt alii fontes, qui æstuante mari effluunt, recedente decrescunt. Hujusmodi fontes, teste citato Auctore, nec non & putei in Gallia sunt prope Cadomum, Burdegalam, & ubique passim in litoribus Africæ. In india prope Coromandelium putei omnes sunt salsi. In Insula Sancti Vincentii Fontes, in Peruviano litore itidem lacus salsi occurrunt. Sed ne a tam longinquis Regionibus exemplar petamus, sufficiat afferre salsedinem puteorum fere omnium Provinciæ nostræ Lyciensis, & maxime Tarenti, cujus etiam putei crescunt, & decrescunt mare intumescente, & detumescente: & sane non video quid obstet: quo minus aqua marina eadem facilitate terræ poros subeat, qua fluminum aqua terram arenosam pervadit, ut fontibus prope flumina positis originem præbeat. Neque pondus aquæ salsæ, mari obstare potest, ne ascendat, & permeet terræ poros: nam hoc idem facilem reddit illius ascensum, ac insinuationem in vicinos terræ poros, quia a superincumbentis mole pressæ inferiores aquæ maris, necesse est, ut viam sibi inveniant in proxima tellure, ut de aeris gravitate ex recentiorum obser-

obſervatione diximus. Illud etiam attentius conſideranti patebit eam eſſe montium ſtructuram, ut in iis reſectis diverſi ordines terræ argilloſæ varie diſpoſiti appareant; tum huic incumbit terra aut arenoſa, aut tofo ſimilis, plerumque non ſolida, ſed a lapidibus male coagmentatis ſic compoſita, ut ſubeunti aeri, ſubeuntibus aquis, ignibus ſubterraneis, &c. locum præbeant. Multæ interim ſpecus; plures ſubterranei Canales variis modis argilloſam, & firmam terram penetrant. Sic infirma terræ pars, quæ rivis, & fluviis ſubjicitur, fere ſemper eſt argilloſa, & pinguis, cui aut tofus, aut arenoſa terra incumbit.

Quare haud mirum eſt, Thaletem Mileſium tam varios effectus ab aquis produci videntem in rebus generandis, credidiſſe aquam eſſe omnium rerum principium, ideo Seneca de hujuſmodi re Thalerem diſſerentem reſpiciens, ait quæſt. nat. lib. VI. cap. VI. *In aqua cauſam eſſe terræ motuum, ait Thales Mileſius, totamque terram ſubjecto judicat humore pertari, & innatare; ſive illud Oceanum vocat, ſive magnum mare, ſive alterius naturæ ſimplicem adhuc aquam, & humidum Elementum; hac inquit unda ſuſtinetur orbis veluti aliquod grande navigium, & grave, his aquis, quas premit.* Hæc Seneca.

Non immerito igitur concedi poteſt hic aquarum per terræ viſcera circuitus, ut plura in ſubterraneis generationum, corruptionumque phænomena abſolvantur. Ab hoc principio pendet puteorum, fontiumque origo, eadem ſemper, ac determinata aquarum in puteis altitudo, ſive ab iis axtrahantur aquæ, ſive non. Conſenſus, & communicatio *Puteorum* cum aquis vicini fluminis, ut quotidie in Tyberis inundatione obſervamus: patuitque nuper mihi in ultimis inundationibus magnis Tyberis, quarum prima fuit 23. Decembris 1702. altera 4. Januarii 1703. poſt ingentes, & continuas pluvias per quatuor menſes factas.

Quibus præmiſſis neceſſe eſt, ut ſi in terræ radicibus mutationes fieri concedere velimus, aſſignemus Motorem quemdam univerſalem, qui excitet ſingulas, & ad varias ſuſcipiendas formas diſponat; eadem pene ſimilitudine, ac mechanice, qua ſanguis e Corde Motore impulſus, atque per partium poros filtratus, antequam ad ſuum principium, a quo emanavit, perveniat, quot & qualia parit phænomena in toto corpore animato, vel Tyroni medico notum eſt. Et radii e centro lucis ſolaris propulſi, & hinc inde propagati, nonne corporum ſublunarium pene omnium generationem, corruptionemque perpetuant?

Tota igitur terra eſt ferre aquis imbuta; Ideo dum terram profunde effodimus, ſiccitatem ad ſummum uſque ad viginti pedes invenimus, deinde ſæpe, aut arena, aut argilla, aut Marga humidior occurrit, ac denique aqua a tofo, vel lapidoſa terra plerumque erumpit.

Itaque Aquæ Maris dum per terræ percolantur poros paulatim ſpoliantur ſale, quem e ſubterraneis ſalinis fodinis acceptum habent, non vero a calore ſolis, ut olim putarunt; & eadem fere mechanice ſuo ſale ſpoliantur, qua eaſdem Maris aquas per diverſa vaſa tofacei lapidis, unum deſuper aliud poſita filtrari, ac proinde ſalſedinem per lapidis poros deponendo, dulces effici videmus, ita aquæ illæ per varias matrices per tot cæca vada, perque tot ſubterraneas fodinas tranſeuntes, & igneis, ac bituminoſis principiis occurrentes, ibidem ſingula, quæ ſub terris ſunt phænomena ingenerant. Et cum lapides, Gemmæ, ac dura Marmora ſint compoſitum, aut mixtum aliquod vel ex aqua, & ſale, ut fit in Gemmis, vel ex aqua, & terra magis, minuſve pura addito ſale, qui figat, ut in lapidibus, & marmoribus contingit: certe aquæ marinæ circulantes per telluris poros modo præfato, ſi incidant in Matricem Lapideam, parte aquea ſua præbent materiam, parte ſalina vero ſoliditatem, firmitatemque, ſive ut ita dicam coagulationem, donec tandem materies in durum lapidem concreſcat. Sicque lapidum generatio abſolvitur, &c.

Duplicem ineſſe ſalem in aqua marina plurimis experimentis Recentiores probarunt. Primus ſulphureus quodammodo dici poteſt, quoad acrior ſit, & multum de ignis natura participet, unde cum ſale tartari, & aliis hujus generis magnam habet cognationem. Atque is in ſale vulgari plurimus eſt, qui ex aqua marina in foſſulas excavatas derivante, calore ſolis æſtivo primum in lamellas, tum in cubos concreſcit: Quod reliquum eſt aquæ ſalſæ dum coquitur, aliud ſalis genus ſuppeditat, quod non tam facile concreſcit, ac primum; idque habet amaram ſtipticitatem vitriolico ſapori non abſimilem: hinc mercurialis dici poteſt, eo quod acidis ſalibus ſit vicinior: hinc aqua marina poſtquam ſalis genus primum, quo vulgo utimur, præbuit, ſalem tartari deliquio, ſeu in aere humido ſolutum turbat, & coagulat, ut ſales acidi; quod non efficit ſal communis in aqua diſſolutus: & in ipſo ſale communi ſalis mercurialis ineſſe, iidem Recentiores evidenter comprobarunt, &c.

Hac ratione generatus lapis neceſſario creſcere, & vegetare debet, cum radicibus ſuis, ſuæque Matrici inhæreat: nam cum lapides omnes primum molles, ac teneri fuerint, ut ſupra demonſtratum, cumque continuus, & nunquam intermiſſus aquarum circuitus per loca ſubterranea ſit, evidenter ſequitur poſſe Lapides adinſtar Plantarum creſcere, ac vegetare; quia revera Lapidum pori permeabiles ſunt, & facilem præbent curſum aquis, quæ per ipſorum ſubſtantiam percolantur: ſic aqua in Lapidicinis poſt diuturnos imbres ubertim exſillat, etiamſi in medio collis aut rupis Lapidicina eſt. Sed ut veluti ad oculum demonſtremus lapidum materiem

riem mollem primum fuiſſe, eorumque poros ſuis in Matricibus eſſe permeabiles, liceat hic exponere Naturæ, ac aquarum miraculum, quod Tarenti vidimus. Tarentum olim Magnæ Græciæ, ac Japygiæ caput, nunc in noſtra Lycienſi Provincia illuſtris Urbs eſt, jacet pene tota in medio maris Jonii, & ſenis quibuſque horis fluxui, ac refluxui obnoxium eſt mare, quod Urbem alluit. Nuſquam certe per totam Europam piſcium omni generis, & potiſſimum Conchyliorum, teſtaceorumque tanta varietas occurrit, quam ibi. Sed quod ad rem facit noſtram, Mænia Urbis fundamentum habent in maris litore, in quo incolæ, lucri cauſa, peculiarem lapidem excavant; nam intra dicti lapidis ſubſtantiam genus quoddam Conchyliorum reconditum eſt, dictum *Dactylus marinus*, longitudinis digiti indicis, vivus, guſtuĩ gratiſſimus, iiſdemque incolis uſui quotidiano: ſi lapidem extra inſpexeris, nihil intus latere diceres, at ſecto eodem, ſtatim occurrunt plura hujus generis Conchylia viva. Itaque niſi lapidis materies ante conchylii generationem mollis fuiſſet, & niſi pori in eadem adeſſent, nec generari potuiſſent conchylia, nec genita nutriri, & creſcere. Idem lapidis genus cum iiſdem marinis fructibus invenitur etiam Gaetæ, quæ Urbs eſt ad litus maris Mediterranei, non longe a Neapoli Romam verſus, &c. Sicuti Corallia creſcunt, ac vegetant in maris fundo, ut perſpicue adnotavimus in Inſulis ſex milliaribus a Portu Tarentino diſſitis, ſuntque veluti Arbores lapidificæ ſui generis; creſcunt pariter ferme non diſſimilibus modis Adamantes ſuis in Fodinis: imo Cryſtallus, Granata, & aliæ forſan Gemmæ, cum vegetant, vel plures ex una ſuccreſcunt radice, vel in eadem Matrice, ut grana in ſpica continentur, & ſæpe bulboſis diſtinguuntur radicibus. Creſcunt certe in ſuis Fodinis Gemmæ, imo aliæ aliis decedentibus ſuccedunt: hoc tamen vidimus in Granata, Jaſpide, ac Amethyſto & aliis, quæ in meo Muſæo ſervantur, adeſſe debitæ craſſitiei Matricem, ſive ſtratum, cui paulatim ſuccreſcit Amethyſtus; & ita aliæ Gemmæ ſuis propriis quæque ſtratis, ſive matricibus creſcunt. Sed an creſcant per alimentum intus ſuſceptum, an vero per appoſitionem partis ad partem, ſive incruſtationem; hoc difficilius eſt explicantur. Probabilius hoc ſecundum nonnulli putant, nam quæ ex ſucco lapideſcunt, præfato modo creſcere, & augeri obſervamus in lapidibus, qui in Animalibus fiunt, & lapidificis hujus generis corporibus. Sic gypſum novi fluoris acceſſu intumeſcere, monet *Duhamelius*, & egypſi mineris oſſa humana erui teſtatur *l. 2. c. 6. de Foſſilibus*.

Lapides autem ex principio aqueo ſalino concreſcere putant omnes Chymici cum *Helmontio* in tract. *mixtionis figmentum*. Quod evidenter patere in Gemmis docet *Ettmullerus* in Regno minerali c. 4. Nam Gemmæ, ut ipſe ait, ſicuti repræſentant naturalem Glaciem, ita etiam ſe demonſtrant, ab aqua ſimplici per principium ſalinum concretas fuiſſe, ac coagulatas. Lapides reliqui, quorum aqua, ex qua coagulantur non eſt adeo pura, neque defæcata, ſed particulis ætherogeneis, terreſtribuſque fœta, non ſunt adeo perſpicui, ſuntque craſſioris conſiſtentiæ, ac ideo majoris ponderis; *Et loco cit. Helmontius* probat omnes lapides, vitra, atque Gemmas artificialiter in aquam ſimplicem, ac elementarem reduci poſſe; id quod etiam lapidum concretiones demonſtrant in ſpecubus ſubterraneis, in quos ex montibus aqua per meatus, rimas, & fixuras petræ exſtillat, quæ aqua coagulatur in lapidem, qui vocatur lapis aquam ſtillans, & talis eſt conſiſtentiæ, quaſi ſit febrefactus ex ſilice, ſed qui plura experimenta, per quæ lapides ex aqua fieri evidenter probatur, addiſcere velit, videat *Conradum Conradi in medulla diſtillatoria l. 1. tract. 10.*

Hoc ergo principium noſtrum aqueum ſecundum ſubterranearum partium diverſitatem, per quas tranſit, ita varia corpora, diverſoſque lapides, duritiei, coloriſque diſſimiles producit. Color ille varius Marmori accidit ex vario metallico ente, quod ſubtus terram adeſt; & eadem de cauſa qua Gemma tingitur, hac eadem marmora, ac diverſi lapides coloreſcunt; & ex hac varia tinctura, ac diverſo colore infertur, uti credendum eſt, lapides antea molles fuiſſe, ac vegetare, & poſtea indureſcere, ut ſuperius demonſtratum.

Et quidem quod ad Gemmas ſpectat, hoc verum eſt, ut bene notat *Kæslerus cen. 5. proceſſ. 2. & Ettmullerus loc. cit.* quod operentur, & varios effectus in nobis producant beneficio ſulphuris metallici, a quo principio metallico tincturam, & colorem habent ſuum. Aqua namque ſalina ſupradicta, ſi limpida ac pura ſit, & coaguletur, abit in Cryſtallos; ſi vero per loca metallica tranſeat, in quibus reſidet ens primum metallicum in forma liquida exiſtens, illud aqua ſalina abſorbet, ſecum abducit, & primum ens metallicum coagulat, a quo Gemmæ ſuum habent colorem, & virtutem radioſam, ac amuleticam, ut ex ſulphure metallico; ſic v. g. Cryſtallus, & Adamas colorem nullum habent, quoniam nullo ſulphure metallico ſunt coagulati. Rutilantes vero Gemmæ, ut Carbunculus, Pyropus, Granata ſuum acquirunt colorem ex ente metallico Auri, adeo ut in his Gemmis ſit Auri, vel ſulphuris ſolaris tinctura. Ex argento colorem, & tincturam Saphyrus habet, & colore cæruleo foveri ſolet. Smaragdus, & Chryſolitus, quibus color viridis eſt, illum a ſulphure Antimonii, ſeu cupri obtinent, quod in ſe fovet ſulphur viride. Topatius, & Hyacintus ſubrubicundam, ex fodina & principio Martis, ſive ferri, flavum, ac rubeſcentem colorem habentis tincturam acquirunt, & ſic de aliis Gemmarum coloribus,

quos

quos a principio metallico obtinent discurrendum.

Ab hoc fundamento pendent productiones Gemmarum artificialium, vitri varii coloris, &c. Quæque hucusque de Gemmarum lapidumque pretiosorum colore, duritieque diximus, ad marmora, commode ratiocinando, accomodare possumus, & analogice ab altero ad alterum discurrere.

His ita animadversis inquirendum nunc restat, an lapides nutriantur, ac vegetent per alimentum intus susceptum, an vero per appositionem partium ad partes, & quandam veluti incrustationem, quod quidem difficile est determinatu. Communiter enim credunt crescere lapideas substantias per additionem partis ad partem, ad differentiam animalium, ac vegetabilium, quæ per intus susceptionem alimenti nutriuntur; sed ut meum hic sensum aperiam, argumentum, quod fieri dicitur per juxta positionem materiæ in lapidibus, &c. fit per adhæsionem particularum aliis particulis, quibus configurantur. Eadem omnino ratione, argumentum, quod fit per intus susceptionem in animalibus, & vegetabilibus, nil aliud revera est, nisi juxta positio particularum alimenti ad partes nutriendas in loco deperditarum: ita ut singula per juxta positionem crescant, cum tamen hoc discrimine, quod in plantis; & animalibus particulæ nutriendæ per canales suos regulari ordine distribuuntur; in lapidibus vero, cum hujusmodi canales forsan non adsint, transmittitur, impelliturque nutritius humor per porositates, & cæcos ipsorum ductus, & ita nutritiam juxta-positionem absolvit: quæ quidem licet nobis obscura, & difficillia videantur, Naturæ tamen plana sunt, aperta, & facilia. Ea enim, ut nos putamus modo simplici, facili, & analogice in triplici suo regno animali, vegetabili, & minerali, procedit.

Hinc Divinus noster *Hippocrates* in lib. 1. de Diet. n. 5. differens de Natura in singulis suis operibus producendis æquabilitate, facilitate, & analogia universali in omnibus sic ait. *Seorsum autem omnia, & Divina, & humana: sursum, ac deorsum vicissitudinem habent, ac transeunt. Dies, & nox ad summum & minimum, sic & luna ad summum, & minimum. Rursus hæc, & non hæc, lux Jovi, tenebræ orco; lux orco, tenebræ Jovi accedunt, & invicem mutantur. Et qua quidem faciunt non sciunt, quæ vero faciunt scire sibi videntur, & quæ quidem vident, non cognoscunt. Attamen omnia ipsis fiunt per divinam necessitatem, & quæ volunt & quæ non volunt; accedentibus autem illis huc, his vero illuc, & inter se mixtis unumquodque destinatum fatum explet, & ad majus, & ad minus*: hæc ille. Quæ quidem omnia, & præsertim, quæ pertinent ad Lapidum vegetationem, nutritionemque licet nobis adhuc obscura sint, ac pene creditu difficilia, nihilominus tamen, ut bene monet *Seneca* quæst. nat. lib. 7. cap. 25. agens de Cometis: *Veniet tempus*, ait, *quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur. Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquisitionem tantorum ætas una sufficit, ut tota Cœlo vacet.* Idem quoque *Seneca* de difficili naturæ rerum contemplatione tractans, ait ep. 64. *Mihi certe temporis multum auferre solet contemplatio ipsa sapientiæ: non aliter illam intueor obstupefactus, quam ipsum interim mundum, quem sæpe tanquam spectator novus video. Veneror itaque inventa sapientiæ, inventoresque adire tanquam multorum hæreditatem juvat. Sed agamus bonum Patrem Familiæ; faciamus ampliora quæ accepimus; major ista hæreditas a me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.*

Diximus ante, immediatum nutritionis actum tam in animalibus, & vegetabilibus, quam in lapidibus, & mineralibus fieri per juxta positionem particulæ nutritiæ: in singulis namque, ut nutriantur, juxta ponitur alimentum parti nutriendæ. Quod autem in animalibus, & vegetabilibus per canales proprios feratur alimentum; in Lapidibus vero per poros ad poros, id parum obstat, nec nos removet a credendo lapides nutriri revera, ac vegetare. Neque impedit hanc alimenti filtrationem, & progressum per lapidum substantiam, lapidum durities. Nam ut supra notavimus Lapides porosi sunt. Lapides in suis Matricibus molliores sunt, quam in externa Montium superficie, quam nos videmus.

Lapides omnes, Gemmæ, & similia mollia primum fuere, deinde induraverunt per causas supra recensitas: de qua primæva lapidum mollitie plura sunt dicta in principio hujus Dissertationis in serie observationum, ibi adductarum. Et sicuti Plantæ, & Animalia pro varietate ipsorum varia habent & organa, & succos nutritios, & nutriendi modum; & tandem determinatum incrementum: ita lapides pro varietate ipsorum, idem quoque obtinent; varie nempe crescunt, augentur, & varie vegetant. Neque incrementum ipsorum est infinitum, sed determinatum, & fixum, sicuti animalia, & vegetabilia, licet perpetuo nutriantur, determinatum tamen habent incrementum a Naturæ legibus, iisdem inditum, & impressum. Unde non est timendum, ne montes ob perpetuam succi nutritii juxta positionem excrescant in immensum. Cujus rei specimen egregium affert nobis *Seneca* lib. 3. q. nat. cap. 15. his verbis. *Placet naturæ, regi terram, & quidem ad nostrorum corporum exemplar, in quibus & vena sunt, & arteriæ, illa sanguinis, hæ spiritus receptacula. In terra quoque sunt alia itinera per quæ aqua, & alia per quæ spiritus currit: adeoque illam ad similitudinem humanorum corporum natura formavit, ut majores quo-*

quæ

que noſtri aquarum venas in Terra appellaverint. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humoris, alia neceſſarii, alia corrupti ac paulo pinguioris: ita in terra ſunt humoris genera complura, bitumina, metalla, infinita aquarum genera, &c. Ceterum ut in noſtris Corporibus, ita in Terra ſæpe humores vitia concipiunt, &c. Et paulo poſt idem Seneca, cap. 6. ſic concludit. *Et quid hoc mirum eſt, cum videas ordinem rerum, & Naturam per conſtituta, & præcepta procedere? Sunt & ſub terra minus nota nobis jura naturæ, ſed non minus certa. Crede infra, quidquid vides ſupra, &c.*

Neque credendum lapides abunde, perpetuoque nutriri, ut Plantæ, & Animalia, nam ignes ſubterranei multum fortaſſe tribuunt iiſdem conſumendis, uti & infinitæ aliæ diverſorum corporum ſubterraneorum generationes, nutritioneſque, mineralium, nempe metallorum, &c. hinc deficiente materia, non eſt timendum, ut in infinitum excreſcant.

Lapides vero, quos duros videmus nos, molles in ſua primæva origine fuiſſe præ ceteris ad credendum ducimur ab obſervatione extraneorum corporum, quæ in media illorum ſubſtantia reperiuntur, uti frequenter ſunt Conchylia, ferrum, mineralia, lapides alterius Naturæ, & ſimilia, quæ non in lapidibus tantum prope maris litora adſunt: ſed in altis montium jugis, & intra ſubſtantiam lapidum repertorum in altiſſimis eorum ſummitatibus. Quis eo tranſtulit Conchylia? Quis in lapidum ſubſtantiam immerſit? Niſi ii molles antea fuerint, & a ſpiritu ſalino, quo lapidis materies figebatur, & indurabatur, quicquid eidem mixtum tunc erat, pariter indurabatur. Quod ſi hæc non arrideant: dicamus igitur Naturam ſive ſpiritum, qui cuncta permeat, nunquam ceſſare juxta Ideas ſibi impreſſas, vel ſeminarias rationes, quæ nihil ſunt, quam Ideārum veſtigia, Conchylia e ſucco lapideſcente effingere, ubicumque inveniatur diſpoſitio, qua de re ſolide, & accurate tractando *Camillus Leonardus* Medicus Piſaurenſis in aureo libro de Gemmis lib. 1. cap. 5. ſic ait: *Noſtris temporibus in partibus Galliæ Ciſalpinæ lapis magnæ quantitatis ex nubibus cecidit. Plinius quoque* lib. 1. cap. 60. *ſcribit Anaxagoram prædixiſſe ſaxum caſurum a ſole, & revera cecidiſſe in partem Traciæ ad Egos flumen, & erat magnitudinis currus, coloriſque aduſti: Nec miramur ſi Ariſtotele dicat, lib. Mineralium, ferrum ex aere cecidiſſe notabilis magnitudinis. Multoties in aquis maxima virtus adeſt in producendo lapide, non proprium hoc aquarum eſt, ſed quia per loca mineralia fluunt, ipſorumque mineralium virtutes aſſumunt, ſicuti videmus aquas balneorum acquirere caliditatem, & ſi aliquid in ea injicitur in lapidem convertitur, ut refert Albertus Magnus, & in locis Thermarum omnia circumquaque lapidefacta invenimus. Sed ne extra petamus exempla: Nonne prope Civitatem tuam Magnanime Cæſar Borgia in Capriolo Fonte hoc manifeſte apparet, cum ex ſuarum aquarum curſu, quæ in ſe Fodinam habent, omnes aqueductus lapideſcant, & ita repleantur, ut aqua fluere nequeant? Ariſtoteles lib. cit. mineralium ſcribit, quod vis virtutis mineralis interdum tanta ſit, ut aquam in lapidem vertat, omneque in ea contentum, ac ideo in multis lapidibus inveniuntur Animalium Aquatilium partes, & alia in lapides converſa. Et Albertus Magnus refert de Arbore inventa in litore maris omnino lapidefacta cum nido & avibus in ea contentis &c.* Hactenus Doctiſſimus *Camillus Leonardus* loc. citato. Doctiſſimus hic Medicus Piſaurenſis ſcripſit librum hunc de Gemmis an. 1516. & Venetiis edidit, dicavitque *Cæſari Borgia* Glorioſiſſimo Duci Romandiolæ; *Ludovicus Dolce* hoc idem opus e Latino in Etruſcum tranſtulit, & ſuppreſſo veri Auctoris nomine, ſuum appoſuit, & ſub proprio nomine, ac ſi ipſe verus eſſet Auctor Venetiis edidit anno 1565. O turpe plagium! o deteſtabile furtum! o Calamitatem deplorandam Litterariæ Reipublicæ! Quæ quidem calamitas, ne dicam peſtis cum noſtris etiam temporibus vigeat, utile admodum eſſet, ſi quis Plagiariorum hiſtoriam texeret: & veris Auctoribus ſua opera reſtitueret.

Si autem de hiſce phænomenis per antedictas rationes ſpiritus univerſalis differere nolimus; cur credere non liceat, quod per ſubterraneas ſpecus cum maris fundo communicantes, Conchylia, Piſces, & alia id generis marina corpora abſorbeantur, quæ per occultas terræ vias, ac hiatus maximos hinc inde delata, & cum ſubterraneorum corporum Matricibus varie mixta, ac indurata, tandem ad telluris ſuperficiem ad juga montium deveniant? Abſorberi a ſubterraneis ſpecubus poſſe marinas aquas, & marina corpora, & hinc inde deportari, teſtis eſt Veſuvius mons in Campania, qui anno 1631. cum maxime flagraſſet, marinas aquas, quæ ad radices Montis ſunt, abſorpſit, litore per aliquot mille paſſus eſiccato, deinde eas ferventes ſuperiori ſui parte evomuit cum maximo nemorum, camporumque diſcrimine. Poſtquam flagrare, ac ſævire deſiit Veſuvius, in ſummitate ipſius inventæ ſunt teſtæ conchyliorum omnis generis, herbæ marinæ, & marina corpora quamplurima, quæ per ſubterraneas ſpecus a flagrante monte in ſummitatem ejus delata fuerunt, ut fuſe refert *Abb. Braccinus* tract. *de Veſuvii incendio anni* 1631. quo tempore fuit ipſe horum omnium teſtis oculatus. Si talia ibidem fieri potuere, cur etiam, & alibi non poſſint, non video.

Credi denique poteſt terram vi, & impetu ignium centralium frequenter tremere, magnis motibus concuti, & verſus maria dehiſcere, ejuſque aquas abſorbere cum marinis corporibus, conchyliis nempe ac piſcibus, & modo præcitato, iiſdem hinc inde per varias Matricium ſpecies delatis, varie intra lapidum indurari ſubſtan-

ſtantiam. Quare nil mirum ſi dicat *Seneca* quod in Caria, *cum talis poſt terræmotum exiliiſſet unda, perierunt omnes, qui piſces illos comederant, quos ignoto ante eum diem Cœlo novus amnis, & repente e terra eruptus oſtenderat, &c.*

De Terræmotu Romano, & Urbium adjacentium anno 1703.

CUm de terræmotu hic inciderit ſermo, nec non de vi ejuſdem, in trajiciendis marinis corporibus per ſubterraneas ſpecus ad montium ſummitates; rem gratam Lectoribus me facturum putavi, ſi deplorabilem, & calamitoſiſſimum terræmotum his diebus Romæ, ac per univerſam fere Italiam auditum, memoriæ, & poſteritati tradam. Quod antequam faciamus de ſubterraneis ignibus, tanquam primaria eorum cauſa, nonnulla breviter ſubnectenda cenſemus adhærendo præ ceteris opinioni *Senecæ*, qui hac de re ſolide ſatis, & erudite tractavit.

Terræmotuum autem impetu effectus narratos evenire, egregie his verbis idem *Seneca* confirmat. *Quæramus ergo quid ſit, quod terram ab infimo moveat, cur modo tremat, modo luxata ſubſidat, nunc in partes diviſa diſcedat, & alias intervallum ruina ſua diu ſervet, alias cito comprimat, nunc amnes tota magnitudinis introrſum abſorbeat, nunc novos exprimat, aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret, igneſque nonnunquam per aliquod ignotum antea montis, aut rupis foramen emittat, aliquando notos, & per ſæcula nobiles ignes comprimat, mille miracula moveat, faciemque mutet locis, & deferat montes, ſubrigat plana, vales extuberet, & novas ex profundo inſulas erigat.* q. nat. 6. c. 4.

Ac proinde in telluris centro communicationes eſſe incredibiles inter ignes ſubterraneos, aquas, ac alia ſubmarina afferendum eſt; cujus rei non ignarus *Gaſſendus* in vita *Peireſcii* ait; quod revera ignes ſubterranei per venas ſubterraneas ad inſtar aquarum longius ſerpant, & ſibi invicem communicent, imo refert eodem tempore incendium in Semo Æthiopum Monte, anno 1631. contigiſſe, quod contigit Veſuvii in Campania; quod Campanum incendium omni ævo memorabile erit, nam cineres Conſtantinopolim uſque pervenere, ut fuſe notat *Abbas Braccinus* de Veſuvio; ita ut Veſuvius cum Ætna, hic cum Syria, hæc cum Arabia felice, iſta demum cum Semo Monte communicent. Sive ſeries quædam incurvatarum rupium canales faciant, ſive ipſi ignes ſibi vias aperiant, eruptione ignium Montes creari viſi ſunt, ut Puteolanus, quem modernum vocant anno 1538. ſic Theraſia Inſula inter Cycladas circa *Senecæ* tempora emerſit. Interdum terræmotu flumina ſiccantur, nova erumpunt, quod lapſu terræ, vel conſueti meatus, & alvei occludantur, vel novi aperiantur. Cumque ſubterranea tellus tam immaniter a ſuis ignibus, & combuſtibili mineralium materie ardeat, & perpetuo conſumatur, aliquando demum in aliam faciem mutandum iri globum hunc terraqueum divine ſatis explicat Cicero, cum de mundi viciſſitudinibus tractando, ſic loquitur in ſomn. Scipionis: *Ipſi autem, qui de nobis loquentur, quamdiu loquentur? Quin etiam ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcujuſque noſtrum a Patribus acceptas poſteris prodere: tamen propter eluviones, exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus.* Præter *Ciceronem*, *Seneca* magis ad rem noſtram ſic diſcurrit: quæſt. nat. lib. 3. cap. 13. *Dicimus enim ignem eſſe, qui occupet mundum, & in ſe cuncta convertat. Hunc evanidum conſidere, & nihil relinqui aliud in rerum natura, igne extincto, quam humorem. In hoc futuri mundi ſpem latere credas? Ita ignis exitus mundi eſt, aqua primordium.*

Plurium quoque veterum Philoſophorum opinio fuit aquam, & ignem principia eſſe rerum omnium. Inter hos Princeps eſt *Hippocrates* noſter, qui lib. 1. de dieta num. 4. docet *hominem igne, & aqua conſtare*, deinde ſubdit: *Ignis omnia per omnia movere poteſt, aqua omnia per omnia nutrire*, & lib. cit. num. 5. ait: *Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat: verum permixta, & diſcreta alterantur*, & lib. cit. n. 42. concludit: *generari, & perire idem ſunt.*

Neque ſolum id arbitrati ſunt circa rerum originem, verum etiam manifeſte ſtatuerunt Mundum aqua, & igne ſive Diluvio, & fatali incendio in aliam faciem invertendum eſſe. Quod more ſolito egregie depinxit noſter *Seneca*; audiamus eum loquentem lib. 3. quæſt. cap. 27. *Sed monet me locus, ut quaram cum fatalis dies Diluvii venerit, in quem modum magna pars terrarum undis obruatur. Utrum id Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exurgat: an crebri ſine intermiſſione imbres, & eliſa æſtate hymns pertinax immenſam vim aquarum ruptis nubibus deruat. An flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes novos, aut non ſit una tanto malo cauſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia uno agmine ad exitium generis humani incumbant? Ita eſt. Nihil difficile eſt natura ubi in finem ſuæ properat: ſubito ad ruinam toto impetu venit. Urbes conſtituit ætas, hora diſſolvit. Momento fit cinis, diu ſylva. Magna tutela ſtant, ac vigent omnia; cito, ac repente diſſiliunt, &c.* Idem argumentum apertius proſequitur paulo infra cap. 28. his verbis. *Per centena millia quibuſdam in locis maris æſtus excurrit innoxius, & ordinem ſervat: ad menſuram venit, creſcit, iterumque decreſcit. At illo tempore Diluvii ſolutis*

legibus, sine modo fertur. Qua ratione inquis? Eadem, qua conflagratio mundi futura est. Utrumque fit, cum Deo visum, ordiri meliora, vetera finiri. Aqua, & ignis terrenis dominantur. Ex his hortus, & ex his interitus est. Ergo quandoque placuerit ista nova mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut ignis fervor, cum aliud genus exitii placuit &c. Hæc tandem omnia divine pene complexus idem *Seneca* finem Mundi sic divinatur loc. cit. cap. 30. *Nec ea semper licentia undis erit in Diluvio universali. Sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quarum ingenia homines transierant, iterum aquas terra sorbebit. Natura pelagus stare coget, aut intra terminos suos fugere, & rejectus e nostris sedibus in sua secreta pelletur Oceanus, & antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabitque terris homo insciis scelerum, & mulieribus auspicia natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Cito nequitia subrepti; virtus difficilis est: rectorem, duremque desiderat: etiam sine magistro vitia discuntur*: hæc ille.

Communicant itaque ignes subterranei inter se, & per flumina ignium subterranea montes ignivomi commercium inter se habent, ut ex *Gassendo*, *Seneca*, & pluribus aliis philosophis constat evidenter: & terræmotuum causam esse ignem subterraneum, diu coercitum, conclusum, & vi erumpere extra nitentem vel ex eo deducere licet, quod primo tremit terra, deinde aliquot post dies mons ignes vomit, fulgurat, tonat, donec accensus ignis, qui terræmotum produxit, deferveat; ut vidimus Nos ipsi in magno Neapolitano terræmotu 5. Junii, vigilia Pentecostes anno 1688. Vesuvius per plures ante menses, & annos siluit, nec cum impetu flamma vomebat. Secundo post terræmotum die maximo cum impetu, tonare, fulgurare, ignes, flammas, saxa, cineres projicere cœpit, ac perduravit per quindecim, ac plures dies, denique quievit. Et Neapoli nuper scriptum est, Vesuvium diu quietum, & tacitum, post terræmotum hunc Romanum, majori in copia fumum, cineresque vomere, murmurare, ac tonare, &c. Et raro terræmotus succedunt, quin terra in terræmotus loco aperta ignes, sulphura, & similia combustibilia vomat, aut exhalet: & eadem ratione, qua communicant inter se per ignes subterraneos montes ignovimi, ac in dissitis Regionibus eodem tempore vehementius exardescunt; eadem inquam, conclusis, coarctatisque diu, ac nimium iisdem ignibus variis in Regionibus, & eodem tempore erumpentibus cum vi, terræmotum eodem tempore in valde dissitis locis efficiunt. Sic eadem hora, qua gravis terræmotus his diebus Romæ auditus est, nempe die 15. Januarii, & 2. Februarii 1703. eadem auditus fuit Neapoli, Aquilæ, Nursiæ, Venetiis, Tridenti, Mediolani, ac pene per totam Italiam, ut infra sigillatim narrabimus. Pariter anno 1688. Venetorum, & toti Æmiliæ Regioni validum impressit metum solitus gravi sævire malo terræmotus. Qui eodem tempore nempe 3. Junii 1688. ipsa Vigilia Pentecostes, hora 22. per lata plurimarum urbium spatia maxime sensibilis, duo præsertim Romandiolæ oppida Tiberiacum, vulgo *Bagnacavallo*, & Corniolam ruina pene integre oppressit; & Napolim ipsam, (me ibidem tunc temporis Medicinæ addiscendi causa commorante) vehementer terruit, ubi repentina excussione Palatia, Templa, & domus bene multæ attritæ sunt cum non levi popularium excidio. Sed majori adhuc damno Beneventum in Campania, & Smyrna in minori Asia duæ Urbes fere integræ, eodem terræmotu Neapolitano exciderunt, &c.

Anno 1694. eo die quo maximus fuit per totam Siciliam, & vicinam Calabriam terræmotus, & solo æquata fuit nobilis Urbs Catania, dicunt tremuisse etiam Limam, primariam Urbem, in India Occidentali

Quo tempore Regusium, clarissima Dalmatiæ Urbs, super ruinas veteris Epidauri constructa, ubi celebre olim erat Æsculapio templum, eodem etiam tota Græcia quatiebatur. Cujus rei testis est Illustrissimus Sebastianus Visitator Apostolicus per Græciam, qui describens suum iter per Dalmatiam hæc loquitur cap. 10. fol. 125. quæ placuit latine invertere. *Cum degebam in Insula Meli ad Mare Ægeum auditi sunt triduo crebri terræmotus; & eodem tempore, quo alii vehementiores pertulerant pene pulchram Urbem Ragusium, videlicet sexta die Aprilis 1667. pulsabant Graci campanas suarum Ecclesiarum: supplicantium agmina habebantur, sed frustra: ideo curabant, ut idem a Latinis fieret. Etenim diu semper observaverunt, quod ita impetrabant citius veniam a Deo, & gratiam evadendi a terræmotibus. Vidi Ragusium paucis ante mensibus quam terræmotus illam perdidisset. Obtinet Ragusium parvum portum, sed tutum, forte mque: est ad mare valida Arx ad monticuli summitatem posita. Urbs valde pulchra, & dives est, & quamquam maneat sub Turcarum unguibus, multa tamen libertate potitur, solvens illis annuum vectigal. Cœtus Nobilium Togam induit, Venetorum ad instar Nobilium. Obtinet hæc Urbs duo amœnissima loca, vulgo dicta Omble, & Gravosa, in quibus sunt Nobilium deliciæ, ut vix invideant celebrioribus Italiæ*: hæc ille, loco cit.

Ad unum pene omnes Philosophi credunt dari ignem subterraneum, sive ut dicunt centralem, in terræ gremio ardentem, cui generationem mineralium, effluxus omnes subterraneos, sulphuris, bituminis, aluminis, carbonum fossilium procreationem, ipsos denique terræmotus, thermarumque originem referunt acceptam. Dari revera talem ignem ipsi Montes ignivomi satis aperte ostendunt, In Italia Vesuvius, in Sicilia

Sicilia Ætna perpetuo ardent, quæ Regiones Præ aliis obnoxiæ ſunt frequentibus terræmotibus. In Hecla Islandiæ monte continui ſunt ignes, qui cum exitu libero careant, ſonos edunt triſtes, & lamentationibus ſimiles. Multos alios refert *Varenius* in ſua Geographia generali; ut montem in Java Inſula, qui anno 1586. cum antea non arſiſſet primum diſruptus eſt, excitato terræmotu, & flagrantis ſulphuris eruptione; adeo ut decem millia hominum in agris perierint. Mons in Sumatra Inſula Ætnæ ſimilis fumum, & flammas vomit. Omitto alios Montes ignivomos a *Maphæo*, & rerum Indicarum ſcriptoribus adnotatos, ut in Moluccis inſulis, in Philippinis, In Japonia, in Peruvia quoque & variis Americæ jugis, in quibus, potiſſimum vero in Urbe Lima, frequentes ſunt terræmotus ob montium ignivomorum copiam, & ingentes Auri, Argentique fodinas.

Quare, ut proxime ad cauſam terræmotuum deveniamus, (ut tot a *Seneca*, recenſitas opiniones reticeam) ea certe nulla alia eſſe poterit, niſi ignis ſubterraneus, plus ſolito accenſus, & nimium a ſubterraneis cauſis intra ſua vaſa, ſive propriarum ſpecuum latera coarctatus. Unde niſi facto impetu, & fractis hinc inde ſingulis, quæ obicem ponunt, foris non erumpit, nec erumpit niſi ſub ſpecie terræmotus. Et quod in terra tremor eſt, id in nube tonitru teſte Plinio; nam terræ in fremitu ſolet.

Sub pedibus mugere ſolum, & juga celſa moveri.

Ideo nullibi frequentiores ſunt terræmotus, quam in locis, quæ Montibus ignivomis ſunt viciniora. Quare Sicilia, Calabria, & Campania frequenter tremunt, & ſæpe prius tremuat, quam flammæ ex iiſdem erumpant: ut nos vidimus in terræmotu Neapolitano anno 1688.

Quoniam vero inter montes ignivomos Europæ maxime celebris eſt Veſuvius noſter in Campania, qui quando exardeſcit ſubtus, frequentium Italiæ terræmotuum cauſa eſt: de illo nunc, ejuſdemque præcipuis incendiis, potiſſimum illius omnium maximi, & memorabilis, quod accidit anno 1631. breviter nonnulla dicemus.

Veſuvius octo circiter milliariis diſtat Neapoli; de illo ex antiquis *Dion. Procopius*, & *Plinius* ſcribunt: ex recentioribus *Cluverius lib. 4. cap. 3. num. 13. &c.* & præ ceteris *Abbas Braccinus* lib. de Veſuvii incendio, anno 1631. cujus anni incendium fuit omnium maximum, & omni ætate memorabile: altitudo montis ante hoc incendium anni 1631. inventa fuit paſſuum Geometricorum 1231. Peracto incendio inventa eſt minor paſſuum 241. $\frac{1}{3}$; ita ut igne conſumta fuit altitudo 241. $\frac{1}{3}$, paſſuum. A nato Chriſto uſque ad annum 1631. numerantur ſeptemdecim memorabilia incendia a præfato *Braccino*.

Secunda eruptio Veſuvii fuit calamitoſiſſima, anno Chriſti 81. fuitque memorabilis ob mortem *Plinii* ſecundi, qui tunc ibidem cineribus oppreſſus interiit: ut ejus nepos in epiſtola ad Tacitum fuſe memorat: & apud *Dionem* lib. de Veſuvii conflagratione, anno 81. hæc ſcripta reperiuntur. *Hæc autem ſimul, ac facta ſunt, eructabat immenſus cinis, occupabat enim terram, mare & aera. Ladebantur homines ſcilicet, regiones, & pecora: piſces præterea, aves &c. abſumebat. Inſuper duæ Civitates conflagrarunt, Herculaneum, & Pompejopolim. Herculaneum, & Pompejos, ſedente in theatro populo, oblimavit. Tantus fuit cinis, ut non ſolum Romam, ſed uſque ad Africam, Syriam, Ægitumque penetraret*: hæc ille.

Suetonius quoque de hujuſmodi conflagratione ſub Imperio Titi Veſpaſiani ſic loquitur in Tito, c. 8. *Quædam ſub eo fortuita, ac triſtia acciderunt, ut conflagratio Veſuvii in Campania, & incendium Romæ. Curatores reſtituendæ Campaniæ e Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſuvio, quorum hæredes non extabant, reſtitutioni afflictarum Civitatum attribuit, &c.* Omnium autem eruptionum Veſuvii memorabilium hæc ſeries eſt, ab Auctoribus excerpta. Nempe A. C. 81. 202. 305. ac 417. 473. quarum cineres Conſtantinopolim, & Lybiam pervenere. Item an. 512. 538. 683. 879. 993. 1036. 1049. 1138. 1139. 1500. Denique ultima omnium maxima, & perniciosiſſima, anno 1631. Cujus hæc eſt ſeries hiſtorica. Anno 1629. in voraginem Veſuvii Medicus quidam deſcendit referente *Braccino l. cit.*, & invenit tres foveas, primam repletam aqua ſalſa, alteram aqua bulliente inſipida, tertiam aqua tepida amara, & mordicante, quod phænomenon raro viſum in hoc monte, præſagium erat graviſſimorum periculorum. Anno 1631. die 10. Decembris ab Incolis Veſuvii murmur ingens in ſummitate montis ſentiebatur, quod præter terrorem, ſomnum impediebat. Vorago Montis, quæ profunda erat, paucis illis diebus creſcere, ejus tellus tumefieri, & elevari cœpit donec pervenit ad planum horizontale verticis, tunc temporis clauſis omnibus foraminibus igni ſubtus erumpenti. Die 26. Decembris, anno 1631. multo ante ortum ſolis, terra tremere cœpit primo, poſt terræ tremorem bombilus ita horrendus in ſummitate montis percipiebatur, ut in longinquis etiam Regionibus auditus fuerit; denique poſt terræ tremores, fragores, ac horrendos mugitus, ruptus fuit mons pluribus in partibus ſuæ voraginis cum vehementiſſima emiſſione lapidum ignitorum, cineris, pulveris, fluminum ignitorum, bituminis, cum tanto terrore, & excidio vicinarum Urbium, ut extremus mundi dies videretur. Tantaque cineris copiæ eructabatur, ut Conſtantinopolim uſque pervenerit. Hujuſmodi terræmotus ante eruptionem, alioſque effectus ſuo tempore obſervatos deſcribit *Plinius* lib. 6. c. 36. dicens: *Nam crebris, vaſtiſque tremoribus tecta nutabant,*

bant, & quaſi emota ſedibus ſuis, nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur, &c. & *Dio.* loc. cit. ſic refert: *Sonitus a Cavernis ſubterraneis tonitrui perſimiles ſuperne mugire videbantur; mare vero fremebat, & Cælum reſonabat, poſt hæc fragor immenſus, ceu concidentium montium audiebatur, &c.* Lapides ignitos, quos ejiciebat mons, fuiſſe referunt magnitudinis integræ domus, aut cubiculi: ſequenti die Decembris 17. hora 16. poſtquam hæc accidebant, exſiccato per plures paſſus litore Neapolitano, marinas aquas abſorpſit mons, & ferventes evomere per vicina loca obſervatus eſt, damno omnium incredibili; incendioque peracto, teſtæ Conchyliorum, & alia marina corpora in montis cacumine reperta ſunt: manifeſto indicio flumina illa ferventium aquarum, a monte emiſſa, mare fuiſſe per ſubterraneas ſpecus abſorptum. Hoc incendio dicunt quinque hominum millia periiſſe, partim igne, & ſuffocatione cinerum, partim vero aqarum ferventium marinarum, a monte emiſſarum; & damnum omnium aſcendiſſe ad viginti milliones ſcutatorum: ac tanta fuit cineris, terræque quantitas a monte ejaculata ad radices ejuſdem in maris, litore, ut fere per medium milliare receſſit mare, & ubi mare tunc erat, nunc ſunt fertiles campi, &c. ſub Veſuvio.

Poſt nonnullos dies, deflagrato igne, quievit mons, ſiluitque uſque ad annum 1660. tunc cœpit denuo mugire, tonare, fulgurare cum timore Incolarum. Deinde ſequentibus annis 1682. 1685. 1688. & 1689. & tandem anno 1694. vel cum terræmotu, vel ſine eo flagravit, arſitque, ſed profecto non magno cum incolarum incommodo: poſt hunc terræmotum Romanum diu tacitus Veſuvius, ardet nunc ac fumat, & cum igni patefacta ſit via, Dei munere a terræmotibus omnino nos liberatos Romæ putamus, &c.

Ignes itaque ſubterraneos accenſos diuque coercitos eſſe terræmotuum cauſam ex præfatis abunde deducitur: fomes autem hujus ignis ſulphur eſt, & plura genera bituminum, rerumque facile ardentium. Nam revera Puteorum aquæ ante terræ fremitum ſulphureo odore plerumque inficiuntur: & rari ſunt terræmotus, quos non ſubſequantur hiatus terræ, & fœdæ ſulphurum, aut ignium exhalationes. In hoc terræmotu Romano plures Urbis Incolæ Viri graves, & fide digni mihi narrarunt, ſe nocte præcedente terræmotum diei ſecundæ Februarii manifeſte perſenſiſſe in aere inſolitum ſulphuris odorem, potiſſimum Vir doctus, qui degit in Viminali prope Baſilicam S. Mariæ Majoris. Et quoniam Montes hujuſmodi ignivomi in Anglia, Hollandia, Dania, pluribuſque Germaniæ locis, in ipſa denique Gallia forſan non adſunt, hac de cauſa hujuſmodi Regiones raro ſubjiciuntur terræmotibus. Et ſi tremunt aliquando, tremor levis eſt, orituruque ab eadem cauſa, igne nempe accenſo ſubterraneo: nam ibidem adſunt thermæ calidæ, quarum origo ignis eſt ſubterraneus.

Poſt terræmotus eadem de cauſa frequenter ſuccedunt Peſtilentiæ, vel Morbi graves, & Epidemici, imo nova, & inaudita morborum genera, ut narrat *Seneca quæſt. nat. lib. 6. cap.* 27. idque ob veneniferos variorum mineralium, ac bituminum halitus e terræ cavernis per illius fragorem erumpentes, noſtrumque aerem inquinantes.

Pro varietate accenſionis ignis ſubterranei in terræ cavernis, variæ terræmotuum differentiæ oriuntur. Alii eodem tempore in diſſitis trans mare regnis ſentiuntur; uti fuit terræmotus Siciliæ cum everſione Cataniæ anno 1694. quo eodem die in America auditum fuiſſe tradunt. Anno 1688. quo tremuit Neapolis, tremuit quoque, & diruta pene fuit Smyrna in Aſia minori; ideo non reſpondet eventibus id, quod *Seneca loc cit.* refert. Raro ſcilicet, terræmotum ad ducenta extendi milliaria, &c.

Diverſæ autem ſunt terræmotuum ſpecies ratione diverſi modi, quo quatitur terra, ſive ratione diverſi effectus inde naſcentis: quinque numerantur ab *Ariſtotele Plinio*, & aliis. Quando enim ignis ſubterraneus accenſus interioris antri, ſive ſpecus terræ fornicem ſurſum ejaculat, ut fit in bellicis cuniculis, (*vulgo Mine*,) adeo ut, adinſtar Arteriæ pulſantis erigatur, & ſubſidat, tunc terræmotus inde factus vocatur ab *Ariſtotele Pulſus*. Cum vero dictæ Cavernæ latera accenſum ignem veluti captivum detinentia alternatim, & ſubſultim vibrantur, *Tremor* tunc dicitur, qui non ita perniciosus eſt ædificiis, quia inclinata cito reſtituuntur: nec ita vehemens eſt talis terræmotus, quia accenſus ignis, neque ita potens eſt, neque ita copioſus. Denique quando terra tremens hinc inde æqualiter non libratur, ut loco ſuo celeriter reſtituatur, *Inclinatio*, tunc dicitur, ædificiis maxime moleſta: & perniciosa: nam parietes, & tecta extra perpendiculum ſuſpenſa collabuntur. Inclinatio itaque ceteris terræmotibus eſt longe periculoſior cum terra tremat, ſive potius nutet navigii more: niſi enim motus ex altera parte inclinata reſtituat, ruina ſtatim ſequitur. Primus Terræmotus Romanus 14. Januarii mox elapſi fuit ex genere tremoris. Secundus vero nempe 2 Februarii præſentis, quo ſcribo, fuit ex genere inclinationis, nam parietes abſque magno tremore, ideſt domus ipſæ, navigii more undulabant: & ideo ſingulis pene vertigo ſuborta eſt Romæ in actu terræmotus, aliquibus vomitus, plurimis capitis gravitas, & ſenſum turbatio, quæ adhuc in nonnullis durat. Hic ſecundus, fuit duplo vehementior priori, & cum majori ædificiorum damno, nam plurima eorum his diebus magna cum celeritate trabibus ſuffulciuntur, ne cadant: eodem die ſecundi terræmotus tremuit fortiter Urbs Aquila in Samnio, & fere tota ſolo æquata eſt, ac diruta,

rata. Et certe miraculo est adscribendum, Dominam Orbis eo die non cecidisse.

Post Terræmotum varii nascuntur effectus in Globo terraqueo: nam pro magnitudine Cavernarum, in quibus accenditur subterraneus ignis; & pro vehementia ignis accensi, aliquando urbes integræ absorbentur, nullo sui vestigio relicto: ita duas nobiles urbes Helicen, & Burin terræmotus absorsit, & ubi illæ erant, mare nunc est: teste *Seneca lib. 6 quæst. nat. cap.* 32. quod caput, ad fortitudinem animi in terræmotibus acquirendam, est ferme lectu dignissimum. Interdum accidit ut ignis accensus, in vorticem actus, terræ loca commutet, & transferat in remota, quod ultimo Neronis anno contigisse *Plinius* refert. Porro terræmotu flumina absorbentur, & pereunt, interdum nova emergunt, montes ad invicem divelluntur, ac discedunt. Hinc ajunt, teste *Seneca*, Ossam Montem olim cohæsisse Olympo, deinde terrarum motu recessse, & scissam unius montis magnitudinem in duas. Tunc etiam effluxisse Peneum, qui paludes, quibus laborabat Thessalia siccavit; abductis in se, quæ sine exitu stagnavernnt aquis. Ladon flumen inter Helin, & Magalempolin medius est, quem terræmotus effudit. Sic eodem teste *Seneca*, Hispanias ab Africa, Siciliam ab Italia, terræmotus divisit. Terræ camporum concidunt, aperiuntur, & imperviæ evadunt, ut contigit in via publica, Aquilam versus, in terræmotu ultimo 2. Februarii. Hæc, & alia innumera post terræmotum eveniunt, quæ satis indicant causam eorum non esse superficialem, sed sub ipsis Montium radicibus, sub ipso maris fundo. Nam & mare tunc, & Regna integra navigii more nutant hinc inde. Putasne id fieri posse ab aura terræ superficiei vicina? Ne quidem: ab imo res est.

Et cum terræmotuum vi varie globi terraquei loca afficiantur, & mutentur, facile assentior opinioni Doctissimi *Stenonii* lib. de *solido intra solidum* fol. 33. putantis 1. Montes omnes hodiernos non extitisse a principio rerum, cursuque, & inundatione fluminum, ex eorum sedimento novas in mari terras fieri, quæ antea non erant. Ad Lavinia litora venit Æneas, & ubi olim litus erat, nunc campi sunt a lavinio ad mare hodiernum per duodecim circiter milliaria. 2. Posse everti montes, transferri agros ex uno latere in alterum per mediam viam publicam, elevari, & deprimi cacumina montium, aperiri terras, iterumque claudi, & id generis alia contingere, quæ in historiarum lectione pro fabulis habentur, sed fabulæ non sunt: atque adeo non ita fabulosum esse *Plinium*, ut multi credunt; dum multa narrat, quorum nulla apud nos hodie supersunt vestigia. 3. Denique quod ob insignes mutationes, quæ quatuor mille ab hinc annis in Globo terraqueo contigerunt ob multiplices terræmotus, e terris erumpentes ignes, fluminum, & mariurn exundationes, errent summopere illi, qui in scriptis antiquorum multos errores accusant, quod varia ibidem occurant, quæ in hodierna Geographia non inveniuntur: inveniri tamen non possunt ob terrarum facies varias & mutationes dictis de causis productas: sic fabulosam non putent maris Mediterranei ab Oceano separationem; transitum e mari Mediterraneo in mare Rubrum; Insulæ Atlantidis submersionem; variorum denique locorum in itineribus Bacchi, Triptolemi, Ulissis, Æneæ, aliarumque descriptionem veram, quamvis hodiernæ Geographiæ non respondentem, &c. ut fileam tot alias mutationes ab Auctoribus recensitas.

Domesticum hujus veritatis exemplum habemus in Fluvio Clitumni. Amœnissimus Clitumni fons, & fluvius oritur in Umbria Spoletum inter, & Fulginium ad radices collis, in quo Castrum est Campellum, ditionis perantiquæ, & Illustris domus Campellorum Spoletinorum. De amœnitate hujus loci, & fluminis testimonia plura sunt apud *Propertium lib. 2. eleg. 19. Sil. Ital. lib. 8. Stat. lib. 1. Syl. carm. 4. Virg. Georg. lib. 2. vers.* 146. sed præ ceteris apud *Plin. Jun. epist. 8. lib. 8. & Suet.* in Callig. Tempore *Plinii* tanta erat aquæ copia in hoc fluvio, ut facile sustinere posset binas Cymbas onerarias. Terræmotu vero memorabili anno 446. quo per sex menses Constantinopolis, & pene totus orbis quatiebatur, ut narrat Nicephorus, *Hist. lib. 14. c. 46.* magnam suarum aquarum partem amisit, ut pluribus rationibus probat Bernardinus Vir celebris ex comitibus Campellorum, *Hist. Spoletina tom. 1. lib. 7. f.* 223. An terræmotu anni 1695. quo Belneoregium Civitas provinciæ Patrimonii dirutum fuit cum pluribus vicinis opidis, tremuitque tota pene Gallia Cisalpina, quamplures amissas aquas recuperavit. In memoriam vero præfati maximi Terræmotus Constantinopolitani prope Castrum Campellum extat adhuc sacra ædicula, in cujus vertice leguntur nunc etiam potentissimi illi ad leniendam iram Dei versiculi e Cœlo teste Baronio delati *Sanctus Deus Sanctus Fortis: Sanctus & immortalis, miserere nobis.* Ut nuper mihi narravit Vir doctissimus, & proavorum memoria Illustris *Franciscus Maria Campellus* ex comitibus Campellorum, in Curia Advocatus, & amicitiæ jure mihi conjunctissimus.

Sed ut denuo redeamus ad causas generales terræmotuum, certe ignes subterranei accensi, & cum impetu erumpentes, causa illorum sunt; & vis eorum a profundo venit. Venit ignis sub ipso maris fundo; & ideo Montes ignivomi sub maris fundo; per flumina ignium submarina communicant inter se. Et sæpe, quando ardet, tonat, fulgurat Vesuvius in Campania, fulgurat, tonat, & cineres eodemmet tempore vomit Ætna in Sicilia. Refert quoque *Peiresebius*, a *Gassendo* citatus, *lib. 5.* quod anno 1643. accenso monte Semo Ethiopiæ, eodem prorsus tem-

pore Veſuvius, Vulcanus, & Ætna flammas, cum ſtrepitu vomebant. *Strabo* pariter ſcribit Veſuvium eodem tempore eructaſſe cineres per Italiam, quo Semus Ætiopiæ mons per Syriam, & Ægyptum. Vigilia Pentecoſtes 5. Junii 1688. qua Neapolis terræmotu quatiebatur, in Sicilia ſuper Æolias, & ſuper Vulcani jugum viſa eſt denſa nubes, quæ flammæ, & fumi conglomerationem arguebat, ut Sicilia Neapolim tunc ſcriptum fuit. Quare communicant Montes ignivomi per canales igneos ſubmarinos, ut citati putant Auctores. Nec mirum videatur, ſi ſubterranei ignes ex imo Maris in medio maris eruperint anno 1650. prope Santarinium Inſulam in mari Ægeo, cum maxima cinerum, ſaxorum, & fumi eruptione, quibus, & animalia, & homines oppreſſi periere quamplurimi, ut refert *Petrus Riccardus* in Epiſtola ad *Kircherum*, relata ab eodem in Mundo ſubterraneo.

Stet igitur quod diximus cauſam terræmotuum accenſos eſſe ignes ſubterraneos, ne dicam ſubmarinos, quorum conflagratio donec duraverit, terra tremere non ceſſabit: Sed ad Romani terræmotus hiſtoriam deveniamus; & ad ea, quæ horrendo hoc terræmotu acciderunt in Samnio Regni Neapolitani Provincia, ditioni Eccleſiaſticæ finitima, quæ ſane luctuoſa ſunt, & omni ævo deplorabilia. Age igitur ordiamur infelicem hiſtoriam.

Hiſtoria Romani Terræmotus, & Urbium adjacentium, Anno infeliciſſimo 1703.

NUnquam Urbs Roma tremuit, ut non futuri alicujus eventus id eſſet prænuntium: inquit *Plinius* lib. 2. cap. 84. ita ſane quod Orbis domina, & Imperatrix Roma, ſyderum Colonia, ſacrarium fidei, ac fundamentum, his diebus tam fortiter tremuerit, non alid prænunciat, Quirites, quam ulciſcentis Numinis iram. Quod autem impetu tam gravi nova Sion non ceciderit, ingens fuit Dei Optimi Maximi beneficium, peculiari oratione a D. Cryſoſtomo expreſſum, *Protegam Urbem hanc propter David ſervum meum, & Aaron Sanctum meum*: cujus certe promiſſionis niſi Deus his diebus eſſet recordatus, conciſum Orbis caput vidiſſemus. Quamobrem ipſe, qui teſtis horum omnium fui, quamquam præ lacrymis, mœrore, horroreque meo, & Civium, vix calamum regat manus, cum adhuc terra tremat, attamen ne poſteros lateat hæc publica lacrymabilis calamitas, ejuſque promtum Dei munere remedium, cui *de magnis periculis liberati magnificegratias agimus*: (Machab. lib. 2. cap. 1.) breviter ſingula deſcribendi anſam arripio.

Hyems anni 1702. temperata fuit, ſerena, ac placida veluti ver ſolet, ac fere menſem per totum Februarii perduravit. Circa Kalendas Martias cœperunt pluviæ, & durarunt magna in copia uſque ad finem Junii: ita ut vulgus diceret erraſſe conſtitutiones anni, atque ver non fuiſſe ver, ſed Hyemem, nam vere ningebat, & grandinabat, & cum frigore pluebat. Circa Kalendas Julias ejuſdem anni 1702. Cælo reddito ſereno, ſucceſſit æſtas calida, ſicca, & nimium urens, nullique madida pluviis uſque ad X. kalendas Novembres. Quare præ ſiccitate omnia, ac ipſæmet vineæ pene arſere. Tremuit hac æſtate vehementer Beneventum in Campania, & a frequentibus proxime elapſis terræmotibus vis reſtitutum, fere totum concidit. Hac igitur æſtate regnarunt Romæ morbilli, & variolæ quaſi epidemicæ, nam plura puerorum millia periere. Erant variolæ pene omnes confluentes, & incipiebant cum alvi fluxu: quamplurimis, quibus ego medebar, alvi fluxus ſalutaris magis erat, quam pernicioſus, ſed quibus ſpirandi difficultas ſuperveniebat, fere omnes peribant, non ita vero cum diarrhœa primis diebus adveniebat, ut obſervavi in plurimis. Regnarunt pariter tertianæ duplices cum apparatu humorum in primis viis, ideſt Febres nobis dictæ meſentericæ, ardentes, Eryſipelata faciei, & aliarum partium, dolores capitis ſine febre, apoplexiæ, morteſque repentinæ, quæ decem ab hinc annis redditæ ſunt familiares. Denique Febres quamplurimæ capitis dolorem conjunctum habebant: ut taceam alia morborum ſporadicorum genera quæ tota æſtate calida nimium, & ſicca viguerunt.

Paulo ante Kalendas Novembris 1702. cœperunt flare auſtri, & pluviæ ingentes cadere. Auſtri, & pluviæ fere continuæ a dicto tempore perdurarunt uſque ad præſentem Februarii menſem, quo ſcribimus, cum maximo Camporum damno. Die 18. Octobris, ideſt die Feſto S. Lucæ ejuſdem anni, hora circiter auditus eſt Romæ levis terræmotus. Ipſe quoniam ſolus in cubili eram, facile animadverti terræmotum fuiſſe, quem animadverterunt, & alii, qui non erant diſtracti a negotiis: fuitque Cœlo ſereno, nondum cœptis prædictis pluviis. Eodem die terræmotus idem auditus fuit Nurſiæ celebri in Urbe in Sabinis & ob id potiſſimum celebriori, quod in ea Divus Benedictus natus ſit.

Quoniam a Kalendis Novembribus uſque ad Kalendas Januarias fere quotidie pluviæ flantibus ſemper Auſtris magna in copia, & ſine intermiſſione ceciderunt; Tybris, nimium aquis tumens, inundavit Romam die 23. Decembris anni prædicti 1702. Magna fuit inundatio, nam viæ Urſi, Lungariæ, Vaticana, Flaminia prope ædes Cajetanas Oratoris Cæſarei, apud S. Laurentium in Lucina, in loco ubi degunt Judæi, & aliæ non multum e Tyberi diſſitæ viæ; campi denique, qui adjacent Moli Hadrianæ, ſive Caſtro S. Angeli, aquis omnino pleni erant. Forum ad Panteum Agrippæ fere totum ſub aquis jacebat. Duravit per duos dies cum non levi Civium damno, & ſalutis diſcrimine Graſſabantur tunc capitis mala, catharri, mortes repentinæ, ſive apoplexiæ, quæ proximis his annis, ut ſupra diximus,

Fig. II.



Fig. III.



Fig. IIII.



Fig. V.

Fig. I.





mus, quasi erant epidemicæ. Durantibus pluviis innundavit denuo Tybris circa nonas Januarias anni præsentis 1703. sed quoniam non magni momenti fuit, non multum in hac inundatione describenda immorabimur. Eodem tempore referunt tremuisse Barcinonam in Catalunia, sed levi terræ concussione.

Sub novi an. 1703. ingressum Austri adhuc flabant; & semper cum pluviis fere quotidianis conjuncti. Cum derepente die 14 Januarii, hora secunda circiter noctis, Roma fortiter tremuit, Civesque deterriti hoc novo spectaculo, plures ex iis qui nobiles sunt ea nocte per campos, & apertas plateas in rhædis dormiere. Pluviæ ingentes eo die cecidere cum ventibus nimium furentibus: & paulo ante terræmotum præcessit ventus furibundus, deinde successit domorum succussio. Fuit hic terræmotus de genere eorum, quem dicunt tremorem, seu successionem, & duravit tantum temporis, quantum impeditur ad binas salutiones angelicas recitandas; tota illa nocte furebant venti, & pluvia; mane lucescente audivimus nullum cecidisse ædificium, neque unum quidem periisse Civem. Catenæ ferreæ, quibus fulciebatur magna Domus, & Aula Capitolii ruptæ fuerunt ea nocte vi terræmotus, & quamplurima ædificia rimas in muris passa sunt. Die 16. ejusdem mensis, hora 21. denuo tremuit, sed leviter Roma.

Dum hæc Romæ acciderant, nunciatum est, eodem die, eademque hora secunda noctis Nursiam in Sabinis tremuisse, & solo æquatam, ac dirutam fuisse. Diruta etiam ibidem pene sunt oppida duo, Cascia, & Leonesia; Spoletum vero, Camerinum, Civitas Regalis, Aquila in Samnio, Mons Regalis, Borbonæ Cummoli, & Matricis oppida, & innumera oppida, atque Urbes a Latio usque ad Sabinos, Picentes, Pelignos, Samnites, Brucios, Lucanos, fortiter tremuere cum non levi ædificiorum damno. Dictus terræmotus eodem tempore, sed quasi insensibiliter, auditus est Neapoli, Venetiis, Tridenti. Die 18. ejusdem mensis Mantuæ, & Mediolani, & circa fines Galliæ Cisalpinæ. Pariter anno 1328. 1. Decembris, hora 1. noctis, terræmotu diruta fuit Nursia, quo quinque hominum millia periere: & oppida vicina quamplurima quassata fuere, ut referunt *Tarcog.* Hist. Mund. *Villan.* Hist. suor. temp. *Surdus* in discur. *Gherardaccius* Hist. Bononien. &c. A die 24. Januarii usque ad 25. pluit semper cum austris caput gravantibus, ut tot inter calamitates, & pluvias pene tæderet vitæ nostræ. Tunc derepente iisdem cessantibus, & Aquilone superveniente cum frigore, & gelu, diu desiderata, & suspirata in Cœlo apparuit serenitas, duravitque fere per quindecim dies. Indicto bis diebus Jubilæo universali, & satis amplo a Piissimo Sanctissimoque Pastore nostro Clemente XI. ne Roma ob contumaciam criminum evertatur, ut Sion, sed pœnitentia stet incolumis ut Ninive: *Roma enim civitas est Religionibus dedita, semperque Deorum indulgentiam pie merita*: prout etiam Ethnico *Plinio* memoratum fuit Paneg. ad Trajan. Cum cives quotidie in operibus pietatis exercerentur, ac pene securi viverent de præterita calamitate, en quod repentino tacta fulmine Roma, idest die 2. Februarii hora 18. graviori, vehementiorique concussa terræmotu, parum abfuit quin procumberet, & Posteris Dominam Gentium lapidum acervus indicaret. Cœlo ridente, & sereno quatiebatur Roma. Quirites inopinato percussi malo, mœsti, pallidi, trementes, horrore pleni, & calamitati Urbis Deo dilectissimæ illacrymantes, in fora, plateas, campos, vicinas villas turmatim confugiebant; ibidemque per plures dies sub Tabulatis, vel ex tela cereis pigmentis oblinita factis domibus, sive potius speluncis, aut Pastorum tuguriis dormiere.

Post duos dies nunciatum, eadem die, eademque hora tremuisse singula supradicta loca, & in ædificiis pessime conflita: ita ut Spoletum aliæque Urbes eidem vicinæ vix habitabiles sint, nisi singula ædificia trabibus suffulciantur. In hoc tamen secundo terræmotu, ceteris aliis graviora, ac pene funesta damna passa est Aquila urbs apud Samnites celeberrima in Regno Neapolitano septuagesimo circiter ab urbe lapide. Nobilis illa urbs eadem hora tota pene concidit, & fere tria millia Civium a ruinis oppressa sunt. Oppida circum eam innumera tremuerunt quoque, & alia ex illis diruta, alia ob ædificiorum rimas, & ruinas vix commoda habitationi judicantur. Secundus hic terræmotus eadem prorsus hora auditus est Neapoli pene insensibiliter, auditus quoque leviter Venetiis, & vicinis urbibus Galliæ Cisalpinæ: asseruntque apertum paulo post esse sulphuris foramen, sive hiatus terræ sulphureos in monte non procul a Tridento; alii vero dicunt in lacu Veronæ. Ex his concludendum, centrum primi terræmotus, sive primi ignis accensi in cuniculis terræ centralibus, fuisse in Nursia, Cascia, & Leonisa in Sabinis, quæ oppida conciderunt. Secundi vero in Aquila urbe apud Samnites, quæ pariter tota solo concisa est, adeoque Romam, reliquasque urbes per consensum dictarum tremuisse. Aquila Romam scriptum est, ibidem tota hac hyeme pluvias cecidisse copicas, quibus inundationes passa est multis ante annis non observatas, cum damno incredibili agrorum, riparum, fluminum, Pontium, Molendinorum, &c. Deinde tremuit Aquila die 14. Januarii hora secunda noctis 1703. denuo tremuit die 16. hora 21. Cum majori tamen damno; tandem, tertio tremuit fortissime die 2. Februarii hora 18. jam pulsata, & brevi momento tota corruit cum innumeris Oppidis, & Pagis adjacentibus, potissimum vero Pizzoli, la Barete, Arischia, Scoppita, Paganica, Tempera, Onda, S. Gregorii, S. Eusanii, aliisque cum excidio, luctu, calamitate quæ omni ævo deplorabili, nam fere hominum viginti millia his terræmotibus mortua numerantur, &c.

Quoniam vero hujuſmodi calamitates, & clades raro ſeriunt urbem, & ſi Roma caderet, non ſine lacrymis tutius terrarum orbis caderet, quia centrum caderet Univerſi: quid hiſce duobus terræmotibus hic acciderit, quid illorum prænuncium fuit, quid impoſterum ſignificent breviter enarrabimus. Primus terræmotus, quem præceſſerunt plurima ſupra relata, fuit levior ſecundo, atque ex eorum genere, quem vocant tremorem, ſeu ſuccuſſionem, aut fragorem. A primo ad ſecundum terra per dierum intervalla leviter tremebat, ſed die 16. tremuit paulo vehementius. Die 2. Februarii hora 18. jam pulſata, flante Aquilone, & Cœlo ſereno vehementer ſupervenit terræmotus, qui utpote inopinatus horrore, timoreque maximo Urbem replevit. Sol antea ſerenus, ſtatim poſt terræmotum, leviter obnubilatus, ac fere ſanguineo rubore perfuſus eſt, duravitque per duas circiter horas, quibus magis urebat, & exagitabat capita. Fuit hic ſecundus de numero eorum, quos dicunt undulatorios: nam parietes, ædificia, turres, ac domus undulabant hinc inde ad latera, ut navis ſolet, ſine magno fragore, & ſine ſtrepitu. Singulis pene civibus vertigo primum oborta eſt, & maxima capitis repletio; aliquibus, vomitus, aut moleſtia ſtomachi; deinde ſtatim ex undulatione domorum animadverterunt vertiginem a terræmotu eſſe, ut præcipue mihi accidit in Baſilica SS. duodecim Apoſtolorum via Quirinali, cujus baſilicæ campanariam Turrim altam nimis, ac ſolidam, undulare hinc inde ad latera vidimus, ut arbores ſolent vento motæ, nec deſiit undulatio, niſi elapſo ſemiquadrante horæ circiter. In actu terræmotus ſingulis pene vertigo primum ſupervenit; deinde tum eo die, tum ſequentibus caput repletum, dolens, turbatum, confuſum, cum ſenſu præcipue rei cujuſdam ſortiter conſtringentis circa tempora ſingulis remanſit, itaut plurimi adhuc de capite conquerantur, & plures apoplexia tacti derepente moriantur. Ob hanc forſan cauſam factum eſt, quod refert *Seneca* quæſt. nat. lib. 6. c. 1. *Nunquam viſam fuiſſe tantam ſtultorum, atque fatuorum quantitatem, quantam eo anno, quo terræmotu decidit illuſtris Urbs Pompejas in Campania nonis Februariis, Regulo, & Virginio Conſulibus, Nerone imperante.* Mentem autem ſummopere, & modo incredibili percuti his cladibus idem *Seneca* lib 6. cap. 29. animadvertit dicens, *Nec uſquam plura exempla Vaticinantium invenies quam ubi formido mentes religioni mixta percuſſit.* Ob metum terræmotus criſpata ſortiter vi imaginationis dura meninge, ſingulæ partium fibræ vehementiſſime criſpantur, & ob id in vultu Civium mæror, & pallor, facies attonita, & valde exſiccata, aut emuncta obſervatur: Mortui præ timore plures. Mulieres innumeræ abortum paſſæ ſunt. Et innumeris, ne dicam omnibus, menſtrua, vel ſuppreſſa ſunt, vel produnt difficulter. Sunt quæ diris tumoribus ventris, & doloribus uterinis ob nimiam, ſulidorum intenſionem, ac criſpaturam, vehementer divexantur. Denique pro varietate ſtatus, gradus, conditionis, & temperamenti Incolarum, ita illi mille variis corripiuntur affectibus, nempe ſtomachi, & capitis, tortura oris, pectoris inflammatione, & mille id generis, quæ pavor, & publica Urbium caldes parere ſolet. Taceo hic mille incommoda, quæ patiuntur Cives, tum obmoram in Campis, & apertis locis, qua de cauſa intempeſtivis frigoris, & caloris viciſſitudinibus obnoxii redduntur; unde plurium origo malorum; tum ob domorum quaſſationes, tum ob continuum mœrorem, quem vicinarum Urbium terræmotu preſſarum calamitas omnibus parit. Unde nil mirum ſi dicat *Seneca*, poſt graves terræmotus oriri ſæpe peſtilentiam, ſæpe vero inſolita, gravia, epidemica, & difficilia morborum genera: idque non ſolum ob præfata incommoda, propter quæ etiam in obſidione Urbium epidemicos graſſari morbos obſervamus, verum etiam ob halitus malignos, arſenicales, ac veneficos, qui e terræ abyſſis ignicis, mortiferis, ac veneniferis prodeunt, purum hunc, liquidumque, quem reſpiramus aerem maculant, & inquinant: & ob id ſexcentarum ovium gregem ſtatim poſt terræmotum Pompejanum in Campania extinctum eſſe narrat *Seneca lib. 6. cap.* 27. Die 3. Februarii hora circiter 21. denuo leviter ſuccuſſa eſt Urbs: ab illa die uſque ad 25. qua ſcribo fere quotidie terra, licet leviter, ſemel, bis, aut pluries tremuit.

Habent ſuam cauſam naturalem terræmotus: quare ut de iis, eorumque natura certi aliquid ſtatuamus, notanda ſunt ſingula, quæ ante, & poſt terræmotum in rebus naturalibus obſervavimus. Tota hæc hyems, ut diximus, pluvioſa eſt, & auſtris obnoxia continuis. Bis Tybris inundavit. Homo vivus prope Cloacam S. Spiritus in Saſſia, aperta derepente tellure, abſorptus fuit, elapſo Decembri 1702. & maxima diligentia quæſitus juſſu Magiſtratus, repertus nunquam fuit. In Latio pluribus in locis hujuſmodi hiatus ſive foveæ profundæ in terra factæ ſunt, ut plures Tritici mercatores mihi narrarunt. Mures magna in copia per domos his temporibus aberrabant. Anno 1687. Menſe Martii levis fuit terræmotus Neapoli, nocturno tempore, quo ibidem ipſe morabar, & fuit forſan prænuncius maximi illius, qui die 5. Junii, vigilia Penteceſtes, anno 1688. Neapolim peſſime tractavit, ſtratis humi pluribus magnis ædificiis, & præ ceteris alto, & & magnifico hæmiſphærio Templi Domus profeſſæ Jeſuirarum cum morte Civium quamplurimorum. Anno 1702. die 18. Octobris hora 24. circiter Roma, & Nurſia primo, ſed leviter, tremuere: hic primus tremor index forſan fuit ſecundi vehementiſſimi diei 14. Januarii 1703. quo Nurſia tota ſolo cecidit, & Roma in ædificiis mulctata eſt;

index quoque calamitosissimi, ac omnium vehementissimi illius, qui die 2. Februarii 1703. hora 18. Aquilam in Samnio prostavit humi cum oppidis innumeris, eidem vicinis: Romam, Urbesque propinquas, & innumeros Pagos in ædificiis maxime offendit. Post terræmotum Neapolitanum usque ad quadragesimum diem pluries terra sed levissime tremuit: post hos Romanos terra quotidie, præsertim 15. Februarii, hora 7. noctis, dum essem in suburbano, Roma tremuit, ac etiam Reate Urbs in Sabinis, non longe ab Aquila, quatuor ab hinc diebus vehementer tremuit cum aliqua ædificiorum ruina. Et cum de Reate sermo acciderit, curiosum est, quod de hac Urbe narrat; *Plinius lib. 2. cap. 94.* nempe in ejus agro adesse terram, quæ perpetuo tremit; quod his verbis expressit: *Quædam terra ad ingressum statim tremunt, sicut in agro Gabiensi, non procul Urbe Roma jugera ferme ducenta equitantium cursu: similiter in agro Reatino, in quo etiam Adsunt insulæ semper fluctuantes in aquis*: hæc ille l. cit. & cap. 95. Ante Neapolitanum, Vesuvius per plures ante annos siluit: secundo post terræmotum die tonare, murmurare, fulgurare cœpit, splendere noctu, flammas, ignitosque cineres vomere: eo igitur die cum duobus amicis ad Pontem Magdalenæ, qui quinque circiter milliariis a Vesuvio distat, concessimus, & noctu obscuro Cœlo hæc observavimus. In summitate montis, unde flammæ erumpunt, tota nocte splendorem igneum ad album tendentem notabamus: noctu per intervalla primo leviter tremebat terra, deinde statim subsequebatur fragor, sive elisio tormento Bellico similis, qua mons in ingentem altitudinem, modo emittebat cineres ignitos, modo ingentis & incredibilis magnitudinis ignita Saxa, quæ dum elevabantur per aera, adeo ignita, & lucida erant, ut viderentur esse syderibus similia: tunc decidebant ad latera montis, & undulando ad radicem ejusdem perveniebant: modo post tonitrua, sive elisionem, rivos ignis, sive bituminis ardentis vomebat, qui per dorsum montis descendebant: & præ nauseoso sulphuris odore, vix respirare poteramus. Aliquando murmurabat Mons ad instar merentis, ac lamentantis Ursi: per decem circiter dies hæc, & similia in eo post terræmotum evenerunt, tuncque quievit omnino. Ante terræmotum Romanum, dicunt Vesuvium multo tempore quievisse, & nunc relatum est ab Amicis post hunc nostrum terræmotum fumare, flammasque elidere.

Quæ autem his diebus Romæ acciderint narrandum. Ante primum terræmotum plurimi ingentem capitis dolorem, & noctu insolitum sulphuris odorem, sive ut ipsi dicebant, terebinthinæ ardentis, persenserunt. Post primum terræmotum 14. Januarii fere in omnibus puteis mutatio observata est. Puteus cujusdam Civis Romani ad radices S. Silvestri in Quirinali hæc attulit novi: crevit aqua fere ad decem palmos, & frequenter bullas ad superficiem emittebat, ut solet aqua dum in vase ebullit; in sapore parum mutata est, sed erat solito turbidior; ita elevata remansit post secundum terræmotum usque ad diem 10. Februarii, tunc decrevit ad pristinam altitudinem, & desiit bullas emittere. Aqua putei Domus PP. Somaschorum ad ædes Cæsarinas, via S. Andreæ de Valle, post primum terræmotum crevit ad duos palmos circiter, & amplius. Quatuor autem horis ante secundum terræmotum diei 2. Februarii ex limpida evasit lactea cum odore insuavi, & sapore mutato, & usque ad diem 15. Februarii, quo terra adhuc tremit licet insensibiliter, pristinam non obtinuit claritudinem, sed lacteus exiguus color perseverat, qualis observatur in aquis thermalibus sulphureis, vel mixturis sulphureis apud Pharmacopolas. Lactea etiam, & odore insolito imbuta, evasit aqua in puteo domus amici nostri via felici, quæ ducit ad quatuor fontes in Quirinali. Aqua putei domus viæ Moforii ad radices Capitolii turbida ante terræmotus semper erat, post hos limpida, & clarissima adhuc est. Cellæ vinariæ pluribus in locis sulphuris, sive therebintinæ odorem emittebant. Vinum in doliis, & æmophoris vitreis cum oleo in superficie repositum turbatum est. Magna foramina cloacarum Urbis in actu terræmotus, vehementem ventum, sive halitum emittebant. In cellis subterraneis non longe a foro Judæorum, in quibus mulierculæ Urbis lintea lavant rumor ingens auditus primo est, deinde statim exsiccatus fons, & loco aquæ a foramine fontis sibilus, ac ventus ingrati odoris per 14. horas exivit, & tunc guttatim aqua supervenit, id in quamplurimis fontibus observatum est. Puteis in quampluribus aqua aut turbabatur, aut extraneum saporem, aut insolitum odorem habebat. Ante secundum terræmotum manifestum sulphuris odorem persensit circa mediam noctem vir religiosus in Viminali non longe a Basilica S. Mariæ Majoris; & quotidie eundem odorem quamplurimi in Urbe persentiunt. Eodem momento secundi terræmotus referunt mare Latinum ad Tyberis ostia prope Portum per paucos passus a litore recessisse, & terræmotu finito statim rediisse: eodem quoque terræmotus momento Tyberis aquæ prope ostium ejusdem ad mare depressæ in alveo sunt, & paulo post denuo elatæ. Motus undulationis in secundo terræmotu diei 2. Februarii non solum Romæ, sed Aquilæ præ ceteris in Samnio vehementissimus observatus est: & ibidem plures domus in campis, aperta terra, a fundamentis eversæ, & prorsus humi stratæ sunt: quique homines in plateis erant, manifeste undulabant hinc inde.

In Villa S. Joannis prope Civitatem Regalem in Samnitibus e terra fumus sulphuris ignitus nunc exalare incipit: & pluribus in locis ubi fuerunt hi terræmotus, sulphuris odores persentiuntur.

Die

Die tertia Februarii, ideſt poſt ſecundum terræmotum duo agricolæ camporum foſſores, cum terræ fodiendæ incumberent, tam fœtidus ingrati, ſulphureique odoris halitus exhalabat ab ea recens effoſſa, ut capitis dolore, gravitate, ac vertigine correpti, domum ſtatim reverti neceſſarium eis fuerit: idque ſibi accidiſſe in agris extra portam Latinam ſancte affirmarunt.

Reate celebris Urbs in Sabinis vicinos habet binos montes cum intermedia valle, hæc prius ſicca, nunc poſt terræmotum plurima e montibus prædictis terra præcipitata in eam, ita inundat aquis, ut pene in lacum mutata ſit,

Aquilæ, Nurſiæ, aliiſque in locis Umbriæ, & Samnii, in quibus fuit terræmotus, paſſim tellus in rimas diſciſſa obſervatur, ex quarum non ullis ſulphuris, ac bituminum mali odores exhalant: & Aquila Viri fide digniſſimi ſcribunt pluribus in locis ex aperta poſt terræmotum terra ſulphur, & ignem exhalare.

In Samnio caveæ extant in campis igneum ſulphur emittentes, & adhuc ſub terra frequenter veluti ſclopetorum eliſiones ſentiuntur: Nuper hujuſmodi eliſionem ſub terra perſenſit Vir religioſus in colle ad ædem S. Balbinæ, Romæ.

Atque hæc circa effectus naturales his diebus obſervatos præfatis in locis, in quibus hæc dira accidit calamitas, dum viginti & plura hominum millia in iiſdem periere ſub ruinis: Longum eſſet hic recenſere effectus ſingulos a terræmotu productos in ædificiis, fontibus, puteis, cloacis, & villis Urbis, nam innumeri ſunt, ac varii. Romæ, licet ea fortiter tremuerit, nullum tamen cecidit ædificium, & nemo mortuus ſub ruinis. Domus tamen innumeræ labefactatæ ſunt, & fere bis mille uſque ad hanc diem trabibus ſuſtentantur, ne corruant: in actu terræmotus ingentes, & altæ Eccleſiarum teſtudines lapideæ tremebant, & undulabant hinc inde, fornices Eccleſiarum, potiſſimum Eccleſiæ S. Auguſtini in medio leviter ſeparabantur, & iterum connectebantur: ædificia deductis angulis moveri, iterumque componi, & ſtringi viſa ſunt, ut præ ceteris factum eſt in angulo externo palatii Oratoris Veneti ad S. Marcum, in fine Flaminiæ. Inter ædificia Urbis hæc præ ceteris rimas, & damna paſſa ſunt. Teſtudines ſeu hæmiſpæria Eccleſiarum S. Andreæ prope collegium Urbanum de propaganda fide, S. Mariæ in Vallicella, Templi Domus profeſſæ PP. Jeſuitarum, S. Laurentii, & Damaſi, in cujus fornice ingens ferrea catena rupta eſt, demum Archivum curiæ in Monte Citatorio, & alia quamplurima Urbis palatia, ac ædificia.

Cum plures his diebus Auctores legerim, qui de terræmotibus aliquid memoriæ conſignarunt, animadverti, poſt terræmotus inter alias res naturales in aquis manifeſtata fuiſſe eorum ſigna, ideſt, præceſſiſſe ingentes inundationes aquarum viis, turbationem aquarum putealium cum ingrato, inſolitoque odore, inſolitam maris ſine ventorum agitatione intumeſcentiam, denique turbationem ac tumeſcentiam fluminum. Sic in maximo illo terræmotu Ferrariæ anno 1570. Padus nobile flumen Italiæ pluribus ante diebus maximopere cum aquarum ingenti turbatione intumuit; ſicque in aliis fluminibus idem notatum eſt ab Auctoribus quamplurimis non vulgaris notæ: ac ſæpe poſt terræmotum annonæ caritates, & peſtilentiæ ſucceſſerunt tum Romæ, tum alibi.

Et ut graviorum terræmotuum quibus Roma poſt Chriſtum natum vexata fuit notitia brevis habeatur, eos nunc referam quam breviſſime. Anno 1. quo natus eſt Chriſtus 2. 3. & 7. Roma tremuit; *Paul. Merig. l. 7.* Anno Chriſti 15. *Seth. opſc. chronolog.* anno 20. quo Theatrum arſit Pompeji; *Morig. lib. 7.* Anno 27. quo amphitheatrum corruit Fidenæ; *Sabell. lib. chron.* anno 7. In morte Chriſti tremuit terra. *S. Matth. cap. 27. verſ. 51.* Anno Chriſti 53. & 56. Romæ, Neapoli, & per totam Italiam. Anno 85. tempore S. Cleti Papæ fere tota corruit Roma; imo pejus anno 94. teſte *Bard. Chronol.* Anno 100. Romæ terræmotus fuit, & uſque ad Antiochiam, ubi Cæſar Trajanus tunc morabatur pervenit, *teſte Dione.* Anno 117. 139. 141. terræmotus, & Cometes fuere; *Bozz. de fig. Eccle. Deit. 2. c. 3.* Anno 148. intumuit nimium Tybris, tremuit terra; mare mediterraneum uſque ad montium ſummitates aquas jaciebat, ex *Dione.* Annis denique 173. 174. 223. 258. 336. & 344. 349. ſed 382. cum horrendo Comete. 477. perduravit. 40. diebus. 586. cum inundatione Tyberis, & horrenda peſtilentia. 677. 790. Conſtantinopoli, & 789. Romæ. 800. tempore Caroli Magni dum eſſet Spoleti menſe Aprilis hora 2. noctis. Ita 896. 911. 1000. 1004. ſed 1005. duraverunt a Januario ad Martium 1100. 1116. 1143. 1198 ſed 1231. horrendi fuere per omnes alpes ſpatio menſis cum turbatione, & fœtore aquarum fontium. 1292. 1321. quo anno Venetiæ quaſi ſubmerſæ fuerunt. 1328. quando Nurſia, ut jam innuimus, tota corruit. Anno 1348. omnium terræmotuum Romæ fuit vehementiſſimus, ſedente Clemente IV. Pont. Max. ut refert *Bzovius anal. eccleſ. tract. 14. ad annum 1348. num. 16.* Sed anno 1349. 10. Septembris iterum vehementiſſime erupit, & poſt deſtructam Neapolim, ac pene Romam, per totam divagatus eſt Europam, ita ut iſto gravior non ſit auditus ab orbe condito, teſte *S. Antonino lib. 3. Chronol.* Pariter anno 1350. fuit etiam horribilis Romæ ex *Gonzola: Hiſt. profan. deciſ. 5. lect. 14.* Anno 1353. 1355. &c. Ultimus Romæ terræmotus, iſque graviſſimus fuit 17. Martii 1403. ſedente Bonifacio IX. His igitur annis ſupra relatis, nempe poſt Chriſtum natum, auditi ſunt Romæ terræmotus cum malis ſignis, vel ſubſequentibus, ut referunt *Bard. Chron. Girard. Bzovius, Baronius, Nicephorus, Sethus, Riccioſus,*

ciolus, *& alii*. Taceo alios terræmotus ante natum Christum, de quibus apud *Livium*, *Obsequentem*, & alios. Post annum 1403. licet aliquando tremuerit Roma, levissimus fuit motus, ac per levem consensum Urbium adjacentium. Præsens tamen terræmotus, de quo nunc scribimus, inter vehementes, & valde graves est profecto connumerandus.

Sed quod damni passi non sumus, ut aliæ Urbes, ita vehementer in ædificiis, vereor summopere ne patiamur in salute: nam post terræmotus solent morbi graves epidemici, & quandoque pestilentes (quod Deus avertat) regnare, ut *Seneca*, aliique referunt: idque ob tœdos, veneno sos, ac pestiferos e subterraneis specubus, ac mineris exeuntes per terræ concussionem vapores. Ad quod præcavendum iisdem remediis, eademque methodo utendum quam in arcenda peste adhibemus, ut ex Medicorum libris abunde innotescit.

Et cum de mineralibus hic inciderit sermo, ipse in ea sum opinione, omnia pene remedia ex mineralibus petita esse minime tuta, ne dicam venefica, sulphur namque in omnibus mineralibus, & metallis, est veneficum, excepto sulphure auri, & argenti inter metalla perfecta, & ferri inter imperfecta: hocque sulphur ex auro, & argento elicere posse difficilimum est, quicquid alii credant: præter innatum sulphur veneficum, aquirunt ea aliud longe pejus a menstruis rodentibus, quibus solvuntur: & dulcores ea quantum velis, lotura, vel alio artificio, nunquam deponunt venenositatem, ideo noxia sunt, & damnabilia id generis remedia: & si aliquando boni effectus ex iis observantur, irritationi ipsorum, sive casui, non vero præstantiæ, ac utilitati adscribendum: quare *Batavus* ille, de quo ad nos scripsit *Palitius* noster, si artificium aliquod habet separandi sulphur veneficum a metallis, & extinguendi partem ejus arsenicalem, habebit certe clavem lapidis Philosophici, & pro tam ingenti beneficio habebit sibi perpetuo omnes orbis incolas obstrictos.

Ex supradictis itaque deduci potest, aquas subterraneas præsertim puteorum, quando mutantur in colore, odore, sapore; & altitudine, quam servabat ad vas, in quo continentur, indicio esse posse eorum, quæ futura sunt circa terræ tremorem: nam inter effectus naturales in Urbe animadversos, hic aquarum putealium est omnium præcipuus, & memoria dignus; cujus rei curam etiam habuisse Antiquos docet *Plinius* lib. 2. cap. 79. his verbis: *Perhibetur, & Pherecydis Pythagorei alia conjectatio, sed & illa divina; hausta aqua e puteo præsensisse, ac prædixisse ibi terræmotum: quæ si vera sunt, quantum a Deo tandem videri possunt tales distare dum vivunt, &c.* Neapoli quoque familiaris, ac popularis est hæc observatio, gustu ac odore aquæ putealis futurum terræ tremorem in locis circa Vesuvium prænoscere, ut incolæ fide digni referunt. Anaximander Milesius Lacedæmoniis terræmotum prædixit teste *Plinio* l. c. Et idem paulo infra nempe cap. 81. hæc signa recenset futurorum terræmotuum dum ait: *Navigantes quoque sentiunt non dubia conjectura terræmotum, si flatu scilicet intumescente, maris fluctu, subito, aut quatiente ictu. Intremunt vero, & in navibus posita aque, ac in ædificiis, crepituque prænuntiant. Quin & volucres, non impavida sedentes sentiunt. Est & in Cælo signum, præciditque motui futuro, aut interdiu, aut paulo post occasum sereno, tenuis ceu lanea nubes in longum porrecta spatium. Est & in Puteis turbidior aqua, nec sine odoris tædio, &c.* Et idem *Plinius* loc. c t. cap. 80. idem prosequitur argumentum, dicens: *Noctu sæpius, quam interdiu fiunt terræmotus: maximi autem existunt matutini, & vespertini, sed propinqua luce crebri. Interdiu aut circa meridiem fiunt, & solis, lunæque defectu quoniam tempestates tunc sequuntur. Præcipue vero cum sequitur imbrem æstus, imberve æstum, &c.*

Meminit superius *Plinius* laneæ oblongæ nubis, sive trabis cœlestis, quam futurorum terræmotuum prænunciam dicit: trabs hujusmodi cœlestis visa est Romæ 1702. 2. Martii in signo Cœte a doctissimo, amicissimoque *Præsule Bianchino*, & a pluribus aliis, coloris erat pallido-obscuri, & tenuissimi adinstar veli, ut vix percipi potuisset, duravitque per paucos dies.

Dominus *Cassini* celebris Astronomus Italus anno 1668. principio Martii hoc idem phænomenon, fere persimile trabi Cœlesti in eodem signo Cæte observavit: pluresque alii in aliis locis, & in Africa idem perspexerunt, ut narratur in Diario Literatorum, Romæ, anno 1669. & 1670. Dominus *Cassini* in opuscolo edito tunc Bononiæ citat *Aristotelis* locum, in quo describit simile phænomenon trabis Cœlestis in eodem signo Cæte initio veris observatum.

Anno 1702. 20. Aprilis visus est Romæ Cometes in signo Aquilæ, & Sagittæ, Germaniæ quoque fere eodem die, vel sequente in dictis signis fuit observatus, ut citatus mihi retulit eruditissimus *Blanchinus*, quem in hoc libro superius laudavi.

Ita terræmotuum procella animos Romanorum fortiter exagitaverat; & hæc una in ista Civitate fabula erat quotidie.

Luctus ubique, pavorque, & plurima mortis imago.

Igitur non abs re erit narrare casum, qui tertia die Februarii præteritis acerbitatibus adjunctus fuit. Ante meridiem hujus diei ferebatur hinc inde sermo, quod fatale exitium omibus instabat, & quod antiquissimæ Urbi ingruebat ruina. Media nocte ejusdem diei perditi quidam & scelestissimi homines Vicos, & Compita ausi sunt percurrere, & omnes pene domorum fores pulsare, incolasque vix præ metu quiescentes excute-

cutere, & a ſomno excitare : quibus improviſo impetu tremefactis, & tunc opinione quadam peſſima omnia metuentibus, volitantium huc illuc hominum, & publicis timoribus bacchantium hæ voces audiebantur, oraculum eſſe editum a ſummo Pontifice, quod hora decima ejus noctis univerſa Urbs eſſet peritura, quodque ultimus Incolis adſtaret dies; proinde fuiſſe ab eodem ſancte decretum, ut omnes in apertum illico decederent, & ſuæ quique conſuleret ſecuritati. Romani intempeſtivis hujuſmodi vocibus perterriti, & incerti, ignarique quid facerent, trepidare primum, deinde ſtupentes, ac pallidi ad Fora, ad Compita, & qua locus apertior erat fugere cœperunt. Plebs prout eſt ad credulitatem pronior, prior diffugit : alii poſtmodum aliorum ordinum homines vitio gentis humanæ, non quod faciendum erat, ſed quod alios facere videbant ſine ordine, & ſine conſilio effugium captavere: ita ut ex Incolis vix tertia pars domi remanſit. In hujuſmodi fuga quis terror, quæ vitæ ſollicitudo, quæ concurſatio fuit!

Hæc facies Troja cum caperetur erat.

Fuerunt qui vitæ tantum memores, aliarumque rerum omnino immemores, recluſa domorum oſtia reliquere. Quidam vix induſio, & ſolo palliolo tecti ad fora præcipites abibant.

Non apta profugo veſtis, opiſve fuit.

Nonnulli inter fugiendum filios, quos comites ærumnarum ducebant, inæquali paſſu incedentes, ut celerius ſequerentur miſerabili voce ſollicitabant. Alii confectum ſenio patrem ne ruina opprimeretur, vel manu traxere, vel humeris peramanter impoſuere, illud forſan Æneæ uſurpantes :

Jam jam nulla mora eſt, ſequor, & qua ducitis adſum,
Di Patrii ſervate domum, ſervate Nepotem,
Veſtrum hoc augurium, veſtroque in numine Troja eſt.
Cedo equidem, nec, Nate, tibi comes ire recuſo.
Ergo age, care Pater, cervici imponere noſtræ,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit,
Quo res cumque cadent unum, & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit.....

Reliqui, qui Capitolium, qui Delubra, qui antiquiſſima, & religioſiſſima Templa, & ſublimia tecta retroſpiciebant, putavere non amplius unius horæ abeſſe ab horum omnium deſolatione, ideoque denunciatæ cladi commiſerantes infeſtam tantæ Urbi ſortem obnixe imprecabantur. Mulieres cum iu apertum jam eſſet deventum, ſparſis turpiter crinibus, & cum clamore, & gemitu pectora ferientes, edebant cum lacrymis ad Deum preces, & infantulos, quos ſecum detulerant, e mammis avertentes, illos ad Cœlum tendere non deſinebant, Divinam opem trementi ore imploraturæ. Hoc unum ſingulæ depoſcebant, ut ſcilicet iram, ſuis debitam ſceleribus, ſaltem ab infantum, & humilium innocentia averteret. Undique preces, undique complorationes, undique ſuſpiria. Hæc inter pericula concuſſis mentibus, & excidium expectantibus, fatigabat quempiam amara cogitatio, quem in locum, aut quam in urbem eſſet ſeſe, & familiam ſuam recepturus.

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

Ubi autem delata hæc fuerunt ad urbis Præfectum, is idem pro ſpectata quam apprime in gubernando adhibet ſedulitate, juſſit illico, ut miles, & ſatellites vias circuiret, & muniret domos, ne perditi aliqui homines in tectis jam deſertis graſſarentur. Populo interea renunciatum fuit, latronum ſtudio, non Pontificis oraculo voces illas prodiiſſe : adeoque intercepto ſtatim ſpiritu, metu excuſſo, domum ſuam quiſque reverſus eſt. Et quamvis plura oſtia patentia remanſere, verum nemo in rebus ſuis quicquam detrimenti accepit. Mirum tamen eſt, quod auctores confuſionis hujuſmodi detecti adhuc non ſint, etſi per Magiſtratum diligentiſſime perquiſiti, ideoque non ſolum apud plebem, verum & apud plures cordatiſſimos viros opinio eſt non hominum, ſed dæmonum opera, perturbationem hujuſcemodi partam fuiſſe : etenim eadem nocte, & eadem fere hora, non tam in ſuburbiis, quam in oppidis ab urbe per multa milliaria diſſitis, vox imminentem ruinam denuncians, audita fuit. Ne autem talis in tanta Civitate eventus, &

..... *Illius triſtiſſima noctis imago*

admirationem poſteris afferat; non abs re erit ſimilem caſum hic adnectere, qui Conſtantinopoli poſt maximum ibi terræmotum ſucceſſit, quem refert Baronius his verbis. *Noctis initio viſa eſt ignea columna, primo parva, deinde paulatim creſcebat, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor ſulphureus deerat. Omnes ad Eccleſiam confugiebant, Baptiſmum quiſque extorquebat, a quo poterat, non ſolum in Eccleſia, ſed etiam per domos, per vicos, ac plateas ſalus ſacramenti exigebatur, ut fugeretur ira, non præſens utique, ſed futura; attamen poſt magnam illam tribulationem, ubi exhibuit Deus fidem verbis ſuis, & revelationi ſervi ſui cœpit, ut creverat, minui nubes, paulatimque conſumta eſt.*

Populus ſecutus paululum factus iterum audivit omnino eſſe migrandum, quod Civitas eſſet proximo ſabbato peritura. Migravit cum Imperatore tota Civitas, nemo in domo remanſit, nemo domum clauſit, longe recedens e mœnibus, & dulcia tecta reſpiciens, relictis cariſſimis ſedibus voce miſerabili vale fecit. Et aliquos milliariis tanta illa multitudo progreſſa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum ſubito vidit, & vocem magnam emiſit ad Deum :

tandem

vidit, & vocem magnam emisit ad Deum: tandemque tranquillitate conspecta, missis, qui renunciarent sollicite, qua praedicta fuerat hora transacta, & renunciantibus, quod salva universa moenia, & tecta consisterent; omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quidquam perdidit patente, sed omnis homo sicut dimisit invenit, &c. Haec Baronius ad ann. 396. tempore Siricii Papæ anno secundo, & duodecimo Arcadii, & Honorii Imp. ex *Marcellino*, & *Prospero* in Chronic.

Hujus generis timorem panicum successisse Faventiæ ann. 1592. terræmotus causa clare ostendit *Ludovicus Zuccollus* dialogo de Terrore Panico; ubi de pluribus hujusmodi urbium, aut exercituum terroribus repentinis, eorumque causis docte satis & erudite discurrit.

Hujus pariter infelicissimæ nostræ noctis imaginem ad vivum delineatam habebis in *Tacito* lib. XV. annalium ab excessu divi Augusti, cum Neronis jussu conflagrabat, ardebatque Roma; Populo, & Quiritibus ea flammarum nocte miserè oppressis, & terrefactis, ut apud eundem *Tacitum* unusquisque conspiciet.

Sed dum haec agebantur in terris, quid eodem tempore fieret in Cœlo Planetarum, anno novo, initio sæculi infelicissimi memoriæ, & posteritati consignemus. Anno 1701. die 17. Maji Saturnus cum Jove conjunctus est partialiter, & plures menses ita conjuncti remanserunt, ac retrogradi. Hoc eodem anno 1702. 2. Martii visa est Romæ cœlestis trabs in signo Cete, & 20. Aprilis Cometes in signo Aquilæ, & Sagittæ, ut supra retulimus. Cometas sæpe prænuncios esse terræmotuum testis inter alios est *Aristoteles* in terræmotu Acajcæ urbis celeberrimæ. Idem *l. 2. methror. c. 7.* tenuem nubem, sive oblongam nebulosam trabem, in occasu solis visam, inter eorundem futura signa recenset.

Die 14. Januarii 1703. fuit conjunctio Martis cum Saturno: tremuitque tunc valide terra, donec Mars pervenit ad Jovem. Die 2. Februarii fuit æquidistantia Saturni, & Martis a Jove, intra sphæram orbis singulorum trium, & obsessio Jovis in medio a duobus maleficis in prima facie Arietis signi malefici, & domus Martis: eoque die vehemens subsecutus est terræmotus in locis præcitatis. Conjunctio trium omnium fuit partialis inter 19. Januarii, & 2. Februarii, qua die potissimum singuli tres in æquidistantia observabantur circa meridiem.

Hic fuit trium superiorum Planetarum his diebus aspectus, & celebris, ne dicam, memorabilis, initio sæculi infelicissimi, tot ante annis prævisa conjunctio. Astrorum periti multa circa hujusmodi conjunctiones, eorumque eventus fabulantur. Sed minus certe, nam Pater luminum, *qui dedit vocem suam, & mota est terra*; quique Cœlum movet, & sydera, solus futuri temporis certos eventus prævidet. Cumque Astrologia judiciaria ab Ecclesia Romana, (pro qua si oportuerit vitam dare, non recusavero) damnata sit, in hisce recensendis non amplius immoremur.

Sed ut exacta, ac fidelis habeatur notitia eorum, quæ his terræmotibus acciderunt in Samnio, Regni Neapolitani Provincia, ditioni Ecclesiasticæ finitima, nec non in urbibus, & oppidis Ecclesiasticæ ditioni subjectis, decrevimus hic addere epistolas, ac narrationes historicas, hac de re a Regis Ministris, & jussu publico scriptas, ac Romam ad principes viros transmissas.

Exemplar Epistolæ Romam missæ Excellentissimo Duci de Uzeda Oratori Catholico a Ministro Hispano, quem Pro-rex Neapolis Aquilam dimiserat ad damna exploranda, terræmotuum praeteritorum causa producta, ab Italico sermone a nobis latine fideliter reddita.

NObilis, dives, & vetus urbs *Aquila*, caput Provinciæ Samnii, quæ ob magnifica Templa, & sublimia Palatia, ob Nobilium numerum, & divitias inter ceteras Regni Neapolitani urbes illustrior erat tota jam diruta est, & solo æquata, nec aliud extat in eadem, quam facies templi Divi Bernardini, & exteriores Castri munitiones, cum reliqua ædificia jam conciderint. Multi homines periere, & numerantur bis mille, & quingenti; ducenti, & amplius vulnerati: magna copia mobilium, divitiarum, annonæ, animalium sub ruina remansere.

Oppidum *Paganica* nuncupatum, dirutum est, & solo æquatum, adeo ut inhabitabile sit redditum, septuaginta homines periere, & nonnulli vulnerati fuere cum jactura supellectilium, divitiarum, annonæ, & animalium.

Pagi, & Oppida omnia, quæ subsunt jurisdictioni Aquilæ, ascendentia ad numerum 36. penitus sunt diruta, ac eversa, cum funere mille hominum, & amplius, & quadringentorum circiter vulneratorum, cum jactura annonæ, supellectilium, & animantium.

Oppidum *de Arischia*, cujus incolæ erant bis mille, omnino dirutum ac eversum, redditum est inhabitabile, cum omnia ædificia conciderint. Periere qnadringenti homines, centum vulnerati fuere cum magna jactura annonæ, supellectilium & animantium. Incolæ, qui antea erant divites, post terræmotum miseri evasere.

Oppidum *del Colle*, quod incolebant bis centum familiæ, totum corruit, & omnes pene incolæ periere, paucique illi, qui superstites fuerunt, vulneribus sunt affecti cum jactura annonæ, supellectilium, & majoris partis animantium, quæ possidebant. Mons quidam nuncupatus *del Grillo*, qui erat in territorio dicti oppidi sese detrusit & occultavit, nec amplius mons est, sed planities: & fons, qui erat in vertice alterius montis prope præfatum *del Grillo* ad planitiem descendit longe a dicto vertice. Porro ex duobus parvis montibus

tibus inter fines ejuſdem oppidi *del Colle* poſt terræmotum unus factus eſt. Tellus ibidem ſciſſa eſt per duo circiter milliaria, & in conſpectu pecuariorum quaſdam pecudes abſorpſit.

Oppidum *de' Pizzoli* majori ex parte corruit, & domus quæ adhuc extant, ſunt inhabitabiles, periere ducenti homines, viginti fuerunt vulnerati. Mons in dicto oppido nuncupatus *Rutigliano* ſciſſus eſt, & impervius redditus. Prope Moleſtrinam dicti oppidi, ubi tenuis quidam amnis delabitur, duæ voragines apertæ ſunt, alterutra lata eſt ſexaginta paſſus, & exinde vehementer tunc effluxit aqua, & adhuc effluit cum impetu, & elevatur in area ad altitudinem populi; ſulphurea eſt, ac coloris lactei, & lapide in magna copia ejecti ſunt, & præfatæ voragines adhuc etiam ejuſmodi aquam ejiciunt cum magno fragore.

In terræmotu 2. Februarii oppidum Montis Regalis, & vicini campi, erumpentibus derepente novis aquis e tellure, fere ad cubiti altitudinem inundati fuere. Aquæ erant ſaporis ſalſuginoſi.

Inter Villas Luculli, & Tigilli aperta eſt nimium tellus, fumat, fulguratque ut mons igni-vomus, ſed poſt paucos dies omnia evanuere. Ibidem novus lacus emerſit, & quotidie dilatatur cum maximo incolarum timore.

Oppidum *de Alberete*, ubi degebant centum familiæ, dirutum integre eſt, nec incoli poteſt; perierunt centum homines, vulnerati ſunt viginti cum jactura totius annonæ, ſupellectilium, & animantium.

Pagus *de Sancta Polina* ubi degebant centum quinquaginta familiæ dirutus omnino eſt; & ſolo æquatus. Periere octoginta homines, & plures alii vulnerati fuere cum magna jactura annonæ, ſupellectilium, & animantium.

Oppidum *Montis Regalis*, quod incolebant ſexcentæ familiæ, & ſub cujus Juriſdictione erant alii 36. pagi, & oppida, ubi habitabant ſex millia hominum, omnia hæc diruta ſunt, & ſolo æquata, nec domus una extat, quæ coli poſſit: periere quingenti homines, fuerunt vulnerati centum quinquaginta cum incredibili jactura Annonæ, divitiarum, ſupellectilum, & animantium.

Oppidum *Civitatis Regalis*, ubi degebant centum quinquaginta familiæ corruit integre, & ſolo eſt æquatum cum nonnullis oppidis ac pagis ſuæ Juriſdictionis, & interitu quingentorum hominum, ac quinquaginta vulneratis. In locis hujuſmodi, dum ædes ruebant, accenſus in eiſdem eſt ignis, qui gravius damnum peperit, cum jactura annonæ, ſupellectilium, & animantium. Inter fines ejuſdem oppidi ſciſſa eſt tellus ſpatio unius milliaris cum dimidio.

Oppidum *de Matrice* cum aliis nonaginta pagis, & oppidis ſuæ juriſdictionis, cum magna horum parte corruit, interitu ducentorum hominum, centum, & amplius vulneratis, & magna jactura annonæ, ſupellectilium, & animantium.

Oppidum *de' Romoli*, ubi degebant tercentum familiæ, totum pene corruit; ita etiam quatuordecim pagi, & oppida ſuæ juriſdictionis magna ex parte ſunt diruta. Periere tercentum homines, vulnerati ſunt ſexaginta cum jactura annonæ, ſupellectilium, & animantium.

Oppidum *della Leoneſſa*, ubi degebant quadringentæ familiæ, ita fuit concuſſum, ac dirutum, ut omnes muri ædium fuerint contriti, adeo ut non extet murus altitudinis quatuor palmorum: cum omnes domus vehementiſſima vi terræmotus a fundamentis avulſæ fuerint. Eadem ruina evenit viginti Pagis ſuæ Juriſdictionis. Periere mille homines, & quamplures fuere vulnerati cum jactura annonæ, ſupellectilium, & plurium animantium; Ibidemque obſervandæ dantur res horrorem incutientes; cum quingentæ, & quadraginta duæ domus numeratæ ſint, quæ fuerunt everſæ, & a fundamentis evulſæ, ita ut earum fundamenta, nunc tecti locum ſibi vindicent, ideſt quod antea fundamentum domus erat, nunc ordine mutato, avulſis fundamentis, pro tecto inſervit, quod maxima commiſeratione reſpicitur.

Oppidum nuncaptum *della Poſta*, quod incolebant mille, & ſexcenti homines integre corruit, & inhabitabile nunc eſt. Periere quingenti, & quatuor homines, vulnerati fuerunt centum: cum jactura annonæ, ſupellectilium, & animantium, & in via dicti oppidi conſpiciuntur lapides magnæ molis, qui a montibus cecidere. Atque etiam ad radices cujuſdam montis effluxit noviter lacus, cujus effluxus adhuc perdurat. In culmine alterius montis aderat quædam planities, quæ longitudinem quadrantis milliaris occupabat; planities hæc poſt terræmotum in talem deſcendit profunditatem, ut vix conſpici poſſit & ubi planities erat, nunc abyſsus eſt.

Oppidum *de Antrodoco*, ubi degebant mille, & octingenti homines quorum tercentum periere, quinquaginta vulnerati fuerunt, penitus corruit, ac ſolo æquatum eſt.

Oppidum *de Barbone*, ubi aderant ducentæ, & triginta quinque familiæ, magna in parte dirutum eſt, cum interitu ſeptuaginta hominum, & viginti ſex vulneratis; cum magna jactura annonæ, mobilium, & nonnullorum animantium.

Oppidum *de Berghetto*, quod centum collebant familiæ, dimidium corruit, cum interitu triginta hominum, nonnullis vulneratis, & morte nonnullorum animantium.

Oppidum vulgo *Civita Ducale* in domibus aliquantiſper labefactatum eſt, quarum quatuor cecidere.

Oppidum nuncupatum *Pendenza* ſolo æquatum cum interitu paucorum hominum.

Oppi-

Oppidum *Sancti Angeli* dictum, magna ex parte in dominus labefactatum est, cum exiguo hominum damno.

Oppidum de *Lungano*, ubi incolebant centum quinquaginta familiæ, integre dirutum est, cum interitu centum quinquaginta hominum, ac nonnullis vulneratis, cum jactura annonæ, supellectilium, & animantium.

Ex quibus, calculo facto, deducitur, quod homines, qui periere in præfata provincia Samnii in hoc regno, excedunt numerum sex millium: vulnerati, & membris capti, ac debilitati superant numerum quatuor millium, & quinquaginta: damnum ab hujusmodi terræmotu illatum tanti ponderis est, ut computetur attingere valorem bis centies, & centenorum millium, *idest* 12. *millionum ducatorum*

Ex Campis Aquilanis in Samnio 10. Februari 1703.

Series Urbium, oppidorum, & pagorum tam in Samnio Regni Neapolis, quam in locis ditioni Pontificiæ subditis, qua præteritis terræmotibus damna, & ruinas passa sunt, excerpta ex diario Neapolitano, jussu Proregis typis dato a Bulifonio Bibliopola 1703. Neapoli.

ANtequam hujusmodi locorum seriem in diario Bibliopola præfatus exposu sset, plura de terræmotu Aquilæ in Provincia Samnii retulit, quæ quoniam clarius, & distinctius, a nobis in antecedenti descriptione exposita sunt, non est visum ea denuo hic repetere: sed tantummodo hæc sequentia addere, a diario prædicto excerpta, scilicet.

In Samnio post terræmotum, qui accidit 14. Januarii tellus dietim tremebat ita frequente, & cum fragoribus subterraneis, tam horridis & formidandis, ut visum fuerit universum orbem corruere debuisse.

Tantis, ac talibus ærumnis adjungitur etiam per aliquod tempus defecisse inibi aquam; eandem infelicitatem passa sunt innumera alia loca Samnitiæ provinciæ, in qua nil aliud respicitur, quam lapidum acervus, & muri ruinam minitantes. Refert quidam Pater Cappuccinus ipsummet vidisse tempore terræmotus inter Fanum, & Montem Regalem moveri motu vehementi quatuor montes, magnæ molis lapides cadere, & paulo post aperiri horribilem voraginem ignis inter hujusmodi montes: exinde inter Montem Regalem, Fanum, eorumque Pagos exurgere tria magna flumina efformantia in planitie illorum agrorum lacum quemdam: postmodum aquam hora vigesima tertia ejusdem diei statim evanuisse.

Nomina Urbium, & locorum.	*Defuncti.*
Aquila diruta.	2400
Albeto diruta.	38
Aventinum redditum inhabitabile.	45
Aliema inhabitabilis.	30
Anascelli, Tusci & Ognata.	50
Apriedo.	12
Albanetum solo æquatum.	16
Albaretum cum suis Pagis.	
Andridocum labefactatum.	
Antone solo æquat.	80
Arguato labefact	15
Arischia pene dirut.	350
Bisiglieti pene dirut.	
Bagno labefact.	
Boschetto omnino sub ruinis.	
Busli labefact.	
Barbone cum suis suburbiis. sub ruinis.	
Belforte dirut.	18
Belvedere omnino dirut., & fere omnes ejus habitantes mortui.	
Buta Solo æquata ac evulsa a fundamentis ita ut cadavera e sepulcris vis terræmotus foras ejecit.	12
Bacugno dirut. & a fundamentis evers.	150
Barese labefact.	
Camerinum labefact.	
Casanova graviter labefact.	
Cerretum labefact.	
Castrum vetus inhabitabile redditum.	
Cascia cum suis Pagis penitus eversa, solum extat Monasterium Monialium S. Luciæ.	60
Civita di Cascia dirut.	20
Coronelle.	12
Castrum novum.	150
Chiavano.	30
Campana.	
Castrum S. Joannis inhabitabile reddit.	
Cresela.	
Colle pecchi evers.	35
Cuttumola evers.	4
Civitas Realis in qua terræmotus perduravit per dimidium horæ; quapropter a fundamentis eversus est Conventus PP. S. Francisci; minime dignoscitur ubi extabat, nec amplius quam decem homines a ruinis evasere.	1600
Cagnanum cum suis Pagis.	
Commoli dirut.	16
Sanctus Euphanius, lo Foglianum pene dirutum.	
Fosium Montis regalis omnino eversum.	7
Fulgineum.	
Fanum ex parte dirutum, perduravit terræmotus pene per quadrantem horæ.	12
S Gregorii Oppidum Intrium.	12
Leonissa majori ex parte diruta.	60
In suis Pagis.	400
Lementana.	
Monte Sanctum	
Meciale diruta.	
Montebusum dirut.	12
Monteglianum eversum.	168
Monte leone, omnia prope Templa diruta.	7
Maranum omnino evers.	
Mons Regalis dirutus, & a fundamentis eversus.	80
Ejus Pagi omnes corruere, & numerus defunctorum ignoratur.	
Matrix pene dirut.	25

Massiu-

Nomina Urbium, & locorum.	*Defuncti.*
Maſſiuci.	
Maſcione integre dirut.	
Marazzum ſolo æquatum.	
Nurſia in Sabinis ſolo æquata.	1700
Ognata.	
Opagna dirut.	10
Pons Cereti integre pene everſus.	15
Le Preci reddit. inabitabil.	
Poſta reddit. inabitabil.	30
Pizzoli omnino dirut.	550
Paganica.	49
Poloſcina dirut.	
Quitena.	
Rolla Quitena, & Creſſerazzum.	
Roccheta a fundamentis everſ.	15
Riedi de Poggio dirut.	40
Reate labefactatum.	
Spoletum valde damnificatum.	
Solanum Monte ſanct. & Ceretum corruere, & ſunt inhabitab.	
Saſſa dirut.	
Savelli ſolo æquat.	6
Scoppita.	
Sala dirut.	7
Sangioveſcale dirut.	20
Sanvitto everſ.	30
Sanctus Hugo ſolo æquat.	15
Tudianum inhabitabil.	4
Truſchi dirut.	60
Taſſo pene dirut.	30
Tremezzo dirut.	12
Tempera.	
Trignanum.	30
Tuſchi.	
Terzone dirut.	60
Tuſcio dirut.	15
Villa S. Angel.	
Vendoli inhabit.	5
Vico.	40
Volcino inhabit.	8
Valbanbuni dirut.	25
Valleranum damnificatum, &c.	

Series Urbium, Pagorum, & Oppidorum Ditionis Eccleſiaſtica in Umbria & Sabinis, quæ his terræmotibus aut diruta ſunt, aut fere devaſtata, anno 1703.

DE terræmotu Nurſiæ, aliorumque Oppidorum in Sabinis ſub Ditione Pontificia, plura diximus ſuperius, at quoniam Commiſſarius Apoſtolicus, a Summo Pontifice miſſus ad exploranda damna, quæ dictis in locis attulit terræmotus, nuper de illis longam, ac veram texuit Epiſtolam ad Optimum Principem noſtrum datam, ex eadem viſum eſt nobis nonnulla excerpere quæ ad hiſtoriam terræmotuum conferre putamus.

Nurſia, Italis *Norcia*, Urbs olim Epiſcopalis Umbriæ, quæ & Sabinis tribuitur, ſedet in monte, ubi lacus, & non longe Antrum Sibyllæ, ad amnem *Frenndaram* dictum. Sedet inquam intra montes, & ad radices Apennini 6. mill. a confinio Marchiæ Anconitanæ diſtat 13. mill. a Reate. Eſtque fere media inter Aquilam ad Ortum, & Spoletum ad Occaſum. Ab Aquila in Samnitibus diſtat. 30. milliariis; a Spoleto 28. Patria fuit S. Benedicti Monachorum in Occidente Parentis. Lithotomi Itali, vulgo Nurſini, ſive *Norcini* dicti, ab hac urbe pene omnes originem trahunt, & varia per Italiæ loca potiſſimum Romæ ſparſi ſunt; peritia enim ſecandi calculoſos, caſtrandi pueros, oculorum pannos ſive nubeculas tollendi, quam a Patribus veluti jure hæreditario acceptam habent, ceteros antecellunt.

Nurſia itaque terræmotu 14. Januarii hora 2. noctis 1703. diruta omnino eſt, & ſolo æquata, & Lapidum horridus acervus antiquæ urbis ſitum oſtendit. *Caſcia*, ingens oppidum non longe a Nurſia, paulo minus, quam totum dirutum eſt, ac ferme redditum inabitabile. Mons dictus *Alvagnano*, qui prope *Caſciam* ſedet, hujuſmodi terræmotu apertus eſt, & ruptus per longitudinem mille, & quigentorum paſſuum: latitudinis vero 32. palmorum circiter, & ex fiſſuris hujuſmodi exhalat fœtor, veluti ſulphureus. Non longe ab hoc monte jacet alius, qui dicitur *Monte Corvo*, Mons Corvus, omnium Italiæ montium altiſſimus in confinio Regni Neapolitani, & ob ingentem altitudinem dictus *Magnum Italiæ Saxum*, hic etiam mons dicto terræmotu apertus eſt; at ſecundo terræmotu, quo corruit Aquila, corruit etiam altera ex duabus ejus ingentibus ſummitatibus. Et ab Oppido *Poſta*, ad Oppidum *Antrodoco* fere quotidie cadunt ingentia Saxa e vicinis montibus. In pluribus quoque Comitatus Nurſiæ locis, voragines non exiguæ apertæ ſunt, & terra per agrorum planitiem in pluribus aperta. Terræmotu annni 1328. quo diruta fuit Nurſia periere 5000. Cives: præſenti vero, menſis Januarii, octingenti, circiter, vel ad ſummum mille.

Præter Nurſiam in Sabinis Urbem, dicto terræmotu 14. Januarii ingens damnum paſſum eſt magnum Oppidum *Caſcia*, Patria B. Ritæ. Oppidum inquam in Umbria, verſus Appenninum, & confinia Regni Neapolitani inter Reate, & Nurſiam intra Colles. Mortui in Oppido Caſciæ, & ſuo Comitatu circiter 680. Sed ut clarior Pagorum Oppidorumque notitia habeatur, ſingula hic ſubnectemus, addito numero, mortuorum in ſingulis.

Mortui.

Spoletum Urbs celebris in Umbria maxime læſum in ædificiis, quæ ſingula trabibus ſuffulta.

Caſcia ingens Oppidum in Umbria fere dirutum, ac redditum inhabitabile, mortui in eo. 149

Metignano Oppidum dirutum mort. 121

Colle S. Stefani, & *Serviglio* oppida diruta. m. 22

Santa Trinità Pagus dirut. m. 3

Opagna, Tremezo, & Caſcino, pagi duruti mort. 46

Cività Caſtello, opp. dirut m. 13

Trevi, opp. dirut. m. 20

Colle marino, opp. dirut. m. 20

Manigi, opp. dirut. m. 15

Coro-

Mortui.

Coronella, opp. fere dirut. m. 18
Trognano, opp. dirutum m. 69
Buda, opp. dirut. m. 32
Villa S. Silveſtro, pag. fere dirut. m. 44
Chiavano, opp. dirut. m. 60
Caſtel S. Giovanni, oppidum cum omnibus pagis dirut. m. 17
Palmajolo, Burgus Caſciæ læſus, mortui 1
Puco, opp. concuſſum.
Fogliano, opp. ſemidirutum. m. 17
Aventino, opp. dirutum. m. 95
S. Georgii, oppidum ſemidirutum.
Sogna, opp. ſemiridut.
Col. Forcella, opp. ſemidir.
Suidi, Burgus Caſciæ dirut. m. 32
Reala, & *Porena*, opp. Patria B. Ritæ. *ſemiderut.*
Uſigni pag. ſemidirut.
Poggio domo, Pagus ſemidirunt.
Caſtrum di Rocca Porrenna dirut. mortui 7
Caſtrum di Muccia fora, pag. dirut. m. 1
Caſtrum di Colle *Oragone*, dirut. m. 3
Ceraſola, opp. ſemidir. m. 5
Piandoli, pag. dirutum.
Ocoſce, pag. dirut. m. 3
Atri, opp. fere dirutum. m. 1
Caſtell. Poggio ſemidirut.
Caſtrum Paterno, dirutum omnino.
Gioppiedi, opp. dirut. m. 11

Et hic eſt numerus Oppidorum, & Pagorum Caſciæ, ejuſque Comitatus dirutorum his terræmotibus cum morte 700. circiter hominum: ſequitur Nurſia, & ejus Comitatus in Umbria.

Ponte, opp. ſpoletinum fere dirutum, mortui 11
Cerretum oppidum cum ſex Pagis ſuis fere dirutum; mortui 11
Triponzo, oppidum comitatus Nurſiæ dirut. m. 2
Belforte pagus dirut m. 9
Corone, & *Caſtrum* Vetus dirut.
Le Preci, ſemidirut. m. 1
Poggio di Valle ſemidirut.
Ancarano, opp. ſemidirut. m.
Monteleone, opp. dirut. m. 8
Ruſcio & Terrabe pagi diruti. m. 46
Campi, Caſtrum ſemidirut.
Saccoveſe, *Orvano*, *Caſtrum*, *Croce*, & *Fomatre*, Pagi valde moti.
Riofredo pag. dirut.
Roſenna pag. ſemidirut.
Bienlli dirut. m. 4
Forſivo, opp. dirut. m. 62
Le Pegne, pag. ſemid. m. 2
Seravalle, opp. dirut. m. 3
Monte Buſo, opp. dirut. m. 13
Poggio di Croce, *Collazzone*, pagi læſi.
Montaglione, opp. dirut. m. 11
Bocanoſi, pag. dirut. m. 2
Tudiano, pag. dirut.
Albete, pag. dirut. m. 36

Mortui.

Argentelli, pag. dirut. m. 2
Agriano, *Villa aliena*, pag. dirut. m. 3
Aventita, pag. dirut. m. 32
Villa del Colle, pag. dirut.
Belvedere, pag. dirut. m. 7
Ochricchio, oppid. dirut. m. 47
Piediripa, opp. dirut. m. 1
Villa di Papoli: ſemidirut.
Caſtrum S. Mariæ, dirtut. m. 25
Villa S. Andræ, dirut. m. 2
Caſtrum S. Marci, dirut. m. 53
Villa di Savelli, opp. dirut. m. 63
Villa Reganelli, dirut. m. 27
Villa Valcadara, dirut. m. 30
Villa di Fraſcano, dirut. m. 17
Villa Vetturia, ſemidirut.
S. Pellegrino, opp. ſemidirut.
Caſtellucio, opp. læſum.
Arquata, oppidum magnum, cum ſuis Villis ſemidirut. m. 15
Rochette, opp. Spoletanum ſemidirut. m. 15
Villa Hortoſcie, oppid. præfati Rochette, ſemidir.
Urbs Nurſia, tribus circiter hominum millibus componitur. Mortui ſub ruinis terræmotus 800. In ſuo Comitatu, mortui. 587
Oppidum Caſciæ, cum ſuo comitatu numerat mortuos ſub ruinis 680. Damnum allatum domibus, animalibus, & ſuppellectilibus eſt incredibile, &c.

A Cive Aquilano, qui a ruinis terræmotus ſuperſtes Romam venit, audivi his diebus, quod adeo erat horrendus terræmotus Aquilæ, ut illi, qui erant in campis, ſi arborem aliquam amplexabantur ne caderent, repellebantur fortiter ab eadem vi terræmotus etiam agitata, ut humi proſtrati degere coacti ſint. Narravit pariter quod a die 2. Februarii uſque ad 25. Terra fere centum, & ſexaginta vicibus tremuit, licet leviter. Plures a terræmotu ſuperſtites, ſolo timore, & horrore maximæ calamitatis examines evadebant, ac præ ſolo timore fere derepente moriebantur, ut narravit

Poſt terræmotum Aquilanum cum omnia tuta videbantur eſſe Nurſiæ, nam tremor fere deſierat, circa 15. Februarii, excepta leviſſima aliqua ſuccuſſione, quæ noctu ſentiebatur: en derepente nuncius venit Romam his diebus, quod ſcilicet Nurſia novo correpta terræmotu, & graviori, quam duo antecedentes, miſere denuo devaſtata eſt, & omnino labefactata.

Die igitur 25. Februarii pluit cum ingenti, & impetuoſo vento fere per totam diem. Quibus ceſſantibus circa mediam noctis horam terra nunc leviter tremuit. Hora tertia tremuit fortiſſime (uti tremuerat 14. Januarii, & 2. Februarii) & duravit tremor ſpatio recitationis Salutationis Angelicæ. Hora 4. noctis iterum tremuit. Hora 5. iterum breviter, ſed fortiſſime. Hora 6. denuo bis, licet leviter. Hora 9. noctis juxta horologium Italicum bis de novo tremuit: ab hora 9. uſque ad

ortùm Solis terra erat in continua trepidatione, & tunc quievit. Nihil damni attulit hominibus, nam omnes vivunt in Campis sub Tabulatis, Tuguriis Pastorum, & more militum sub tentoriis ex panno lineo cera oblinito ad pluvias arcendas.

Quotidie Romam nuncius venit urbes finitimas adhuc etiam tremere, tremoremque veluti vagando modo hanc, modo illam corripere. Eugubium urbs celebris in Umbria, & Patria Magni Viri *Augustini Steuchii* Episcopi Kisami qui floruit temporibus Leonis X. Pontificis doctissimi, & Patris Litteratorum immortali memoria digni; quique *Steuchius* opus aureum composuit *de Perenni Philosophia*, magno mihi solatio, dum ipsum lego. Urbs hæc tremuit fortiter his diebus. Tremuit Pariter Perusia urbs; & fere quotidie urbes & oppida circumcirca posita alternatim tremunt. Romæ vero post illum vehementem diei 2. Februarii vehemens alius, aut saltem valde sensibilis non est auditus, nisi postridie ad dictum terræmotum, ut supra narravimus, &c.

Cum hactenus plura dicta sint de natura, causis & effectibus terræmotuum, non abs re erit obiter nonnulla notare, quæ remedii loco sint ad arcendam hujusmodi miserandam calamitatem: sed quoniam pene puerile videtur remedium præscribere contra vim, quæ singula respuit remedia, ejusque læsionis tempus, ac momenta occulta sunt, & incognita, quique fugiendo mortem vitare credunt, fuga mortem sollicitant, non pigebit tamen referre, quæ de remediis contra terræmotum *Plinius*, & *Seneca* magister meus disputarunt. Verba *Plinii l. 2. c. 82.* sunt hæc. *Sed & in terræmotibus est remedium, quale cloacæ, & crebri specus præbent: conceptum enim spiritum exhalant, quod in certis notatur oppidis, minus quippe quatiuntur, quæ crebris ad eluviem cuniculis cavata sunt: multoque sunt tutiora in iisdem illis, quæ pendent sicut Neapoli intelligitur, parte ejus, quæ solida, est adtales casus obnoxia. Tutissimi sunt ædificiorum fornices, non anguloſi quoque parietes, posteſque alterno pulsui renitentes: Et latere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. Magna differentia est & in ipso genere motus: pluribus siquidem modis quatitur. Tutissimum est cum vibrat crispante ædificiorum crepitu, & cum intumescit assurgens, alternoque motu residet innoxium, & cum concurrentia tecta contrario ictu arietant, quoniam alter motus alteri renititur. Undantis inclinatio, & fluctus more, quædam volutatio infesta est, aut cum in unam partem totus se motus impellit. Desinunt autem tremores cum ventus emersit: sin vero duravere, non ante quadraginta dies sistuntur, plerumque tardius, utpote cum quidam annuo, & biennii spatio duraverint*: hæc ille.

Si fuga vitari non poterit terræmotus, tunc omnium remediorum ultimum, ac tutius est ad portas conclavium confugere positas, præsertim in muris majoribus, & solidioribus domus; nam primo cadunt tabulata, sive pavimenta domus ob trabes, quæ statim e suis foraminibus; deinde cadunt parietes: si tamen vehementissimus fuerit motus, mors erit inevitabilis: si levior, tabulatis quassatis, & prostratis, sub portis, aut fenestris domorum forsan esse poterit aliquod refugium. Ex præfatis *Plinii* verbis deducere licet Romam in terræmotu minoribus damnis obnoxiam esse, quam alias urbes; nam specus subterraneas, cloacas, cellas vinarias habet infinitas, per quas vis eorumdem poterit retundi. E lateribus terreis compactæ sunt domus, & cum acqua, & calce Puteolaneus pulvis (vulgo *Pozzolana*) rubri coloris, qui in Latii campis quotidie effoditur, præbet gluten lateribus, & lapidibus ad domorum constructionem uniendis, incredibilis, soliditatis, & resistentiæ. Et ob id observantur hic rudera ædificiorum bis mille ab hinc annis constructorum. Porro dicunt auctores Ægyptum raro aut nunquam tremere, quia limosa est ejusdem tellus, ob annuas Nili inundationes, quæ limum ferunt infinitum; & cum limosa sit ea tellus facile cedit trementi terræ, nec renititur, sicuti renituntur Montes, & corpora solida ob quam renitentiam, major oritur concussio, major impetus, ac per consequens major ædificiorum ruina. Totam Latii planitiem factam esse a limo ducta per aquarum decursum e vicinis montibus, & fluminibus in hujasmodi partes infernas, usque ad maris litora docte satis probat medicus, & Anatomicus celebris *Steno* lib. de *solido intra solidum*: Nonne (ut ipse ait) Æneas ter, aut quater ab hinc mille annis venit ad litora Urbis Lavinii, & tamen Lavinium a mari distat nunc decem, & pluribus milliariis? Nonne portus Trajani ad litus maris fuit, & nunc ab eo distat per mille, & quingentos passus? Quare si urbs fundamento limoso hæret, ut urbes Ægypti, eandem sortem cum Ægypto in terræmotibus pati debere credendum est, idest aut raro concuti, aut si quatiatur, cum exiguo Civium damno: ut his ultimis terræmotibus observavimus in Urbe &c.

Sed ut ipse, qui hujusmodi calamitatibus præsens nunc Romæ sum, & olim fui Neapoli: atque ruinas vidi Ragusii in Dalmatia, horrendo terræmotu diruti, quæ sentio dicam: puto certe, nullum aliud præstantius, ac securius dari refugium in his casibus, quam spem in solo Deo Optimo Max. figere. Fuga perniciosa est, pernicioſior mora.

Una salus victis nullam sperare salutem.

Ad quem ergo in illo agone confugiendum, nisi ad Deum vivum, & verum Jesum Christum cujus veritatis optime gnari ipsimet Æthnici a diis petebant remedia contra hoc malum: *si quando*, inquit Alexan. ab Alex. c. 27. lib. 5. & Rhodiginus c. 27. 30. *Si quando Romæ terra quassata fuisset supplicatio in triduum decernebatur, feriis a Prætore indictis, præuntibus Decemviris, eoque die terræmotum nemo pronunciabat, tanquam fœdum, & abominandum quodpiam; nec Dei nomen cui, sacrum fiebat edebatur, quod Pontificum libris traditum non esset, cujus Dei nutu, imperiove terra mo-*

vere-

veretur, &c. Quare si omne timori præclusum est remedium, & omnis præclusa fuga; heroicum certe, ac vere Christianum erit, nullum timere terræmotum, quandoquidem teste *Seneca* lib. 6. c. 2. *Sine remedio timor stultus est; ratio terrorem prudentibus excutit, &c.* Nemo autem constantius terræmotus timorem contemnet, quam qui Deum timet, ac ad Deum fugit. Optime enim idem *Seneca* Epist. 41. ad id respiciens ait: *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In unoquoque virorum bonorum habitat Deus, qui autem Deus incertum, &c.*

Denique, ut reliqua fileam, quæ in gravissimis hisce calamitatibus ad animum confirmandum remedia, & præcepta ab Auctoribus traduntur: ea adnotare sufficiat, quæ nobis *Seneca* noster Stoicæ Princeps proponit, utpote omnium utiliora: sic itaque loquitur lib. 6. quæst. nat. cap. 1. de terræmotu. *Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitat, discedit, ac titubat. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum sine effugio est. Nunquam fulmina populos percusserunt. Pestilens cœlum exhausit Urbes, non abstulit. Solum terræmotus malum latissime patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut urbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesque subvertit, & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat saltem fuisse. Nec desunt, qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt, & e vivorum numero vivi auferuntur, tanquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cetera justitia sua natura præcipuum, quod cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil itaque interest, utrum me lapis unus elidat, an monte toto premar; utrum supra me onus unius domus veniat, an totus terrarum orbis caput meum abscondat. Proinde magnum sumamus animum adversus istam cladem, quæ nec evitari potest, nec provideri. Desinamus audire istos, qui Campania nuper relicta post destructam terræmotu celebrem Pompejos urbem, dicunt se nunquam ad illam regionem reversuros. Quis enim illis promittet melioribus fundamentis hoc, aut illud stare solum? Omnia ejusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia. Et quemadmodum in Urbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa suspenditur, ita in hoc terrarum orbe nunc facit vitium hæc pars; nunc illa, &c.*

Et cum in terræmotuum calde mors fere inevitabilis sit, constans viri est in eo agone mortem non timere, sed animum hortari, ut exeat e corpusculo, in quo per multa sæcula non illi immorandum; quod egregie equidem idem *Seneca* expressit his verbis lib. cit. cap. 32. *Qui mortem contempserit, securus videbit maria turbari, etiam eorum alius aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit Oceanum. Frangatur licet Cœlum, & ignes suos in exitium omnium in primis suum misceat, securus adspiciet ruptis compagibus dehiscentem terram, & stabit super illam voraginem intrepidus, & fortasse quo debet cadere, desiliet. Quid ad me, quam sint magna, quibus pereo? Ipsum perire non est magnum. Proinde si volumus tranquille degere, & ipsis Diis de felicitate controversiam facere, anima in expedito est habenda. Quicquid ipsam petierit, sive ipsa terrarum ruina, quid aliud debeo, quam exeuntem hortari animam, & cum bonis omnibus emittere? Anima vade fortiter, vade feliciter. Nihil dubitaveris discedere. Non de te, sed de tempore est quæstio. Facis quod quandoque faciendum est: nec rogaveris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exituram, tuleris retro. Rerum natura te, quæ genuit expectat, & locus melior, ac tutior. Illic non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia regiones urbesque vastant, non postilentia, nec arma contraria, dispositæ vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium par furor. Istud leve est, quid timemus? Grave est, potius semel incidat, quam semper impendeat. Ego autem perire timeam, cum tremens terra ante me ipsa pereat, & in injuriam nostram, non sine sua venit. Helicen, & Burim Urbes celebres in sinu Corinthiaco totas mare absorpsit: ego vero de uno timeam corpusculo? Ego recusem mei finem, cum sciam me sine fine non esse? imo cum sciam omnia esse finita. Ego ultimum suspirium timeam? Moriendum est. Quando? Quid tua? Mors naturæ lex est, tributum, & officium mortalium, malorumque omnium remedium est. Quare, Lucili, omnibus omissis hoc unum meditare ne mortis nomen reformides: Effice illam tibi cogitatione multa familiarem, ut si ita fuerit, possis illi vel obviam exire..... Si, cadendum est, cadam orbe concusso, non quia fas est optare publicam calamitatem, sed quia ingens solatium mortis est terram quandoque videre mortalem, &c.*

Hæc sunt, Jo: Francisce Maurocene, quæ de Lapidum vegetatione &c. his diebus a me sunt conscripta, quibus imminentem lapidum ruinam mens terræmotuum causa metuebat. Qualiacumque fuerint, ea pro singulari benignitate lubens accipe: tibique hanc dissertationem inscribi permitte, ut extet meum aliquod de excelsis tuis virtutibus judicium. Etenim quotescumque animum, oculosque ad te converto, conspicere mihi videor Franciscum Maurecenum Peloponesiacum, Ducem Venetiarum, affinem tuum, maximi animi, atque altissimi consilii virum; cui ob Peloponesum sub Reipublicæ Potestate redactam, adhuc viventi statuam Senatus decrevit; cujusque tu Familiam, & una cum Familia virtutem cum nunc apprime referas, futurum spero, ut dignitatibus eidem par evadas. Quod unum adhuc summa omnium opinione, ac spe de te, deque tua admirabili sapientia expectatur. Vale Amor Italiæ, & Literatorum præsidium. Romæ pridie Kal. Martias, Anno infelicissimo 1703.

SERIES

Magis notabilium observatorum hoc anno 1703. durantibus Terræmotibus in Latio, & finitimis Umbriæ Regionibus.

1. PEr 30. aut 40. dies continuos obſervatus fuit terræmotus quidam periodicus, iſque fortis, ac vehemens, qui quidem hoc anno 1703. hora nona Italica noctu ſuccedebat.

2. Cum aer erat ſerneus Februario, & Martio menſe, ſed plenus quadam, veluti caligine calida, qualis Æſtivo tempore obſervari ſolet, paulo poſt vehemens ſuperveniebat terræmotus.

3. Quando apparebant in cœlo nubeculæ quædam oblongæ, tenues ſubrubræ, futurum minabantur vehementem terræmotum.

4. Luna igneo accenſa colore, & fuſco, & undique circumdata circulo plumbeo, indicabat ea nocte futurum terræmotum, atque etiam die ſequenti.

5. In ſingulis Lunæ aſpectibus, ſeu quadraturis, potiſſimum in plenitudine ejuſdem, ſeu totali oppoſitione cum ſole, certo ſuccedebant terræmotus, & frequenter paulum præcedebant ipſos aſpectus.

6. Quin etiam frequentiſſime ſentiebatur ſub terra bombilus quidam, ſive ſonitus, veluti bombardarum, qui præcedebat, & comitabatur Terræmotum.

7. Sæpe ſentiebatur hic bombilus ſubterraneus in montanis locis, nec eodem tempore in campeſtribus ſuccedebat terræmotus.

8. Vehementiſſimus terræmotus diei ſecundæ Februarii hujus anni 1703. qui perduravit ſpatio binæ ſalutationis Angelicæ, in principio fuit per *ſuccuſſionem*, ſuſiſtente terra ſupra infra, infra ſupra, in fine vero per *inclinationem* ad letera nempe, ſive undulando, moventibus ſe ædificiis cum ipſa tellure.

9. Reliqui vero qui inde ſecuti ſunt, non erant mixti, ſed aut per ſuccuſſionem, aut per inclinationem, &c.

OBSERVATIONES

De Terræmotibus facta ſub altitudine polari graduum 42. in Latio & finitimis Regionibus ſuper Aere, Sole, Luna, & animantibus.

PRimo obſervatum eſt, horribiliores, & validiores terræmotus tunc evaſiſſe, cum cœlum ad Orientem, & Meridiem albis, ac oblongis nubeculis ad inſtar Galaxiæ obtectum erat.

Signum infallibile terræmotus, non tamen illico ſucceſſuri, erant lineæ prius albæ, poſtmodum rubræ ad inſtar carbonum ardentium, quæ in occaſu ſolis ad Orientem, & Occidentem conſpicibantur, & tunc, evadebant, violaceæ, deinde obſcuræ.

Sol oriens inter duos globos igneos; diſtantes ab eodem per duos cubitus, lucis valde, inferioris, qui duabus horis perdurarunt, & mox evanuerunt, fuit indicium plurium terræmotus concuſſionum.

Sol circumdatus magno quodam circulo lato duobus cubitis, prænunciavit continuatum fere terræmotum; etenim tunc a duabus horis Italicis uſque ad undecimam prope, ſemper Terra tremuit.

Infuſcatio ſolis cum lineis quibuſdam albis fuit ſignum poximi vehementis terræmotus die ſecunda Februarii, Dominica Palmarum, & Paſchatis, hoc anno 1703.

Lineæ nigræ, oblongæ, quæ ab Aquilone ad Meridiem extendebantur, ſignum dedere indubium terræmotus.

Pallor lunæ cum luce veluti amiſſa, & lineis albis admixtus, brevi terræmotum indicavit.

Unus, duo, vel tres circuli prope lunam pallentem obſervati, terræmotum preſagivere. In quo illud notabile eſt, quod præfati circuli, quo propius lunæ accedebant, tunc citius ſuccedebant terræmotus; non ita brevi, cum ab eadem diſtabant.

Sibilus ingens, nec unquam auditus ventorum, & improviſa eorundem ceſſatio, proximum terræmotum minatus eſt.

Sereno cœlo, & aere placido aliquando, nocta præſertim, reboatus auditi fuere ad inſtar bombardarum exploſarum, quibus ſuccedebant venti validiſſimi.

Strido Gallinarum, & Anſerum, tam diu, quam noctu, & nimia avium in caveis pervolitatio, fremitus Equorum, Bovum, aliorum Quadrupedum, niſuſque illorum ad evadenda ligamina, ac extemporaneus canum latratus, futuri terræmotus ſignum fuerunt: nec non etiam Columbarum a colombariis diſceſſus, diutinuſque per aera volatus, veluti ſi non fiderent ruituris tectis ſuperimponi.

Sæpiſſime terræ tremorem præcedebat fremitus quidam ventorum, abſque eo quod ne folium arborum moveretur.

Iſtæ ſunt tutiores obſervationes, quamvis aliquando obſervaverim, quod aquam turbidam, & veluti feroſam e puteis hauriendo, fuit terræmotus ſignum.

A die ſecunda Februarii uſque ad dimidium Maji, ubi aquæ in puteis turbidæ erant, ibidem fere quotidie terra tremebat: Aquæ poſtmodum clariores evaſere.

Singula hæc obſervata ſunt a peritiſſimis, & fide dignis viris Spoleti, Nurſiæ, Interamnii, & in reliquis Umbriæ Urbibus, aliiſque Latio, & Romæ finitiſſimis; in quibus viguerunt hoc anno, & adhuc etiam vigent terræmotus; nobiſque amice communicata, ut Lugdunum mittamus Operibus noſtris ab Aniſſonio optime merito de re litteraria Viro inſerenda, plura in poſterum daturi, quando deſinent terræmotus, quos etiam hac æſtate præſentimus; Dei auxilium (præter innumera pietatis opera, quæ ab Incolis exercentur) juſſu Summi Pontificis, hora una & media noctis pulſatis omnium Eccleſiarum Urbis campanis, omnes genuflexi, miſſis, ad Deum precibus, ardenter petunt; ut per miſericordiam ſuam a terræmotuum flagello nos liberet, atque præſervet, &c.

PETRO

PETRO HOTTONO,

Medico Illuſtri in Academia Leidenſi,

GEORGIUS BAGLIVUS,

Medicus in Academia Romana.

SCRIPSISTI ad me ſæpe, *Hottone*, ut ſi quid mihi ſupereſſet otii a quotidianis curandorum ægrorum, ſtudiique medici occupationibus, illud in deſcribenda eorum, quæ ab anno MDCCIII. ad annum MDCCV. occaſione Romani, vicinarumque Urbium terræmotibus circa rerum naturalium effectus contigerunt, hiſtoria libenter impendam. Ad quod obeundum muneris licet anguſtiæ temporis, & moleſtæ praxeos cura me removeant, tamen ut tibi morem geram, cui ob ſummam erga me fidem ac benevolentiam ſummopere debeo, facile profecto aggredi rem, & breviter de ſingulis te monere his diebus decrevi. At quoniam per id temporis, quo hiſce in regionibus perdurarunt terræmotus ad præſentem uſque diem, multa mihi experiri contigit, ac meditari circa Solidorum corporis animati vim, poteſtatem, & uſum, juxta Syſtema noſtrum de Solidis, & multa quoque circa curioſum de vegetatione lapidum argumentum, non inutile putavi eadem huic adjungere diſſerationi, majoriſque claritatis gratia eandem tres in partes dividere. In quarum prima ea, quæ ad progreſſionem Romani terræmotus a Kalendis Martiis anni MDCCIII. ad Kalendas Martias anni MDCCV. pertinent dilucide enarrabimus. Secunda vero complectetur plurima de Solidis animati corporis eorumque effectibus, ac uſu ad bene vivendum, morboſque curandos, ſive ad illuſtrandam medicinæ theoricen ac practicen. Ultima demum aget de iis, quæ ad vegetationem lapidum ſpectant variaſque ſubmarinorum & ſubterraneorum effectus; maxime vero de analogiſmo circulationis maris ad circulationem motuſque ſanguinis in microcoſmo. Quæ ſi tibi arridere cognoverim, me profecto impenſi laboris & adhibitæ in iiſdem diligentiæ non pœnitebit. Sit itaque,

CAPUT I.

De progreſſione Romani terræmotus a Kalendis Martiis anni MDCCIII. ad Kal. Martias anni MDCCV. cum Hiſtoria morborum, & Epidemica conſtitutionis, quæ his annis regnavit Romæ, & Hiſtoria quamplurium naturæ effectuum per id temporis ibidem obſervatorum.

QUæcumque ſcripta ſunt a nobis de Romano vicinarumque urbium terræmotu anno infelliciſſimo MDCCIII. ea continent tantummodo hiſtoriam duorum menſium Januarii, & Februarii, quæ vero dictis in locis ab eo tempore ad hanc diem contigerunt, *Hottone* ſuaviſſime, breviter enarrabimus. A Magno terræmotu diei 14. Januarii & 2. Februarii anni MDCCIII. Romæ alius vehemens, ac periculoſus non eſt auditus, ſi excipias momentaneum aliquem tremorem, ac pene inſenſibilem uſque ad diem 18. Aprilis ejuſdem anni; quo die dum Paſcha celebrabatur mane hora 13. circiter Italica terra tremuit, ſed non ita vehementer ut ante bis fecerat, verum cum civium mœrore, terroreque. Denique die 25. Maji hora quinta noctis, id eſt 5. ab occaſu ſolis, dicto anno, ultimus auditus eſt terræmotus, iſque profecto vehemens, ſuccutiens, & fere accedens ad illum diei 2. Februarii MDCCIII. ut ipſe, qui domi eram, ſervo præ metu jam fugere incipiente, obſervavi. Ab hoc tempore uſque ad præſentem Januarii menſem anni MDCCV. non eſt alius, ſaltem vehemens atque publicus, Romæ obſervatus terræmotus.

In vicinis vero Latii locis, nec non apud Sabinos, Marſos, Samnites alioſque Regni Neapolitani conterminos Incolas, apud quos ingentia damna bini magni terræmotus produxerunt non ita ſe res habet; nam plures ex illis adhuc etiam tremunt, imo vehementer, cum civium, domorumque detrimento. Circa Interamnium, Spoletum, vicinaſque iiſdem urbes, etiam num terræmotus durant, ac fere continui ſunt: die 20. Maji MDCCIV. duo vehementes ibidem ſuccutierunt terram cum non exiguo incolarum terrore; vehementiſſimus vero fuit Spoleti, vicinique locis, die Fecto S. Petri hora 23. anno MDCCIII. Imo plura etiam loca, quæ in hiſtoria noſtra terræmotus numeravimus uſque ad præſentem Februarii menſem MDCCV. adhuc tremunt, nec quieta terra eſt. Auditus quoque eſt aliquibus in locis terræmotus die 2. Julii MDCCIII. In portu Genuæ mare receſſit a litore per horæ ſpatium, no exigua diſtantia; poſt quem receſſum leviter tremuit Genua, & Carmaniola in Pedemontanis. Die 13. Maji MDCCIII. hora 17 fuit iterum Genuæ terræmotus. Circa ſeptimum Decembris diem MDCCIV. prope mediam noctem tremuit Bononia, & Florentia. Menſe Januarii hujus anni

MDCCV. die 20. hora quarta noctis sequentis ab occasu solis facta est conjunctio media Martis, & Saturni in grad. 29. minut. 38. Arietis; qua nocte levis est auditus Romæ terræmotus a plurimis civibus, potissimum hora 9. ab occasu solis. Ab eo tempore usque ad præsentem diem 31. Januarii, quo scribo, nunciatum est, Neapolim bis fortiter tremuisse, fortiter etiam atque plures Spoletum, & loca vicina, Ariminum, atque alias urbes Italiæ. Venetiis Romam scriptum est hac hebdomada ultima Januarii urbem & castrum S. Mauræ Insulæ in Epiro, quam Latini dicunt Leucadiam seu Neritum fortiter tremuisse elapsis mensibus cum non levi damno & civium, & domorum. An aliæ vicinæ ibidem urbes tremuerint, ignotum adhuc est.

Hic autem cum inciderit sermo de nuperrimo terræmotu Neapolitano, non inutile reputavimus historiolam subnectere maximi terræmotus Neapolitani, anni MDCLXXXVIII. Anno MDCLXXXVII. mense, ni fallor, Aprilis noctu leviter tremuit Neapolis, ac sine damno urbis, anno autem MDCLXXXVIII. die Sabbati, quinto Junii, Vigilia Pentecostes, hora 21. Italica, quo ipse ibidem degebam, fortiter ac vehementissime tremuit cum magno domorum, & civium damno pulcherrima Urbium, amœnissimaque Neapolis. Collegium Jesuitarum vulgo *Gesù novo* maximam passum est ruinam, ejusdemque Ecclesiæ pulcherrimus, ac maximus fornix, a *Lanfranco* egrigie depictus, totus omnino corruit, & universa Ecclesia fere fuit fracta ac devastata: mortui in ea plures sunt. Cecidit pariter vetustissimus arcus Templi Castoris, & Pollucis, qui erat in atrio Templi SS. Apostolorum PP. Theatinorum; ubi cum forum sit rerum venalium plures a ruinis fuere oppressi. Ecclesiæ S. Dominici Majoris, & aliæ PP. Carmelitarum Discalceatorum, S. Gaudiosi Monialium, S. Martini Carthusianorum ad castrum S. Elmi, & aliæ innumeræ ruinas ac rimas passæ sunt. Palatia ac domus infinitæ rimis, fixuris, ac ruinis vexatæ fuere, adeo ut paucos post dies tota urbs trabibus suffulta apparuit. Die sequenti denuo tremuit Neapolis hora 9. domusque debiliores ruinas passæ sunt: Ab eo die tremores terræ per intervalla sunt auditi ferme per duos menses; at sine urbis damno. In urbe Vico sexdecim milliariis Neapoli distante, mons apertus est. Beneventum eodem die 5. Junii, eademque hora 21. fere totum est diruptum. Cerretum, Magdalona, oppida satis ampla domus Carafensium omnino diruta. Civitas Arriani, Mirabella, aliaque quamplura circum Neapolim loca maxime læsa sunt, atque vastata. Vesuvius, ante tacitus ac silens, flammas vomere, mugire, & strepere post terræmotum cœpit; sicque lachrymabilis pulcherrimæ urbium casus, vicinorumque locorum, finem habuit memorabilem.

Et hæc est deplorabilis historia omnium terræmotuum, qui a mense Januarii anni MDCCIII. ad Kal. Mart. anni MDCCV. his in regionibus sunt pervagati: nec adhuc ipsorum est finis, nam plura loca etiamnum tremunt, celebrisque urbs Spoletum post 20. diem Januarii hujus anni tremuit fortissime. Quando autem omnium finis erit ultimus, soli Deo, qui fecit terram tremere voce sua, notum est ac perspectum. Reliquum est autem, quod ad rem Medicam pertinet, ut breviter narremus, quæ hoc terræmotuum tempore circa constitutiones aeris, morbos multigenos, varioque, naturæ effectus apud nos contingerunt.

Tempus vernum anni MDCCIII. fere totum fuit australe, & pluvium cum moderato frigore; æstas vero sicca, & in calore temperata. Fructus omnes telluris hoc anno uberiores, quam aliis ante annis fuerunt. Triticum, oleum, vinum summopere abundarunt: quod serio omnes animadvertimus, quasi interiore telluris parte a terræmotibus veluti cribrata ignis ejus centralis, & nitrum congenitum veluti exaltata, ac corroborata ad fructum fertilitatem maxime contribuerint.

Morbi, qui toto ann. MDCCIII. fere statim post terrræmotus regnarunt, fuere præ ceteris Ophthalmiæ, Scabies, Herpetes spurii, Febres mesentericæ, ac duplices tertianæ Romæ incolis familiares; & circa autumnum ingens numerus variolarum; plurimæ quoque Apoplexiæ, morteque repentinæ, quæ nonnullis abhinc annis redditæ sunt familiares, & quasi quotidianæ. Quod vero animadversione dignum fuit, incipiente vere anni MDCCIII. cœperunt quoque affectus prurigino si, scabiosi, herpetici, cum pustulis, crustis, & cutis fœditatibus; ophthalmiæ quoque, similesque affectiones salino-acres & calicæ tanta in copia, ut pauci numerarentur in urbe; qui tali labe essent immunes. Ad placandam iram Dei in hisce terræmotuum calamitatibus omnes omnium ordinum, ætatum, & conditionum homines, etiam cum aliquali salutis discrimine, jejunium quadragesimale peregerunt; qua occasione imbibita singulorum massa sanguinis sale acri, muriatico, & fæculento ex salitis piscibus, oleribus, & fœdo leguminum, boletorum, castaneorum, ficuum siccorum, similiumque melancholicorum esu, elicito, nemini mirum si ad hujusmodi scabiosam epidemiam magnam dederit occasionem. Non negaverim tamen exhalationes veneficas acres, e tellure terræmotuum causa emanatas, fuisse præcipuas occasiones, ut incolarum Romæ sanguis acrimonia salina exacerbatus in fœdam cuti prurigines finierit. His, accedit mœror, pavor, & horor in singulis civibus ob publicam calamitatem conceptus, necnon ob privatum cujuslibet tum vitæ, tum rei familiaris discrimen, vel discriminis metum: quæ singula quantum corrumpere, atque turbare sanguinis massam valeant, testes sunt morbi inumeri, qui in obsidione urbium, vel pestilentiæ tempore ob simplicem metum, aut publicum horrorem magna in copia, & modis lædendi insolitis vagantur, & regnant.

Autumno

Autumno ejusdem anni MDCCIII. Cœperunt variolæ, & morbilli, regnaruntque copiosè: erant autem non valde graves, nec mali moris: confluebant tamen, & licet plurimis supervenire diarrhœa, bona erat nec periculosa, quod etiam alias observavi in variolis: unde in apparatu pravorum humorum cum variolis, si diarrhœa venit, non semper noxia est, ac molesta. Sed quando variolis supervenit spirandi difficultas, semper mala est: qua de causa nihil magis observo hisce in morbis, quam respirationem: bona enim respitio semper bonum indicat: cum vero ipsa lædi incipit, redditque difficilior, semper time: nam tunc variolarum materies oscillatione naturæ contraria ruit, inclinatque ad pulmones: in quibus facta metastasi, morbique sede firmata, strangulat, suffocatque. Id autem observavi anno MDCCIV. mense Augusti, quo novus portus ad ripam Tyberis vulgo *Ripetta* ad mausolæum Augusti, & ædem S. Hieronymi nationis Sclavorum, & Dalmatarum magnifice exstructus est, & innobilem a fundamentis molem exornatus a viarum Curatoribus, & Præfectis riparum Tyberis; vidi inquam in puero septem annorum ætatis, laborante variolis, cui ob earundem ad interiora raptum, ac regressum, sive repentinam exsiccationem lethalis pene spirandi difficultas supervenit, cum magno salutis discrimine. Ut materies denuo, ac citissime ad cutis ambitum revocaretur oscillatione morbo contraria: jussi statim ut totum fere corpus lanceola scarificaretur & appositis cucurbitulis hinc inde sanguis educeretur ad libras duas: quo educto involutus fuit puer linteis calidis, dispositusque ad dormiendum. Mane tota cutis oblinita est Oleo amygd. dulc. mixto cum Spiritu Salis Ammoniaci ad procurandam quam cito ab interioribus ad exteriora variolosæ materiei eruptionem, ac recursum, uti evenit feliciter; erumpentibus namque denuo variolis, copiosè & bene, imminuta statim est spirandi difficultas & puer optime convaluit. Multi acu aurea variolas pungunt, ut educatur pus, ne longiori mora nimium rodat cutim, & turpes post se, atque molestas foveas relinquat. Quod de variolis ad interiora recurrentibus, moxque per artem ad exteriora revocatis notavimus, intelligi quoque potest de petechiis, aliisque maculis cutaneis in malignis febribus, eadem nempe methodo scarificationum, & unctionum curari.

Anno MDCCIII. mense Novembris flare cœperunt austri cum pluvia, & subsequens hyems non multum frigida fuit, sed æqualis quoad temperiem caloris & frigoris, inclinavit tamen fere semper ad austrum. Ver totum anni MDCCIV. fuit pluvium quasi ad Kal. Julias, quamvis antecedens, hyems & temparata esset & non multum imbribus madida. Æstas anni MDCCIV. a Kal. Juliis ad nonas Octobres perpetuo sicca fuit & sine pluviis, verum non exurens nimium & ardens. A nonnis Octobribus usque ad præsentem Februarii mensem, quo scribimus, ingentes, continuæ, ac copiosæ ceciderunt pluviæ, flantibus semper austri, ipsaque hyems novi anni MDCCIV. non multum rigida est, nec gelu exasperata: pluviæ tamen adhuc durant, maxime post conjunctionem Saturni & Martis in Ariete 20. Januarii factam, ut supra notavimus: quando autem pluviarum finis erit, ignotum. Toto hoc anno MDCCIV. usque ad præsentem Februabium durarunt in finitimis regionibus terræmotus, nec adhuc terra quieta est. Quod ad morbos attinet proxime elapsi anni, sporadice ipsi regarunt, morteſque repentinæ quamplures Romæ incolas corripuerunt. Regnarunt febres, mesentericæ mihi dictæ, quam plurimæ huic climati maxime familiares; quibus mea methodo obviam ivi feliciter adhibitis fomentationibus ventris, necnon jusculis dirigentibus, cichoreo scilicet, sem. citri, radic. graminis, aliisque intybaceis simul coctis, purgantibus per intervalla, materie jam digesta & cocta propinatis, tenui victu instituto, relegatis malesanis testaceis, pulveraceis, & hujusmodi nugivendulis alkalicis, calcinatis, ac fixis, utpote nimium noxiis in simili febrium genere, ut in operibus nostris fuse animadverti; & quantum cuperem, ut ignota hæc mesentericarum febrium provincia, & arcana methodus easdem curandi magis magisque excolatur, illustretur, perficiaturque! ne tali alkalium usu & barbara & damnabili Chinæ Chinæ propinatione, plures in Orcum, vel in incurabiles morbos præcipitentur. Sed veniet forsan clara dies, quæ veritatem hanc posteris aperiet, nec me somnia, & fabulas hominibus venditasse manifestabit.

Memorabilis pariter fuit annus MDCCIII. ob insigne, ac Cæsareum Latinæ Majestatis monumentum Romæ primo detectum. Ejusdem enim anni mense Novembri magna cum Literatorum lætitia, reperta est Columna Antonina omnibus ante sæculis ignota in hortis Collegii PP. Presbyterorum vulgo *della Missione*; quod quidem Collegium, sive domus Patrum Missionis positum est ad latus dextrum magnæ Curiæ montis Ciratorii, octo circiter ab hinc annis ab Innocentio XII. P. M. extructæ, ea potissimum parte, qua descendimus ad vicinum Monasterium Virginum Vestalium Campi Martii, & veteres domus Mediceorum. Hujusmodi igitur perantiqua, & nobilis Columna unico atque integro marmore constat, coloris variegati, & rubris maculis intermixti, quod marmoris genus, quo etiam obelisci conflantur, Syenitem Latini vocant, quod a Syene celebri Urbe Thebaidos veniat, teste *P. lib. 36 c. 8.* Ratione suæ longitudinis, & crassitiei omnium Urbis columnarum est maxima, earum nempe quæ unico constant marmore, nam binæ Cochlides Trajani, & M. Aurelii Antonini, utpote ex variis marmorum fragmentis coagmentatæ, hic non

numerantur. Alta itaque est nova hæc columna pedibus L. sive palmis Romanis LXVI. circiter. Imi scapi crassities constat pedibus VI. ambitus vero pedibus XX. & ultra. Nobili gaudet stylobate ex Pario marmore unico, & integro, egregie confecto, nam omni ex parte insculptus est elegan-ter, latitudo ejus undequaque est pedum XII. altitudo vero XI. In stylobatis priori facie occasum æstivum versus, uncialibus literis ære olim obductis hæc apparet inscriptio.

DIVO ANTONINO AUGUSTO
PIO, ANTONINUS AUGUSTUS
ET VERUS AUGUSTUS FILII.

In parte vero altera, quæ respicit Orientem, ejusdem Antonini consecratio anaglyphice designatur. Denique in aliis duabus lateralibus stylobatis partibus funebris equitum, ac peditum decursio exponitur. Sed ecce tibi ipsius Columnæ iconem ex Clarissimi *Vignolii* lib. mox memorando desuntam.

Usque ad ann. MDCCIII. creditum fuit frustum hujusmodi columnæ, quod extra ruinas eminebat, esse fragmentum veteris columnæ Citatoriæ, quam quidem falsitatem veritas facti nunc manifestat. Ubi est hodie extructa magna Curia Citatoria & ipsa Domus ac Collegium PP. Missionis & plures aliæ vicinæ domus, erat antiquitus, imo meo tempore, altus collis sive monticulus factus ex aggere terræ eodem, arte & incuria incolarum veterum comportata & sensim in collem prædictum congesta. Complanari cœpit idem collis primo a Ludovisianis Principibus cum ingens hoc palatium exstruere cœperunt; mox ab Innocentio XII. cum idem in usum Curiæ fabrefactum & commutatum fuit: nunc denique magna ex parte ad planitiem viæ publicæ redactus est monticulus, occasione, qua Patres Missionis suum finiunt perficiuntque Collegium. Magna telluris copia dicti collis Citatorii tempore Innocentii XII. fuit delata in vineam quandam nimium profundam a læva parte statim extra portam Populi, sive Flaminiam, ut vinea sic repleta Tyberis inundationibus posset resistere. Hujus autem columnæ in dicto terræ aggere per plura sæcula sepultæ, eminebant tantummodo in hortis PP. Missionis palmi viginti circiter, reliqua vero cum suo stylobate columna sub terræ ruinis incognita jacebat, & oppressa. Jussu igitur summi Pontificis omnis circumcirca columnam terra ablata est, atque universa detecta nunc nobilis columna. Posita est in eadem altitudine plani horizontalis veteris Campi Martii, quam positam videmus illustrem Columnam Cochlidem M. Aurelii Antonini in foro Columnæ juxta viam Flaminiam. Sed quoniam præsens via publica prope novam hanc columnam est multo altior quam ante erat, ob antecedentium ætatum ruinas, ideo fere tertia pars novæ columnæ suo cum stylobate infra planum horizontale præsentis viæ publicæ profunde posita apparet.

Ne tamen hoc illustre majestatis Romanæ trophæum omnibus ignotum sæculis, in ignotis squallidisque hortorum locis jaceret in posterum, jussu pariter optimi Pontificis nostri extructum est ab Architectis ligneum castellum, ut a sede sua evellatur columna & in vicinum magnæ Curiæ forum transferatur. Quar. die 15. Octobris MDCCIV. hora 18. primum post tot sæcula sede sua evelli cœpit sed parum, quoniam una ex superioribus trabibus castelli lignei rupta est. At rebus fractis, & ante non bene dispositis, in meliorem formam redactis, die 18. ejusdem Octobris hora circiter 21. præsentibus ad tanti operis novitatem Maria Casimira Vidua Poloniæ Regina, plurimis S. R. E. Cardinalibus, Oratoribus Principum Cæsareo nempe, Hispano, Venetorum, & insigni numero Principum, Magnatum, Præsulum, & ipso flore Romanæ Nibilitatis utriusque sexus, magna cum pompa populique lætitia iterum sede sua extrahi atque evelli cœpit. Sed cum binæ superiores castelli trabes magno cum fragore iterum rumperentur, & castelli moles ad anteriora inclinaret (ut ipse quoque, qui pene vicinus castello eram, animadverti,) ob magnum avulsæ jam ac per aera suspensæ columnæ pondus, ordinatum fuit Architectis, ut abstineant ab opere, ne cum spectatorum damno ac discrimine, columna cum ligneo castello rueret ac præcipitaret. Quare ad præsentem Februarii mensem MDCCV. eodem adhuc loci nobile hoc marmor jacet, & speramus fore ut quamprimum plurimum illustrium Mathematicorum Urbis ad id vocatorum consilio, atque diligentia in ampliorem, nobilioremque locum trasferatur.

Hac detecta columna in cognitionem venimus columnam magnam Cochlidem non esse Antonini Pii, sed Marci Aurelii Antonini ejusdem filii, in qua ejusdem Aurelii Antonini filii, non Antonini Pii patris bellum Germanicum exprimitur, quæ cum oculis pateant, nescio quo pacto omnes ad hanc usque diem Antiquarii decepti sint, credentes columnam Cochlidem in via Flaminia Antonini Pii patris esse, non Aurelii Antonini filii, cum bellum contra Germanos Pius Pater non gesserit. Felicitati itaque nostrorum temporum tribuendum est, tam gravem errorem, nova hac vera Antonini Pii patris columna detecta deletum jam esse atque extirpatum, quoniam inscriptio supradicta in stylobate posita satis aperte veritatatem manifestat. Nova hæc Antonini Pii patris columna eodem vivente erecta fuit a Senatu in signum felicitatis sui imperii, ac veluti in trophæum maximarum virtutum, quibus ornabatur clementissimus hic sapientissimusque Imperator. Sed quo anno imperii ejus facta hæc sint non clare constat. Eadem tamen nobis quamprimum manifestabit *D. Vignolius* noster amicissimus in peculiari libello & erudito de hujusmodi columna, qui jam sub prælo sudat:

ubi

COLUMNA

In Campo Martio detecta hoc anno MDCCIII. quam Imp. Antonino Pio initio illius Principatus tanquam Felicitatis typum a S.P.Q.R. dicatum ipso deinde mortuo Marcus et Lucius Augg. eius consecrationis symbolis ornari curarunt.

ubi apparet occasione nummi ærei: secundæ magnitudinis, cusi in honorem Antonini patris, columnam vivente ipso a Senatu eidem fuisse dedicatam; nam in parte anteriore nummi radiatum Antonini caput apparet cum hisce verbis circumscriptis. ANTONINUS. AUG. PIUS. PP. Tr. P. COS. III. in posteriore vero, columna hæc nuper reperta cum verbis sequentibus. FELICITAS AUG. S. C. Cujus nummi perrari, & nobilis ectypus, ex Museo Foucaultiano in Galliis Romam nuper missus est. Alius similis cum columna nummus percussus est a Nicæensibus in Bithynia ad decus ejusdem Imperatoris, prout notatur a *Vaillantio* inter Græca numismata *pag.* 44. Et ex primo dicto nummo licet certius hujus columnæ consecrationis erectionisque annus elici nequeat, quum tribunitia in eo potestas non numeretur; atque inter III. & IV. Antonini Pii Consulatum quinque jam anni effluxerint, in quorum intervallo adhuc pro more Cos. III. nominabatur; abunde tamen evincitur quindecim aut viginti prope annos ante illius mortem a Senatu eidem fuisse dicatam. Viginti enim a tertio ejusdem Consulatu nondum finito, & quindecim a IV. designatione ad illius vitæ finem usque numerantur. Mortuo vero Antonino Pio patre, eadem columna a filiis M. Aurelio & Vero in symbolum consecrationis, & apotheoseos optimo patri fuit dedicata, & post ipsum obitum in stylobate exsculpta apotheosis, decursio funebris equitum, peditumque &c. nam ipsimet Architecti dicunt nobis figuras apotheoseos &c. sculptas fuisse erecta jam suoque situ collocata columna: de quo admirando marmore aliisque æternæ Urbis egregiis, & excelsis monumentis, sæpe cum stupore & incredibili jucunditate disseruimus in amica Tamburide, villula scilicet nostra literaria, cum viris vere amicis & literatis *Montio*, *Passioneo*, *Fontanino*, *Vignolio*, *Boncinio*, *Cariophilo* aliisque; & sæpe ad undas Tybridis grande Virgilii elogium de Urbe repetimus hoc versiculo,

Imperium Terris, animos æquavit Olympo.

Hi autem intimi amici mei cujus naturæ sint, quæque singulorum merita, & in re literaria judicium ac prudentia: præter publica Urbis testimonia, & famam longe lataque per Europam de ipsis disseminatam, plura ipsorum opera, quæ vel jam sub prælo sudant, vel proxime publicam videbunt lucem satis manifestant. Eorum autem opera ordine recensebo.

Justi Fontanini Forojulienſis in Rom. Archilycæo Eloquent. Prof. Vindiciæ antiquorum diplomatum contra Bartholomæi Germonii disceptationem de veteribus Regum Francorum diplomatibus, & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis libri duo. Romæ MDCCV.

Est autem Fontaninus noster Bibliothecarius Viri amplissimi sapientissimique Renati Cardinalis Imperialis, bonarum artium fautoris, & literatorum vere Patris, ac Mecenatis, quem obsequii, & honoris causa hic nomino.

Francisci Dominici Bencini Melitensis in Collegio de Propaganda fide Theol. Prof. & Bibliothecæ Præfecti Doctor Ecclesiasticus Gentium, Hebræorum, Christianorum.

Blasius Cariophilus in lucem profert Prophetas majores ex Exemplis Origenis exscriptos cum Obelis, & Astericis. Opus desideratum a Clarissimis viris Mabillonio, Montefauconio, aliisque: Innumeras præterea super his Theodotionis, Symmachi, & Aquilæ lectiones. Item opusculum Græcum Hippolyti Episcopi Portuensis in somnium Nabuchodonosor.

Hæc omnia ille cura & vigilantia eruditissimi Principis Marci Antonii Burghesii, cujus fidei se tradidit, ab humanissimo Principe Augusto Chisio impetravit.

De Ecclesia nuper detecta ad radices Montis Palatini dissertatio Dominici Passionei Forosempronienſis. Cui accedit Opusculum Maffæi Veggii de Basilica Vaticana, olim ab Allacio in Symmictis Promissum, Romæ.

Qui sane omnes amici nostri, suavissimæque Doctissimeque *Hottone*, te maximi faciunt, & præcipue Passioneus Abbas, in cujus instructissima Bibliotheca frequenter convenire solemus de rebus literariis Acturi.

In Via Appia, intra Urbis mœnia, prope portam Capenam, in vinea familiæ Moronæ, detectum his diebus est amplum & satis nobile sepulchrum familiæ *Passienæ*, olim in urbe celeberrimæ; & effossæ ibidem sunt plurimæ, ac fere centenæ inscriptiones elegantissimæ, nec ante visæ, ac nonnullæ Græcæ, cum cubiculis subterraneis affabre depictis, & columbariis; ubi repositi suis urnis sunt cineres combustorum ossium ejusdem gentis: quæ modo sibi depingi curat idem *Passioneus* noster. Inscriptiones autem brevi mittentur a nobis & Fontanino nostro ad vestrum celeberrimum *Cuperum*, cujus eruditissimas epistolas de re literaria magna cum voluptate legere solemus in amœnissima Tamburidos nostræ villula literaria, a nobis instituta, de qua superius meminimus: deque his omnibus *Cuperum* eruditissimum certiorem reddere ne dedigneris. En inscriptionem unam ex sepulchreto Passienæ familiæ.

DIS MANIBUS
DIUPPANEUS QUI
EUPREPES. STERISSAE F.
DACUS. V. A. XVIII
OPTUMUS SANCTISSIMUS
PIENTISSIMUS FIDELISSIMUS
SUB HOC TITULO SITUS EST
P. ATILIUS PHILETUS
KARISSIMO SUO B. M. FECIT.

Non minus memorabilis fuit Annus MDCCIII. propter terræmotuum calamitates, ac ob publica-

blica gaudia pro detecta Antonini patris columna consecrationis, quam fuit notabilis sequens annus MDCCIV. Romæ propter obitum inclyti, & magni viri *Henrici Norisii* Cardinalis stupendæ, potissimum in re antiquaria, eruditionis. De quo egregio viro nostri amantissimo cum inciderit sermo, Reipublicæ literariæ rem non ingratam me facturum putavi, si de ultima ipsius ægritudine, vita, & cadaveris sectione nonnulla breviter attingam. Erat altus statura, macilentus, sive habitu corporis mediocriter siccus, magna fronte, longa facie, & gravi præditus, colore cutis ad fuscum accedente, cum fibra carnis arida siccaque: ab ineunte ætate studiis deditus, potissimum ultimis vitæ annis, quibus admiranda opera de *Epochis Syro-Macedonum*, aliaque multa, & satis nota, laudataque absolvit. Cum de Epochis Syro-Macedonum, & Ægyptiorum mentio occurrat, obiter te moneo egregium ac perrarum nummum Musæi nostri, de quo in operibus nostris locutus ante fui, cusum esse in honorem M. Ant. & Cleopatræ a L. BIBULO M. F. PRÆF. Binæ autem literæ Græcæ, quæ sub curru triumphali equorum marinorum sculptæ sunt, *delta* nempe, & *sigma*. Δ. Σ., nil aliud denotant quam Epocham peculiarem Ægyptiorum, atque Syrorum. Quem autem annum *delta*, & *sigma* mei nummi indigitent, studiosi antiquitatis percipient facile ex libro de Epochis Syro-Macedonum laudati *Norisii*, qui uti & *Fabrettus* amicus noster, dum essent in vivis, tali nummo maxime ob ejus raritatem delectabantur. Ejus autem ectypum hic tibi delineatum mitto, ut orbi literato patefiat.

Amicissimus itaque noster *Norisius*, ex familia, sive cetu religioso sanctissimi Patris Augustini, Cardinalis creatus ab Innoc. XII. P. M. 12 Decembris anno CIↃIↃCXCV. optimaque corporis constitutione præditus, continuis pene 40. annis vitam duxit incolumem, ut mihi sæpe narrabat, & singulo mane Chocolatæ potione utebatur. In victu sobrius erat, & ad exercitationem facilis, immotus animo, ipsaque superior fortuna. Verum nescio quo malo, vel falsa Astrologorum prædictione, proclivis erat in victu ad usum rerum salitarum, cibos exsiccantes, res calidas, & potum exiguum, metu hydropis, in quem se facile lapsurum asserebat, si contrario vivendi genere, & ad humidum inclinante uteretur. Sed quæ infelix & misera mortalium conditio est! exsiccante victu in morbum incidit, quo præcaveri a tali morbo meditabatur. Incidit quidem in hydropem sed siccum, & tympanitem qui usu calidorum, & exsiccantium sponte venit, humidis vero tollitur, aut præcavetur. Sed cum Medicus non fuerit doctissimus vir, nemini mirum si ex falsa aliqua Astrologorum prædictione in morbum, quem metuebat, non inciderit, sed eidem contrariam.

Age tamen fatalem ejusdem morbum, quæque ipsum præcesserunt quamplurima describamus; quæ tibi non injucunda futura, *Hottone* suavissime, pro certo habeo, quoniam de homine loquor, qui Te maxime laudabat, tuam extollebat doctrinam in Medicis rebus physicisque, tuisque litteris mirum in modum delectabatur.

Nobilis *Norisius* Veronæ natus, & quamplurimis vitæ annis optima præditus valetudine, circa annum MDCXIX. laborare cœpit fluxione falsa oculorum, sive ophthalmia sicca, & rodente, ac inflammatoria, qua fuit moleste afflictus plurium mensium intervallo, donec tandem usu topicorum intempestive cohibita fluxione, a rudi Professore, non educta prius per lenia purgantia, serosa acri melenterii, viscerumque naturalium colluvie, a qua facile pendent, foventurque oculorum id generis mala, morbus repente cessit, & vir Doctissimus magna cum sui lætitia (sed falsa, & infelici lætitia) ab ophthalmia plurium mensium liber evasit. Sed paucum post tempus, an nempe MDCC. ex improviso correptus fuit dolore ventris torminoso circa umbilicum, quo in dies magis magisque se exacerbante, in flatulentum, atque manifestum umbilici tumorem desiit. Hujusmodi autem malum, ut erat natura fortis, flocci fecit, dissimulavit, neminique communicavit usque ad annum MDCCIII. quo temporis intervallo a noxiis cibis non abstinebat; imo præfacto victus genere sicco, calidoque dictis de causis libentius utebatur, metu fatalis hydropis humidi, in quem se casurum sæpe pronunciabat. Interea quoque nihil remediorum sumpsit, nec Medico dictam ægrotationem confidit; sed studiis, ut ante, acriter dabat operam, curisque publicis, atque negotiis Ecclesiæ, adjunctisque sibi muneribus, sane gravissimis fere perpetuo occupabatur: donec tandem crescente sensim malo, labefactata sensim natura, cum dissimulare amplius non potuit ægrotationem, Medicorum opem imploravit anno MDCCIII. Majo mense; quo tempore correptus fuit vehementibus circa umbilicum doloribus cum tympanitica venttis inflatione, quibus accessit inappetentia, alvi siccitas, febricula per intervalla, nec non spirandi difficultas, vigiliæ, murmur ventris, & hypochondriorum rugitus adinstar tympani bellici percussi. Tumor pedum paulo ante mortem tantummodo apparuit; quod familiare pluribus tympanitide affectis sæpe observavi, quibus non a principio tument pedes, sed circa vitæ finem, quod serio notandum. Plura ad tollendam hujusmodi tympaniticam affectionem præscripta fuere remedia, sed frustra, nam remediis magis sæviebat, & recrudescebat morbus, juxta divini senis sententiam in aphorismis sect. 4. aph. XL. *Quibus termina, & circa umbilicum dolores fortes sunt, qui remediis non cedunt, in hydropem siccum desinunt.*

Quare ad extremum confirmata tympanitide, viribusque diuturnitate mali prostratis, desiit, tandem in ascitem, quæ familiaris & ordinaria

est

Fig. 3.

Ex Museo Georgij Bagliui Medici Romani

Fig. 2.

Fig. 1.

Ex Museo Io: Battistę Fabiani Antiquarij Neapolitani.

est tympanitidum successio, ut fuit multo ante prænunciatum. His & aliis quamplurimis accidentibus misere vexatus, & lacessitus per decem integros menses, magnamac vere catholicam animi fortitudinem in illis sufferendis, & in expectanda, atque spernenda morte constantiam, & robur mentis incredibile demonstravit. Denique fractis naturæ viribus, ejusdemque tenore fere relaxato propter insuperabilem morbi vehementiam, mente tamen integra, paucarum horarum agone periit ingens Norisius: Flos litteratorum Italiæ occubuit die 23. Februarii hora 15. matutina, anno 1704. ætatis vero suæ 72. cum mensibus sex. Mortuo magno viro, quis mœror esset in Urbe æterna, de qua tam bene meritus fuit scriptis suis immortalibus, æternitati consecratis, quæ tristitia, quæque lacrymæ, in vultibus Romanorum, præcipue vero bonorum, & eruditorum nominum, altiorisque Ordinis procerum, in me denique ipso ob veterem Norisii erga me fidem, benevolentiam, & familiaritatem, dictu est incredibile. Poteris tamen ex te ipso cognoscere, *Hottone* suavissime, qui tantopere carus eras Norisio, quique per epistolas frequentes, ejusdem erga te benevolentiam facile conjiciebas.

Aperto cadavere, in cavitate abdominis inventæ sunt sexaginta circiter libræ seri, sive lymphæ, naturalis coloris, nec fœtidæ, in qua fere natabant viscera. Omentum quasi totum consumtum. Exterior intestinorum facies aliquantum nigra. Jecur quasi naturale, exiguum tamen, & cum suis acinis glandulosis in superficie apparentibus. In vesicula fellis pauca nigræ bilis quantitas, & calculus ponderis unius drachmæ, &c. Pancreas obstructum, & morbosum. Vasa emulgentia non exigue obstructa. Pulmonum color ad nigrum vergebat. In cerebro serum aderat sub pia matre, vasaque sanguinea ejus nimium turgebant. Reliqua in statu naturali.

Ex quibus omnibus aperte deducitur morbum primam originem vitio solidorum contraxisse: vitio nempe mesenterii crispati; exsiccati, irritati, indignati, & muria acido-salina undequaque per suas grandulas, ac vicina vascula repleti; idque ob antecedentem victum salinum, exsiccantem, exiguas potiones, aliaque supra recensita. Sic onusto salibus, & acrimonia mesenterio cum adnexis glandulis, cum res ad extremum plenitudinis salium ibidem devenisset, cœpit primo erumpere fatalis morbus sub ophthalmiæ siccæ, atque acris specie, qua imprudenter a nonnullis cohibita, nec bene purgato tunc temporis mesenterio, & alvo mollita, ut opportunum & maxime necessarium erat, cum ophthalmiæ per alvi fluxum sanentur ex præcepto magni Dictatoris nostri, successerunt paulo post dolores lumborum, & umbilici: moxque crescente malo, & dicta ab acrimonia exsiccatis, crispatis, intentis, atque tabefactis mesenterii solidis, ad malorum cumulum, & per ordinariam, atque fatalem metamorphosin dira supervenit tympanitis. Quibus de causis inducto portentoso elatere sub specie status, ut vulgus dicit (sed status non est, verum intensio solidi, & exsiccatio) in solidis mesenterii, vicinarumque partium, vasa pariter, quæ fluida vehunt, contrahi, torqueri, distrahi, & rumpi incipiunt: cum vero rumpuntur vasa, potissimum magis fragilia, uti sunt lymphatica, lympha sive serum in abdominis cavitatem sensim, ac lente depluit, abdomen tumefacit, & successione ad tympanitidem, paulo ante mortem, lethiferus supervenit ascites hydrops. Atque hic est omnibus ætatibus deplorabilis casus, ac vitæ finis *Henrici Norisii* Veronensis, S. R. E. amplissimi Cardinalis, cui tertio ob obitu die more Majorum, celebratæ sunt exequiæ, & pompa funebris in Templo divi Augustini ad Collegium Germanicum tanta cum populi frequentia & tanto omnium mœrore, atque luctu, ut videretur revera litterarum & bonarum artium pater periisse. Cadaver sacro & Pontificali habitu vestitum, & triplici capsa, altera plumbea cum inscriptione, altera ex cypresso, & ultima ex vulgari ligno, amplissimorum Cardinalium more clausum, in ejusdem templi Sacello S. Monicæ dicto ad determinatum tempus repositum est, quousque marmoreum monumentum cum magni Viri Statum peractum, absolutumque fuerit, in quo tandem tumulatum, resurrectionem expectabit.

Hac occasione, qua de Norisio disserimus, non alienum erit a præsentis argumenti tractatione præfari quoque nonnulla de nobilissimo, doctissimoque Cardinali *Sfondrato* Mediolanensi, qui uti erat Norisio meritis, & virtute non impar, ita pariter non impar in honore purpuræ, quam ambo consecuti sunt a sanctissimo & litterarum amantissimo Pontifice Innocentio XII. pauperum parente, bonarum artium fautore, & Bullæ in Nepotismum primo Auctore. Nobilissimus itaque Cardinalis *Cœlestinus Sfondratus* ob summam suam pietatem, doctrinam, & insigne erga sedem Apostolicam merita, difficilibus illis de Regalia cum Clero Gallicano contentione temporibus, quibus aureos de Regalia libros conscripsit, ex Abbate, & Principe S. Galli apud Helvetios, die 12. Decembris Anno M.DCXCV. ab Innocentio XII. P. M. Cardinalis fuit renunciatus; quo quidem honore accepto paulo post Romam venit magno cum applausu Bonorum omnium, summique Pontificis, atque totius Urbis lætitia incredibili. Quo tempore in suo Principatu S. Galli vixit, non infelici usus est valetudine. In Urbe tamen vel culpa aeris, vel negotiosæ vitæ, ob impositum sibi novum, & grave munus Ecclesiæ Dei, vel tandem, quia veteris diuque in viscer bus latentis morbi semina, occasione Romani aeris, curarumque novarum recruduerunt ac pullularunt, statim ab ejus adventu ægrotare cœpit, & fere quotidie in deterius ruere. Frequentibus diar-

diarræis correptus primo fuit, & iisdem usque ad vitæ finem semper fuit divexatus. Naturalis faciei color mutatus est in plumbeum, ac veluti cadavericum. Oculi sanguine veluti concreto turgidi, atque suffusi. Fœtor oris pestilens, ac pene cadavericus: cujus de causa odoriferas aquas linteolo exceptas manibus semper ad odorandum habebat. Morbo cum diarrhæa quotidie se exacerbante syncope pluries in die corripiebatur. Inappetentia, vigiliæ, febricula, macies, languor totius corporis, aliaque id generis sensim crescebant mala. Nihil magis appetebat, quam pisces salitos, *Alices* dictos, quibus in mensa singulis diebus utebatur. Duobus ante mortem mensibus cochlear argenteum sibi familare in mensa ad ingerenda cibaria, ob pestiferum, ac veluti veneniferum oris & linguæ halitum evasit nigrum & violaceum, & quacumque diligentia adhibita, niger argenti color abstergi, atque deleri imposterum non potuit: quod notandum a Medicis in hujus generis malorum curatione. In secessu Urbano Castri Gandulfi XV. ab Urbe lapide, amœnitate illius collis ad meridiem positi, ad quem Latina nobilitas vere & autumno convolat rusticationis gratia, nec non frequenti exercitatione in amœnissimis ejusdem secessus viis, usu denique aeris puri, montani, oprimo pleni nitro, morbus & plurima ejus accidentia maxime remiserunt, & recuperandæ sanitatis spem non mediocrem manifestarunt. Sed paulo post rediit Romam, morbo iterum atque pejus exacerbato cum narratis accidentibus, potissimum inappetentia incredibili, tumore ventris ac pedum, orisque fœtore fere horrido & insuavi, quibus fractis naturæ viribus, & morbo de eadem jam triumphante, pius, doctus, & non sine sanctitatis odore (ut publica vox erat) amplissimus Cardinalis *Cælestinus Sfondratus* placide obdormivit in Domino die 4. Septembris, post quartam noctis horam, anno M. DCXCVI. ætatis vero suæ anno LII. & mensibus VI. in ædibus PP. Jesuitarum S. Andreæ in Quirinali, quo amœnitatis loci, purioriſque aeris gratia, ex domo sua, quæ posita erat apud S. Ludovicum Gallorum, secesserat.

Aperto cadavere laminæ cranii erant valde tenues, & alicubi una erat, tenuis ac veluti diaphana. In capite & pectore nihil novi repertum. In aperti abdominis cavitate sana, ac pene inculpata viscera natabant in aqua ponderis duodecim circiter librarum. Omentum erat valde contractum, & alicubi flaccidum ac putre. Fellea cystis nimium turgida bile, quoniam ejusdem progressio, ac exitus in duodenum impediebatur a calle, & duritie callosa in meatus cystici cavitate reperta. Mortis vero causa reperta est in intestino Colon, sinistra nempe ipsius parte quæ lienem, sinistrumque respicit renem. Ibidem ab externa parte notabilis magnitudinis tumor sine pravo colore, aut odore apparuit: secto tamen intestino repertus est interius tumor cancerosus, ex eorum genere, quos *M. Aurelius Severinus* libro *de rara Abscessuum natura* vocat *Mucosarchos* sive carnem ex mucis compactam genitamque. Hærebat hic tumor valide interiori tunicæ intestini, atque adinstar placentæ uterinæ in intestini cavitate extendebatur, exterius erat conspersus glandulis veluti morialibus, colore niger, figura inæquali, alicubi durus, & alicubi mollis, odore fœtidus, ac pestilens, ob pestilentem materiem ibidem concretam, cujus aura maligna incaute tracta per nares effecit, ut duo Aulici sectioni cadaveris adsistentes in syncopem inciderent: & ab eadem fœtor oris cadavericus pendebat in viro nobilissimo. Cumque morbus circa lienes esset non mirum si multi ex Medicis lienis morbum crediderunt. His peractis, & cadavere balsamis, & aromatibus more Magnatum condito, magnifice & pompa vere regali sepultus fuit illustris Heros Ecclesiæ, in Templo S. Cæciliæ ad ripam Tyberis prope majorum cineres, a quibus Templum egregie fuit ornatum, atque ditatum: hora quinta noctis datus est sepulturæ finis, magno cum adstantium mœrore, & meo, qui ultimus a monumento Sancti Viri ea nocte discessi.

Atque hic est epilogus ac veluti compendium magis notabilium, quæ ultimis hisce annis acciderunt Romæ, maxime vero quæ spectant ad historiam effectusque terræmotuum, hic & in vicinis locis observatorum, ab anno infelicissimo M. DCCIII. ad præsentem Martii mensem anni M. DCCV. Et quamvis Roma quieta sit ab ultima succussione terræ diei 25. Maji, anni MDCCIII. vicina tamen loca adhuc tremunt; & prox me elapso Januarii mense Spoletum fortiter tremuit cum aliis vicinis locis, ut supra narravimus, nec adhuc terra conquievit. Qua de causa ad iram placandam magni Dei contra hominum scelera præter quotidiana pietatis opera, quæ in Urbe ab incolis exercentur, jussu summi Pontificis ab anni MDCCIII. mense Februarii ad præsentem Martii MDCCV. vesperi hora una & media noctis italica, omnium Ecclesiarum Urbis campanæ per horæ quadrantem pulsantur, ut incolæ omnes genuflectantur, & preces fundant Altissimo, pro impetranda venia scelerum, & horrenda terræmotuum calamitate tandem a nobis arcenda, atque delenda. Imo ut posteris pateat præsens Dei auxilium in terræmotu maximo diei 2. Februarii, anni MCCCIII. quo celebratur festum Purificationis Matris Dei, peculiari lege decretum est a summo Pontifice ut imposterum in Urbe prima die Februarii jejunent incolæ in memoriam, & honorem S. Virginis, more celebrium jejuniorum, & sub pœna peccati ad jejunium teneantur.

CA-

CAPUT II.

In quo plura proponuntur, quæ ſpectant ad principem duræ matris Oſcillationem, novis probata obſervationibus, meditationibuſque. Et plurima quæ pertinent ad Syſtema *noſtrum* de Solidis, *eorumdemque vim, poteſtatem, elaterem æquilibrium, oſcillaſcionem que ſanam & morboſam ad bene medendum, & præſagiendum.*

POſtquam in ſuperiori capite te monui, *Hortone*, circa terræmotus Latii, & vicinarum urbium cum variis Naturæ effectibus eo tempore apud nos obſervatis; reliquum eſt, ut proxime tecum diſſeram, breviterque perpendam nonnulla, quæ ad confirmandum ſyſtema noſtrum de ſolidis ſummopere neceſſaria exſtimamus, quæque nova meditatione, novaque morborum, & Naturæ obſervatione in cognitionem nuper noſtram pervenerunt. Et in primo quidem multi objiciunt duræ matris motum in externa atque convexa, cranioque proxima ejus parte non apparere ita validum ac fortem, ut poſſit univerſum ſubjectarum membranarum ſyſtema ad oſcillationeme ſyſtalticam, ut ipſe loquor, impellere continuo, cogere, variaſque, ac pene admirandas motus leges eidem imprimere, & ſingula regere ad nutum; ac propterea fictum eſſe noſtrum ſyſtema, nec debite a nobis probatum. Objiciunt porro ligata jugulari ceſſare motum duræ matris in externa parte, tamen animal vivere per aliquod temporis intervallum. Quæ ſane argumenta, quamvis prima facie valida videantur, a nobis tamen facile diluuntur.

Et quod pertinet ad ultimum de ligata jugulari, ceſſat quidam ligata jugulari, vel potius ceſſare videtur motus in externa parte meningis duræ, minuſque ſenſibilis quam ante ligaturam obſervatur. Nam cum vita pendeat a motu partium, motus vero ab æquilibrio ſolidorum cum liquidis, & e contra; nemini mirum ſi intercepto curſu liquidi in aliqua parte, mutatio ſtatim naſcatur in motu ſolidorum, vel liquidorum, aut omnium, aut particularium tantum, eadem ratione, qua ſi ligetur aliqua ex arteriis ſupra vel infra cor, cordis motum turbari ſtatim, aut ceſſare, aut imminui obſervabimus. Sed, quod caput reſponſionis ad præſens argumentum eſt, quodque ab Adverſariis maxime notandum, in vulneribus capitis, in terebratione cranii, in jugularis ligatura, ſimilibuſque caſibus, licet externe fere inſenſibilis appareat duræ meningis motus; non perinde tamen crededendum tam debilem, atque inſenſibilem eſſe quoque in centro cerebri, & ipſius meningis centro. Nam verus meningis ſyſtalticus, atque compreſſivus motus non in externa ejus ſuperficie viget, ſed in centro ejus, ac medio circa falcem meſſoriam, & omnia ejus ſepta, ubi validis donatur lacertis ad ſe fortiter quaquaverſum conſtringendum dura meninx, ibique ad inſtar alterius cordis pulſat perenniter ac ſyſtolizat uſque ad ultimum vitæ finem. Quare ſi verus ſyſtalticus meningis motus in centro cerebri, & ipſius maningis medio eſt; motus diaſtoles, ſive reſtitutionis eſſe debebit in parte ejus externa, cranio proxima, atque convexa, quam nos oculis animadvertimus. Hic autem reſtitutionis motus, cum ſit motus relaxationis fibrarum ante intentarum per conſtrictionem, ut in corde contingit, non debet eſſe, nec debet apparere validus, fortis, violentus, ac maxime ſenſibilis, ſed placidus, lenis, ac remiſſus, qualis revera in externa meningis parte obſervatur, unde violentos motus Adverſarii ibidem non axpectent, ſed ultro quærant in centro meningis, ubi verus ejus motus, ſive origo ſyſtaltici, ac proprii ſui motus perpetuatur, & viget. Ob id ea ſub falce meſſoria, vicinſque locis ac ſeptis, ad hujuſmodi fortem obeundam compreſſionem, & ad exprimendum e cerebri tubulis, quod exprimere debet, ſive ad undulandum ſolidum membraneum, qua undulare & oſcillare debet ad minima quæque microcoſmi loca, ſolidior magis eſt, durior, & craſſior, & validioribus quam alibi donata lacertis, ac fibris (utpote in ſiniſtro cordi ventriculo obſervamus) potiſſimum in cerebelli fine prope ſpinalis medullæ originem, & egreſſum, quod meninge duram ſecanti facile apparebit. Dico igitur vim motus majorem, ſive primum, validumque duræ meningis motum eſſe in centro ejuſdem circa falcem & ſepta: quo motu perpetuas oſcillationis, contractioniſque viciſſitudines abſolvit, eaſque ad minima quæque corporis animati loca per nervos & ex nervis productas protenſaſque membranas omnes partium projicit, propagatque: motum vero extra apparentem prope cranium, eſſe motum reſtitutionis, ſive laxitatis: & diaſtoles fibrarum ante per contractionem intentarum: ideo hic placidus ac pene inſenſibilis obſervatur, & eſt ille in centro cerebri validus eſt & fortis, ac maxime compreſſivus, quia quaquaverſum e cerebro exprimere debebat vel liquidum nerveum, vel ſpirituoſum quid, & æmulum radiorum lucis, vel ſi opinari velim ipſe, undulationem, oſcillationemque ſolidi in ſolidum a cerebri centro in minimas quaſque corporis particulas ad vitæ functiones obeundas propagare. Quare deſinant mirari Adverſarii, ſi in externa parte meningis tam placidum, atque remiſſum motum animadvertant, ſiquidem miſſo tantiſper cerebro, in corde veritatem hanc ad oculum obſervamus, in quo motus ſyſtoles, ſive conſtrictionis validus eſt, ac fortis, quia & legibus projectorum ad ſingulas partes pellere debebat liquidum vitale ſanguineum: diaſtoles vero remiſſus eſt & inſenſibilis, quia non eſt verus motus, ſed reſtitutio fibrarum antecontractarum in priſtinum ſitum; & hac de cauſa meningem cor cerebri, vel diaphragma nobis placuit appellare. Ob id divinus ſenex veluti conſcius hujus ſyſtematis *in lib. de Oſſibus* pronunciavit.

Colo-

Colorum mutationes fiunt, corde ſtringente venas, & laxante: laxante fiunt rubicundi, ſtringente pallidi &c. Quare ſi cordi poteſtas ſtringendi, atque laxandi vaſa etiam ab *Hippocrate* tribuitur, ſicque colorum mutationes producendi, quanto magis tribui debet id meningibus & nervis quorum poteſtas, vis, imperium, celeritaſque in ſuis motibus peragendis magis ampla ſunt, magiſque expedita; parteſque ſingulæ eorum involucris, membranaceis nempe, donantur, ipſaque tympani auris membrana, ut nuper detectum eſt, ex interna ſui parte, dura veſtitur meninge; parte vero externa, propagatione cutis membranea meatus auditorii? Ob id dolores aurium, inflammationeſque ex interna parte crudeles eſſe ſolent, horrendi, atque lethales, ſi vehementes fuerint, uniuſque diei ſpatio interimunt, ac jugulant; tracto ſtatim in conſenſum cerebro per dictam meningis in auribus propagationem. Atque hæc habeant Adverſarii pro reſponſione ad allata ſuperius argumenta.

Has autem alternas atque manifeſtas in vivis animalibus duræ menginis motiones uſuſque ipſarum primus omnium animadvertit *Realdus Columbus* in Romano Archilycæo ducentis pene ab hinc annis Anatomicus famæ immortalis *lib. 14. de Re Anatomica*, ubi ſic diſcurrit. *Quintus adſit in promtu canis, ut rem admirabilem, neque omnibus obviam contempleris. Thoracem cultro, ut diximus, ocyus aperi, cordque apprehendito: miniſter vero tuus diligens, atque expertus mira celeritate acu craſſa & contorta in qua contortum filum immiſſum ſit, quatuor cordis vaſa arte colliget; deinde cor abſcindat, eodemque tempore vincula abſcindantur, quibus crura quatuor canis juncta erant, & in pedes projiciatur. Canem abſque corde vociferari audies, progredi videbis, quare nihil magis admirabile conſpicari poteris, & hac re viſa deſinas adeo obſtinate in omnia Ariſtotelis verba jurare, qui, licet magnus fuerit Philoſophus, ſcire tamen omnia ſolus nullo pacto potuit.*

In ſexto cane aliud, ni pigeat, cernito. Cranio nempe excoriato ejus partem frangere celerrime poteris, membraniſque duris inciſis cerebri motum contemplari: quod quidem cerebrum ita movetur, ut ipſum cor moveri omnes fatentur, motu ſcilicet dilatationis & conſtrictionis. Neque aliter fieri poterat ob animalium ſpirituum generatione, quam cerebro acceptam ferunt omnes pene tum Philoſophi, tum Medici. Hactenus Columbus *lib. 14. de vivi ſectione* in fine. Ex quibus aliiſque quamplurimis rationibus a nobis alias productis aperte deducitur, motum ordinatum ſyſtoles & diaſtoles in cerebro, non tantum pendere ab exiguis minimiſque arteriis duræ meningis, ut hactenus falſo creditum, quantum ab ejuſdem innato, & ſyſtaltico fibrarum elatere, & oſcillatoria ſolliditate conſtrictioneque totius corporis meningis. Enim vero ſi canem vivum ſecueris, videbis jecur aliaque viſcera non pulſare, licet habeant arterias; pulſare tamen cerebrum, non quidem ob arterias, ſed ob peculiare fibrarum mechaniſmum, & elaterem ab helicea earum figura pendentem.

Expedito ſic breviter cerebro, & meningibus earumdemque in centro cerebri prima, valida, atque ſyſtaltica motione examinata & confirmata, ad reliqua corporis ſolida & grande ipſorum imperium, vim, poteſtatem, elaterem, & cum liquidis æquilibrium, ac ſupra liquida ipſa dominium breviter deſcendamus: dicamuſque aliqua nuper a nobis obſervata, & in editis jam libris non deſcripta. Et ſane, ut verum fateamur, incredibilem ſolidorum vim in morbis producendis & in vitæ functionibus perpetuandis, non didiſcimus primo ac præcipue nos anatomicis obſervationibus, ut aliquis forſan crediderit, ſed potiſſimum diligenti, accurata, patientique obſervatione progreſſionis, ſucceſſionis, & eventus morborum pene omnium, qui quotidie mihi occurunt curandi. Et ut reliqua ſileam, quæ multa profecto ſunt, notent quæſo quantum turbatur œconomia corporis animati, & æquilibrium ſolidorum cum liquidis in colliſione calculi cum lateribus pelvis renalis qua includitur, ideſt in colliſione ſolidi cum ſolido. Ibidem totus morbus ſolidi eſt, a ſolido calculoſo irritati, criſpati, convulſi, intenti; & quicquid affectionis, & incommodi hac de cauſa liquidis ſupervenit, ab antedicta ſolidorum criſpatura dependet: neque liquidis mederi commode poteris, niſi ſolidis ante curatis, per balneationes, fotus, olea, hydrelæa aliaque id generis, quæ doloroſam vi calculi renum criſpaturam demulcent, relaxant, molliuntque. Quomodo genarum tumorem inflammationemque in odontalgia ſolves per diaphoretica, niſi affecti dentis dolorificam irritationem ante mitigaveris, & curaveris?

Hanc ſolidorum in progignendis curandiſque morbis poteſtatem præter antedicta facile concipies in aneuriſmate arteriarum, varicibus venarum, hydatibus lymphaticorum, in ſputo ſanguinis ex rupto pulmonis canaliculo, in delirio cum affectionibus horrendis convulſivis conjuncto, potiſſimum ſi ex infarctu pendeant meſenterii, in variis morbis Chirurghiæ ſubjectis, qui magna ex parte ſolidorum vitio aut gignuntur, aut foventur, aliiſque quamplurimis id generis, in quibus ſumma vis ſolidorum male affectorum clare manifeſtatur, & quantum ipſa valeant ac poſſint tam in ſalubri, quam in morboſa corporis conſtitutione, quantumque ipſorum ſupra fluida ſit imperium. Et ſane ſi aer corpus fluidum, evanidum, minimæque reſiſtentiæ, quando a ſolido corpore pulſatur progrediendo, vel per tubam Stentorophonicam, vel per internam aurem noſtram, novam ac novam ſemper acquirit reſonantiam, undulationem, & Echo; cur etiam fibra noſtra ab

ob-

objectis morbosis, vel aliis varie pulsata, pulsationem illam & augere, & perpetuare, & ad remota corporis loca momento temporis protrudere non poterit, cum longe majoris resistentiæ ac soliditatis sit quam aer? quod quidam ex legibus percussionum satis mirabiliter demonstravit *Borellus* noster in aureo libro de *Vi percussionis*: ubi præ ceteris exemplum affert de clavo percusso. Clavus enim, si eidem debite appendantur centum libræ ponderis, ne minimum quidem ingredietur in subjectam tabulam ligneam: si vero percutiatur a malleo ponderis duarum librarum tantum, statim ingredietur in tabulam, eamque ex vi percussionis penetrabit. En familiare exemplum de viribus percussionum.

Ex vi autem fibrarum percussarum, vel ab objectis externis, vel aliis de causis morbosis, variæ in ipsis nascuntur oscillationes, nisus, contranitentiæ, collisiones: & ex his omnibus varii effectus in cursu liquidorum, eorumque cum solidis æquilibrio & mutua motuum communicatione, effectusque, ut plurimum rari, stupendi ac pene incredibiles, quique frustra tribui solent liquidis, cum ab unica solidorum culpa dependeant. Sic nuper ægrotus, ad nova Horrea his diebus constructa juxta hortos Monasterii S. Bernardi ad thermas Diocletianas via Quirinali sive Pia, crudelibus doloribus in sinistro rene vi calculi divexatus, pluribusque frustra adhibitis remediis, cessit tandem dolor facto clystere ex jusculo carnis, & oleo amygdalarum dulcium. Quod vero admiratione ac animadversione dignum est, clyster per sex horas in ventre mansit, tandem totus per urinam secessit, nihilque per alvum; & in urinæ superficie oleum clysteris innatabat: æger autem quinquagenarius erat, calculisque obnoxius. Quomodo, quaque de causa, quibusque viis injectus clyster ex intestinis in vesicam derivarit, mihi sane ignotum. An dolorifica sinistri renis crispatura, solidorumque potens, & insueta oscillatio ad id aliquid contribuere potuerint, eruditis examinandum relinquo. Fibræ nimium intentæ, crispatæque æqualibus viribus & æqualibus contranitentiis in duabus partibus inter se vel dissitis, vel vicinis faciunt, ut fibræ intermediæ, & intermedia hisce contranitentiis viscera & partes nimium intendantur, crispentur, turbentur, tandemque rumpantur, & mille mala liquidis ad contactum currentibus superveniant, ægerque pereat. Sic frequentissime observavi in pueris & infantibus convulsione affectis, si venter nimium intumescat, intendatur, & durior evadat, moriuntur. Impossibile enim est, ut ventre infra crispato, & intento, ac tumido; cerebro vero ob convulsiones eodem tempore in superioribus intento, contracto, convulsoque, intermedia hisce contranitentiis viscera non rumpantur, crepent & strangulando mortem afferant. Cerebro convulsionibus affecto venter mollis obedire debet, sursumque trahi, ut ita cerebrum post intensionem convulsivam relaxetur. Si vero durus ipse, convulsusque venter progrediendo sursum non obediat, in medio strangulantur & solida & liquida, morsque supervenit; quare mortem prædicito pueris, si convulsionibus gravibus durus, intentusque venter superveniat. Quod præ ceteris vidi nuper in puero septenni in foro Matthejorum prope celebris architecturæ fontem nuper restauratum, potissimum die 14. Februarii, anno MDCCV. quo discessit Roma Germaniam, ut dicitur, Maria Casimira Vidua Poloniæ Regina. Hoc analogice applicari poterit ad alias partes vel convulsione, vel inflammatione, vel alia de causa intentas, crispataque. Ejusmodi pariter contranitentiæ causa succedit in diro, & crudeli asthmate, quandiu in periculo est æger; ejusdem pedes non intumescere; quia vi asthmaticæ oscillationis pulmonum, & pectoris omnia liquida vim faciunt, ac remoram circa locum oscillantem, ideo pedes non tument; cum vero tumere incipiunt, signum est relaxari jam in pectore oscillatoriam asthmatis crispaturam, proindeque humores circulum reassumere; ac ob id in asthmaticis salubrior est pedum tumefactio, quam siccitas,

Sed quam portentosus sit elater solidorum, cum extrema oscillatione & crispatura torquentur, & quam incredibiles inde nascantur effectus in animati corporis machina, ex solo hydrope sicco licet addiscere, quod fuse de Eminentissimi Norisii tympanitide supra tetigimus. Invadit magnus & crudelis hic solidorum morbus homines præ ceteris siccos, aridos, adustos, iracundos alvo sicca laborantes, nimium exercitatos, & intempestive; post abusum rerum calidarum, salinarum, acrium, volatilium, post ardentem aliquam febrim, nimias vigilias, nimiam veneris exercitationem, aliqua id generis, quæ corpus ordinario exsiccant. Incipit morbus a doloribus circa lumbos, & umbilicum, ut olim etiam notavit Dictator noster; pedes frequeter non intumescunt, nisi paucis ante mortem diebus, vel heddomadis, cum tympanitidi ascites supervenit, ut in ipso observavimus *Norisio*. Crescentibus in dies doloribus, nec remittente morbo, crescit sensim arcus & intensio elastica potentissima fibrarum abdominis, sub specie tumoris ventris flatulenti; non quod flatus sit causa morbi, ut Antiqui crediderunt, sed fibra intenta, crispataque & portentose oscillans, quæ cum tangitur, resonat, ut intenta, vel resiccata tympani pellis. Calidis remediis, purgantibus, sudoriferis, quæque agunt exsiccando, & malum exacerbatur vehementissime, & vires acquirit eundo: contra remediis humidis, anodynis, demulcentibus, balneatione, sero, & lacte, potione aquarum copiosa mitescit, & sæpe sanatur, ac cedit. Si vero spreta remediorum vi,

dolores,

dolores, & fibrarum intenſiones quotidie creſcant, ſuperveniunt vigiliæ, inappetentia, febricula, alvi ſiccitas, ſitis, &c. Tandem dolorum diuturnitate, ſolidorumque longa criſpatura, ſenſim quoque criſpatur, contrahitur, exſiccaturque vaſorum ſyſtema, potiſſimum per abdominis longitudinem; & hinc ruptis, vel apertis lymphaticis, lymphaque depluente in abdominis cavitatem, ſicco hydropi ante mortem ſupervenit aſcites lethalis, ut ſupra de *Noriſio* narravimus. In hujuſmodi caſibus malum incipit a ſolido, progreſſione vero ejuſdem, tracto in conſenſum liquido, mutatoque æquilibrio motuum inter ipſa, peccat etiam & liquidum. In curatione tamen reſpiciendum ſemper erit ad ſolida, quæ ſane poſt mortem in meſenterio, & vicinis locis arida, tabida, ſicca, & emuncta inveniuntur, quod in pluribus tympanitide mortuis obſervavit etiam *Ballonius*.

Huic malo analogus eſt, nec in lædendo multum diſſimilis, morbus crudelis, horridus, & lacrymabilis dolor ventris, quem dicunt Colicam convulſivam. Occidit paucarum horarum intervallo, vires incredibiles acquirit eundo, pauci ipſum effugiunt, niſi in doctiſſimum, & in ſolidorum naturæ peritiſſimum incidérint Medicum. Corripit ſanguineos, aduſtoſque homines intemperate viventes, in venere immoderatos, bilioſos; pendetque ab enormi infarctu pravorum humorum in primis viis? infarctu, copia, & exaltatione incredibili bilis in jecinore: cujus exaltationis, & acrimoniæ bilioſo-ſalinæ cauſa criſpari, convelli, contrahique fibræ jecinoris incipiunt, quandoque fibræ inteſtinorum, vicinarumque partium, communicataque vicinis locis dolorifica criſpatura, res tandem deſinit in Colicam convulſivam. In hac dolores crudeliſſime totum abdomen invadunt, ventris tumor, intenſio, duritieſque tanta ſupervenit, ut ne quidem digito tangi poſſit venter, ſed adinſtar tympani bellici tenſus, intentuſque doloribus veluti tot canibus miſerrime laceretur: creſcentibus Symptomatis ſitis, inappetentiæ, ſingultus, febricula, motus convulſivi, vomitus; & ad mortem re properante, iliaca paſſio cum ſtercoris vomitu ſuperveniunt, qua pereunt miſerrime, & crudeliter. Uſu remediorum calidorum, quæ in vulgari colica exhibentur, indignatur morbus exacerbaturque vehementiſſime & ſtatim ruit in deterius. Si purgans dederis medicamentum initio morbi, & in actu crudeliſſimorum dolorum, ſtatim jugulabis ægrotantem. Clyſteres injecti nocent maximopere. Nam præterquam quod ab inteſtinorum fiſtula indignata, convulſaque foris potenter repelluntur, uſu ipſorum creſcit dolor, venterque intumeſcit magis, & dolorificus evadit: flatus nec unus pedendo, ſive per inferiora prodit, ſed omnia veluti fatali nodo, & adinſtar unci ferrei conſtricta ſunt naturalia viſcera. Pauci Medici crudelem hunc morbum curare ſciunt; curare vero neſcient, niſi rite cognita ſolidorum natura. Quamvis enim pendeat ipſe frequenter a liquidis corruptis, & puri viſcerum cacochylia, ſolidaque enormiter & crudeliter oſcillent a liquidis indignata & criſpata: tamen initio morbi crudeliſſimi, initio horrendorum dolorum tota indicatio curativa dirigi debet medendo ſolido: laxando nempe quam citiſſime ſolidum criſpatum oleis, balneis, ſive ſemicupiis, anodinis, gelatina Cornu Cervi, &, quod magis urget, ciriſſima ſanguinis miſſione ex pede, vel hæmorrhoidibus, vel aliis ex locis. Nihil enim citius criſpatum ſyſtema ſolidorum, atque vaſorum relaxat, mollit, lenitque, quam ſanguinis miſſio, ut peculiari hiſtoriola paulo infra confirmabimus. Sed, quod magis notandum, initio dolorum tanquam peſtis fugiendum eſt purgans remedium, fugiendi clyſteres, & uſus calidorum. Hæc omnia expertus loquor, eaque obſervatione magis didici, quam librorum lectione, quod ſequentibus hiſtoriolis patebit.

Elapſo anno MDCCIII. adoleſcens ſanguineus, roſeis genis præditus in uſu calidorum potiſſimum ſpir. vini, chocolatæ, vini generoſi, dulcium cibariorum, &c. intemperans, per plures dies doloribus circa umbilicum torqueri cœpit, ſpreto autem malo, repente ſupervenit horrenda Colica convulſiva, cum ventris tumore & dolore incredibili, ut ne induſium quidem ſupra ventrem ſuſtinere poſſet. Vi doloris vertigines, ſitis, ſincopes leves, aliaque ſupra recenſita ſupervenerunt, clyſteres non admittebat alvus, ſed rejiciebat, & fere animam agebat infelix ægrotus, unicus matris filius. In hoc rerum diſcrimine, ſtatim præſcripſi ſanguinis miſſionem ex pede, & dolor tunc aliquantulum ceſſit: Fotus emollientes ex herbis mollientibus cum hydrelæo coctis, ventri frequenter adhibebantur. Oleum Alygd. Dulc. recens extractum ſine igne per os datum, victus tenuiſſimus, ex juſculis nempe, amygdalis & ſeminibus melonum contuſis, ſimul coctis, & percolatis; gelatina Cornu Cervi valde ſuavis per intervalla data. Bis in die ingrediebatur ſemicupium ex hydrelæo cum herbis mollientibus cocto. Horum uſu remediorum, uſque ad quintum diem, quo tempore fui veluti adſidens ſpectator morbi, & Miniſter Naturæ, nil novi ſupervenit, ſed omnia in ſtatu paulo meliori. Nec purgantia, nec clyſteres uſque ad ſextum diem præſcripſi: tamen nulla ſpes ſalutis effulgebat. Circa ſextum cum eſſet æger in ſemicupio, flatus, qui per inferiora nunquam apparuere, tunc primo auditi ſunt foris erumpere cum levamine patientis. Ex noviter apparentibus flatibus didici criſpaturam lethalem inteſtinorum miteſcere, mulceri, & relaxari, & ſalutis ſpem promittere, uti revera evenit; nam veſperi in ſemicupio, & vehementiores flatus & primæ ſtercorum cacationes-

nes-

nes apparuerunt : ſigna evidentia lethalem viſcerum criſpationis nondum relaxari, elongari, mulceri. Clyſteres die octava primo injecimus ex Ol. Amygd. Dulc. recenti, vitello ovi, & aqua hordei, qui ingentem, ac horrende fœtentem materiem varii coloris eduxerunt. Laxato itaque circa decimum, dictorum ope remediorum, ſolido viſcerum, inteſtinorumque indignato, contracto, convulſoque, indicationes tunc omnes dirigebamus ad liquidum, putrem nempe viſcerum cachochyliam, cujus cauſa & culpa enormiter, atque fataliter criſpatum fuit ſolidum prædictarum partium, initioque morbi educi non poterat, non laxato prius, mitigatoque ſolido indignato. Tunc igitur per clyſteres frequentes, purgantia appropriata, apozemata ſolutivo-anodina, aquas thermales Villenſes, Lucenſes, aliaque id generis, eductis ingenti copia pravis humoribus horrende fœtentibus optime convaluit optimus addoleſcens, qui decumbebat in poſteriori Area Baſilicæ S. Marci, quia tendimus in Capitolium.

Eodem crudeli morbo, iiſdemque de cauſis laborantem illuſtrem in urbe Juriſperitum nuper feliciter curavi præfata noſtra methodo : nempe ſanguinis miſſione per hæmorrhoidas, ſemicupiis, aliiſque remediis, & methodo ſupra recenſita. Ætatis erat XL. annorum circiter, facie pallidus veluti aurigine jecinoroſus, facile iracundus, ſtudiis maxime deditus, & in omnibus ſex rebus non naturalibus minime temperatus. Cum eſſet liberatus a fatali colica convulſiva, eductaque fuit ingens pravorum, fœtentiumque humorum copia ; in dextro hypochondrio, ideſt in jecore tactu manifeſtatus eſt tumor, ſive jecinoris pleni maleque affecti indicium : cui debellando malo hodie incubimus.

Hiſce pariter diebus Virginem pulcherrimam XVIII. annorum ætatis, celeberrimi Pictoris octuagenarii noſtri amiciſſimi fauſtam felicemque filiam, cujus nomen reticeo ; crudeli hoc malo repente affectam atque correptam eadem methodo ſanavi, ſive, quod eſt incredibile, ſola ſanguinis miſſione ex pede : nam quo tempore exibat ſanguis ex aperta vena, eodem prorſus tempore flatus infiniti emittebantur per alvum pedendo. Vomebat quoque, & diarrhæa eo actu correpta fuit, vixque finito ſanguinis exitu, flatu, vomitu, & diarrhæa propter apertam venam ſupervenientibus, ſtatim liberata eſt a doloribus, & non multo poſt ab aliis accidentibus, curruptis humoribus ac fœtentibus copioſe expurgatis. En quomodo ſanguinis miſſio, momento temporis laxat ſolvitque criſpatum, irritatum indignatumque ſyſtema ſolidorum, vel doloris vel inflammationis culpa. Sic ſæpe vidi nimium dolentes pleuritides, nulliſque remediis cedentem dolorem ſtatim ſolutum eſſe applicata dolenti lateri cucurbitula ſcarificata paucoque ſanguine educto : quo facto & ſputum, & ſudores, & alia liquida in libertatem poſita apparuere. Spongia aqua calida madens & imbibita in pleuriticis, ſi pluries in die ante os detineatur, & aura calida inſpiretur, fere pro ſecreto ſolvit dolorificam inflammatæ pleuræ, pulmonumque criſpaturam. Ex his aliiſque id generis exemplis prudens doctuſque Medicus facile dignoſcet, quam magnum vitæ diſcrimen pendeat ab indignatis, criſpatis exſiccatis, contractiſque ſolidis, ut in morbis citatis, in mola convulſiva, ſimilibuſque ſolidorum effectibus notavimus. Nec mirabitur quiſpiam, ſi multa tribuam ipſe ſolidis, & magis quam alii omnes ante me fecerunt Medici. Nam quotidiana experientia & patiens, diligenſque morborum notatio atque animadverſio, ad id credendum me veluti impellunt, & cogunt. Non excludo tamen fluidorum poteſtatem ; ut alias diximus, nam vita in utrorumque mixtione & æquilibrio poſita eſt : & a præfatorum morborum curatione, quam utiles, veluti per analogiſmum, deduci poterunt indicationes curativæ ad alios morbos ſingulis in partibus curandos, atque tollendos.

Robur aut omne, vel majori ex parte in movendam animalis machina pendere magis ab elatere, tono, & energia minimorum, quibus veluti multiplicatis vectibus carneis, fibra quælibet, potiſſimum carnea, componitur, quam a ſomniata lucta liquidi nervei nitro-ſulphurei, inter cetera experimenta nos anatomica monet obſervatio, facta in prægrandi, & maximæ molis piſce vulgo dicto *Requen*. Hic eſt incola maris Oceani, præcipue ab Inſulis Fortunatis ad lineam æquinoctialem, & paſſim in toto Barbarico Oceano invenitur. Tantæ magnitudinis eſt, ut ſæpe integra homninum devorata cadavera in ejus ventre reperiantur. Vires, ac robur habet incredibile, maxime vero in cauda. Caro ejus duriſſima eſt, lignea, ac inſipida, ac præ duritie vix dentibus frangi, aut maſticari poteſt. Sed, quod magis eſt mirandum, quodque maxime facit ad rem noſtram, necato animali, & cauda reſciſſa, nec non reſciſſo capite, corde, omnibuſque viſceribus, truncus cadaveris tam fortiter & tam vehementer per longum temporis intervallum agitatur, convellitur, concutiturque, ut tres vel robuſtiſſimi homines vix illum detinere queant. Undenam, quæſo, demortuo trunco tam grande robur ſine liquidis, ſine ſpiritibus, ſineque viſceribus, ſi fibris innatum elaterem & portentoſam oſcillationem denegaveris ? Id nuper peculiari ad ſummum Pontificem Epiſtola, typis hodie publicata, ſcripſit illuſtris Præſul *Carolus Thomas Maillard de Tournon* Patriarcha Antiochenus, Viſitator Apoſtolicus, cum facultate Legati a Latere ad regna Chinenſium, & Indiæ Orientalis a Summo Pontifice miſſus. Scripſit autem *e Pondicherio* in tractu Coromandel Indiæ Orientalis die 6. Novembris MDCCIII. Roma vero, Orientem verſus diſceſſerat die 4. Julii MDCCII. per

Hiſpaniam, & Canarias Inſulas cum pluribus religioſis Presbyteris, vulgo dictis Miſſionariis, ad inveſtiganda ſingula, quæ de Catholicis circa Confutii cultum apud Sinas manentibus Romæ obmurmurabantur, quæque longas lites apud S. Sedem longo tempore pepererunt. In eadem Epiſtola nuper, ut dicebam, typis data refertur adeſſe parvulos piſces in eodem mari, in quo vivit *Reguen* piſcis, qui ad ſuperficiem maris turmatim volitant ut aves, ob idque a nautis piſces volantes appellantur. Refertur pariter homines longa navigatione reddi ſcorbuticos, illorumque ſcorbutum, irritis aliis remediis, ſtatim ſanari cum, relicto mari, ad terram veniunt terrenumque aerem reſpirant, & ducunt.

Potentiſſimi fibrarum elateris, & innatæ energiæ in movendis animalium corporibus, domeſticum habemus exemplum Romæ hoc Decemb. menſe anni MDCCIV. in Juvene Anglo, cui nomen Richardus Goy ætatis annorum XXVIII. qui que natus eſt in Inſula Thanet in Comitatu Kent, non multis Dondino milliariis, atque ob incredibiles, quas poſſidet, vires Samſonis Angli vulgo nomen obtinuit. Columnam marmoream duodecim palmorum longitudinis, & diametri unius palmi cum ſemiſſe, fune circa lumbos bene complicato, elevat cum facilitate, ſola vi lumborum. Duo equi, quibus ipſe forti fune alligatur circa lumbos bene munito & intorto, licet fuſtibus percutiantur, ut velociter currant, ipſum humi ſedentem ne loco quidem dimovere valent. Tabulam ſive ſcamnum ligneum, quindecim, & amplius palmorum longitudinis dentibus fortiter, prehendit, & prehenſum dentibus alte elevat, & tandem quo vult projicit. Plura hujus generis certe admiranda virium exempla nuper præbuit Romæ magna cum populi frequentia, & admiratione, majori tamen cum utilitate ſui, atque lucro non exiguo. Altus eſt corporis ſtatura, quadratus ac veluti athleticus, flavis capillis, muſculorum vero duritie, potiſſimum circa articulos, admirabili præditus, ita ut ſi quis eum contrectat prope articulationem femoris cum tibia in poſteriori eorum parte, marmor, aut ferrum contrectare, non vero carnem videbitur. Hujuſmodi vires a puero ſibi ſenſim creſcere animadvertit. Soror ejus, aliique conſanguinei in ratione virium multa etiam efficiunt admiranda. Ex hac rara & incredibili fibrarum, potiſſimum circa genu, & in aliis quoque muſculis duritie, facile concludo robur ejus ingens non tantum a liquidis nitro-ſulphureis pendere, quantum ab innato fibrarum robore, criſpatura tenſioneque elaſtica, quæ continuo athletices & exercitationis circa ſtaticam uſu multo fortior redditur atque potentior: cum de reliquis, quæ ſpectant ad victum, ſobrius ſit, & in uſu vini generoſi moderatus, moderatus pariter in uſu calidorum, a quibus vires in debilibus augeri obſervamus, aut credimus. Quod vero præ ceteris ad vinum pertinet, domi meæ mihi nuper narravit uſu vini generoſi, vel potius abuſu debiliorem ſe ſentire, quam cum eodem aut abſtinet, aut utitur temperate. En quomodo ad præconceptam fibrarum intenſionem, fortemque, ac ſyſtalticam earum oſcillationem ſingula motus phænomena debite accommodantur, ac diriguntur.

Pateat itaque, quod hactenus probavimus ſummam eſſe ſolidorum poteſtatem in efficiendis, perpetuandiſque morbis tum ſanis, tum morboſis corporis animati, non denegando tamen ſuam liquidis, quæ pariter magna eſt, & ſummum inter ſingula intercedit æquilibrium. Verum ſiquidem eſt ſolida varie contrahi, aut relaxari, prout liquidum, quod illis fluit ad contactum, fuerit acre, ſalinum, urens, vel contra oleoſum, aqueum, mucilagineum &c. Nam quod piper, aromatica, ſalina, aut acria, vel contra oleum, aqua, lac &c. faciunt in fibris oris & gulæ, eaſdem criſpando, aut laxando: idem efficiunt, atque perpetuant per univerſam vaſorum, viſcerum partiumque longitudinem, per quas fluunt circulando, idque tandiu præſtant, donec talis ipſorum virtus coercita fuerit; vel in alienam mutata naturam per Medicamenta, quodque hæc in ore efficiunt, per univerſam quoque vaſorum corporis propaginem, fibrarumque ſeriem efficiunt; ex quo de medicamentorum viribus, & utilitate plures atque utiles deduci poſſent concluſiones. Acria, ſpirituoſa, aromatica &c. fundunt, & fermentant liquida; criſpant vero, ſtrangulantque ſolida, unde malorum origo quamplurium, in quorum curatione ſolidis æque, ac liquidis proſpiciendum. Sic nuper mulierecula ætatis annorum XXXV. calido prædita temperamento, ob nimiam humorum acrimoniam, in lepræ Græcorum ſpeciem incidit, cum ingenti menſium ſuppreſſione per multum temporis intervallum, uſu decoctionis ſudoriferæ a Medico præſcriptæ, abiit in deterius: ulcera in pedibus cum febricula apparuere. Ipſe conſului unoquoque mane plures aquæ libras cum ſyr. viol. hauriret, & duceret per urinas interjectis per intervalla purgantibus ſyrupis. Horum uſu remediorum, victuſque humectantis & dulcificantis ope duorum menſium ſpatio perfecte convaluit; curationeque finita apparuere menſtrua magna in copia, laxatis uſu aqueorum ſolidis, quæ ante potenter criſpabantur ab acrimonia ſalina liquidorum vitalium, & dicta criſpatura menſtruorum fluxum impediebant: quod animadvertant ii, qui ſingulas menſtruorum, ſuppreſſiones myrrhatis, acribus ſalinis, acutiſque aperire contendunt, nullo facto examine temperamenti, ætatis, corporis habitus: toni fibrarum, morborum animi, ſimilibumque, quæ ad medendum bene, ſcitu credimus neceſſaria: quæque menſtrua aperire volunt Medici per indebita remedia, ſupprimunt magis, coarctantque, atque in ſcirrhos cancroſque uteri, & mille ejuſdem mala præcipitant infelices mulierculas.

Habitat

Habitat hæc muliercula apud novam columnam Consecrationis Antonini Pii patris, anno MDCCIII. detectam in Campo Martio ad latus magnæ Curiæ Montis Citatorii, ut supra diximus.

Ex quibus clare deducitur suam etiam inesse fluidis potestatem in lædendo, quod certe nunquam negavimus. Sed Medicos monebamus, ut in curatione morborum ad solida quoque respiciant, quibus in offendendo maxima vis inest & energia, eoque magis quod fluida morbosa facile corrigi poterunt per remedia intus data, contra vero solida, vel vi morbi, vel ætatis, aut temperamenti aliisque de causis affecta, exsiccataque difficilius restituuntur. De qua solidorum natura, & usu in vita animalium perpetuanda, ut certiores reddamur, observanda quotidie est ægrorum omnium varia cutis, totiusque corporis habitus ad duritiem, aut mollitiem propensio, & inde variæ deducendæ conclusiones ad rite applicanda remedia, morbosque curandos: & ita procedendo per varias hominum ætates, ætatum singularum cutim, corporisque habitum adnotare decet. Ita nuper observabam cutim senis XCV annorum ætatis. Habebat in facie rugas morbidas, æquales, non multo elevatas, & quodam veluti oleo leniter per totam faciem oblinitas; color in genis erat tenuiter roseus, odor oris non fætens, sed suavis, color palati rubeus valde, ac veluti scarlatinus. An in omnibus longævis talis status cutis reperiatur observatione continua est addiscendum. De his vero pene divine differentem, ac de stricto, & laxo solidorum disputantem, unum inter omnes antepono *Cælium Aurelianum*, Siccensem, Africanum, vetustissimum Methodicum, quem semper in manibus habere debent Medici, cum diagnosim, historiamque morborum, atque per strictum & laxum curationem admirabiliter tractet, utiliterque. Hæc autem solidorum supra fluida vis, atque energia ex doctrina virium percussionis evidenter deducitur atque probatur, ut libri *Borelli* de vi percussionis aperte manifestant. Certe enim nisi moveatur cor, pulsare non poterunt arteriæ, etiamsi in iis contineatur sanguis. Cor vero pulsat, quamvis in ejus ventriculis sanguis non adsit, ut in vivisectionibus aperte demonstratur. Primas itaque obtinere videtur solidum supra fluidum, quam contra. Sed de his plura alias animadvertimus.

CAPUT III.

In quo plura examinantur, quæ pertinent ad Vegetationem Lapidum, & Analogismum circulationis maris per viscera terræ ad circulationem sanguinis per viscera microcosmi.

IN opusculo de vegetatione lapidum, quem typis dedimus, ratione & experimentis probavimus duo esse principia, quæ ad generationem lapidum concurrunt, partem nempe aqueo terream unam, alteram vero salinam. Aqueo-terrea, vel aquea simplex est principium constitutivum, sive materiale; salina vero, coagulans, & duritiem inducens: quod præ ceteris in lapidibus, & albis marmoribus evidenter observamus. Marmora vero variorum colorum, licet principium materiale aquam agnoscant, ut alii lapides, colorem tamen acquirunt a sulphure metallico diversi generis mineralium, aut subterranei, vel submarini boli; duritiem vero a peculiari bitumine congelante, & durefaciente adinstar Ichthyocollæ, ut ibidem fuse demonstravimus. Nostram hanc hypothesin firmabat observatio multigena a nobis aliisque facta Auctoribus circa lapides, quos fere omnes in matricibus suis, & prima ipsorum origine molles esse infallibili experimento evincitur. Atque in hujus rei confirmationem plures in ea tractatione observationes congessimus, & plura quoque experimenta, quibus sequentia nunc adjungimus, quæ ad hanc usque diem nobis contigit investigare, ac perficere.

Et primo quidem omnia marmora, & lapides dum eruuntur, molliora sunt in sua matrice, quam progressu temporis a matrice rescissa & in usum adhibita, excepto lapide Porphyrite, qui ejusdem duritiei est, non solum cum matrici adhæret, verum etiam cum ab ea rescissus est. Secundo ex observatione Lapicidarum in lapicidinis Tyburtinis albi lapidis Tyburtini constat, quod si hujusmodi lapis eruatur ad radices montis in plano horizontali vicinorum camporum XX. aut XXX. palmis sub terra, esse admodum mollem ac friabilem, & si paulo profundius excavando pergas, aquam sensi erumpere, ac transudare videbis, & majorem semper in inferioribus esse lapidum mollitiem. Si vero lapides fodias, sive novam caveam incipias circa montis medietatem, vel summitatem versus; profundius excavare poteris lapidum copiam, eosque duriores, nec erumpentes aquas tam facile invenies, nisi cum fodiendo descendas ad profunditatem XXX. palmorum circiter infra planum horizontale campi ad radices montis. Hoc idem Tyburtinum marmor molle fuisse in primæva sui origine manifeste deprehendimus anno MDCCIII. in ingenti marmore, ex quo facta est statua sancti Episcopi. In superiori parte dictæ statuæ concluſa, & ingenita inventa sunt quatuor magna ferri frusta ponderis sex librarum circiter, quibus veteres Lapicidæ ad fodiendos lapides utebantur: cumque in lapidicina remanserint, crescente sensim, ac vegetante lapide circumcirca, in eo concluſa fuere, binaque dicti ferri frusta apud nos conservamus. Dicto anno MDCCIII. statuæ omnes marmoreæ supra reliquas porticu areæ S. Petri Basilicæ jussu Summi Pontificis complete sunt, aliisque adjunctæ, quæ ab Alexandro VII. in area maxima dicti templi supra perampias columnarum, magnificasque porticus ab eo extructis, fuere collocatæ. Hæc vero frusta ferri inventa sunt in statua S. Episcopi ex parte dextera cum Basilicam

aſcendimus, & ab amico Sculptore mihi communicata.

In Provincia Umbriæ editionis Eccleſiaſticæ celebris eſt aqua Nuceria, ita dicta, quod non longe ab urbe Nuceria nobili fluviolo excurrit. Aqua eſt magnarum virium in morbis curandis, & humoribus acribus ad dulcedinem reducendis. Fundus aquæ albo bolo, ſive candida terra conſtat; ex qua peculiari artificio elicitur verum argentum, ſed magna cum impenſa, ut fide digni ſacerdotes, & oculati teſtes mihi narrarunt. Eam igitur aquam per argenti mineras excurrere probabile eſt; hinc eximia ſua virtus. A mineralibus itaque imprimi poſſe matricibus lapidum radios ſuorum entium, qui poſtea in lapidibus vigeant, & ſeſe manifeſtent, ex hoc & aliis id generis experimentis manifeſto demonſtratur.

A mercatoribus, qui per Indiam peregrinati ſunt, audivi terram, in qua vegetant adamantes, ſeptem annorum ſpatio quietam relinqui, quibus elapſis adamantes jam productos denuo effodiunt.

Alabaſtrum Coregninum vulgo *della Majella* in Regno Neapolitano, Samnium verſus recens effoſſum, ſi percutiatur fortiter, picis odore nares ferit, ex quo confirmatur noſtra opinio alba marmora & lapides a principio ſalino indurari, & cncreſcere, marmora vero variorum colorum a bitumineo adinſtar ichthyocollæ.

A matricibus lapidum vulgarium, veluti per analogiſmum argumentari poteris ad lapides humanos, qui etiam in ſua primæva origine molles ſunt, ac adinſtar cæpæ foliati. Ac præterea, quæ attulimus in citato tractatu, nuper relatum eſt ſecto lapide veſicæ in matrona Fanenſi in medio lapidis inventam eſſe ferream acum, quam tribus ante annis deglutierat. Qua vero via, quove artificio acus deglutita a ſtomaco ad veſicam permearit, ſpeculentur viri in re medica eruditi. Probabile eſt acum fuiſſe veluti primum ſtratum, ac veluti centrum, cui primum hærere cœperunt prima lapidis ſtamina, noviſque advenientibus aucta in lapidem ſenſim abiere. In liene viri religioſi ex familia Franciſcana Venetiis inventus eſt nuper oſſiculus ſpongioſus ponderis undecim drachmarum; qui re vera nil aliud eſt, quam mollis portio membranea lienis ob ſalium adventum, & cryſtallizationem in oſſeam ſive lapideam duritiem commutata.

Ex his, & plurimis aliis id generis experimentis, quæ adduci poſſent, concluditur lapidum materiem mollem ante fuiſſe, potiſſimum in matricibus ſuis, deinde ſenſim acceſſione, vel bituminoſæ ichthyocollæ indureſcere, adeoque lapides matricibus ſuis hærentes vegetare, nutriri, & creſcere. Ad quod obeundum muneris, circulationem aquarum maris per viſcera telluris ibidem deſignavimus, & argumentis probavimus. Concha maxima telluris, qua univerſa maris aqua continetur infinita non eſt, ſed limitibus concluſa ſuis. Unde cum tot perampla flumina multis abhinc millenis annis in illa ingrediantur, nec redundet, neceſſario deducitur marinam aquam per viſcera telluris circulare. Ad circulandum autem cogit ipſam; 1. pondus proprium, & aquarum advenientium, preſſioque continua ſuperiorum in inferiores; Pondus ſalis ingeniti; 3. Pondus aeris ſuperincumbentis; 4. Demum preſſio globi Lunaris, qui terræ concentricus eſt. Harum omnium preſſionum de cauſa aquæ maris inferiores coguntur ſuperare reſiſtentiam pororum telluris, ſicque per viſcera terrarum filtrari, donec depoſito ſale, ubi debent ipſum deponere, ipſæ tandem in formam aquæ dulcis ad planum horizontale telluris aſcendant, & in fluminum rivulorumque formam in mare denuo decurrant.

Sed ut hujuſmodi circuitus aquarum per viſcera terræ, atque aſcenſus ad planum horizontale ejuſdem, imo ſupra planum ipſum facile concipiatur, ſciendum eſt pondus aquæ dulcis ad aquam maris ſalſam eſſe ut 8. ad 9. vel, ut alii volunt, ut 50 ad 51. atque adeo aquam dulcem eſſe ſalſa leviorem. Quod ex obſervatione doctiſſimi *Cavalerii* certo determinatur. Etenim ſi in fiſtulam nitream duorum crurum aquam dulcem injicias primo, & mox aquam ſalſam, dulcis aſcendet ſenſim ad ſuperiora, aqua vero ſalſa cum eſt ad libellam in altero cure reſpectu dulcis ſe detinet infra libellam ejuſdem. Quod cum verum ſit, aqua maris inferior preſſa a ſuperiori penetrat, dictis de cauſis, viſcera terræ, atque perenni per eam filtratione nutritionem impertitur, vegetationem, atque incrementum gemmis, lapidibus, mineralibus, aliiſque ſubterraneis. Quæ vero ab hiſce muneribus & uſibus ſuperflua eſt aqua maris, depoſito ſale in inferioribus ac lateralibus, ſenſim per venas & intercapedines lapidum, terrarumque aſcendit ad planum horizontale telluris, & ad libellam maris, ſicque in formam fluminum, fontium, aut rivulorum jugiter ac perenniter in mare recirculat, ut denuo filtretur; portio vero ratione peculiaris impetus ſubterranei, & conſtrictionis pororum lapidum terrarumque, per quas ſubit, aſcendit ſupra libellam maris per milliaris ſpatium ad colles & montes, datque originem fontibus vivis in montium ſummitatibus: idque ratione proportionis aquæ dulcis ad ſalſam modo ſupradicto. Atque adeo, veluti per compendium: Dico aquam maris deſcendere per viſcera telluris, quam friabilem, & arenoſam ſuppono; filtrando autem ſe per eam incidit in marmoream duritiem lapideamque ſubterraneam terrarum, quam cum facile pervadere nequeat, nec per lineam perpendicularem deſcendere, cumque continuo preſſa a ſuperioribus perenniterque advenientibus aquis, angulum efformat, percurritque per lineam paralellam ad Horizontalem, uſquequo exeat a perpendiculo totius aquæ maris, veniatque ſub plano telluris detectæ

ab

ab aquis; ſicque percurrendo ſenſim elevatur quouſque perveniat ad lineam horizontalem, quæ tranſit per ſuperficiem aquæ maris. Et quando ſalſa eſſet talis aqua, uti illa maris, cum pervenit ad lineam horizontalem prædictam, inibi quieſceret, nec altius attoleretur. quia ad libellam maris perducta jam eſt. Salſa tamen non eſt: quia ſalinam partem in terræ viſceribus depoſuit, proindeque levior reddita ibidem non quieſcit, ſed altius progrediendo, ac ſuperando lapidum montiumque venas ac interſtitia, tandem aſcendit ſupra maris libellam per milliare, & ultra, atque ſic ſub rivulorum figura deſcendendo in mare, circulum perpetuat.

En quomodo fere ad evidentiam mathematicam circuitus aquarum maris per viſcera terræ comprobatur. Et quadam veluti mechanice non impropria, nec ſpernenda varii motus maris, variis motibus Sanguinis in corpore animato reſpondent. Quatuor in mari motus obſervant Auctores. Primus eſt ab oriente in occidentem, ſecundus a ſeptentrione in meridiem, tertius fluxus ac refluxus communis omni mari, ultimus filtrationis per terræ viſcera modo ſupradicto, ad circulationem aquarum perpetuandam. Sic quodammodo in ſanguine quadruplex hinc motus obſervatur. Primus ab oriente cordis in occidentem partium inferiorum, ad quas, præter motum impreſſum, currit motu innato gravitatis, ſecundus a ſeptemtrionalibus brachiorum, & lateralibus, pectoris partibus ad meridiem cordis, motu quaſi horinzontali, tertius fluxus ac refluxus communis omni ſanguini ſupra, & infra, & ad quaſcumque partes progredienti, ultimus filtrationis per viſcera, & variarum filtra glandularum, ut poſt filtrationem, abſulta humorum depuratione, nutritioneque partium, ſanguis denuo ad cor circulando veniat; unde primi motus habuit originem. Qui motus ſinguli ſanguinis ſingulis maris motibus ſupradictis quadam peculiari mechanice, analogice, licet remote, reſpondent. Sicque in perenni motu poſitus ſanguis vitæ, motuſque munia perpetuat, & a qualibet putrefactione, quam ſtagnando acquireret, immunis evadit.

Nec ſolum analogiſmus evidens eſt inter curſus varios liquidorum microcoſmi, & mundi magni, verum etiam in variis liquidorum productionibus, novis fermentationibus, meteororum phaſibus, mixtionibus infinitis ſalium, ſulphurum, terrarum, aquarum, ſpirituumque. Solis enim calore variæ naſcuntur fermentationes in terris, & aere, & inde variæ ac perennes generationes, corruptioneſque, in ſubterraneis quoque, vi caloris centralis, variæ pariter ſubterraneorum generationes, ac diſſolutiones & inde variæ terrarum facies tam in centro, quam in ſuperficie fiunt, & uſque ad orbis terrarum durationem ſuccedent: quod in Theoria ſacra telluris demonſtravit *Cl. Burnetius* ſeu multo ante ipſum *Franciſcus Patricius* admirabilis ac portentoſi viri ingenii in aureis ſuis operibus. Natus eſt Cliſſæ in Dalmatia hic Doctiſſimus Vir, floruitque tempore Clementis VIII. Pont. Max. in hoc Archilycæo publicus Profeſſor Philoſophiæ.

Atque ſic variarum fermentationum gratia in terræ viſceribus, ac in ejuſdem ſuperficie, variæ naſcuntur productiones rerum, ac metamorphoſes tam in animalium, quam in vegetabilium ac mineralium genere. Et pro varia vaporum exhalatione a terræ ſuperficie, variæ oriuntur in nobis quoad ſalutem & morbos mutationes, & variæ quoque in meteorologicis in aere. Et quod ad mutationes præ ceteris attinet, notabilis eſt illa, quæ noſtris temporibus in plurimis Italiæ locis regnat, ac viget; ideſt prava aeris conſtitutio menſibus æſtivis, propter quam morbi, febreſque malignæ, & graves vulgo ex aeris mutatione dictæ naſcuntur, idque potiſſimum in Urbe, in Latio, finitimiſque eidem locis, Neapoli, & proxima Campania, in Apulia, aliiſque nonnullis Italiæ, in quibus ſi quis æſtivo tempore incaute pernoctaverit, geratque pravum humorum apparatum in viſceribus, maligna febre ex aeris mutatione corripitur, quæ tum invadendi modo, tum curationis methodo ab aliis malignis maxime differt. Cauſam hujus pravæ conſtitutionis aeris, temporibus priſcis ignotæ, & inauditæ, tribuunt multi pravæ ac peculiari aeris diatheſi. Ipſe tamen crediderim pendere ipſam a putridis malignis, corruptiſque vaporibus a lino & cannabe exhalantibus, cum eo tempore aqua macerantur in magnis terræ foveis, ut ad maturationem, perfectionemque redigantur. Peſtiferi enim ſunt tales corrupti maceratione lini exhalantes vapores, & vi caloris ſolis in aera tracti. Cujus veritatis domeſtica exempla habentur plurimis in urbibus, in quibus cum linariæ caveæ remotis ex locis in ſuburbia ductæ eſſent, morbi ſtatim ex aeris mutatione nati ſunt: quod in urbe Hiſpaniæ nuper eveniſſe narravit doctiſſimus Præſul, qui nuper ex Hiſpania Romam venit; idemque etiam Puteoli eadem de cauſa accidiſſe. Cum vero antiquitus ex lino telæ, & lintea menta non texerentur in uſum domeſticum, neque etiam linum macerabatur: ac proinde nec pravi ac peſtiferi vapores aera inficiebant, qui malignos parerent morbos nobis familiares his temporibus, ob lini uſum, macerationemque in aquis ſupradictam. Sed cur in Italia tantum, & in nonnullis ſolummodo Italiæ locis, non vero in tranſalpinis, talis mutatio aeris æſtate obſervetur, licet ubique, gentium linum macereturs & in uſum civilem ducatur? Crediderim pendere id a majori, vel minori climatis caliditate, aut frigiditate. Nam ſicuti hyeme in ſuſpectis Italiæ locis nullus eſt metus febrium ex mutatione aeris, quia frigus depreſſos tenet, coercitos, enervatoſque vapores maleficos, ita in ſeptentrionalibus ob dictam cauſam minor eſt eorum activitas, quia majus ibidem frigus, quam in Italia, propter quod deprimun-

tur, ne lædant. Apud nos vero vi ardentis caloris ſolis ad extremum activitatis gradum exaltati vapores in veneniferam degenerant naturam: ſicuti Tarantulæ in Apulia æſtate tantummodo veneniferæ ſunt ob eandem rationem. Et hæc ſane magna eſt Romæ infelicitas, ut ardente Syrio, metu febrium ex aeris mutatione, veluti compendibus ligati detineamur in urbe, nec in ſuburbanis villis poſſimus ruſticare: quia in villa, in qua quis pernoctaverit, ſi urbem paulo poſt regrediatur, facile corripietur maligno morbo ex aeris mutatione. Et impoſſibile in Latio eſt æſtatis tempore neceſſarium fatigatis mentibus levamen ruſticationis uſu procurare: quod ad longe, atque ſalubriter vivendum occupatis hominibus eſt tantopere neceſſarium. In eadem nampe intentione nunquam retinenda menſi eſt; ſed, ut docet *Seneca*, ſæpe ad jocos & hilaritatem revocanda. Et revera mihi optime arridet, quod de Scævola narrat Valerius maximus. *L. Mutius Scævola Augur, ut in rebus ſeriis Scævolam, ita in ſcurrilibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit.*

Atque hæc ſunt, *Hottone* amiciſſime, quæ mihi differenda tecum erant de variis naturæ effectibus, quos obſervare potui in Urbe ab anno M. DCCIII. ad præſentes III. Idus Martias. Tibique denuo repetam magnam æſtimationem, quam ſapientiſſimus noſter Cardinalis Noriſius de tuis in re litteraria meritis ſemper habebat. Reliquum eſt, ut me amare pergas. Vale.

Romæ III. Idus Martias, 1705.

Poſt conſcriptam hanc diſſertationem, Columna Antonini Pii juſſu ſummi Pontificis evulſa eſt ſuo loco, & in vicinum forum Curiæ Montis Citatorii delata, ut ſplendidiori loco erigatur quam primum. Id autem factum eſt die Veneris XXV. *Septemb. anni* CIↃIↃCCV.

GEORGII BAGLIVI DISSERTATIO VI.

DE ANATOME, MORSU, ET EFFECTIBUS TARANTULÆ.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

HIERON. CASANATE CARDINALI,

GEORGIUS BAGLIVUS. S. P.

MULTA *ſunt* HIERONYME *Cardinalis Ampliſſime, eaque ſingula permagni ponderis, quæ me non invitent ſolummodo, ſed etiam impellant, ut iſtum meî litterarii laboris, ſtudiique partum Tuis ſub auſpiciis, Tuoque inſcriptum nomine prodire velim. Et primum quidem animum addit multiplex ille tam variæ Eruditionis theſaurus, quem intra mentis Tuæ penetralia, tum ingenii perſpicacia, tum ſtudii aſſiduitas cumulavit. Neque enim verendum eſt, ne vile doctiſſimo Principi videatur iſtud qualecumque eſt ſervitutis erga Te meæ, devotioniſque monumentum; quippe qui optime noverim doctrinarum, ac virtutis merces, contra quam externis, & vulgaribus accidere ſolet, pretioſiores, carioreſque ibi eſſe, ubi harum major ſit copia: quin potius certam in ſpem adduci me poſſe, eo lubentius à Te exceptum iri munuſculum, quo hujuſmodi opum ſis locupletior. Harum Tuæ mentis divitiarum imago quædam ac ſimilitudo eſt dives illa, ac Perſica magis Gaza æſtimabilis, cujuſque generis librorum ſuppellex, ſolerti delectu, & indefeſſa conquiſitione collecta; in quam ſi pervenire, atque inter tot tantique nominis Virorum Opera adſcribi libellus poſſet, ſicut ſummæ felicitati duxerim, ita fieri ut queat plane diffido, niſi, quod merito debitum non eſt, id pro Tua in Auctorem humanitate, ac indulgentia aſſequatur. At quid ego iſtas, quæ cuipiam in promptu ſunt externas, ut ita dixerim, adventitiaſque opes commemorem? Interiores aliæ ſunt, atque adeo Tibi propriores; quæ mihi hanc, in fidem me Tuam, ac clientelam conferendi mentem ingeſſerunt. Quamvis enim illæ Tui animi dotes præclaræ omnino ſint, & eximiæ, atque ſua Chriſtianum Orbem fama impleverint, cum primis tamen eos ſuam in admirationem rapiunt, quibus eas cominus intueri licet. Enimvero credi vix poteſt quantum Catholicis partibus dignitatis adjungat magna illa opinio, atque exiſtimatio, quam de Te, vel qui Matrem Eccleſiam non agnoſcunt, impreſſam, conſignatamque animo habent. Quotquot a Tranſalpinis Provinciis Romam variarum hominum Sectarum accedunt, poſteaquam propiore Te viſu introſpexerint, ad integritatem fidei ſi minus redeunt, ſaniores tamen, ac remiſſis, quas de Catholica Eccleſia informarant, falſis opinionibus, diſcedunt. Vident quippe in omni vitæ Tuæ ratione non modo ſincerum, & ardens ſtudium Apoſtolicæ Sedis, & libertatis Eccleſiaſticæ jura tuendi, qua quidem re (tantum opinio præjudicata poteſt) non ita valde moverentur, ſed ſummam morum innocentiam, profundam præterea, intimamque Sacrorum Canonum, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, atque Veterum, qui ætatis ſuæ lumina, ſequentium vero Magiſtri fuere, Auctorum notitiam: ex qua, & ingenita prudentia admirabilis quædam exiſtit in rebus rite æſtimandis, certoque definiendis judicio, ſagaciſſimæ mentis ſolertia. Egregiamque denique illam, ac perpetuam in magnis Artibus, Litteriſque promovendis diligentiam, qua non ſolum excolendis cujuſque generis diſciplinis operam navas, ſed earum etiam Cultores ſic in manibus habes, ſic foves, ſic quibuſcumque potes rebus auges, ut quaſi Parentem alterum Te omnes ament, ac venerentur. Has Tuas celebrando laudes, Eminentiſs.* PRINCEPS, *me probaturum certo ſcio, iis etiam, qui uſque eo difficiles, ac moroſi ſunt, ut in panegyrico quaſi in hiſtoria, & a Cliente ſicut a teſte veritatem exigunt. Id ſolummodo vereor, ne quid peccaverim in mirificum animi tui pudorem, ingenuamque illam timiditatem, qua fit, ut non minus tu laudes, quam alii convicia refugias. Vale.*

Romæ prid. Kal. Oct. 1696.

LECTORI.

QUicumqué de Tarantula ſcripſerunt, vel ex alienis dictis ſcripſerunt, vel plurima ad arbitrium finxerunt; nemo illorum noſtram vidit Apuliam, in qua præfatum Animalculum venenoſam labem potiſſimum exerit, ſi unum excipias *Epiphanium Ferdinandum* Apulum, qui in ſuis obſervationibus pract. nonnullas olim Tarantatorum hiſtorias deſcripſit. Cum igitur hæc provincia intacta fere eſſet, nec niſi generalia quædam, et confuſa innoteſcerent, libenter duobus ante annis inſtitui de ea ſcribere, præſertim cum Vir magni nominis, et celeberrimus Helvetiorum Practicus *Jo. Jacobus Mangetus* humaniſſimis litteris hortatus ſit ad hanc tractationem, quam inſerere velle dicebat ſuæ Bibliothecæ Medico-practicæ, ajens multum conducere poſſe ad Inſectorum hiſtoriam naturamque univerſim venenorum. Quare ut et Viro huic eximio, et Reipublicæ litterariæ rem gratam facerem, ab eo uſque tempore tumultuaria quædam indigeſtaque perſcripſi. Nunc vero melius re conſiderata, ac ordinata, tractatuque aucto ante oculos tuos pono Lector, tuum judicium expectaturus. Videbis more meo nihil ab obſervando, praxique diſcedere, quibus in omni re ſemper primas tribuo. Quod ſi interdum in reddenda ratione effectuum Tarantulæ, ac remediorum, quibus ejus veneno ocurritur, veluti humi jacui, nec multum ratiocinando evectus ſum, tribue id innato meo timori, ne rectum naturæ filum ratiocinio meo, aut parum docto, aut parum concinno ſucciderem, unde multi ſunt orti errores in Medicina, quod quiſque facile videre poteſt, ſi eos legat Auctores, qui huic obnoxii ſunt præjudicio. Examinata veneni Tarantulini natura, quamque cum aliis morbis habent analogiam, multa ex mechanica muſices venenorum, et ſaltatiouis doctrina, utilitateque hinc inde expoſuimus. De ovis oſtrearum detectis, et examinatis, et de genuina lapidis ſerpentini, vulgo *Cobra de Capelo*, in extrahendis venenis, natura breviter quoque tractavimus. Quæ, qualiacumque ſint doctorum Virorum judicio ſubmittimus, ut ſedulo inquirant, an bene dixerim.

Romæ Idibus Novembr. 1695.

CAPUT

MARE
ADRIATICVM
C Durazzo
DVRAZZO
Barletta
Trani
Briseglia
Molfetta
Giouenazzo
Mola
Polignano
Manipoli
Bitonto
Bitetto
Barsi
Conuersano
Polignano
Nuci
Cosano
Osuni
GOLFO
DI
VENETIA
Brindisi
TERRA DI
Taranto
OTRANTO
Tuturano
Leceie
Copertino
Sassieno I.
BOCCA DEL GOLFO
DI
VENETIA
Corfu
Val de Orso
EPIRUS
Cramaca
Pisticcio
Albano
Tursi
Nola
Auidena
Cassano
Palicastrella
F. di Satur
Salandrella F.
Sino F. GOLFO
M. Sardo
DI
Rosito
Nardo
Gallipolli
C. di Culteri
Maluignan
Muro
Vgeato
Massano
TARANTO
Lamendorara
Casale nuora
Ciuita Mandonia
Sibariruina
Rossano
Capo Trionto
Conati
C. S. Giacomo
Longobuco
C. dell'Alice
C. Petraro
Ronde
Coccari
Cosenza
Capriatico
MARE
Fig II.
Sanseverino
Mesuracca
Souiloe
Corona
Capo delle Colone
Capo della Naue
I. di C. Iuzzuto
Castello
GOLFO
DI S.
EVFEMIA
Nicastro
Mortanano
Belcastro
CALA
Golfo di
Squillace
M. Leone
Nicastro
LI
Capo Mana
Mileto
Capo di Stilo
Polistena
ERIA
Arricito
Roccella
Opido
Giroa
Pizzo
VLTEA
Condoaini
Chareri
Reggio
Messano
Lo Eianoo
Bora
T. C. Spartiuento
Tarantula
Mas.
IONIVM
Fig. V.
Fig. III.
Ouarium
Fig. IV.
Ouarium
scala
3 6 9 12 15 18 21 24 27 30



CAPUT I.

Æthymon Nominis, & Differentiæ Tarantularum.

TAURENTUM antiquiſſima magnæ Græciæ Urbs eſt ad Jonium mare, a qua denominari dicitur Tarantula animalculum de genere Araneorum, veneniferum, & quos ſemel momordit, impreſſi veneni ſemina nunquam amplius delentur impoſterum, ſed ſingulis anni reviviſcendo, ingentem malorum ſerie poſt ſe trahunt; futuram ſane patientibus permoleſtam, niſi in debitum ſalutis pignus ſaltationes, & choreas ſtato tempore inſtituant. Vocatur Tarantula, non quia Tarenti hoc animal virulentius ſit, quam in reliquis Apuliæ Regionibus, ſed forſan quia Græcorum, & Romanorum temporibus Civitas illa ceteris erat, aut frequentior, aut nobilior, & ideo exiſtentibus ibidem majori numero ægrotis hoc veneno laborantibus, nomen exinde animalculum deſumſiſſe credibile eſt. Aranei nomen commune eſt omnibus Phalangiis, Tharantulis, & Tetragnathis. *Plinius lib. 29. cap. 4.* octo ſpecies Araneorum numerat. *Avicennas lib. 4. fen. v. tract. 5. cap. 5.* duodecim. Idem *cap. 9. 10. & 11.* quatuor alias deſcribit. Sed hac de re legi merentur *Aldrovandus*, & doctiſſimus *Liſter tract de Aran.* aliique ſupra laudati Auctores. Nos majoris claritatis gratia, dividemus Araneos in Octonoculos, & Binoculos; qui adinvicem differunt magnitudine, ſubſtantia, colore, pedibus, aculeis, oculorum numero &c.

Tarantula eſt de genere Araneorum Octonoculorum, eamque mox ſedulo, & laconice deſcribimus. Et quamvis præſens hiſtoria parum utilitatis afferre videatur ægris, reique medicæ, propterea quod ſolis Apuliæ Incolis neceſſaria ſit, nihilominus tamen ardua venenatorum morborum Provincia, magnam exinde lucem exhibebit, relatis adinvicem ſymptomatibus veneni Tarantulini, cum ſymptomatibus aliorum venenorum, ut impoſterum diagnoſis, prognoſis, & cura venenorum ſolidior habeatur. Hydrophobia licet ſit effectus veneni canini, eandem tamen *Petrus Borrellus* in homine abſque nullo canis morſu, ſed ob peculiarem humorum exhaltationem, caninæ rabiei non abſimilem productam vidit, ut notat *cent 3. obſ. 38. Salmuth.* quoque abſque prævio canis morſu eandem in malignis febribus obſervavit, in quibus dum apparet, futuram mortem prænunciat, ut videre eſt apud eundem *con. 2. obſ. 52.* Ex antiquis *Cœlius Aurelianus lib. 3. acut. paſſ.* hydrophobiam pariter ex ſe productam deſcribit. Ita parirer venum Tarantulæ nonnullis ſtipatur ſymptomatibus, quæ analogiam inſignem habent cum melancholiæ, chloroſeos, & ſimilium morborum ſymptomatibus. Mania, & Dementia quamvis morbi ſunt, longe differentes ab hydrophobia: curantur tamen feliciſſime per repetitam ægrotantis in aquam immerſionem, ut fieri ſolet de hydrophobis; ſicuti expertus pluries eſt Medicus Anglus celeberrimus, teſte *Helmontio Filio tract. de homines §. 29. fol. 33.*

CAPUT II.

De Natura, & Situ Regionum, in quibus naſcitur Tarantula.

QUam hodie denominamus Apuliam, antiquiores noſtri Græci magnam Græciam appellabant, & generali nomine Japygiam, eamque ſubdividebant in Dauniam, Peucetiam & Meſſapiam, a Daunio, Peucetio, & Japygio Lycaonis filiis, qui Apuliæ olim imperarunt. Priſca Daunia vocatur hodie Capitanenſis Provincia, quæ triplici Flumine alluitur, Frentone ſcilicet, Cerbalo, & Aufido; ad cujus dextram ripam adhuc obſervantur nonnulla inſignis Cannarum Oppidi rudera, quo loci memorabilis illa, & cœlo Latino pene exitialis pugna Pænos inter & Romanos peracta fuit. Antiqua Peucetia dicitur nunc Barenſis Provincia. Demum vetus Meſſapia, Lycienſis, ſive Aletina Provincia denominatur. Tota Regio prædictarum Provinciarum omnino plana eſt, ſi Garganum Montem, qui in Daunia aſſurgit, excipias, in qua pariter provincia tria nuper recenſita quamvis perexigua flumina decurrunt. In Gargano Monte naſcitur manna purgans officinarum, & vulgo dicitur *mannæ montis*: naſcuntur pariter & inſignes aliæ herbæ medicinales, quibus, utpote activioribus, omnes fere Italorum Pharmacopolæ utuntur. Ab Aufido flumine (vulgo *Fiume d'Offanto*) uſque ad promontorium Salentinum, ſive S. Mariæ ad Leucas, quo ſane tractu Barenſis, & Lyccienſis Provinciæ comprehenduntur, mirabilis propemodum planities, ad centum, & viginti circiter millaria ſe extendens obſervatur, & nulla ibidem flumina, paucique aquarum rivuli percurrunt, ſed omnia æſtivi ſolis caloribus vehementer aduruntur.

Regio prædicta Orientem reſpicit, ventiſque orientalibus, & aquilonaribus obnoxia eſt: æſtate illic imbre rariſſimi, qua de re, imo etiam ob viciniam Orientis, exurentiſſimis coloribus Solis uritur Apulia, unde Populares illi coguntur reſpirare aerem quaſi ab ardenti clibano efflantem. Solet tamen Lycii, & adjacentibus oris ſpirare paulo ante vel poſt Meridiem ab Adriatico veniens Favonius, qui aliquantum ardentis Aeris calores lenit ac demulcet. Huic climatis temperiei analoga eſt illa Incolarum, generaliter enim Populares illi ſunt aduſti temperamenti, nigris capillis, ſubfuſco, quandoque ſubpalli-

pallido cutis colore præditi, macilenti, impatientes, iracundi, insomnes, magno mentis acumine præditi, ad discursum veloces, ad operationes promtissimi. Obnoxii potissimum sunt ardentissimis febribus, phrænitidi, pleuritidi dementiæ, aliisque morbis inflammatoriis; tantaque caloris est illis in Regionibus activitas, ut plurimos viderim in summam impatientiam, atque in dementiam actos.

Quamvis prædictis incommodis obnoxia sit Apulia, incredibili temen telluris ubertate, salubritate aeris puri, sicci, aperti, nullo stagnantium aquarum squallore infecti, amœnitate maris, piscium denique, & carnium cujuslibet generis affluentia, nulli prorsus Italiæ Regioni cedit. Et verum fateor, me nusquam per Italiam, Dalmatiam, &c suaviorem odorem, saporemque in fructibus observasse, quam in Apulia. Vina illa pene omnia sunt nigra, & adeo flagrantia, ac potentia, ut potius pro balsamo ad vulnera, quam pro deliciis ad convivia inservire videantur. Apulia Barensis triticum, & amygdala magna copia producit: & hoc nomine vulgo dicitur magnum horreum Italiæ, ac Regionum adjacentium, Apulia Lyciensis oleo, vino, & tritico summopere abundat: & oleum illud, primum locum obtinet inter omnia Italiæ olea & ad exteras quasque Regiones transvehitur. Platanus, populus, & hujusmodi arbores umbriferæ deliciis potissimum inservientes, raro vegetant iis in locis; sed per campos oliva, vitis, & triticum, per arva vero inculta rosmarinus, salvia, pulegium & thymus uberrime efflorescunt, suntque ordinaria Animantium pascua.

Hac in regione, præfata hominum, climatis, & telluris temperie prædita, cujusque geographiam, prima exhibet figura, nascitur Tarantula animalculum frigoris impatiens, & hyemante cœlo sub terra se occultans, quo tempore nullis vescitur alimentis. Neapoli elapso decennio plures clausimus in philiala terra semiplena, prout ab Apulia venerunt, & ita absque cibo vixerunt per mensem, & amplius.

Licet infectum hoc incommodum sit hominibus, aliisque animalibus, illi tamen incommodum magis est aliud animalculum Vespæ non absimile, in dorso variegati coloris, in ventre vero nigricantis, quod Tarantulas, ceteroisque Araneos avide quærit, occidit, & depescitur. Verumtamen mirabilibus est observatu, Tarantulas ipsas adeo esse inter se hostiles, ut si in aliquo vase decem v. g. vivæ ponentur, eousque invicem occiduntur, donec una dumtaxat viva remaneat, ut sæpe Apuliæ, & Neapoli experti fuimus; imo si duæ solummodo vivæ in aliquo vase claudantur, altera alteram interficit, & comedit brevi temporis intervallo.

Hyemante cælo suis in specubus latent Tarantulæ, per initia vero æstatis ab iisdem prodeunt, arva incolunt, & insidias struunt viatoribus. Ruricolæ nostri, quando eas captare volunt, ad illarum latibula accedunt, tenuisque avenaceæ fistulæ sonum, apum murmuri non absimilem modulantur, quo audito foras exit Tarantula, ut muscas vel alia huujsmodi insecta quorum murmur esse putat, captet; captatur tamen ipsa a rustico insidiatore. Si tenui vibice motum, & gratum sibilum efficias, & exinde vibicis apicem ad oram latibuli apponas, confestim videbis Tarantulam e specu prodeuntem super vibicem ascendere; qua ratione etiam a Popularibus illis capiuntur.

CAPUT III.

Anatome Tarantulæ.

TArantula est de genere Araneorum, seu Phalangiorum, eamque in secunda, & tertia figura accuratissime, & ad vivum delineatam invenies. Octo pedes habet, quatuor scilicet hinc inde ad latera, & singulis pedes terna internodia: duo anteriores pedes sunt minores ceteris sex, & hæc magnitudinis pedum diversitas omnibus fere Araneis familiaris, est, nam modo anteriores posterioribus, modo hi anterioribus longiores sunt; idque putarem factum a summo Opifice, tum ad agilitatem, tum etiam ad commodum telas varie conficiendi.

Tarantulæ Apulæ magnitudo æquat, vel superat magnitudinem glandis, estque fere illius magnitudinis quam exhibent figuræ secunda & tertia. Corpus illius dividitur in duas partes principaliores, thoracem scilicet, & ventrem, quæ quamvis ab invicem sejuncta videantur, tenui tamen ligamento, seu nodulo thorax ventri unitur. Caput a thorace, & humeris nullo distinguitur segmento, sed una, eademque sunt continuatio. In capite primo occurrit os, *o*, a quo duo tela prodeunt similia forcipi hamato, *aa*, quorum acus acutissimus est, & hac ratione facillime in cutim penetrant, suntque quasi duo veneni emissaria: substantia telorum crustacea est, ac friabilis, & in maribus Tarantulis firmiora sunt, atque acutiora; in fœminis contra obtusiore, & laxiora. Hos forcipes accurate delineatos vide in Micrographia *Philippi Bonanni*. Post tela seu forcipes occurunt duo parvula cornua, seu antennæ duæ, *bb*, quæ prope illos oriuntur, duoque habent internodia; extremus harum antennarum apex in maribus latior est, & crassior, in fœminis contra acutior, & subtilior; ut patet in figuris, antennas has continuo ac strenue hinc inde movent, præcipue cum proquinquiores sunt prædæ.

In capite octo oculi observantur, quod familiare est singulis Phalangiis, & Araneis majoribus, qui fila texunt, sicuti nostra Tarantula: contra qui binoculi sunt, fila non texunt, quantum hactenus observare potui, & ab Octonoculis differunt magnitudine, figura, substantia, membrorum proportione, &c. Oculi læves sunt, & lucidi, nec monticulis, sive tuberculis exasperati,

ut in aliis Insectis observavimus. Quatuor oculi majores sunt, & duo hinc inde ad latera capitis situantur absque microscopii ope facile visiblies, reliqui quatuor minores sunt, & linea paralella sub primis dispositi, & vix nisi per microscopium observabiles; singulos tamen in figuris Tarantularum descripsimus, ut videre est; oculorum color quandoque niger, quandoque subcæruleus. Sed quare hæc oculorum multiplicitas in Tarantula ceterisque Araneis octonoculis, qui fila texunt, a Summo Opifice constituta sit, me sane latet, nisi asserendum esset plures oculos faciliori texendarum retium commodo aliquid conferre, nam binoculi, qui fila non texunt, tanta oculorum copia non gaudent, ut diximus. Octonoculi Aranei alvum habent, quæ non exigua incisura a pectore dividitur, & in ano nonnullæ eminentiæ quasi appendices observantur, quæ sunt veluti emissaria filorum texendis retibus necessariorum.

Tarantula pilosum animal est, pilique insigniter prominent per universam corporis peripheriam. Color externus corporis varius est, nonnullæ enim æmulantur colorem coturnicum, aliæ cineritium, vel subalbum, aliæ subnigrum adinstar coloris pulicum: sunt demum quæ maculis hinc inde stellatis conspergunter. Tarantula coturnicei, vel subalbidi coloris ventrem habet rotundum, os parvum: stellata vero dorsum acutius. Cutis illarum mollis est, in maribus tamen durior, sed ad crustaceam substantiam non accedit.

De visceribus Tarantulæ hic supersedeo discurrere, nam præ friabilitate, & mollitie eorundem detegi vix potest minima structura: meditor tamen eadem in aliquam subtilipticam aquam infundere, ut consolidatis parumper partibus, sectioni possint resistere. *Hocchius in sua Microg. observ.* 47. affirmat de Araneo longipede illum marino cancro similem esse, & interna viscera visceribus cancri marini non dissimilia se deprehensurum, si fragilior illorum substantia se sectionem admisisset. Inter viscera interna numerari quoque poterunt filorum conceptacula, qualia in bombycibus observarunt nuper Itali, & de illis fuse discurrit doctissimus *Redi de gener. insectorum lat. edit. fol.* 177. ubi pariter de filo Aranearum multa scitu digna adducit. Notandum hic obiter Araneos octonoculos excrementa semper elicere liquida, contra binoculos semper solida: quamvis utrique muscis, & aliis hujusmodi insectulis vescantur.

CAPUT IV.

Vasa Seminalia, Ovum, & generatio Tarantulæ expenduntur; ubi obiter nonnulla de Ovis Ostreorum, & de Semine in genere.

SIcuti animantia cetera, ita pariter & Tarantula ex ovo suam ducit originem, & per ovum speciei propagationem perpetuat. Mas, & fœmina in Tarantularum specie mutuo gaudent consortio; & vasa seminis proportionata habent; Fœmina scilicet ovarium, mas vero organa prolificum spiritum generantia, imo & penem, qui exurgit ex media commissura thoracis, & ventris, estque nigricans, intortus, & forma referens muscæ aculeum, ut observavit quoque in Araneis *Marc. Aurelius Severinus*, decus magnum Italorum, & calabriæ, & fuse notat in sua Zoctomia. Mares observantur minores fœminis sicciorique structura præditi ut videre est in figuris; illæ vero pedes habent longiores, & ad motum promtiores, reliqua ad exteriorem structuram spectantia habent communia.

Hæc animalcula coeunt apparente Junio mense, quo tempore animalia pene omnia prolifici seminis turgentiam perpetiuntur. De coitu Araneorum in genere hæc habet Aristot. lib. 5. histor. animal. cap. 8. *Cum fœmina deductam aranceam traxerit, mas eandem mutuo trahit, quod ubi sæpius fecerint coeunt, & aversis clunibus copulantur, nam propter alvum orbiculatam modus hic coeundi iis convenit:* hæc ille. An ita averie, an vero os ori jungendo coeant Tarantulæ, adhuc observatione non didici. Si gravida secetur Tarantula, invenitur in ea ovarium ex folliculis ovulorum plenis coagmentatum. Circa æstatis initia hæc ova fœcundari incipiunt, & tunc tempori ventre turgido apparet Tarantula, qualem in tertia figura delineamus: (secunda namque figura Tarantulam marem repræsentat); post elapsos aliquot a fœcundatione dies ovulorum folliculum parturit, ejusque figuram num. 4. descripsimus.

Folliculus hic sive ovulorum congeries, quam parturit Tarantula coloris est cœlestis, ad differtiam ovarii cochlearum; quod subflavi, ac veluti splendentis coloris est. Postquam peperit antedictum folliculum, arcte illum amplectitur, ut in figura tertia apparet; & ita amplexum per 12. 15. aut 20. continuos dies detinet, & exinde in campis deserit, quousque demum ab ulteriori solis actuatione maturata ovula excludantur. Tarantula parit ova modo quo ceteræ araneæ, eorum emissarium prope alvum situatur, quod etiam *Aldrovandus* vidit *de insect. fol.* 625. ubi hæc habet. „ Observavi sub captæ araneæ alvo „ magnum ovorum cumulum adeo exiguorum, „ ut atomis liceat comparare, erant autem can„ dida, & digito compressa crepitum dabant.

Non evadit fœcunda Tarantula, nisi peracto anno, vel biennio ad summum suæ ætatis, quo tempore ad perfectam magnitudinem fœcunditati opportunam perveniisse creditur. Tempore coitus, & fœcundationis, mas & fœmina dulce ducunt consortium, idque tamdiu faciunt, donec fœmina partui proxima fuerit; tunc vero marem non amplius observamus, utut fœmina toto æstatis tempore plures ovulorum folliculos pariat.

Folli-

Folliculus ovulorum supradictus, figura, & magnitudine lupino similis est, prout figura quarta repræsentat. Si per medium secetur, invenitur intus ingens ovulorum copia, ut centenos & amplius quandoque observaverimus. Ovula prædicta ordinate disposita inter se sunt, invicemque uniuntur tenuissimis quibusdam, & flaccidis filulis imo muco quodam sui generis. Hanc ovulorum massam per medium sectam quinta figura exhibet Ovula prædicta seorsim sumta magnitudinis sunt grani milii, quandoque seminum papaveris albi, suntque undequaque rotunda; exterior illorum membrana tenuissima est, & friabilis, intra cujus sinum prima araneorum stamina reconduntur, ab ulteriori solis actuatione mox manifestanda. A primo ovulorum partu, ad perfectam usque eorundem exclusionem, maturationemque plures dies intercedunt, quandoque viginti, quandoque vero tringinta in æstuoso Apuliæ solo, citius, vel tardius prout Tarantula campestrem, aut montanam Apuliæ regionem inhabitarit.

Cum de ovulis insectorum inciderit sermo, non abs re erit pauca de ovis Ostrearum exponere, utpote quarum propagatio obscura adhuc est apud Philosophantes. In advectis elapso Majo Neapoli Romam vivis Ostreis dum contemplarer lac intra illarum cavitatem fluitans, & observationes acutiori microscopio pluries repeterem, deprehendi tandem lac illud nil aliud esse, quam congeriem minutissimorum ovulorum, seu minutissimarum ostreolarum succo cuidam mucaginoso, ac velut resinoso confusarum; imo si super vitrum extendatur lac illud, & lumini fortiori objiciatur, deinde microscopio observetur, quædam motus oscillatio, ac partium lactis hinc inde progressus deprehendetur, quasi progressiones illæ essent futuri animantis prima motus inchoamenta. De motibus hisce vividissimis in aliis animalium seminibus a Medico in Italia celeberrimo observatis, plura dicere supersedeo, ne castas Lectorum aures offendam.

Lac pariter recens capra emulsum, super vitrum extensum, microscopio observatum repræsentat quoque infinitam minimorum globulorum copiam, hinc inde agiliter se moventium; motum hunc agilissimum in globulis observavi quoque secunda, & tertia ab emulsione die, dummodo tamen aciditatem, aut corruptionem lac non contraxerit, & si lacti parum aquæ misceatur, distinctior ille motus apparebit. Observationes has faciebam microscopio trium lentium ita composito, ut res observandæ lumini commode objici possent, & ita diligentius, acutiusque intueri.

Sed ad ostrearum lac redeamus, quod superius diximus nil aliud esse, quam congeriem infinitorum ovulorum, seu minimarum ostreolarum, mucaginoi, seu resinoso cuidam succo consarcinarum, ut in magnis vivisque ostreis observavimus. Ad quid tamen inserviat album illud; ac mucosum gluten ovulis interspersum, ipse profecto nescirem, nisi assererem factum esse ab Auctore naturæ, ut non solum blandum quemdam, ac veluti balsamicum madorem tenellis ostrearum fœturis conciliet, quo possint celerius maturari, verum etiam, ut minimas illas fœturas, jam a matre emissas, scopulis firmet, & agglutinet, ad hoc ut & ventorum, & maris incursibus potenter resistant, & per conciliatam firmitudinem ad debita perducantur incrementa.

CAPUT V.

De Morsu Tarantulæ.

Nec cuilibet Regioni, nec quovis anni tempore venenifera est Tarantula, sed Apuliæ dumtaxat, atque æstivo tempore, præsertim urente canicula. Hyeme si mordet non offendit, imo quod mirum est Tarantulæ illæ, quæ montes ad Apuliam terminantes incolunt, si mordent, ne quidem offendunt, quocumque demum tempore mordeant. Noxiæ igitur sunt, quæ Apuliæ campos accolunt, & potissimum æstivo tempore, quia tunc ab urentissimis Solis radiis venenum illarum exaltatur, & hinc in rabiem actæ quoscumque sibi obvios impetunt. Non solum hominibus, sed aliis quoque animalibus noxiæ sunt Tarantulæ, quod etiam adnotavit *Ælianus lib. 1. cap. 8.* ubi ait cervis esse perniciosas, quibus hædera pro medela est, & nisi eam brevi comederint, moriuntur. Ictus illarum graviores putantur a Nostratibus eo tempore, quo coeunt, idest circa initia æstatis, exaltato scilicet veneno, & ab veneris, & æstivi caloris orgasmo, sicuti de aliis etiam veneniferis animalibus vulgo circumfertur: nihilominus tamen, tam concubitus tempore, quam per æstatis decursum venenosus summopere est illarum morsus.

In Apulia Barensi messores frequentius ab iis mordentur; illic enim vastissima, & oculo mehercule gratissima camporum planities spectatur, præsertim dum tritico universa luxuriat. Et cum rariores, ac fere nullæ arbores ibidem crescant (tellus namque omnis tritico seritur) arva illa omnia torrentur, ac veluti inflammantur a solaribus radiis, & hac de causa Tarantulæ in majorem rabiem actæ, & caloris impetu lacessitæ rabidius messores, & viatores mordent. Earumque morsibus messores potissimum obnoxii sunt; nam Tarantula vel per sulcorum squallorem, vel per tritici fistulas progrediens, manibus, vel pedibus occurrendo veniferum morsum infligit: quamobrem messores ocreolis pedes vestiunt, ut a morsibus evadant tutiores.

Communiter credunt viperam non mordere, nisi irritatam, prout in circumforaneis observamus, qui a morsibus illarum immunes sunt, propterea quod dexterrime, & sine vi easdem tractant. Super hoc assertum fundata est opinio *Domini Charras* de veneno viperæ, putantis nullum in ea vene-

venenum latere, ſed totam veneni vim conſiſtere in ſpiritibus viperæ inflammatis, & excandeſcentibus ob vim eidem illatam, ſpirituſque ita inflammati ac in virulentam indolem exaltati, dum animalium humoribus inſeruntur univerſam illam funeſtorum ſymptomatum procellam confeſtim producunt. Sed cum ſolida Viri doctiſſimi *Domini Redi* noſtri amiciſſimi experimenta contrarium evicant, æqui rerum æſtimatores litem hanc dirimant, & in neutram partem propendendo, inconcuſſam veritatem ſtabiliant.

An eadem quæſtio movenda ſit de veneno Tarantulæ, judicio acriores decernant. Hoc unum ſcio per autopſiam: Tarantulam, vigilantes æque ac dormientes, irritatam, vel non irritatam ſemper mordere, & ſemper veneniferam labem afferre. Pariter morſus tempore eructat exiguum, vixque perceptibilem liquorem, qui venenumne ſit, an potius inflammatorum, venenatorumque ſpirituum vehiculum, me ſane latet. Experientia quoque popularium noſtrorum conſtat, non ſolum exitiales eſſe Tarantularum ictus, verum etiam exitiales futuros liquores, in quibus illa fuerit ſuffocata, quod etiam confirmat oculatus teſtis *Epiphanius Ferdinandus cap.* 2. *obſerv.* 81. in quo caſo corruit opinio omnis de ſpiritibus inflammatis, nam quilibet illorum impetus in liquoribus prædictis extinguitur, igitur in ſolidiori ſubjecto, veneni Tarantulini indolem latere aſſerendum erit.

Qui morſi ſunt a Tarantula, ſentiunt ictum non abſimilem ei quem apis, aut formica infligit. Ab ictu pars circumſcribitur parvo circulo livido, vel flavo, vel nigro, aut alterius hujuſmodi coloris. Dolor ſupervenit vehementiſſimus, quandoque loco doloris ſtupor; atque hujuſmodi ſymptomata varia ſunt, pro vario Tarantulæ colore, magnitudine, veneni exaltatione, temperie ægri, & conſimilibus, quæ clarius patere non poterunt, niſi deſcribendo nonnullas ægrorum hiſtorias, ut paulo infra fiet.

CAPUT VI.

Morbi, & ſymptomata morſum conſequentia deſcribuntur.

UNdequaque infelix eſt humana vita, infelicior tamen ſi morbis, infeliciſſima ſi venenis affligatur, prout experimus in veneno Tarantulæ, quod indole ceteris venenis inſueta, dum ſemel contagio ſuo corpus afflarit, vel immediate Patientem enecat, ſi præſto non fuerit muſica, & opportunus remediorum uſus; vel ſi hæc præſto ſint, non perinde tamen venenum omnino extinguitur, ſed in fluidis adeo alte illius veſtigia imprimuntur, ut ſingulis annis, & potiſſimum tribus æſtatis menſibus veluti reviviſcat; & niſi anniverſaria illa reviviſcentia choreis, antidotiſque pro tempore demulceatur, toto illo anno ægrotantes innumeris affectionibus graviter divexantur.

Dormientes, & incautos, ut plurimum mordent Tarantulæ. Demorſi ſi vigilant, ſentiunt ictum, veluti a formica, aut ape inflictum. Demorſa pars quandoque dolore, quandoque ſtupore inſigni prehenditur: circulo livido, nigro, aut ſubflavo ſtatim coloratur: paulo poſt in tumorem doloroſum attolitur, qui poſt inſtitutam muſicam, & remediorum uſum ſponte cum aliis recedit ſymptomatibus.

Paucis elapſis horis a morſu, Patientes ingenti cordis angore, gravi mœſtitia, ſed graviori ſpirandi difficultate primo corripiuntur, mœſta voce conqueruntur, oculis turbatis inſpiciunt, & interpellati ab aſtantibus ubinam doleant, vel nihil riſpondent, vel affectam cordis regionem manu pectori appoſita demonſtrant quaſi cor præ ceteris afficiatur.

Symptomata hæc frequentius in Tarantatis prima morbi invaſione obſervantur, non ſunt tamen perpetua, & ſingulis ægrotantibus communia, imo nec a ſingulis Tarantulis producuntur; ſed varia pro varia Tarantularum natura, ægri temperie, calore æſtivo magis minuſve adurente. Noſtrates namque obſervaverunt Tarantulas borealem Apuliæ regionem magis incolentes, ſæviores eſſe, & ab iis demorſos gravioribus corripi ſymptomatibus, imo variis delectari coloribus, præcipue rubro, viridi, cæruleo, &c. raro autem nigricante. Et ſi aſtantes incedant veſtibus eo colore diffuſis, qui Tarantatis ingratus eſt, neceſſe eſt ut ab illorum aſpectu recedant, nam ad intuitum moleſti coloris angore cordis, & ſymptomatum recrudeſcentia ſtatim corripiuntur,

Pro varietate Tarantularum, varia quoque producuntur ſymptomata. Tarantula ſubalbida producit dolorem levem, cui accedit pruritus, dolor ventris pungens, & diarrhœa. Tarantula ſtellata acutiorem dolorem, & pruritum affert, imo & ſtuporem, gravitatem, & dolorem capitis, horrorem totius corporis, &c. Uvea Tarantula præfata quoque male producit, quibus accedunt tumor, & dolor ingens in loco demorſo, ſpaſmus, rigor, & ſudor frigidus univerſalis, aphonia, in vomitum propenſio, tenſio virgæ & pectinis, ventris inflatio, & reliqua in hiſtoriis infra dicenda.

Cum multiplicia, ac pene incredibila ſint Tarantatorum ſymptomata, quorum multa a depravata immaginatione pendere videntur, non erit a varietate alienum ſi aſſeramus, venenum Tarantulinum, poſt exacerbationem vehementium ſymptomatum primis diebus apparentium deſinere demum in melancholiam ſui generis, eo uſque ægrorum cervicibus imminentem, donec vel ſaltatione, vel muſica, vel ætatis mutatione virulenti characteres e ſanguine, & fluido nervorum penitus eliminentur, quæ felicitas raro contingit, nam ſemel demorſi impoſterum non ſanantur amplius, ut certo conſtat.

Aſſer-

Assertum hoc innumera confirmant symptomata, depravatæ phantasiæ naturam redolentia; multi namque ex Tarantatis sepulchra, & solitaria loca desiderant, ac in feretro mortuorum se extendunt tanquam mortui: in puteum ceu desperati se projiciunt. Virgines, & Mulieres, ceteroquin honestæ; solutis verecundiæ habenis vehementer suspirant, ululant, indecore moventur, partes obscænas patefaciunt, motum pensilem amant, &c. nonnulli volutantur in limo tanquam sues, & volutatione hac summopere delectantur. Alii verberibus cædi desiderant in ano, calcaneis, pedibus, dorso, &c. Alii cursu magnam sentiunt utilitatem. De colore curiosa quoque observantur; Tarantati namque his coloribus delectantur, aliis contra graviter afficiuntur; & pro vario depravationis phantasiæ gradu, alternatim variis rerum coloribus recreantur, & afliguntur.

CAPUT VII.

Cætera symptomata ulterius exponuntur, & quam cum aliis morbis analogiam habeant demonstrantur.

Generaliter loquendo symptomata Tarantatorum primo veneni insultu similia sunt iis, quæ in maligna febri ex coagulatione observari solent, qualia sunt angor cordis, spirandi difficultas, omnimoda fere pulsus oppressio, animalium, vitalium que actionum repentina, ac pene fatalis jactura. Horum omnium testis oculatus est optimus Parens meus, isque apud Lycienses in Apulia Medicus, ut omnibus constat, celeberrimus. Ille igitur tribus in ægris rure Lycium advectis non multis ab hinc annis observavit; quod cum tales ægroti maligna febre ex coagulatione laborassent, & multa in illis apparerent symptomata, Tarantatorum symptomatibus multum analoga, Parentes judicarunt a Tarantula demorsos fuisse (repugnante interim summopere optimo sene parente meo, qui morbum revera esse malignam febrim ex coagulatione asserebat) & ideo adveniente musica, choream & saltationem inchoarunt patientes, jussu, & hortatu Parentum: ex iis duo saltando mortem accelerarunt, tertius vero in ipso chorearum actu expiravit: exinde deducimus malignam febrim ex coagulatione imponere sæpissime Medicis sub specie veneni Tarantulini.

Si quid judicare valeo, crederem venenum Tarantulinum præcipiam sedem figere in liquido nervorum, sive in spiritibus animalibus; siquidem continui dolores capitis, animi deliquia, dolores ossium, impotentia ad motum, ventriculi dolores, cordis oppressiones, & reliqua hujus generis symptomata morbosam spirituum naturam abunde patefaciunt; non excludendo tamen antecedentem ipsius sanguinis virulentam quoque indispositionem.

Præcipua membra, quæ in Tarantatis mulctari videntur, sunt ventriculus, & cor (si pro corde intelligenda sit sanguinis massa per cor circulans, non litigo) ideo raro illi immunes sunt a doloribus ventriculi, nausea, siti, inappetentia; necnon ab angore cordis, convulsione, gravitate, & afflictione circa pectus, unde semper sunt luctuosi, suspirtosi, pallidi, & taciturni. Notatu quoque dignum est multas mulieres ex nostratibus chlorosi laborantes eadem fere pati symptomata, quæ Tarantati; & quoniam pro Tarantatis habitæ sunt, consueto more singulis annis saltarunt, & per saltationes a chlorosi diuturnisque histeriis immunes omnino evaserunt; quoniam antedictæ mulieres a chlorosi, variisque hujusmodi diuturnis morbis saltando, & sudorem hac ratione eliciendo liberatæ sunt, dogma practicum exinde deducitur, quod tales mulierum morbi nunquam rationabilius curabuntur, quam per medicamenta roborantia, effœtam, atque elanguidam sanguinis massam exaltantia; non vero per purgantia, saccharata, & similia majorem languorem sanguini inducentia. Inter præcipua roborantia effœtam, ac debilem sanguinis massam in chronicis morbis, laudo maximopere equitationes in aere rusticano factas singulis diebus, hora potissimum matutina, quibus equitationibus morbos chronicos pene incurabiles protinus eliminavi. Hæc obiter de equitatione, & saltatione in curandis chronicis adnotavi, ut clarius pateret quantum valeat exercitium ad roborandam, restituendamque emortuam pene sanguinis massam in chronicis, irrito quovis alio remediorum genere, præcipue si ab animi pathemate oriantur: equitatio tamen præ ceteris laudatur, utpote in qua tota vis successionis ab equo facta in imum ventrem terminatur, ubi fermenta excitantur, & stagnans materies circulum amissum recuperat.

Non reticendum hic erit, quod licet in nostris Regionibus, & Tarantulæ venenum, & Tarantati revera dentur, mulieres tamen quarum inter Tarantatos pars magna est, morbum hunc frequentissime simulant per symptomata eidem familiaria: nam sive amoris igniculis, sive jactura rei familiaris, sive aliorum malorum mulieribus proprio rum tædio afficiantur, ob assiduum de talibus objectis mœrorem in desperationem, ac fere in melancholiam degenerant. His omnibus accedit vita solitaria adinstar Claustralium, ab omni quamvis honesta familiarium hominum confabulatione immunis. Accedit pariter aer adustissimus, temperies mulierum ardentissima, cibi calidi, & maxime alibiles, otiosa vita, &c. Atque tam prioribus, quam posteriorsbus hisce de causis in mœrorem, & affectionem melancholicam frequenter degenerant, eademque ratione omni musices concentu, & choreis delectantur summopere; unde ut opportuna hac musices occasione solis Tarantatis permissa utantur, Tarantatas se fingunt; fuco autem, & simulationi accedunt pallor

vultus,

vultus, mœror, ſpirandi difficultas, angor cordis, depravata imaginatio, & reliqua ſimulati potius, quam veri Tarantularum veneni ſymptomata (& cum maxime grata ſit hæc chorea Mulieribus, ceſſit apud noſtrates in adagium, *il Carnevaletto delle Donne*). Et quamvis ſolæ mulieres morbum hunc quandoque ſimulent, non perinde tamen ſuſpicandum hoc etiam erit de reliquis Tarantatis; nam nonnulli Viri ceteroquin eruditi, & Religioſi, cum minime Tarantatis crederent, periculum in ſe ipſis fecerunt, & in Apulia demorſi a Tarantula in imminens vitæ diſcrimen inciderunt, & niſi præſto fuiſſet muſica, brevi animam ſe efflaturos fatebantur, ut aſſerit etiam *Epiphanius* noſter loco laudato.

Tarantula, ut diximus, venenifera dumtaxat eſt in Apulia, & præſertim camporum incola, nam quæ in montibus Apuliæ vicinis reperitur, vel nullo, vel non pernicioſo pollet veneno. Et ſi eadem campeſtris Apuliæ Tarantula in exteras regiones, Neapolim ſcilicet, Romam, &c. transferatur, ſi mordebit, nulla ibidem afferet patientibus incommoda, & ſi afferet pauca erunt, & levia, ut inferius in hiſtoriis. Dicunt nonnulli tamdiu in Tarantatis vigere venenum, quamdiu ipſa vivit Tarantula, &c. ſed cum falſiſſimum ſit, ut experientia infallibili apud Noſtrates conſtat nihil immorabor in hac refellenda falſitate.

Non ſolum Tarantulæ Apulæ, verum etiam ſcorpiones Apuli veneniferi ſunt: obſervatione namque conſtat, a ſcorpione punctos eadem fere pati ſymptomata, ac ſi a Tarantula morſi eſſent; chorea delectantur, & muſica, iiſdem dumtaxat ſanantur, ut infra in hiſtoriis, &c. Hac de cauſa quamplures Græci ſenes, & populares noſtri arbitrati ſunt ſymptomata ea omnia, quæ vulgo Tarantulis adſcribuntur pendere potiſſimum a morſu. Sed quoniam aſſertum hoc falſitatis redarguit inconcuſſa Regionum noſtrarum experientia, ideo in præſenti ſtatuimus Tarantulam æque ac Scorpionem Apuliæ eſſe ſummopere veneniferos, eadem fere producere ſymptomata, & iiſdem remediis, muſica ſcilicet, choreis, &c. ſanari, ſcorpiones tamen minus virulenti ſunt, quam in Africa, magis vero quam in reliqua Italia.

Sunt qui a Tarantula demorſi paucis diebus moriuntur, nil proficientibus muſica, & antidotis; nonnulli contra præfatis remediis ab imminente morte liberantur. Ceterum veneni ſemina, more reliquis inſueto, adeo alte incoquuntur humoribus, ut vix deleri poſſint, imo fere ſemper ad mortem uſque comitantur patientem, &c. Et quod ſemper diximus Tarantulæ venenum ſemel corpori illatum indelebile impoſterum eſt.

Periodum, & recrudeſcentiam venenorum curioſum eſt indagare. Caninum venenum ad 30. quandoque annos maſſæ ſanguineæ inhæſit, ſtatiſque temporibus recrudeſcendo ad mortem uſque patientis duravit; hac de re legi meretur hiſtoria *Hildani cent.* 1. *obſ.* 86. de Matrona, quæ a cane rabido demorſa per triginta fere annorum ſpatium ſingulo ſeptennio veneni recrudeſcentiam patiebatur, donec tandem mortua fuit. Vulgo credunt venenum caninum ſi elapſis 40. diebus non manifeſtetur, impoſterum non amplius manifeſtari; ſed hoc falſum eſſe præfata *Hildani* teſtatur hiſtoria. Nos quoque Romæ hoc anno 1695. vidimus Pharmacopæum, qui cum demorſus fuiſſet a cane, menſe Junio ejuſdem anni, in Urbinatenſi Civitate Patria ſua, & exinde Romam veniſſet, derepente factus maniaco-hydrophobus, poſt biduum periit, circa medietatem Octobris nuper elapſi. Hoc idem quoque obſervavit Neapoli in Juvene Medico Vir celeberrimus *Lucas Tozzius* Summi Pontif. hodie Archiater, ut nuper mihi familiariter narrabat. *Fracaſtorius l.* 2. *de morb. contag.* ait: Vidi ipſe puerum qui poſt octo menſes, ex quo demorſus fuerat a cane, contagionem oſtendit, ex qua mox periit, &c. Venereæ luis caracter ad 30. & plures annos ſanguini inhæret abſque ulla moleſtia & incommoda patientis valetudine; recrudeſcit tamen derepente tanta ſymptomatum vehementia, ac ſi tunc primo ſuperveniſſet. Tarantulæ venenum ſingulis annis, & potiſſimum circa illud tempus, quo patienti illatum fuit infallibiliter recrudeſcit. Dum calor ſolis ardentius exurere incipit, quod contingit circa initia Julii, & Auguſti, Tarantati lente venientem recrudeſcentiam veneni perſentiunt, ſeque manifeſtantem per inappetentiam, cordis angorem, capitis gravitatem, ſitim, oſſium veluti fracturam, & hujuſmodi alia, quæ quandoque ſenſim, quandoque derepente ſupervèniunt, & veneni paroxiſmum incutiunt. Si patientes de Præfatis ſymptomatibus lente ſubrepentibus advertunt; ſtatim ad muſicam, & choream confugiunt, ne a ſuperveniente derepente paroxiſmo corripiantur. Si vero paroxiſmus abſque præviis antedictorum ſymptomatum nunciis inopinato ægrum invadat, tunc ille veluti fulmine tactus humi concidit ſemimortuus, manus, facies, aliæque extremitates denigrantur, ſuffocatione, & ſpirandi difficultate corripitur; & ita jacet, quouſque veniant Cytharædi, quorum concerto modulamine audito, ſenſim in vitam reſtituitur, ad choream diſponitur, atque artus primo, mox vero univerſum corpus movet.

Si debito tempore æger non ſaltaverit, toto illo anno graviſſimis urgetur ſymptomatibus, ictericia ſcilicet cutis colore, anxietate cordis, inappetentia, febricula, & reliquis, toties repetitis: imo ſi Tarantati vervecina carne, cucumere, aut citruło utantur, ſtatim dolore ventriculi moleſtiſſimo aggrediuntur. At ſi ſingulis annis conſueto tempore ſaltaverit, ſudaverit & muſices ſono veneni ſemina foras eliminaverit, toto illo anno optima fruitur valetudine, nec ullis ſubjacet ſymptomatibus modo recenſitis.

CA-

CAPUT VIII.

Curatio morſus Tarantulæ, & effectuum ab eo provenientium.

SAlus ægrorum omnium, quibus venenum aliquod illatum fuerit in ancipiti eſt, multo magis ſi a Tarantula, aut Apulo Scorpione demorſi ſint, quorum plurimi brevi horarum ſpatio moriuntur, irritis, & muſica, & antidotis.

Ad duo communiter genera reducunt auctores venenorum effectus, ad coagulantes ſcilicet, & diſſolventes maſſam ſanguineam. Ex phænomenis toties repetitis quiſquis deducere poterit venenum Tarantularum diſponere humores ad coagulum, ſive incraſſationem; idque ſatis indicant repentina pulſus oppreſſio, angor cordis, maxima ſpirandi difficultas, facei, aliarumque extremitatum deturpata nigrities, rigor, horrorque univerſalis, ſopor gravis, & reliqua hiſce analoga, quæ quidem varia ſunt pro varia Tarantularum indole, varia ægri temperie, & antecedenti corporis morboſa aliqua diſpoſitione, calore æſtatis magis minuſve ardenti, &c.

Sive a Tarantula, ſive a Scorpione Apulis morſus quis fuerit, indicationes curativæ ſunt, diſſolvendi, attenuandique humores virulento afflatos contagio per medicamenta, alexipharmaca, theriacalia, bezoardica, & reliqua parum diverſa ab iis quibus utuntur Medici in demorſis a vipera. Demorſum locum ſtatim ſcarificant Noſtrates lanceola, & quoniam magnus ſtupor affectum locum interdum occupat, patientes ſcarificationis dolorem non ſentiunt. Facta ſcarificatione cucurbitulam applicant ad veneni extractionem; exinde theriaca, & allio contuſo; quandoque mythridatio, aut confectione orvietana partem fovent, donec venenum aliquantiſper fuerit debilitatum.

Ipſe vero (ſi meo arbitratu uti unquam licebit,) demorſum locum candenti ferramento ſtatim adurerem; ignis namque cum ſit de genere ſtimulorum, iſque ſtimulus vehementiſſimus excitat in fibris affecti loci, & ſucceſſive in toto ſyſtemate fibrarum humani corporis oſcillationem quandam, ſive motum vividum, continuatum, & vehementem, qua ratione humores, qui ſunt ad contactum ſolidorum ita oſcillantium, ſolvuntur, dimoventur, attenuanturque; & a veneno coagulante, vix unquam figi poterunt, præſertim in affecto loco, ubi ſtimulus ignis eſt potentior, & humorum ad coagulationem major inclinatio. Quoniam vero felices hos ignis effectus nec ipſe adhuc expertus ſum, nec ab aliis didici auctoribus, ſuperſedeo nunc a majori illorum præconio; obiter tamen notare non gravabor effectus ignis in aliis morbis.

Pluries obſervavi, uſtionem candenti ferramento factam in incipiente gangræna, vel incipientibus, ſed ſordidis ulceribus, graviſſima damna intuliſſe; nam per cruſtam illa ab uſtione intempeſtiva productam, hiantia fibrillarum, vaſorumque oſcula prorſus clauſa fuerunt; ideo impedita neceſſaria corroſivi, & grangænoſi humoris per ea repurgatione, nil mirum quod noxius ulceris humor ad interiora retrocedens, pro diverſitate partium, in quibus deponebatur, diverſa, & gravia adduxerit ſymptomata. Porro aduſta pars prorſus exſiccabatur, & nigreſcebat, & ad malorum cumulum paucis diebus interpoſitis mors ſuperveniebat, ut non ſemel obſervavi Patavii, aliiſque Italiæ Xenodochiis.

Dum igitur talia ulcera medenda occurunt cum ſuſpicione maligni tatis, & magna humoris eroſione, non ſunt ſtatim adhibenda ferramenta ignita, aut remedia cauſtica, ſed foveri incipiant decoctis balſamicis, amaricantibus, vulnerariis, & ſimilibus, quibus eroſivi humoris ad exteriora evocatio procuratur, fibræ flaccidæ, ac fere eroſæ conſolidantur, & circulantibus per affectum locum humoribus balſamica quædam conciliatur dulcificatio, ac robur. Et hic candide fateor, quod ſi poſtpoſitis unguentaceis, & oleoſis vulgarium Medicorum remediis præfatæ decoctiones vulnerariæ, & balſamicæ intus, & extra adhibeantur, methodoque recenſita patienter, atque aſſidue maligna, gangrænoſa ulcera in principio tractentur, non ſolum brevi curabuntur, ſed nunquam fere in corruptionem, aut incurabilem ſtatum degenerabunt. Ceterum ſi remediis hiſce ſtatim præſcriptis nil proficies, ſed in ulcere contagium, & depaſcentia ſupervenerint; in his duobus caſibus duntaxat ad uſtionem, remedia cauſtica, & tandem ad membri abſciſſionem ſi gangræniſmus immineat deveniendum. Inuſto ulcere curandum, ut citiſſime decidat eſchara, ne per illam occluſa vaſorum inuſtorum oſcula, maligni humoris eruptionem impediant, ut ſupra obſervavimus: ſucco petroſelini inuncta pars, brevi de ſe eſcharam emittit; ſi ſuper ambuſtum locum inſuffletur flos farinæ tritici in tenuiſſimum alcohol redactæ, & exinde ſuperponatur petia vino nigro madida, per diem ulceri relinquenda, poſtea oleo lini foveatur; decidet quoque eſchara, ut vidi Patavii curante Domino *Marchetto*.

Sed e diverticulo in viam. Noſtrates poſtquam demorſum a Tarantula locum & ſcarificaverint, & alexipharmacis inunxerint, ad interna demum remedia ſe convertunt. Inter hæc primas tenent *ſpir. vin. roſmarinatus, ſive aq. Reg. Ung. vel potius ipſa eſſentia roſmarini per ſe diſtillata, & ſumta cum aqua theriac. cortic. citri, hyſſopi, meliſſ. ſerpilli*, &c. ſtatim itaque exhiberi poterit *ſpir. vini roſmarinatus ab unc. 1. ad ii. cum aq. ſerpilli, aut brodio herbis alexiteriis alterato*, ægerque in lecto cooperiatur ad ſudores eliciendos, quibus facilius extorquendis pannum lineum ſpiritu vini madidum, & nudo corpori obvolvendum, prius tamen calefactum leniter, ſummopere laudatur, *Epiphanius Ferdinandus* ſequens

elc-

electuarium quod antiphalangium vocat, tanquam summopere utile, & a se expertum in observationibus suis proponit: igitur *Recip. bacc. myrt. & thamaridis an. unc.* I. *semin. pastinac. nigellæ, agn. cast. dauci, anisi, cumini, & origani, an. drag.* I. *terr. sigill. & boli arm. orient. an. drag. ij. cum syr. tor. citr. f. s. a. electuar. de quo sume quotidie mane drag. ij. & superbibe brodium alteratum herbis, & radicibus elexiteriis.* Ceterum frustranea propemodum sunt, tum hæc, tum alia remedia, quæ proponi possent, nisi præsto sit, & abhibeatur musica, ut constans, & infallibilis nostrarum Regionum evincit experientia. Siquidem musica, præcipuum est Tarantatorum antidotum, qua quidem audita, quamvis adinstar apoplecticorum jaceant patientes, sensim movere incipiunt manus, pedes, & exinde reliqua membra, donec tandem in pedes erigantur: erecti ululant, suspirant, obscœna eventilant, & saltationes integro triduo absolvunt. Sed de his speciatim.

CAPUT IX.

Chorea, & musica sunt præcipuum hujus veneni antidotum, ubi obiter modus saltandi Apulia familiaris describitur.

QUoniam irritis quibuscumque remediis, brevi intereunt Tarantati, nisi musica præsto fuerit; ideo de modo saltandi nobis familiari pauca mox dicemus.

A Tarantula demorsi paulo post humi concidunt semimortui, cum totali virium & sensuum jactura, difficulter quandoque spirant, quandoque luctuose suspirant, frequenter tamen immobiles jacent, ac velut exanimes. Inchoato musices sono, sensim mitescere incipiunt symptomata antedicta, æger digitos, manus, mox pedes movere incipit, & successive cetera membra, crescenteque sonorum modulamine, motus ipse membrorum augetur, & si patiens humi jacet, vehementissime in pedes elevatur, saltationes inchoat, suspirat, & modis fere admirandis contorquetur: Vehementes has, ac primas saltationes pluribus horis, sed frequenter duabus, vel tribus horis continuat; postquam vero paululum quieverit in lecto ad sudores abstergendos, viresque reficiendas, eadem vehementia saltationes redintegrat, & facta supputatione duodecim fere horas quotidie impendit in saltationibus vicissim institutis. Et quod mirum est, non solum a vehementibus hisce saltationum laboribus lassitudinem, aut debilitatem aliquam non sentiunt patientes, sed exinde, ut ajunt, agiliores fortioresque evadunt.

Saltationem inchoant frequenter circa ortum solis, eamque nonnulli absque ulla quiete protrahunt ad horam unam circiter ante meridiem. Coguntur tamen interdum quiescere, non lassitudinis causa, sed quia dissonantiam aliquam in musicis instrumentis percipiunt; quam dum perceperint, adeo vehementibus corripiuntur suspiriis, & angoribus cordis ut dictu sit incredibile; imo tamdiu suspirant, & affliguntur, donec ad consonantiam redacto instrumento saltare denuo incipiant. Mirum quoque est, quod rudes puellæ, & inculti rustici, qui unquam ne viderunt quidem nobiliora musices instrumenta, saltationis tamen tempore, tam periti evadant dissonantiarum, & consonantiarum artifices, & censores.

Circa horam meridianam quiescunt a sono, & chorea; lectoque componuntur ad sudorum evocationem: quibus evocatis, & absterfis, tenui brodio, vel simili tenui cibo reficiuntur; nam gravissima, qua tunc detinentur inappetentia, lautiorem ciborum copiam vix, ac ne vix quidem permittit. Hora una circiter pomeridiana, vel duabus horis ad summum, saltationem renovant eadem vehementia, easque continuant modo supradicto usque ad Vesperas. Vespere denuo lectulum ingrediuntur, sudores excitant, iisque absterfis tenui victu reficiuntur, & somno demum se componunt. Hic saltandi modus communiter per quatuor dies exercetur, raro ad sextum extenditur.

Generaliter saltandi terminus incertus est, multi namque tamdiu saltant, donec ab omnibus solutos symptomatibus se persentiunt, quod frequentissime succedit post tertium vel quartum diem; tunc enim spoliata sanguinis massa virulentis partibus per supervenientes sudores, pristina salutis commoda recuperat patiens, & toto illo anno a pravi morbi symptomatibus immunis vivit. Et quamvis per sudores saltationibus provocatos venenosa morbi semina a sanguine eliminentur, non perinde tamen sequitur, ut sudores a vulgaribus diaphoreticis provocati hoc idem præstare possint. Nam plures ex nostratibus medicis, quamvis, postposita saltatione, sudores provocaverint per aquas, & confectiones diaphoreticas, nonnullis diebus ante suspectam paroxismi invasionem: nihilominus tamen paroxismus vere supervenit, & majori cum impetu; fuitque necessarium choream adire, & novos sudores per repetitas saltationes procurare, & ita paroxismum omnino jugulare.

Circa illud anni tempus, quo, a Tarantula demorsus fuit Patiens, recrudescunt gravia hujus morbi symptomata; unde qui promti non sunt in antevertendo morbi insultu per consuetas choreas, ipsos paroxismus derepente ingruens præoccupat: ideo ubicumque reperiantur, concidunt veluti apoplectici, aphoni, cum denigratione faciei, & extremorum &c. de quibus omnibus admoniti parentes statim Cytharœdos vocant, ut sonos inchoent, quibus auditis sensim resipiscit patiens; primo manus, mox pedes, deinde reliquum corpus movet; in pedes erigitur, & saltationes consueto more absolvit. Et ut supra indicavimus, si opportuno tempore non saltaverit,

ſudoreſque hoc pacto evocaverit patiens, toto illo anno miſerrime diſcruciatur inappetentia, colore cutis icterico, laſſitudine univerſali, & reliquis ſupra recenſitis malis, quæ magis, magiſque ingraveſcunt ſi annis ſequentibus ne quidem ſaltaverit, donec tandem in cachexiam, hydropem, & morbos incurabiles incidat.

Nonnulla curioſa hic ſubnectemus, quæ Tarantati chorearum tempore faciunt. Univerſaliter omnes Tarantati in magno illo ſaltationum vigore ſuſpirant, alte conqueruntur ebriorum adinſtar internorum externorumque ſenſuum rectum uſum fere amittunt. Adſtantes, & Parentes confuſe atque æqualiter tractant, & de præteritis fere non recordantur. Ex illis tamen nonnulli, ſaltationis tempore, delectantur ſummopere frondibus vitis, vel arundinis, eaſque manibus per aera circumferunt, atque madefaciunt, faciem ac collo circum nectunt, imo in aquam ipſam manus & faciem immergunt. Alii rubras veſtes, vel nudos enſes manibus tractare cupiunt. Hinc apud vulgus invaluit opinio, ſaltantes cum frondibus vitis demorſos eſſe a Tarantula, contra cum enſibus nudis, ab Apulo ſcorpione: qua de re fides ſit apud ipſum vulgus. Alii dum parum a ſaltatione quieverint, humi cavam effodiunt, aqua implent, & in luto illo veluti ſues volutari ſummopere cupiunt. Demum inter initia ſaltationis quandoque enſes petunt & artem gladiatoriam ſaltando exercent, quandoque ſpeculum volunt, & dum in eo propriam vident imaginem vehementiſſime ſuſpirant. Quandoque veſtes pretiolas, pulchra induſia, monilia, & alia hujus generis ornamenta petunt, magnaque reverentia ab adſtantibus accipiunt, & omnia ordinate diſponunt circa aream, in qua ſaltationes ducunt, iiſque viciſſim utuntur ac delectantur ſaltationis tempore, juxta varios impulſus, quos læſa imaginatio intus excitaverit; veſtibus & induſiis coloris amæni, ut plurimum rubri, cærulei, & flammei delectantur; nigrum contra vehementer horrent, ad illius aſpectum ſuſpirant, & adſtantes tali colore incedentes quaſi manibus impetunt, & foras exire jubent, &c.

CAPUT X.

Nonnulla alia circa choream breviter expenduntur.

QUemadmodum Tarantulæ ſunt diverſæ magnitudinis, coloris, & virulentiæ, ita & Tarantati a diverſis ſonorum generibus ad ſaltandum excitantur delectanturque, prout a variæ ſpeciei Tarantula fuerint demorſi; imo non ſolum ſinguli patientes particulari modulamine delectantur, & excitantur ad choreas, verum etiam & particulari inſtrumento, alii ſcilicet fiſtula paſtorali, alii tympano parvo, cythara, lyra, cymbalo, fidibus, & tibicinibus varii generis. Hinc curioſum eſt obſervare, quod Cytharœdi interdum, quamvis tria vel quatuor diverſa ſonorum genera efformaverint, ab iis tamen patientes ne minimum ad ſaltationes moventur, dum vero aliud efformant a præfatis diverſum, & ipſorum veneno forſan accomodatum, ſtatim ad illum ſuſpirant, & ſaltare vehementer incipiunt. Hoc unum tamen verum eſt, patientes, licet ſuo quique delectentur ſono, omnes tamen velociſſima ſonorum modulamina deſiderare (quæ ſonorum velocitas vulgo dicitur *Tarantella*.) Ideo Cytharœdi horum non ignari, faciliter mulierum fucum ſolent manifeſtare, nam ſi viderint mulierem ad quoſcumque ſonorum concentus veloces, aut tardos, & ſimiles alios ſtatim, imo indiſcriminatim ſaltare, dicunt eam non eſſe revera Tarantatam, uti poſtea experientia certum comperitur.

Atque hæc ſunt, quæ de chorea ejuſdemque effectibus breviter adnotavimus; reliquum eſt, ut mox perpendamus, an ipſa Tarantula ad muſices ſonum revera ſaltet, & an alia animalia ab eadem demorſa ad ſaltandum cogantur.

Tarantulam ad ſonorum concentus ſaltare nonnulli crediderunt, inter quos *Kircherus Magnet. lib. 13. part. 8.* aliique Auctores, qui ex alienis dictis potius, quam per autopſiam hac de re judicarunt. Ex antedictis tamen ſciendum Tarantulam eſſe de genere Araneorum, ſive Phalangiorum octonoctulorum, cujus ſubſtantia fere tota friabilis, membranea, & ſubtiliſſima eſt, atque ſui generis nutritia lympha turgeſcens (ſanguinis namque veſtigia, raro in eadem obſervavimus) unde hac ratione a quilibet, vel leviſſimo motu externo, in ſubſultus involuntarios impelli poſſe credendum.

Porro Tarantula ex natura ſua ad ſaltus motuſque vehementiores prona eſt, & fere nunquam quieſcere obſervatur, multo magis ſi adurens æſtatis calor acceſſerit, quo exaltati attenuatque Tarantulæ humores in majores motus ſubſultorios eandem adigunt. Cum intuerer interdum avulſum Tarantulæ pedem, integris fere horis duabus ſubſultorios, vehementioreſque motus in illo obſervavi. Duobus his motibus ſi tertius accedat, undulatio ſcilicet aeris, & vehemens ejuſdem preſſio a muſicis inſtrumentis facta, & Tarantulæ membraneum corpus incurrens, mirum non eſt, ſi ea ad muſices ſonum ſubſilire tunc temporis videatur, ſubſultuſque illi externis motibus potius debeantur, quam voluptati Tarantulæ, ex neceſſario naturæ inſtinctu ad ſonum ſubſilientis, quæ omnia magis patebunt legenti librum de vi percuſſionis, quem nuperis annis emiſit vir celeberrimus *Borellus* Academiæ Neapolitanæ, & Romanæ decus magnum, ubi multa virium impulſus arcana examinantur. Ceterum quamvis hæc ipſe ſentiam, non perinde tamen omnino nego Tarantulam ad muſices ſonum ex interna quaſi voluptate ſubſilire, præſertim cum *Epiphanius* laudatus hoc aſſerat, & alii quamplures teſtes oculares, ſed majori probatione rem hanc indigere arbitror.

Vide-

Videbimus mox, an reliqua animalia a Tarantula demorsa saltare cogantur, ut homo. Nostrates passim opinantur affirmative, & ab oculatis testibus hoc pluries audivimus. *Sennertus* quoque *lib. 1. cap. 7. ex Epiphanio in suis observ.* refert vespam a Tarantula demorsam, una cum ipsa Tarantula saltasse ad sonum fidicinum, imo & gallum demorsum pariter saltasse. An animalia demorsa iisdem de causis saltare cogantur, quibus Tarantulam ad saltandum cogi nuper indicavimus, dubius hæreo. Fateor tamen quod sicuti a cane rabido demorsi ululant adinstar canum, aliasque operationes canibus analogas exercent, ob impressas forsan in illato veneno rabidi animalis ideas, ita pariter si in summe activo Tarantulæ veneno ejusdem animalculi instinctus, atque inclinationes lateant: eæque per veneni vehiculum animalibus communicatæ sint, quid mirum si in his totas suas vires, & a venenati insecti natura parum differenter exerant?

Elapso decennio dum exercerem praxim Neapoli in celeberrimo illo tum Doctorum Virorum, tum Scientiarum Emporio, amicus quidam noster varias Tarantulas vivas Apulia transferri curavit circa mensem Augusti. Unam ex illis tenui vibice prius irritavimus, irritatæ statim cuniculi vivi caput aptavimus, cujus superius labium paulo post bis momordit: transactis duabus horis demorsi cuniculi labia insigniter intumuerunt, nigrescebant, & ipse subobscura spirandi difficultate, & blanda totius corporis horripilatione correptus humi concidit; usque ad quartum diem nec cibum hausit, nec potum, sed stupidus, ac veluti comatosus jacens, & præfatis graviter pressus symptomatibus quinta die circa meridiem obiit.

Caput, labia, & lingua ante mortem vehementer intumuerunt; imo & abdomen: Licet Cytharædus accesserit, & varia sonorum modulamina efformarit, non perinde tamen cuniculus movebatur, aut subsiliebat, sed semper aphonus, & immobilis jacuit. Probabile itaque est in sola Apulia miros saltationis effectus producere venenum illud: quo loci ab urentioribus solis caloribus ad debitum exaltationis gradum evehitur, non ita in reliquis Regionibus, sub frigidioris forsan climate constitutis. Lycium redux decreveram nonnulla in animalibus experimenta per Tarantulæ morsum tentare; sed quoniam vix domum attigeram, quod in exteras Regiones peregrinandum mihi fuit, ideo ne quidquam hac de re potui absolvere.

Aperto cuniculi cadavere, venas, & arterias cerebri turgidas invenimus, & cerebrum ipsum levi affectum inflammatione, maculis lividis hinc inde conspersum. Pulmones, & reliqua viscera naturalia sanguine concreto, & nigro nimium distendebantur. In ventriculis cordis grumi majores sanguinis, & tenues rami polyposæ concretionis conspiciebantur. Magna seri copia hinc inde exterius in cerebro fluctuabat. Reliqua demum sana erant, & inculpata.

Nil frequentius occurrit in apertione cadaverum, quem hæc seri extravasatio in partibus, & cavitatibus corporis. Eam tamen potissimum observavi in cadaveribus eorum, qui ob generalem aliquam sanguinis coagulationem, vel potius particularem in aliquo viscere obstructo perierunt. Universalem intelligo in malignis febribus a coagulatione: particularem vero in apoplexia, pulmonum morbis quam plurimis, & viscerum obstructionibus, ac scirrhis. Unde in extinctis ab apoplexia sæpissime copiosam seri fluctuationem observamus extra, vel intra cerebrum. In extinctis vero a pulmonum morbis, in cavitate thoracis, & sic deinceps. Et hæc seri extravasatio recensert potius debet inter effectus, quam inter causas morbi principalis, utpote quia paucis ante mortem diebus, aut mensibus se manifestat. Quod præ ceteris observari in iis, qui ex polypo cordis moriuntur: hi paulo ante mortem, tumore pedum œdematoso vexari incipiunt, mox cachexia, & tandem hydrope corripiuntur. Huic observationi quadrat & illa de asthmate, aliisque pectoris morbis, in quibus impedimentum aliquod vel in auricula, vel id dextero cordis ventriculo adest, utpote dilatatio, aneurisma, polypus, ossificatio & reliqua hujusmodi exonerationem sanguinis e dextro cordis ventriculo in pulmones impedientia: in his inquam morbis observavi exteriorem dextræ manus partem attolli sensim in tumorem, coloris vel naturalis; vel sub pallidi, & morbo ad interitum ægri properante, tumorem illum altius elevari, & per continuatum brachium expandi. Quando igitur talem tumorem in exteriori, & mox in interiori manus parte deprehenderis, aderitque spirandi aliqua difficultas, semper prædicito impedimentum aliquod circa dextrum cordis ventriculum, aut circa illius auriculam, ut cadaveris sectio clarius manifestabit.

CAPUT XI.

Variæ Ægrorum Historiæ proponuntur.

HISTORIA I.

NObilis Mulier Lyciensis ann. 1689. rure in urbem regrediens, secessit in cellam vinariam, in qua cum paulisper commorata esset, domum rediit, negotiisque domesticis occupata, morsum quendam in femore dextro sensit, formicæ morsui non dissimilem; interea temporis neglecta levi punctura ad prandendum se contulit, vixque pauco ingesto cibo, femur, & inferiores artus sensim stupefiebant, nec ullam vellicationis molestiam patienti factam sentiebant. Quamobrem relicto prandio secessit in cubiculum, ut observaret demorsum femur, invenitque in loco demorso parvum tumorem, magnitudine lentis, subrubrum, ac fere livescentem, cui statim theriacam alio contuso mixtam applicuit, eodemque tem-

pore vehemens cordis angor, magna ſpirandi difficultas ſupervenerunt. Mox lectulo compoſita totius corporis tremore correpta fuit, tali profecto vehementia, ut vix duo robuſti homines eam continere potuiſſent; paulo poſt ingens dolor in articulis, & digitis pedum ſupervenit, & præ doloris magnitudine ægre ferebat leviſſimum pondus induſii linei corpori ſuperpoſiti. Accerſito Medico pars affecta pluries ſecta fuit lanceola, ſectionique ſuperpoſita theriaca cum allio contuſo; intus vero ſumſit confect. alcherm. cum vino generoſo. Sed omnia hæc fruſtra; nam ſenſim aphonia, ſpirandi difficultas creſcebant, & patiens dicebat linguam ſibi ad interiora convelli, & ita impediri, ne poſſet verba pronunciare. Trium horarum ſpatio ab accepto morſu hæc ſupervenerunt, illiſque accedebant ſitis ingens, vigilia, angor cordis, inappetentia, & quamplura alia ſymptomata. Unde Parentes ſtatim ſuſpicari cœperunt de ictu Tarantulæ, (quamvis in affecto loco eandem non invenerint) & patienti ſaltationem ſuadere, quæ quidem lacrymando reſpondit, ſe ſaltare non poſſe, tum ob vehementes in articulis pedum dolores, tum ob totalem virium jacturam.

Urgente tamen morbo vocati ſunt Cytharœdi, qui prope lectulum patientis ſtantes, interpellarunt eam a cujuſnam coloris, vel magnitudinis Tarantula demorſa eſſet, ut familiarem talis ſpeciei Tarantulæ ſonum inchoarent: & cum reſpondiſſet ſe neſcire, a Tarantula ne, an a Scorpione puncta eſſet. Illi ſtatim duo, vel tria diverſa ſonorum genera inſtituerunt, a quibus nihil prorſus afficiebatur patiens, audito tamen quarto, a reliquis diverſo, ſtatim ſuſpirare cœpit, & ſe temperare neſciens a vehementiſſimis inſultibus, quos muſica intus excitabat, ſolutis omnibus verecundiæ limitibus, fere nuda prodiit e lecto, vehementiſſime ſaltare cœpit, & ita per triduum conſueto more continuando, ab omnibus ſymptomatibus libera evaſit. Ceterum licet patiens toto illo anno optime ſe habuerit, ſingulis tamen ſubſequentibus præſertim eo tempore, quo puncta fuit, eidem omnia recrudeſcunt ſymptomata, locus demorſus dolore, phlogoſi, & rubicundo colore afficitur, &c. Omnia tamen evaneſcunt per choreas modo antedicto inſtitutas.

HISTORIA II.

ALia Mulier pariter nobilis Lycienſis a Tarantula demorſa, iiſdem ſymptomatibus magis, aut minus vehementibus affecta fuit, ſed per choream more patrio inſtitutam brevi evaſit, & toto illo anno optime habuit. Singulis tamen annis, circa ſolitam veneni recrudeſcentiam vehementiſſimus dolor digitos pedum occupabat, ob vehementiam doloris inflammabantur, & per decurſum inflammationis ex unguibus digitorum ichor tenuis, & mordaciſſimus emanabat, qui adjacentes partes graviter exulcerabat. His de cauſis ſaltare coacta nobilis Mulier, poſt finitas ſaltationes, a præfatis digitorum, & totius corporis ſymptomatibus ſtatim ſanabatur, imo ipſi digitorum ungues omnino decidebant.

HISTORIA III.

SEptuagenarius robuſtioris temperaturæ, Neritonenſi in Urbe prope Aletium ortus, circa initia Julii menſis dormiebat in campis, & præcipue in area tritici hora meridiana, derepente morſus fuit tenui punctura, a qua excitatus, ſtatim manibus fortiter compreſſit locum demorſum. Interea denudato fœmore invenit ſcorpionem nigrum jam interfectum in affecta parte. Paulo poſt ingenti cordis angore, languore univerſali, pectoris anguſtia, capitis debilitate, aliiſque ſymptomatibus corripitur. Per adhibita varia intus, & extra medicamenta non remittebat morbus, ſed omnia ruebant in deterius; ægerque affixus lecto manibus plaudebat, frondes vitis aqua madidas petebat, ſonum muſices, & choream deſiderabat, & in ipſo lecto pedibus ſubſiliebat. Dum hæc peragebantur, ſupervenit muſica, qua audita licet patiens ſummopere lætaretur, nihilominus tamen ob extremum virium languorem, & continuas pectoris atque cordis anguſtias vix moveri poterat a latere in latus, unde paucis interjectis horis extremo correptus angore migravit ad Superos.

HISTORIA IV.

JUvenis ruſticus Neritonenſis, peponem in cujus ſuperiori parte fovea naturaliter excavata erat, in fovea ſcorpio latebat, comederat, abjecto prius ſcorpione. Vix elapſis duabus horis ab ingeſto pepone, graviſſimis doloribus colicis corripitur, mox vere febri, & fatalibus tum vitalis, tum naturalis regionis ſymptomatibus, quorum omnium vehementia obiit tertia die. Hic pariter ante mortem chorea, & muſica delectabatur, frondeſque arundinum prope lectum ſemper volebat. Ex his deducimus patientem periiſſe ob virulentiam ſcorpionis.

HISTORIA V.

De Virtute Lapidis Indici, vulgo dicti Serpentini, contra morſus Scorpionum.

HIc lapis invenitur in capite Serpentis Indici vulgo *Cobra de Capelo*, & communi Scriptorum omnium de rebus Indicis conſenſu, creditur habere ſpecificam virtutem extrahendi venenum a parte, cui ab animali venenoſo illatum fuerat. Ex repetitis tamen Domini *Redi* Viri accuratiſſimi experimentis, de hoc lapide factis circa venenum potentiſſimum olei tabaci, viperæ, & ſcorpionis Africani, detectum tandem eſt virtutem illius ſuctoriam venenorum, ſuppoſititiam eſſe, & falſam, ut patet ex ipſius epiſtola ad *Kircherium*. Diu adhæſi opinioni tanti

Viri

tanti Viri propter grave pondus ſuorum experimentorum in Aula tanti Principis factorum; ſed acceptis gratiſſimis, dum hæc potiſſimum ſcriberem, epiſtolis, Aletio Romam mihi datis ab eruditiſſimo *Patre Joanne Dominico Patignanio Soc. Jeſu*, mutavi ſententiam, præſertim cum ex iis cognoverim non eſſe omnino falſam dicti lapidis virtutem, ſed ex parte veram, ut expertus eſt præfatus Pater Paulæ Urbe Calabriæ. Summa prædictæ epiſtolæ hæc eſt.

Diſcedens elapſis annis Sicilia, mecum ferebam nonnullos lapides ſerpentinos dono mihi datos a Religioſo Viro, qui recens Luſitania Siciliam venerat. Paulam Calabriæ urbem me contuli, quo loci aliquamdiſper commoratus ſum. Interea ruſticus Calaber Auguſto menſe morſus fuit in collo a calabro ſcorpione, & floccipendens illatam picturam nulla adhibuit remedia, quamobrem ſupervenientibus graviſſimis ſymptomatibus ad extremum fere vitæ perductus fuit. Elapſo triduo certior factus ab amicis de præfato caſu, ſtatim acceſſi ad patientem, ut experimentum facerem cum lapidibus meis ſerpentinis. Inveni igitur ipſum jamjam morientem, & a filio ſuo indicatus mihi fuit in collo locus demorſus, cui parva cruſta ſupercreverat. Scarificato prius lanceola loco affecto, ſtatim ſuperpoſui unum ex lapidibus præfatis, qui vehementer adhæſit parti; vixque elapſis quatuor, vel quinque minutis horæ, patiens ſummopere ſuſpirare cœpit, nec non & reſpirare frequentius, & poſt horæ quadrantem integræ ſanitati reſtitutus fuit, præſentibus plurimis conterraneis. Obſervavi in principio applicationis lapidis, quod oportebat illum ſtatim exonerare ſucco veneno, infundendo eundem in lacte, in quo veneni ſemina deponebantur. Quamvis liberatus eſſet æger a morbo poſt horæ quadrantem, nihilominus tamen præſervationis gratia per duos dies, lapidis applicationem repetebam, & ſingula applicatione obſervavi, quod in lacte, adhuc deponebat aliquid venenoſæ ſubſtantiæ, donec tandem illud non amplius tingeret. Hæc eſt ſumma epiſtolæ Italico ſermone datæ ab eruditiſſimo Patre.

Colligendum exinde erit lapides prædictos revera venenum extrahere; quoniam tamen plures ſunt adulterini, & vili pretio ab Arabibus, & Indis fallacibus venumdati noſtris Europeis, ut idem teſtatur Dom. *Redi*, ideo nil mirum, quod frequentiſſime votis non reſpondeant, &c. In mentem obiter revocanda ſunt præcepta Domini *Boilei* in libello: *De experimentis, quæ non ſuccedunt*, ubi fuſe de non ſuccedentibus, quamvis veris, experimentis diſcurrit.

HISTORIA VI.

FRanciſcus Muſtellus ruſticus Diœceſis Lyciensis elapſo decennio circa Calendas Julias punctus fuit a Tarantula in manu ſiniſtra, dum tritici ſpicis legendis attenderet. Occiſa Tarantula domum revertebatur cum ſociis, in mediætate tamen itineris derepente humi concidit velut apoplecticus, ſupervenientibus ſpirandi difficultate, manuum, faciei, & aliarum extremitatum denigratione, &c. Nota ſociis morbi cauſa, Cytharœdos vocarunt, quorum muſica audita ſenſim veluti reviviſcebat patiens, ſuſpirare cœpit, pedes primo, mox vero manus, & reliquum corpus movebat, & paulo poſt in pedes elevatus ſaltabat vehementiſſime, cum ſuſpiriis, ita vehementibus, ut fere adſtantibus timorem incuteret; frondes arundinis, & vitis, aqua madidas ſaltando geſtabat: humi volutabatur, & pedibus ſolum vehementer percutiebat. Poſt elapſas duas horas ab inchoata muſica nigredo in facie, & manibus omnino ſoluta fuit, ſaltationibuſque per tres dies conſueto repetitis, & hac ratione ſudoribus provocatis perfecte convaluit. Singulis annis circa tempus morſus, dolor in affecta parte cum omnibus prædictis ſymptomatibus recrudeſcit, minori tamen impetu, & niſi ingruentem paroxiſmum muſica & choreis antevertat, derepente ab eodem corripitur, unde frequenter a familiaribus ſuis reperitur in campis fatali morbo correptus tempore ſuſpecto, ſed ſuperveniente muſica brevi ſanatur.

HISTORIA VII.

PEtrus Simeon Meſſapienſis adoleſcens calidi, & ſicci temperamenti, ruri degens noctu, in hypochondrio ſiniſtro morſus fuit a Tarantula; quæ forſan uvea fuit, ut ex ſymptomatibus ſupervenientibus colligere licet. Unde ſtatim perſenſit vehementem dolorem in loco ictus, & ſtatim concidit in terram cum frigore totius corporis, horripilatione, dolore in pectine, virgæ tenſione, &c. crura debilia erant, ſuſpirabat, lugebat; ſe ſuffocari dicebat, clamare volens, ſed non potens. Sequenti aurora defertur ab adſtantibus in oppidum ubi vocatur muſica, & ea ſpecie muſices maxime delectabatur, quæ a Noſratibus *Catena* vocatur: audita muſica ſtatim ſaltare cœpit, ſudoribus multis perfundebatur, vigilavit per hebdomadam, vinum meracum bibebat, alvus per quatuor dies non evacuabat, frondes optabat, in aquam infundi volebat, rubicundum amabat colorem, maximo odio perſequens cæruleum, quem dilaniabat, & pedibus conculcabat. Noctu calcanea ſibi manibus ſcalpenda curabat, quo pacto aliquantulum diſponebatur ad ſomnum; parum, vel nihil comedebat, ſed ſpatio unius fere hebdomadæ ſaltans, ſudoribus, & muſica fuit perfecte ſanatus. Hiſtoriam hanc excerpſimus ab *Epiphanio Ferdinando ex obſervatione ſua* 87. ea potiſſimum ratione, ut magis patèrent veneni hujus ſymptomata.

HISTORIA VIII.

IN rebus phyſicis affigenda ſunt potius ponderacredulitati, quam addenda plumæ. Hoc nuper ſerio ſecum perpendus quidam ex Medicis Neapolitanis, ne minimum quidem decantatis

Tarantulæ effectibus credere volebat, nisi in se ipso periculum faceret. Quamobrem advectis Apulia Neapolim nonnullis Tarantulis mense Augusto 1693. duas illarum nudæ carni sinistri brachii sub indusio posuit præsentibus sex testibus, & notario: paulo post morsus fuit, sensitque puncturam similem ei, quam formica, aut musca affert, eodemque tempore dolorem sensit in articulatione digiti annularis ejusdem brachii. Sequenti die pars affecta rubescebat, & circumcirca lividus aureique coloris circulus aderat: tertia die intumuit circulus aureus, cum continuatione doloris: quarta die tumor prædicti circuli evanuit, & demorsa pars remansit rubro lividoque colore suffusa, dolor vero interea vix sentiebatur. Hoc pacto absque ullo novorum symptomatum insultu per quindecim dies stetit morbus: decima quinta die crusta nigra in affecta parte supercrevit, qua ablata, denuo crevit & alia, imo circulus ille aureo-lividus etiam tunc apparebat. Elapso mense ab accepto morsu, levi infirmitate correptus fuit patiens, quæ an tribuenda sit virulentiæ morbi antecedentis, an aliis causis occultis, ignoramus. Paulo post in patriam se contulit ad reficiendas vires ab infirmitate antedicta pene detritas, tribusque elapsis mensibus Neapolim denuo regressus est, ubi nunc vivit incolumis. Tarantula post septimum a morsu diem obiit. Præcipua hujus historiæ argumenta Neapoli Romam nobis communicavit amicissimus Dominus *Bulifonius*. Ex qua colligere licet quod superius indicavimus, Tarantulam in exteras Regiones translatam fatalia morsus symptomata non afferre, nec non talium Regionum calorem non esse tantæ activitatis, quanta requiritur, ut venenum illius ad debitum exaltationis gradum perducatur, sicuti in intensissimis Apuliæ campestris caloribus re vera perducitur.

CAPUT XII.

Nonnulla dubitative proponuntur circa hujus veneni genuinam naturam.

OMnibus fere venenis commune est, ut subito, & vehementer totam vim suam in animalium exerant vitam, & hæc omnia efficiunt non magna substantiæ quantitate, sed exigua, & qnandoque inperceptibili. Venena generaliter agunt, vel coagulando, vel dissolvendo, & nonnulla, quæ bestiis innocua sunt, hominibus solent esse fatalia, & contra. Ideo ad nocendum non tantum veneni prærequiritur activitas, & deleteria substantiæ vis, quantum particularis quædam dispositio, sive pororum analogia in partibus animalis ad venenum suscipiendum. *Scaliger exercit. 33. §. 2.* affert exemplum messoris, qui ab ardoribus solis incalescens, & sitibundus, nonnullos aquæ ciathos in ipso incalescentiæ actu potaverat; paulo tamen post illam haustam cecidit extinctus. Hoc in casu aqua fuit adinstar veneni; nam in humoribus magna dispositio adest, ob insignem eorum rarefactionem ab ardoribus solis factam, unde derepente iisdem occurrens, nil mirum quod frigiditate sua statim, atque lethaliter coagulaverit. Eadem mechanice pleuritides, anginas, aliosque hujusmodi morbos a repentino frigore produci in libro mechanicorum medicinalium fuse probavimus.

Porro in veneno corrodente observamus, quod ejus particulæ acutæ, & scindentes corrodant, solvantque partes solidas, coagulent contra partes fluidas animalium; in utrisque tamen eandem efficiunt operationem, nempe solvendi, sed effectus in fluidis est coagulatio, in solidi vero erosio. Virulentia luis gallicæ, dum primo hominem corripit, coagulantes effectus producit, ut deducimus ex bubonibus, tuberculis, impotentia ad motum in articulis, &c. morbo autem crescente, & per repetitas circulationes venenosa materie vehementius exaltata, dissolventes effectus fiunt, ossium scilicet caries, dolores partium terebrantes, macies, febres, & similia, ex quibus deducimus ad suscipienda venena particularem in corpore requiri dispositionem, ad hoc ut hæc potius, quam alia producantur symptomata.

Tarantula nascitur in Apulia, Regione supra ceteras Italiæ adustissima; & quoniam climatis temperiem hominum temperies sequitur, illi pariter calidissimi sunt temperamenti, impatientes, acutis, & inflammatoriis morbis potissimum obnoxii; unde merito colligi potest ingens illa succorum volatilizatio, in Apulorum sanguine observabilis, quæ quandoque tanta est, ut evolata parte subtiliori, nil aliud remaneat in sanguine, quam terreum quid, & fixum, quod popularibus illis hypochondriacam, terream, & melancholicam affectionem adeo facile progignit. Unde tam ratione incolarum, quam ratione climatis, & virulenti animalculi, summa in omnibus observatur activitas, volatilizatio, & impetus, quæ omnia nos potissimum animadvertunt, quid statuendum de hujusmodi veneni natura.

Verumtamen si rem paulo attentius consideremus, constabit naturam venenorum ab animalibus, vel rabidis, vel virulentis emissorum consistere in compositione quadam particularum nimis activarum, volatilium, & celeris motus, quæ sanguini admissæ fulminis ritu omnia derepente pervadant, magnosque concitando tumultus mutuum partium sanguinem componentium vinculum dissolvunt, unde quælibet sui juris factæ & hinc inde secedentes viam sternunt ad coagulationem; cujus quidem indicia nobis præbent angores cordis, aphoniæ, pulsuum oppressiones, extremorum nigredo, & alia hujus generis post illata rabidorum, & virulentorum animalium venena se manifestantium. Huic opinioni arridet observatio *Benivenii* qui cap. 56. in suis historiis hæc habet. *Famulum habui, qua Scorpione ictus tam subito, ac tam frigido sudore toto corpore perfusus est ut algentissima nive, atque glacie se*

opprimi

opprimi quereretur. Verum cum algenti illi ſolam theriacam ex vino potentiori dediſſem, illico curatus eſt.

Rem hanc ulterius confirmant multa, quæ in rabidis obſervamus animalibus. Homo licet omni prorſus veneno careat, ob iram tamen aliquando illius ſpiritus tantopere exaltantur, & irritantur, ut quaſi in venenoſam naturam evehantur, & in actu illo iracundiæ aliquem momorderit, obſervatum eſt venenoſam rabiem eidem communicaſſe. Magis hoc eluceſcit in canibus, felibus, lupis, mulis, aliiſque hujuſmodi animalibus ad iram provocatis, quæ hac ratione in rabiem degenerant, & mordendo venenoſam rabiem aliis communicant; neque in illis accuſari poteſt venenum antecedenter in corpore abſconditum, cum tota vis veneni conſiſtat in ſpiritibus, & humoribus ad extremum fere exaltationis, & excandeſcentiæ gradum perductis. Mulum vidimus Patavii Julio menſ. 1691. ob nimiam veneris turgentiam, vel ob vehementes illius æſtatis calores in rabiem actum, qui ſtabulo exiliens, & obvium hominem furioſe impetens humi proſtraverat, varioſque morſus brachio, & collo attulerat, & calceis male tractaverat, & ita miſerrimus patiens paucis elapſis horis obiit: ante mortem tamen in rabiem ipſe quoque actus adſtantes, & parentes impetebat, ut morderet.

Nimiam activitatem in ſanguine Apulorum, & climate Apulo ulterius confirmant, tam ingens numerus melancholicorum, & maniacorum, iis in locis frequentior, quam alibi per Italiam, unde erectum eſt Neapoli magnum illud, & totius Italiæ celeberrimum Xenodochium, in quo dementes magna copia detinentur. Confirmat quoque tam frequens copia canum rabidorum, cujus rabiei cauſa exuentiſſimo aeris calori tribui jure ac merito debet. Benignitate tamen Summi Numinis, a rabidis canibus homines demorſi brevi ſanantur, ſi ante quadrageſimum a morſu diem ſe contulerint ad Oppidum S. Viti 40. milliariis circiter Aletio diſtans, ubi effuſis ad Deum pura mente precibus, Divi illius interceſſione mox liberantur, uti cuilibet in Apulia conſtat.

Hæc eadem ſumma veneni exaltatio, vel ſpirituum in veneni indolem evectorum excandeſcentia, quam præfatis animalibus adſcripſimus, tribui quoque poterit Tarantulæ, & in ea tota vis veneni reponi. Tarantulas, ceteroſque araneos communiter reponunt auctores inter animalia venenifera. Et quamvis *Harveus* de gener. animalium exerc. 57. hæc aſſerat. *Ipſemet aliquando experiundi cauſa manum aranei dente confricans, manum acu alio loco perforavi, nec potui quidquam diſcriminis inter has duas punctiuras obſervare, &c.* nihilominus tamen Dominus *Lifter* c. 6. de inſectis Angliæ, poſt illa *Harvei* verba, hæc ſubdit. *Erat tamen in cute quod diſcerneret, quippe eodem loco ubi venenata punctio contigerat, ſubito ſeſe in tuberculum contraxit, induitque mox ruborem, calorem, & inflammationem, tanquam ad pugnam, & nocentis mali expurgationem ſe roboraret, & accingeret.*

Ceterum, quamvis omne genus araneorum veneniferum ſit, & exitales quoque illorum morſus, magis tamen veneniferi ſunt ii, qui ſummopere calidas Regiones incolunt; quod de Tarantulis in Apulia, & de Scorpionibus in Africa, & Apulia, quoque verificatur. Siquidem ob exuentiſſimos aeris Apuli calores, cum ad extremum exaltationis gradum Tarantulæ humores evehuntur, nil mirum ſi tandem in venenoſam rabiem animalculum illud degeneret, prout ſuperius de aliis diximus animalibus. Atque hinc eſt quod Tarantula montium ad Apuliam terminantium incola, nec non, & hyemis tempore, ſi mordeat, nullum affert damnum. Pariter ſi ad exteras transferatur Regiones, & inibi locorum mordeat, ne quidem offendit; quia ſcilicet talibus in Regionibus, & tali anni tempore, ad debitum exaltationis veneniferæ gradum Tarantulæ humores perduci non poſſunt.

Venenum itaque hoc ratione ſui in ſummo exaltationis gradu conſtitui poteſt: ratione vero diverſitatis temperamenti ægrorum, diverſos producit effectus. Præcipui tamen ſunt denſatio & coagulatio, nec non & ſpirituum oppreſſio. Indicant hoc ſatis angores cordis, pulſus parvi, ſpirandi difficultas, niger aut lividus faciei, & extremitatum color, frigus totius corporis, tumor, ſtupor, dolor, & inflammatio affecti loci, curatio morbi per ſpiritum vini anthoſatum, vel eſſentiam anthos, ſudorum provocatio per ſaltus vehementes. Indicant pariter continui dolores capitis, animi deliquia, oſſium dolores, & inappetentia, ſuffocationis metus, aliaque innumera, quæ annis a morſu ſubſequentibus in patientibus obſervantur. An hæc denſatio ab acidis, vel contra ab alchalicis veneni partibus fiat, decernant acutiores. Certum tamen eſt, nonnulla alchalia ſolvendi vim habere, nonnulla alia coagulandi: hoc idem acida faciunt, ut graviſſimi teſtantur Auctores, unde in rebus tam dubiis non per ſpeculationem, ſed per experientiæ tentamina aliquam veritatis lucem eruere poterimus. Et utinam Medici tot vigilias, & ſtudia in nugis hiſce inutilibus ſpeculandis non impenderent; cum cauſæ primo primæ, & proximæ, nec non proprietates minimæ rerum naturalium alta nocte obruantur nobiſque difficulter manifeſtentur.

Præterea venenum Tarantularum in gradu venenoſitatis mitius eſt quam illud Viperarum, in motu vero vehementiori partium componentium ſimilibuſque motus paſſionibus illud viperarum longe ſuperat. Ideoque merito quadrat aſſertum *Villiſii* cap. 7. de morbis convulſivis, dicentis: *Venenum Tarantularum, liquori nerveo*

inflictum, mitius eſt, quam ut ſpiritus animales penitus extinguere valeat, aut diſtractos prorſus diſſipare, & in exploſiones immaniores cogere, ſed eos tantum in fugam conjicere, fugatoſque hinc inde in ſpaſmos leviores, ac fere tantum dolorificos incitare.

Et quamvis venenum Tarantulæ activitate virulentiæ ſubſtantiæ humores ſad coagulum fere diſponat, quoniam tamen vividiſſimo motu partium componentium gaudet hic aliqua ex parte totalem illam impedit coagulationem, ſpirituſque, & humores aliquantum excitando, facit ne totaliter ſuccumbant. Imo interdum tanta eſt hæc ſpirituum concitatio, ut in motus involuntarios, ac mere ſpaſmodicos degenerent, unde nonnulli ex Tarantatis ingentibus convulſionibus, rigoribus, diarrhœa, multiſque aliis involuntariis motibus poſt inflictum morſum corripiuntur.

An hæc, quæ dubitative de hujus veneni natura ſubindicavimus vera ſint, vel ſaltem veriſimilia æqui rerum æſtimatores judicent. Hoc unum fateor me magis delectari in obſervandis naturæ motibus ad diagnoſim, prognoſim, curationemque morborum ſpectantibus (cujus vox non eſt adinſtar nubeculæ, quæ cito tranſit, ſed ad inſtar ſideris, quod permanet, & lucet) quam in hujuſmodi inanibus, & eouſque duraturis, donec a contrariis ſpeculationibus non ſubvertatur (quod paucorum dierum, aut menſium ſpatio ſuccedet) phantaſiæ meæ conatibus, de rerum effectibus ſuperſtruendis, nam ut optime Orator Romanus de Nat. Deorum: *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.*

CAPUT XIII.

Quid agat Muſica in Tarantatis, & in aliis morbis, breviter examinatur.

QUam mirandi, quam varii, & quam incredibiles ſint effectus motus neminem latet. Et generationes, & corruptiones, & ſingulæ fere ſublunares alterationes per motum fiunt. Quæ vivunt, quæ vegetant, & quæ ſenſibiles mutationes vitæ, & interitus ſubeunt, in perpetuo ſunt motu. Quamobrem cum tanta ſit vis motus, merito Philoſophi ſagaciores duo rerum principia ſtatuerunt, motum ſcilicet, & materiam. Imo cum motus operationes per contactus corporum fiant,

Tactus corporibus cunctis: intactus inanis.

Ideo nil mirum, quod admirandi effectus produ¸antur a quibuslibet, vel levibus motuum impreſſionibus ob communicatum ſcilicet impetum contactus ad partes etiam remotiſſimas, ut in aureo de vi percuſſionis libello demonſtravit *Borellus* noſter, & ex ſequentibus clare patebit. Podagrici licet ad omne exercitium impotentes ſint, crederem tamen aſſidua cum amicis colloquia, vel librorum lectionem alta voce factam ipſis eſſe poſſe loco exercitii; nam inter loquendum contrahuntur, & exercentur muſculi oris, & partium adjacentium, & propter contractionem illam expreſſio, & circulus liquidorum, quæ ſunt ad contactum promtius, & facilius abſolvuntur, & ſic deinceps liquida omnia quamvis remotiſſima celerius promoventur, ac circulant. Quod loquela alta voce facta, necnon, & cantus recenſeri debeant inter genera exercitii, abunde teſtatur *Plutarchus* de tuenda bona valetud. pulcherrimis hiſce verbis: *Ita dixerit aliquis litterarum ſtudioſis non oportere tradi præcepta de corporis exercitationibus, quod ipſe quotidianus diſputationis uſus, qui voce peragitur, mira quædam eſt exercitatio conducens non ſolum ad bonam valetudinem, verum etiam ad corporis robur, non illud quidem palæſtricum, neque quod carne cutem diſtendat, incruſtet, infarciatque foris velut in ædificio, ſed quod partibus maxime vitalibus, principaliſſimiſque vim internam, vigoremque verum, ac genuinum inferat. At cum vox ſit agitatio ſpiritus non leviter, nec in ſuperficie, ſed velut in ipſo fonte, in ipſis viſceribus valet, & calorem auget, & ſanguinem ſubtilem reddit, & omnes purgat venas, & omnes aperit arterias, humorem verò ſuperfluum non ſinit craſeſcere, neque fœcis in morem ſubſidere in his conceptaculis, quibus accipitur, & conficitur cibus. Itaque cum primis danda eſt opera, ut ſeſe huic exercitationi familiares, & aſſuetos reddant, aſſidue diſſerendo, aut legendo, ſive recitando, ſiquid ſuſpicabuntur corpus eſſe laſſum, aut imbecillius*: hactenus *Plutarchus* in aureo libro de tuenda valetud. ubi fuſius quoque hoc idem probat argumentum. Exinde etiam eſt, quod viri religioſi, & clauſtrales, quamvis non multo utantur exercitio, vitam tamen non multo ſalubrem ducant; quia ſcilicet diu, noctuque in choro vocem exercent, in canendis Deo precibus, & ta vocis exercitio corporis motum penſantes, & bene digerunt, & diu ſalubriter præ aliis hominibus vivunt. Pariter non ſine ratione *Aſclepiades* morbos curabat lecto penſilis; patientes in tali lecto movendo, & exercendo, *ut morbos* (verba illius ſunt) *extenuaret*; huncque lecti penſilis uſum in curandis morbis, nonnulli inter Dalmatas adhuc retinent, ut mihi per illas Regiones peregrinanti multi retulerunt. Rheda, aut ſella vehi inter exercitii genera referri quoque debet, & licet hoc exercitio corpus non ſuccutiatur, nihilominus tamen novus ille continuuſque aeris in corpus impulſus, & motus ille, utut leviſſimus, humorum curſum promovet, tranſpirationem auget, corpuſque ab excrementis repurgat. Vocis igitur exercitium, & vectio rhedæ familiaria ſint podagricis ob rationes ſupradictas. Atque hæc dicta ſunto, ut pateat, quam magni effectus a parvo motu fiant, & ita clarius conſtent mox dicenda de muſices effectibus. Muſica eſt de genere eorum, quæ aerem acute feriunt; & vividas quaſdam undulationes diſponunt; motus hi, ſive veloces undulationes ſanguini, & ſpiritibus per contactum communica-

tæ

tæ in iis diverſas excitant affectiones, nunc ad motum vehementer concitando, nunc ad quietem componendo; & ex varietate ſonorum, variæ in mente noſtra rerum ideæ excitantur: hinc alii concentus ad audaciam, alii ad hilaritatem, alii demum ad pietatem nos movent, prout ſcilicet ſpiritus, & humores hoc, & non alio modo afficiuntur. Tympani, & fiſtulæ bellicæ, dum ſonant, quam vehementes excitent motus in ſpiritibus militum arguere licet ex audacia, alacritate, & promtitudine ad pericula, necnon ex immani furore, in ipſo calore conflictus, vel in apparatum ad conflictum animis militum obſervantibus; ut taceam exempla ſtrenui, & generoſi ducis, ambitionem gloriæ, & ſtimulos prædæ, quæ pariter ad furorem militum, conducunt, &c.

Mœſti, irati, vel aliis animi paſſionibus affecti, leni, & placido muſices concentu in alacritatem, & gaudia excitantur, & per illius continuationem in ſomnum ducuntur, &c.

Quod præfatæ aeris undulationes agant in ſolidas, fluidaſque noſtri corporis partes, ex variis brutorum exemplis, nec non ex ſtupore dentium deducimus. Multi a motu limæ, aut ſerræ, ob ingratam illam aeris undulationem in ſtuporem dentium, aut moleſtam ſenſationem incurrunt, eo quia cum improportionatæ ſint moti aeris particulæ poris nervorum radicibus dentium inſertorum, eoſdem detorquent, demovent, atque adeo vel ſtupefaciunt, vel dolore afficiunt. Porro contingit, ut quiſque noſtrum dum inſolitam quandam, ac gratam muſices harmoniam ſentit, quaſdam veluti oberrationes blandi horroris, ſive rigoris per cutim, imo, & aliqualem capillorum erectionem inter initia experiatur. Quod animalia pariter a muſices ſono afficiantur, plurimi teſtantur Auctores Strabo iratos elephantes muſices ſono placari affirmat, apes ſonitu metallico delectari, cygnos cithara, & cantu, delphinos muſica, ut refert *Epiph. loc. cit.* Ipſe vidi canem Raguſii, quæ eſt pulcherrima, & nobilis Dalmatiæ urbs, quæque olim Antiquorum Epidaurus fuit, & Æſculapii templo celebris, nunc eſt caput Reipublicæ liberæ, & præſtantiſſimæ. Ibidem natus ſum ipſe anno 1668. die 8. Septembris oriente ſole. Deinde puer cum parentibus Aletium in Apuliam migravi, ubi nunc noſtra ſedes. Vidi inquam canem, cui adeo exoſus erat cytharæ, vel alterius inſtrumenti muſici ſonus, ut eo audito in magnos ululatus, ac fere in luctum conjiceretur.

Curioſum magis eſt quod affert Alexander ab Alexandro dierum genialium lib. 6. cap. 5. dicens. *Theophraſtus quibuſdam viperarum morſibus tantus fidicinum, aut tibiarum, aut alia artis muſicæ organa modulate adhibita, aptiſſime mederi affirmabat.* Hoc pariter obſervavit *Aſclepiades*, qui phreneticos, mente imminuta, & valetudine animi affectos, nulla re magis, quam ſymphonia, & vocum concentu reſipiſcere, & ſanitati reſtitui dicit. Fertur etiam *Iſmeniam Thebanum* plures Bœoticorum iſchiadicos, concentu tibiæ, vel cytharæ ſanitati reſtituiſſe. Vide plura apud *Aldrovandum lib. 5. de inſectis, fol. 621.*

Cum igitur ex antecedentibus muſica ſanos homines, & alia cogitantes, in actiones modulaminis auditi æmulas rapiat, quid de muſices effectibus in curatione Tarantatorum ſentiendum ſit exinde clare eluceſcit. Probabile eſt motum velociſſimum a muſicis inſtrumentis aeri impreſſum, (id genus velociſſimi ſoni Tarantatis familiaris, ab Italis vocatur *Tarantella*) & ab aere cuti, mox ſpiritibus, & ſanguini communicatum, incipientem eorundem coagulationem pauliſper diſſolvere, diſgregare, excitare, & diſſolutionis effectus creſcere, ſono ipſo creſcente; donec tandem per repetitas has ſucceſſiones, ac veluti vibrationes priſtinam fluiditatem humores acquiſierint, quo facto æger ſenſim reviviſcit, membra movet, in pedes elevatur, ſuſpirat, & vehementiſſimas inchoat ſaltationes, donec evocatis ſudoribus, veneni ſemina foris eliminata fuerint.

Neque mirum, muſicam tantam vim habere ſolvendi ſpiritum, humorumque venenoſum coagulum; ſiquidem præcipue, & immediate afficit organum auditus cerebro valde propinquum, imo cerebrum ipſum, ſive minimas, & tenuiſſimas ejuſdem fibrillas, in quibus cum torpeant, & ad necroſin fere diſpoſiti ſint ſpiritus, probabile eſt quod a continuis, & vehementioribus muſices contactibus in membranas cerebri explicentur, & motu ex parte adepto nervorum fibrillarumque tubulos facilius, agiliuſque introeant, & ita cum humoribus, & ſolidis partibus priſtina recuperent commercia. Moto aeri ab impulſu fidicinum, vim auget, & ſtimulos, calor ſolis ardentiſſimus, aer Apuliæ calidiſſimus, & tenuiſſimus, unde ſonus ille vehementius ferit ſpirituum, humorum, & membranarum ſyſtema, & ex vehementiori impulſu, vehementior pariter in humoribus excitatur fermentatio, exaltatio, & debita fluiditatis reſtitutio. Hæc omnia per remedia diaphoretica intus ſumta aſſequi non poſſunt, ut ſuperius adnotavimus, nam talia medicamenta antequam ad ſanguinem pervenerint, vires ſuas magna ex parte amittunt, aguntque in fluida duntaxat, non in ſolida. Contra, Muſices ſonus eodem tempore, & ſolida ferit, & fluida, atque id vehementiſſime, & per vim percuſſionis in cerebri fibrillas, in quibus immediate ſucci nervei, & ſpirituum ſecretio, atque diſtributio peragitur, & hac ratione in ſolidis æque, ac fluidis momentaneam producit eodem tempore exploſionem, agitationemque, quod a remediis intus ſumtis præſtari vix poterit. Atque hæc de Tarantula tibi communicanda cenſui, Lector amiciſſime, Vale. Rom. Id. Novem. 1695.

GEOR-

GEORGII BAGLIVI DISSERTATIO VII.

DE USU, ET ABUSU VESICANTIUM.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

HENRICO NORISIO CARDINALI,

GEORGIUS BAGLIVUS. S. P.

CUM toto vitæ, ac multiplici peregrinationum cursu nil optare magis unquam mihi contigerit, HENRICE *Card. Amplissime, quam ut præstantes litterarum gloria Viros cognoscere, & ab iisdem pariter cognosci possem; tam flagrantis voti, tamque expetitæ felicitatis, tum certe me compotem sensi, quando te mihi primum Florentiæ videndum, mox Romæ penitius inspiciendum, ac interiori usu degustandum exhibuit. Mecum olim præclare actum putassem, si Te vel de facie noscere licuisset. Quid jam, cum me (quæ Tua summa humanitas est) indignum non putasti, quem Tuum sæpius ad congressum admitteres, cuique plurima benevolentiæ signa præberes? Quo sane factum est, ut opinio, quam de Te antea conceperam, major in dies evadat; neque, ut alii, summam duntaxat in te eruditionem, sed quandam veluti doctrinarum omnium Universitatem suspiciam. Grati ergo pro tanto beneficio animi mei sensum, cum publice testatum vellem, nil satius, opportuniusque visum est, quam destinatum jampridem Typis Opusculum tuo Nomini nuncupare, observantiæ adversus te meæ, devinctique animi pignus futurum. Neque vereor, ne oblati tenuitatem munusculi ab excelso isto, ad quem Te Tua evexerunt merito, gradu despicias. Eos quippe duntaxat mutare honores solent, qui nihil eis habent præclarius; secus vero, qui adeo supra fortunam naturæ, ac virtutis dotibus eminent, ut plus ipsam exornent, quam ab ipsa splendidioris quicquam accipiant. Qualem in primis cum Te maxime noverim, haud dubito, quin ea, qua nuper ornatus es dignitate, non ad Familiarum aspernationem, sed eorum potius ad patrocinium, & opem usurus sis. Tuum igitur erit Eminentiss.* PRINCEPS, *veteris spes Clientis ratas facere, obsequia æqui bonique consulere, honestos conatus patrocinio juvare, Tuoque Nomine, quam ab Auctore suo habere nequit, opusculo dignitatem tribuere. Vale.*

Romæ prid. Kal. Octobres 1696.

LECTORI.

MIhi multos videor audire novæ ſectæ medicos in Italia, vix dum frontiſpicio inſpecto brevis hujus diſſertationis in me irrumpere his verbis. Quid ſibi iſte vult Galenicus? Quid iſte novæ penitus medicinæ jejunus? quid huc confert Antiquorum vaniloquentiam? Verum hi ſi duos noſtros ſuperiores praxeos libros attente volverint, norint me, non eſſe talem, qualis ab iis dicor. Ego liberam medicinam profiteor, nec ab antiquis ſum, nec a novis: utroſque, ubi veritatem colant, ſequor, & inſtar metallicorum ex ſcoriis tum novæ, tum veteris medicinæ aurum & argentum præceptorum colligo. Ego, ut Cois mos fuit magnifacio ſæpius repetitam experientiam: nihilque tam mihi cordi eſt, quam ut Medici tanquam ſoboles rediviva Heroum, quos priſca hæc ſchola tulit, ignavam inquiſitionis deſperationem deponant, naturæ pondus & majeſtatem, quantum fieri poteſt, ſuſtineant, nec amplius in re medica illuſtranda ſimiles ſint prætereuntibus, ſed indicantibus. Quod attinet ad veſicantia Arabes ea invenere pro excitandis duntaxat ægris a ſoporoſis morbis, puta lethargo, apoplexia &c. verum qua mechanica, quoſque præter dictos morbos alio juvarent nihil primis iis temporibus compertum eſt. Hinc ſecuti Medici, contenti revulſionis nomine ab Arabibus accepto, nec mechanicam hujus revulſionis ſcientes, in obſcuro iter faciebant, quare juxta fauſtos infauſtoſve exitus in duas partes diviſi ſunt, laudando ea, vel vituperando. Hac ætate *Helmontius* veſtigiorum naturæ, aut oblitus, aut contemtor contra uſum veſicantium acriter diſputavit; adeo ut huic nova ſchola adhærens inter cetera Galenicorum etiam veſicantia reſpuerit. Diu ego quoque his ſubſcripſi, ſed in multis Italiæ Xenodochiis obſervans juxta meum morem progreſſus, hiſtoriam, & effectus morborum, veſicantiaque eſſe ſummo interdum adjumento, diſceſſi a ſententia, & deponens umbram præjudiciorum in mentem introductam ex lectione novorum librorum, præceptorumque authoritate, totum me verti ad indaganda commoda, & incommoda veſicantium. Eodemque tempore periculum feci in vivis animantibus, infundens in eorum ſanguine tincturam cantharidum, applicando quoque veſicantia eorum cuti diligenter abraſæ; ac multis factis hujuſmodi obſervationibus, tum practicis, tum anatomicis, una conjunxeram, pro meo uſu. Verum cum hæc celeberrimi hujus Urbis Medici mei amiciſſimi in manus veniſſent, ſummopere flagitavit, ut ſimul cum ſupradictis tractatibus obſervationes haſce in lucem proderem. Ego vero animadvertens rem hanc invidioſam eſſe, timenſque ne in me novi Medici omnes turmatim irruerent, renui diutius, quamquam tandem victus ejus repetitis efflagitationibus, confirmatuſque a docto de ſtimulis tractatu nuper in Italia edito ab eruditiſſimo amiciſſimoque Domino *Bellino*, quam celerrime quaſdam ſelegi utiliores viſas, contulique in hæc quatuor capita. Sicuti vero eas tibi, Lecto candide, offero, ſineque ulla propenſione, vel in novam, vel in veterem ſcholam; ita & tu poſtquam accurate examinaris, aut pro commodo adhibe, aut me ubi erraſſe comperies, corrige.

Romæ Idibus Martiis 1696.

CAPUT I.

Nonnulla præponuntur experimenta circa effectus Cantharidum.

CRITER inter ſe hactenus contenderunt practicantes circa uſum veſicantium, & modo in affirmativas, modo in negativas diſtracti ſententias, adinſtar oberrantis alicujus Euripi, incerti hinc inde fluctuarunt. Contentio nata potiſſimum eſt, vel propter privata odia diverſitate ſectarum, aliiſque de cauſis inter Medicos excitata, ut inter *Maſſariam*, & *Saxonia*, qui mutuo quodam odio, non elucidandæ veritatis cauſa de phœnigmis ſcripſerunt, inter *Helmontiſtas*, & *Galenicos* hodiernos, & ſic deinceps: vel quia more hactenus conſueto, ex natura mentis potius, ſive hypotheſis, cui ſe manciparunt, quam ex ipſa rei natura de veſicantium effectibus judicarunt; unde nil mirum ſi ita temere atque inconſiderate agentes, neque quid unaquaque in re loci, temperamentorum, cauſarum, ætatumque varietas poſtulet dijudicantes, tam deplorabilem altercationi, & erroribus anſam præbuerint. Nos autem more noſtro naturæ veſtigia ſecuti, quid patienter in plurimi Italiæ Xenodochiis hac de re obſervaverimus breviter exponemus. Et dummodo vera, & ſaluti hominum utilia proferamus, parum intereſt, quid alii de nobis ſiniſtre, uti conſueverunt, obmurmurent, &c.

EXPERIMENTUM I.

ROmæ menſe Majo 1692. cani moloſſo ad tabulam ligato aperui jugularem dexteram, & per ſyringam injeci unc. ij. tincturæ cantharidum, quæ compoſita erat ex drac. ij. cantharid. pulv. & unc. vj. aq. card. s. per tres dies ſuper cineres calidos digeſtis. Poſt primam ſiringationem canis vomuit aquea & viſcoſa, ſalivam viſcidam ore ejiciebat, donec finita duarum unciarum ſiringatione conſutum fuerit vulnus, & vitriolo uſto aſperſum. Facta operatione ſtatim cecidit humi canis, veluti exanimis: uſque ad mortem nihil voluit comedere, ſitiebat vehementiſſime, unde famulus, me inſcio (ductus miſeratione) bibendas ei dedit duodecim circiter aquæ libras, quibus vix epotis urinam flavam copioſiſſimam minxit. Interea ululabat, ſitiebat ſemper vehementiſſime, aquam tamen non amplius bibendam dedimus. Ante mortem convellebatur, quarta die noctu poſt maximos ululatus expiravit.

Aperto cadavere, collum ex ea parte, qua experimentum tentavimus, ſphacælatum omnino erat, & fœtidum. In dextro cordis ventriculo ſanguis nigerrimus, parum vel nihil coagulatus copioſe fluctuabat, & in ſuperficie guttulæ quædam veluti olei inatabant. Ibidem pariter exiguum polypum grumo ſanguinis continuatum invenimus. In ſiniſtro cordis ventriculo, duo parvi polypi reperti ſunt, & ſanguis nigerrimus, ac diſſolutus. Pulmo erat ſanus, & reliqua viſcera pariter ſana. In veſica urinaria, ne minima quidem mucoſitatis portio, qua naturaliter oblinitur veſica, inventa eſt, quia forſan ab acrimonia cantharidum eroſa fuit. Bilis in veſica fellea aliquali nigritie tingebatur. Sanguis qui ex diſſectis venis, aut viſceribus emanabat, nigerrimus erat, nihil coagulatus, & in ſuperficie minimis veluti olei guttulis perfuſus.

EXPERIMENTUM II.

ROmæ 14. Julii 1692. cani juveni mediocris magnitudinis, ſuper tabulam ligato unc. ij. tincturæ cantharidum injecimus in jugularem dextram. Vulnere conſuto, & faſciato ut ſupra, canis ſtatim vomuit, humi cecidit ſemimortuus. Poſt duas horas linguam foris magna anxietate promebat, ſitis cauſa. Nihil comedere voluit, ſitiebat quam maxime, ſed ipſe nihil aquæ conceſſeram. Poſt ſex horas, graviter ululando, mortuus eſt. Aperto cadavere viſcera omnia ſana erant, ſanguis tamen nigerrimus erat, & diſſolutus, & in hoc quoque veluti olei guttulæ ſupernatabant. Canis hujus fuit juvenilis ætas, parva corporis magnitudo, nihilque aquæ biberat, unde nil mirum ſi humoribus a cauſtico cantharidum ſale ſat citoque diſſolutis, & liquatis, poſt ſex horas objerit.

In ambobus hiſce canibus obſervavi, quod poſt injectam tincturam in jugulari, nulla alias pars, tam cito afficiebatur quam caput, quod quidem ſtatim nutabat, & ad inferiora inclinabat, rectaque cervice ſtare animal non poterat. Primus canis poſt factum experimentum, ſtatim caput inclinavit, & vil illud attollere poterat, potatis tamen duodecim libris aquæ ſupradictis, in pedes ſtatim ſe elevavit, caput libere, & recta cervice movebat, magiſque hilaris fuit: aqua vero vix per urinam exonerata, denuo humi concidit, caput non amplius attollebat, & ita ſemiſtupidus, ac capite nutans obiit quarta die. Exinde deduci poterit cantharides eſſe potiſſimum capiti noxias, adeoque in morbis illius inflammatoriis, & acutis ſummopere ab eorum uſu eſſe cavendum; hoc tamen non eſt ita nude ſtatuendum, niſi centuplex experientia rem magis confirmarit.

EXPERIMENTUM III.

ROmæ 14. Aprilis 1692. Accepimus uncias octo ſanguinis recens e vena ægrotantis cujuſdam extracti, inque duo vaſcula dividi curavi-

ravi-

ravimus: ſtatim ab extractione miſcui ſcrup. 1. pulver. cantharid. ſanguini in uno ex dictis vaſis contento, alterum vero ſanguinem in alio vaſculo intactum reliqui. Sanguis præfato pulvere commixtus prius coagulatus eſt, quam alius ſine pulvere: poſtea colore plumbeo, & ſubnigro tingebatur, donec tandem ſubtilis pellicula ſubnigra in ſuperficie apparuerit. Demum per totam ſanguinis ſuperficiem maxima veſicularum copia ſupercrevit; quæ ruptæ ſubnigrum ſerum emittebant; demum totus ſanguis diſſolutus eſt in ſerum nigrum, ac ſublividum. Sanguis in alio vaſculo hujuſmodi mutationibus obnoxius non fuit.

EXPERIMENTUM IV.

EOdem menſe Aprili, poſt factam ſanguinis miſſionem in quodam febricitante, ſerum a ſanguine ſeparavimus, & ſero miſcui ſcrup. 1. pulveris cantharidum. Poſt mixtionem obſervavi quod pulvis paulo poſt in fundum vaſis præcipitaverat, nec ullo colore ſerum tinxit, ſolummodo evaſit liquidus, tenuis, & vix caogulabilis. Mox ſubnectam majoris claritatis gratia tres obſervationes ægrotantium, quibus veſicantia fuere adhibita.

HISTORIA I.

JUvenis ann. ætat. 22. gracilis, & bilioſi temperamenti, paulo ante ſanatus a bubonibus venereis, poſtquam foco incaluiſſet, aquilonari vento ſe expoſuit, & exinde in anginam incidit, quæ mox deſiit in pleuritidem cum ſicca tuſſi, calore febrili exurentiſſimo, pulſu duro, & alto, vigiliis, ſiti, urinis craſſis, & ſummopere rubicundis. In Xenodochio quodam Italiæ ægrotabat.

Circa duodecimum diem, quo primum ego illum inviſebam, datus fuit a Medico pulvis cornachini, die vero ſequenti ſex veſicantia apposuerunt gracillimo corpori. Decimaquarta die ſupervenerunt delirium, ſuppreſſio ſputi, tremor carnium, motus epileptici, pulſus, & reſpiratio inæquales. Urinæ erant copioſiſſimæ, dejectiones per ſeceſſum bilioſæ, ac fœtidæ, ſed ſine ullo ſymptomatum levamine: die decimaſexta mitigata ſunt omnia; ſequenti nocte recruduerunt denuo vehementiſſime cum ſudore univerſali copioſiſſimo glutinoſo, & acidum olente; qui uſque ad vigeſimum morbi diem duravit, eoque die mortuus eſt patiens.

HISTORIA II.

COquus ætat. ann. 30. temperamenti ſanguinei, bilioſi, rubri capillitii, veneri, & baccho maxime indulgens, poſt calorem, & ſuſceptum poſtea frigus externum, correptus fuit convulſione inferioris mandibulæ, paulo poſt convulſionibus abdominis. Præſcripſerunt eidem in Xenodochio pulverem cornachini, & ſequenti die quatuor veſicantia. Poſt horum applicationem ſupervenerunt vomitus, motus convulſivi, & graviſſima ſpirandi difficultas, quibus oppreſſus ſymptomatibus obiit miſerrime quarta die. Durantibus epilepſia, & motibus convulſivis ſupradictis, ſenſuum internorum, ac externorum liberum uſum non amiſit, &c. A pulvere Cornachini ſæpius vidi productos motus convulſivos in affectibus ſoporoſis, a gravi capitis vulnere cauſatis. In ſoporibus vero ab aliis cauſis pulverem hunc utiliſſimum deprehendi, præſertim ſi antecedenter depleta fuerint vaſa per diætam, aut per ſanguinis miſſionem, ſi neceſſaria fuerat; nam poſt illius pulveris uſum ſtatim ſopores ſolutos videbis, ut nuper obſervavi in puero octenni, qui in principio acceſſionis febrilis gravi ſopore corripiebatur, durabatque per plures horas; exhibito ſemel pulvere cornachini, poſt ſex horas ab acceſſione, omnino ſolutos vidimus ſopores. In apoplexia, lethargo, vertigine, & ſimilibus capitis morbis, vix datur præſtantius hoc remedio, &c.

HISTORIA III.

MUlier octo menſium gravida juvenis & gracilis, integro octiduo doloribus ventris moleſtata, demum infantem peperit. Poſt partum adhuc continuabant dolores, cum inſigni ventris tenſione. Quoniam vero omne genus remediorum ſpreverat, vel potius neglexerat, demum a quodam Medico quatuor veſicantia ſibi apponi permiſit. Lochia quæ primum fluebant exinde ſuppreſſa ſunt. Paucis poſt diebus denuo apparentibus lochiis, abdomen graviter convelli cœpit cum inſigni dolore, adeo ut ne digito quidem premi poſſet; exinde ſudores frigidi cum refrigeratione extremorum apparuerunt, pulſus, & reſpiratio erant diminuta, & fere ad extremum vitæ relicta fuit patiens. Elapſis paucis diebus in melius aliquantulum procedebat, derepente tamen ſupervenientibus graviſſima ſpirandi difficultate ex genere convulſivarum, & interdum in delirium ſe commutante, nec non alvi fluxu flavo, & fœtido, qui per octo dies continuavit, demum decimaſeptima die morbi obiit patiens, &c. His adnotatis, videamus quænam incommoda igitur ab uſu veſicantium ſint expectanda, atque pertimeſcenda.

CAPUT II.

De Incommodis ab uſu veſicantium.

§. I.

NIhil tam cito poſt adhibita ſupervenit veſicantia, quam ſitis cum linguæ ariditate, quæ quandoque tanta eſt, præſertim in ægris aduſti temperamenti, & mente non alienata, ut quibuslibet remediis temperari vix poſſit, præter quam continuo aquæ gargariſmo; durat hæc ſitis ita vehementer per triduum circiter, prout ſcilicet citius, aut ſerius, parcius vel uberius acres cantharidum ſales e maſſa ſanguinis fuerint ſeparati; deinde ſenſim remittit; eam-

eamque appellare ſoleo, ſitim veſicantium, ob rationes dictas. In uſu veſicantium maxima cautio adhibenda, ne indiſcriminatim præſcribantur quolibet anni tempore, cuilibet ætati, temperamento, habitui corporis, quibuslibet morbis, ut hodie conſueverunt Galeneci, ſed dumtaxat dum neceſſitas urget, ſcilicet in caſibus infra dicendis. Aliter mala quamplurima ægrotantibus ſupervenient, ſi debitis non adhibitis cautionibus applicentur, quæ quidem mala rudes Medici tribuere ſtatim ſolent deleteriæ, & pravæ, ut ajunt, remedii naturæ; non vero erroneis indicationibus, quibus illud præſcripſerunt: ſed de his fuſe ſuperioribus libris Praxeos egimus. Vidi nonnunquam ulcera a veſicantibus excitata deſiiſſe in grangrænam, vel in difficillimam eorumdem cicatrizationem, cui an contribuat aliquid nova aeris conſtitutio tunc temporis regnans, me ſane latet. Obſervavi taman anno 1692. non ſolum Bononiæ, verum etiam Romæ ulcera a quacumque demum cauſa producta, imo & vulnera alias leviſſima, facillime grangrænaſſe, & quandoque cum ægrotantium pernicie, quorum plurimi tunc temporis a grangrænatis veſicantium ulceribus perierunt. Anno præfacto hyems frigidiſſima, & copioſis nivibus ac gelu exaſperata fuit, inſueto quidem Italiæ more; ſucceſſit tempus vernum valde pluvium & nebuloſum; exinde tandem æſtas temperata, & frequentibus quoque pluviis madida. In tali conſtitutione anni, ulcera, & vulnera cujuſcumque generis promtiſſime grangræniſmo corripiebantur, cum magna Chirurgorum admiratione. Ad morem igitur Coi Senis, ſemper attendamus ad conſtitutionem anni generalem ejuſque influxum, & ſeduliſimus in deſcribendis ad vivum ejuſdem natura, & effectibus. Ceterum qualibet anni tempeſtate, ulcera veſicantium corrumpi, aut grangrænari facillime ſolent in cachecticis, hydropicis, atro melancholicis, & valetudinariis corporibus, necnon & quorum corpora lue gallica graviter laborarunt; non ita vero in robuſtis, & ſolidiori partium ſtructura præditis, nec diuturnis morbis miſerrime laceſſitis.

II.

Qui graviter vulnerati capite fuerunt cum vomitu, abolitione ſenſuum, aliiſque gravibus læſi cerebri ſymptomatibus dum illis applicabantur veſicantia, nonnulli vehementiſſimis convulſionibus corripiebantur paulo poſt applicata veſicantia. Alii ſudoribus frigidis, quibus ſuperveniebat mors, paucis interjectis horis, aut diebus. Alii ſequenti nocte moriebantur convulſi. Memini quemdam torminibus ſpaſmodicis infimi ventris cum febre, &c. moleſte laborantem, poſt adhibita in Xenodochio veſicantia, excreviſſe per ſeceſſum inſignem copiam ſanguinis rubicundiſſimi, & paulo poſt periiſſe. Cum igitur ſæpius, atque ſæpius in graviter capite vulneratis adhibitis veſicantibus obſervaverim, aut convulſiones lethales, aut alia mala ſupradicta, impoſterum ſemper ac videbam in Xenodochio talibus applicari veſicantia intrepide ſtatim præſagiebam adſtantibus, aut vehementiſſimas convulſiones, aut mortem, uti eveniebat. Ubi ſuſpicio convulſionum eſt, vel factæ jam ſunt, cavendum omnino ab uſu veſicantium, præſertim ſi aderit febris, acrior, & colliquativa ſanguinis conſtitutio cum habitu gracili, præcedentibus vigiliis, diæta, exinanitionibus per uſum veneris, &c. Qui lue gallica ſemel laborarunt, ab adhibitis veſicantibus ſummopere læduntur, in quocumque demum morbo, adhibeantur: unde nonniſi in maximis ſanguinis coagulationibus, & morbis ſoporoſis in talibus ægris præſcribantur, & etiam cum cautione. In febribus ardentibus, & continuis in quibus magna adeſt ſanguinis agitatio, & impetus. In conſtitutione anni calida, & ſicca, in ſimilibus pariter temperamentis, Regionibus, victus generibus, ætate Juvenili, &c. In affectibus nervoſis cum febre ad ardentem inclinante. in affectibus comatoſis febrium, quæ accedunt ad ardentes. In morbis pectoris ſpaſmodicis inflammatoriis, & a ſalino-acri conſtitutione ſanguinis productis, ſemper in pejus ceſſiſſe veſicantia pluries obſervavimus. Et quamvis interdum utilitas aliqua effulſerit, quoniam tamen neſciebam an a veſicantibus, vel potius ab aliis remediis illa proveniret, ideo vel raro, vel nunquam in caſibus ſupradictis applicabam veſicantia, curationemque ſolis hipnoticis, diluentibus, & dulcificantibus remediis feliciter abſolvebam.

Cum de ſopore ſuperius inciderit ſermo, obiter hic notandum me pluries obſervaſſe in febribus ardentiſſimis, & quaſi ab inflammatione ſanguinis productis, in principiis acceſſionis ſoporem quendam, qui creſcente acceſſione magis creſcebat, & magis exacerbabatur, quo copioſius ipſe diſſolventia, & cæphalica præſcribebam. Poſt reperitam demum obſervationem, didici ſoporem ſponte ſua imminui, acceſſione ad declinationem tendente, vel ſi ita ſponte ſua non imminuebatur, per emulſiones ſeminum, aquas acido limonum temperatas, aliaque hujuſmodi refrigerantia feliciter ſolvi. Hoc tamen obſervavi dumtaxat in febribus ardentiſſimis, & a nimio ſanguinis orgaſmo pendentibus. Et ratio ex mechanicis eſt, quod ſanguis tanto impetu, & tanta celeritate cerebrum petens, difficulter tum ille inibi filtrari, tum ſpiritus ſeparari poſſunt; imo quadam veluti ſtrangulatione in illorum circulatione producta, deſcenſus ad inferiora impeditur: unde neceſſario ſomnolentia, quæ magis exacerbatur, quo major impetus ſanguini additur, minuitur vero, quo minor, ut per ſe conſtat.

III.

Poſt applicationem veſicantium obſervavi nonnunquam motus tendinum veluti ſubſultorios, & convulſivos, nonnullas ſudoris expreſſiones, & quandoque copioſas; pulſus veluti obſcurantur

&c.

&c. & hæc tamdiu durant, quamdiu inhærent sanguini acres cantharidum sales, quibus mox eliminatis, evanescunt, ut superius de linguæ ariditate, & siti diximus, præcipue si vesicantia debitis indicationibus fuerunt imperata, exacerbantur vero, si imprudenter, & morbo non petente data sint. Non solum gangrænam, verum etiam, & mictus sanguineos & ardores urinæ, & alia vesicæ mala frequenter generant vesicantia, præsertim in gracili corporis habitu, in calido, & sicco temperamento, æstivo tempore sub ardore caniculæ, & similibus.

In corporibus macilentis, & gracilibus, caute usurpanda sunt vesicantia; nam si alicubi, hic facillime obortos vidi motus convulsivos, febris exacerbationem &c. & quandoque cum febris prope statum esset, ex applicatione vesicantium recrudescebat cum gravibus symptomatibus. Si tali corporis constitutioni accedant calidior, & siccior temperies, tempusque anni æstivum, & evacuatio aliqua copiosa antecessit, ac status sanguinis ad dissolutionem, colliquationemque tendit, omnino prohibenda sunt vesicantia, idque in qualibet ætate, & quolibet morbo, ob pessima inde subsequentia accidentia, ut quisque per se observabit. Quamplurimi ex Galenicis nimium hærentes suis hypothesibus, dum febres colliquativas, sive ex dissolutione observant, credunt gravia, ac improportionata earum symptomata a venenata qualitate dependere; ideo ad veneni evocationem quatuor, sex, aut plura adhibent vesicantia. Post ea tamen sæpissime observavi convulsiones, abscessus in visceribus, deliria majora, febris maximum incrementum, & tandem mortem: ob dissolutam scilicet magis, magisque sanguinis massam a caustico cantharidum sale, & ab acri pariter febris materia. In delirantibus cum febre acuta, & lingua arida, dum applicabantur in Xenodochio vesicantia, celeriter omnes moriebantur, & magna ex parte convulsi. Quibus repetitis eventibus perterrefactus, ipse postea feliciter usus sum remediis diluentibus, emulsiobus refrigerantibus, & sectione venæ frontis in supradicto casu, &c. Vesicantia interdum ob insignem, quem excitant dolorem, delirium jam factum adaugent, imminens vero accelerant. A Medico fide digno audivi, micam panis recens furno extracti, & adhuc calidissimi, si applicetur alicui corporis parti, post elapsam semihoram eam vesicare, & ulcerare adinstar vesicantis: & quod nisi ulceri illo, & crustæ in principio factæ, optime medeatur, difficulter postea sanari poterant. A nimio cantharidum usu fœdissimæ suborinntur satyriases, quarum duas historias lethales narrat *Cabrolius obs. anatom.* 17. Cauti igitur sint Medici in salacibus Viris, a nimio vesicantium usu, ob rationes dictas.

IV.

Delirantes, ab abusu vesicantium, plures mortuos vidimus, quam sanatos. Post vesicantia admota observavi, quod pluries alvus nimium fluens sistebatur, & pulsus qui prius alti erant, postea obscurabantur. Acidum aceti corrigit, & figit sal volatile causticum cantharidum: ideo si fortia velis vesicantia, parum aceti, aut fermenti veteri addas, vel loco illorum adde emplastrum mucilag. aut simile. Nunquam facilius gangrænantur ulcera vesicantium, quam dum hisce nimia cantharidum dosis additur vel Medici, vel Pharmacopæorum culpa: cantharides namque cum levissimæ sint ut quinquaginta illarum vix drachmam pendant, erratur facile in earum dosi præscribenda; ideo numero sunt ordinandæ pharmacopæis, v. g. numero sex, aut decem, &c. non vero pondere. Cantharides per os sumtæ, vel contra iscuriam desperatam, vel ad excitandam Venerem, vel contra gonorrhæam virulentam, solent pessima producere symptomata; primo quidem post eas sumtas exulceratur vesica, & meatus urinarius, deinde paulatim inflammatur hepar, & erodiuntur intestina, immensique dolores in hypogastrio excitantur, quos dolores mentis alienatio, & mors subsequitur, nisi statim expellantur foris cantharides, vel eorundem vis infrigatur. Hac de re vide plura apud *Franciscum Joel*, ubi curationem quoque prudenter proponit. Contra cantharides antidotum est lac nativum, & artificiale, teste *Langio epist. sept. l.* 1. Observavi in homnibus temperamenti adusti, & biliosi vesicantia interdum infructuosa fuisse imo noxia, nam præterquam quod locus vesicatus vehementer inflammatur, & cum atrocissimo dolore excoriatur cum exigua seri, & quandoque nulla prorsus eructatione, vesica atrocissima corripitur stranguria. In his itaque temperamentis cum sanguis sale, & sulphure copiosis scateat, paucoque sero diluatur, necesse est ut Practicantes post adhibita vesicantia copiosum diluentium usum præscribant, ut vitentur mala recensita, &c. Atque hic breviter subindicavimus incommoda ab applicatione vesicantium supervenientia, quæ hactenus mihi observando innotuerunt in Xenodochio: mox ad commoda descendamus, &c.

CAPUT III.

De Commodis ab usu Vesicantium.

§. I.

Quamvis vesicantia producant mala superiori capite recensita, non perinde tamen e Republica medica sunt proscribenda; siquidem illa, ut & omnia alia medicamenta, pari ratione se habent, ac vinum, quod licet inebriet, innumera capitis mala producat, non idcirco tamen illius usum prohibent Rectores Urbium, quippe imprudentiæ humanæ, non vero deleteriæ vini qualitati tribuendi sunt effectus illi gravissimi,

quos

quos affert inebriatio. Quantum in constitutione sanguinis acri, & colliquativa obsunt vesicantia, tantumdem conferunt in diathesi ejusdem crassa, viscida, & ad coagulationes stagnationesque se disponente. In febribus, quæ exilissimo pulsu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos soporosos propensione, aliisque coagulationis indiciis stipantur, dictu est incredibile quam proficuos effectus afferant vesicantia: multo magis si aderint tempus hyemale, temperies ægri ad humidum inclinans, habitus pinguis, & similia, communicato namque acri cantharidum sale humoribus ad coagulationem dispositis, eorum particulas disgregat, solvit, & ad pristinam fluiditatem disponit; verbo dicam, ad solvendas incipientes sanguinis coagulationes, stagnationesque in quocumque morbo, qualibet ætate, temperamento, anni tempore, &c. vix ullum præstantius, & ita celeriter agens observavi remedium, quam vesicantia. Et hæc eo magis quadrant, quo ne minimum recedere mihi videntur ab Arabum sententia. Hi namque primi vesicantium inventores nunquam iis utebantur, nisi ad excitandos soporosos, & a morbo refrigeratos, ut videre est apud *Oribasium*, qui primus ex Arabibus de usu illorum scripsit; & ubi vel soporosos excitare, vel morbo frigefactos calefacere necessarium non erat, ab usu vesicantium prorsus abstinebant. Non ita se gesserunt subsequentium ætatum Medici, qui falsa imbuti opinione, vesicantia vim habere extrahendi venenum febrium malignarum, indiscriminatim contra omnes cujuscumque naturæ febres eadem præscribebant magna ægrotantium pernicie, ut superiori capite probavimus. Observavi in pleuritide utut præcesserit, vel non præcesserit sanguinis missio, quandoque circa quintum, vel septimum, vel aliis intermediis diebus apparere magnam spirandi, & expectorandi sputi difficultatem, quæ patientem in summum vitæ discrimen conjiciebat. Irritis aliis duo vesicantia tibiis, vel cruribus admota, non solum expectorationem, quæ primaria crisis est morborum pectoris, fere ad stuporem statim promovebant, verum etiam & spirandi difficultatem leniebant cum mutatione morbi in melius. Majora dico: quacumque die in pleuritidis spirandi, & excrendi sputi difficultas successerit, statim applicanda sunt duo vesicantia tibiis: prout etiam sentit *Hipp. lib. 2. progn. 67. dicens. In pulmonis quicumque tumores fiunt ad crura, boni, nec potest aliud quicquam melius accidere, præsertim, si mutato sputo, sic appareant*, hæc ille. Et sane fateor ex centenis ægrotantibus vix paucissimos obiisse, qui præfata methodo tractati fuere a Doctissimo quodam Medico in celebri Xenodochio, idque potissimum observavimus anno 1694. Romæ hyemali tempore, quo pleuritides epidemicæ copiosæ grassabantur ob intensissimum illius tempestatis frigus, a copiosis nivibus, & gelu productum. Introducto namque acri cantharidum sale in sanguinis massam, & mox in pulmones, in quibus stagnatio metuebatur, incipientes coagulationes solvebat, humoresque pristinæ circulationi restituendo, & spirandi difficultatem imminuebat, & exitum sputi promovebat, cum ægrotantis levamine. Adverte, quod præfati pleuritici in quibus hæc commoda nos observavimus, non fuerunt in principio purgati, ut faciunt Practicantes nonnulli, sed adhibitis venæ sectionibus opportunis, sola brodia pectoralia, & remedia alchalia leniter dissolventia in progressu curationis feliciter præscribebantur, &c. post adhibita in pleuritide vesicantia observavi diarrhœam, si aliqualis tunc temporis aderat, vel imminutam fuisse, vel prorsus suppressam. Nonnunquam vero post vesicantia in pleuritide copiosos succedebat urina, atque tam prius illud, quam hoc posterius magno ægrotantis commodo. Neque mirum, nam experientia infallibili, & decreto *Hipp.* constat, alvi fluxus pleuritidi supervenientes fere semper esse pernicioſos, siquidem post illos supprimitur sputum, spirandi difficultas augetur, & æger paucis interpositis diebus ad Superos migrat, vel in chronicos morbos delabitur. Hinc clare patet quantum a veritate aberrent, qui prætextu minorationis cachochimiæ, ac aliarum hujusmodi nugarum, statim in principio pleuritidum purgantia exhibent, tanto ægrorum detrimento. Pulmoniæ namque, & pleuritides cum originem ducant ab inflammatoria massæ sanguineæ diathesi, tenellis pulmonum membranis vim faciente, omni ope curandum, ut inflammatio leniter dissolvatur per depletionem vasorum, & alchalia temperata. At si inflammato sanguini inflammatorios purgantium stimulos addideris, præsertim crudo existente morbo, non solum, motus naturæ prorsus contrarios excitabis, sed exacerbata inflammatione sputum supprimes, spirandi difficultatem augebis, donec brevi, vel mors superveniat, vel in tabem migrabit patiens.

II.

Quanti discriminis sunt purgantia in pleuritide, & pectoris morbis, tantæ ex adverso utilitatis sunt diuretica. In omnibus enim pectoris morbis semper ad vias urinæ ducendum infallibili naturæ, & experientiæ documento. In morbis vero capitis, & faciei, iisdem docentibus purgantia levia frequenter exhibita magnam afferunt utilitatem, præsertim si tunc temporis etiam pediluvia præscripta sint. Hinc quadrat illud *Jacotii* comment. ad coac. *Hippoc.* lib. 4. fol. 212. dicentis. *Alvus fere semper stringitur in morbis capitis*. Dum loquor de capitis morbis, non intelligo eos ab acrimonia, convulsione, & nimio solidorum, aut fluidorum impetu productos; sed a crassitie potissimum, stagnatione, & lentore fluidorum. Inter purgantia, hujusmodi morbis summopere opportuna, primas tenet pul-

pulvis cornachini, ut sæpius observavimus. Inter diuretica, morbis pectoris amica, præstant omnia ex therebinto, mille pedes præparati, syrupus de althea *Farnelii*, & herbæ vulgo dictæ aperientes. Acidum cum pectori inimicum sit, diuretica pariter ex acidis parata suspecta erunt in ejusdem morbis. Quod etiam observavit *Hoffman. in Schrod. f. 376.* ubi rejicit usum balsami sulphuris in phitisi, & morbis pectoris, quia acido pollet unctuoso, quod auget potius, quam eradicat phithisim, teste pariter, expertissimo *Valschmidio*. Sed e diverticulo in viam. Vesicantia delirantibus hominibus admota damnum potius, quam utilitatem afferebant, pluresque ex iis moriebantur, quam sanabantur. Contra mulieres delirantes adhibitis vesicantibus in melius procedebant cum levamine symptomatum morbi, & salutis recuperatione. Idque observavimus Romæ incipiente anno 1694. quo tempore, gelu, & nives insueto Latii more, hyemem graviter exasperabant; produxeruntque mortes repentinas quamplurimas, catharros febriles, tusses humidas cum infarctu pulmonum, pulmonias, pleuritidesque, quibus magis afficiebantur viri quam mulieres, dolores colicos, & similia. Dum imminet delirium, loco vesicantis, ipse secare soleo salvatellam in dextra, vel sinistra manu; aliquando cucurbitulas scarificatas scapulis impero, sanguinemque extraho pro ratione ætatis, temperamenti, &c. Post hanc venam sectam sæpissime jugulavimus mox mox irrumpens delirium; vel si factum jam fuerat, maximopere imminuimus; sive revulso, sive infracto per hujusmodi emissaria, inflammati, & acris sanguinis ad caput impulsu. Facta sanguinis missione, copiosas emulsiones cum aq. card. s. vel violarum, vel hordei præscribo, sive brodia diluentia, herbis refrigerantibus alterata & congrua nitri portione temperata; inter nitrata laudo nitrum stibiatum, vel sal prunellæ. Ulcera a vesicantibus excitata, quandoque in pejus ruunt, vitio, vel materiæ morbosæ, vel mali habitus corporis, atque tunc sensim arescunt cum colore subnigro, aut livescente, & quasi gangrænam minantur. In tali ulcerum statu præsentaneum remedium erit eadem oblinire melle rosaceo, bis, terque quotidie; ægri a mellis unctione molestum quendam dolorosæ punctionis sensum, ac veluti efferveſcentiam percipiunt, quod bonum signum erit; nam uno, aut altero die interjecto humiditas in ulceribus apparebit, expurgatio promovebitur, nigra crusta antecedenti ulceri obducta, decidet, & paulo post rubicunda caro supercrescet.

III.

Non solum in ulceribus vesicantium, sed generaliter in aliis, dum ad corruptionem, & sordem vergunt optimos mellis rosacei effectus observavimus. Romæ mense Majo 1693. curabam Juvenem ulcere inguinali ex bubone venereo laborantem, cum acuta febre, siti, virium debilitate, &c. Ulcus erat latum, dolorosum inflammatorium, & nigra crusta obductum. Statim itaque præscripsi mane unc. x. seri lactis caprini depurati, vesperi vero emulsiones ex sem. melon. & cucurb. in aq. card. s. factas, miscendo scrup. ii. ocul. cancr. &c. loco victus solidi singulis sex horis sumebat brodium herbis alcalicis alteratum, addito in erdum ovi vitello. Ulcus illinebam melle rosaceo dumtaxat, bis, terque quotidie. Hac methodo per decem dies continuata cessavit febris cum sociis symptomatibus, ulcusque optime mundificabatur, donec tandem post sumtam levem decoctionem ex sals. parill. lign. guajaco, stibio crudo, &c. pristinæ sanitati fuit restitutus. Obiter hic notandum, quod in cura ulcerum, magnam vim habet ad sanationem dicta ex diluentibus constans, utpote sunt decoctiones ex herbis alchalino dulcificantibus, & balsamicis, brodia vulneraria, & similia copiose data. Nam per hujusmodi copiosa diluentia sal acre ulcerum massæ sanguineæ inhærens dulcificatur, retunditur, & copioso dilutum fluido, per commodas naturæ vias, secessum scilicet, urinas, aut sudores promtissime eliminatur & ita dulcificatus, purificatusque sanguis ulceris cicatrizazioni summopere conducit. Quæ quidem omnia Medici sperare vix poterunt per hypocausta, dietam exsiccantem, decocta sudorifera, & hujusmodi alia, quibus sal acre ulcerum magis, magisque exaltando, & acrius reddendo, in desperatum salutis statum eadem redigunt, præsertim si corpus ægrotantis non fuerit cachecticum, humidum, pallidum, laxum, nec talia pariter ulcera; quo in casu consuetus exsiccantium usus ex parte conferret, &c. In oculorum, & faciei morbis vesicantia cervici applicata sunt tamquam specifica, & ceteris præstant, præsertim in suffusione, & fluxionibus vulgo dictis ad oculos irruentibus, ut sæpius mirati sumus. Nonnumquam ulcera vesicantium difficulter cicatrizantur; quamvis morbus primarius multo ante fuerit jam sanatus, & ipsam morbosam materiem sufficienter expurgaverint. Et quoniam ulcerum apertio ad multos menses interdum durat, eludunt profecto quorumlibet remediorum vim. Inter magnopere proficua in hoc casu, non inveni melius remedium, quam pulverem thuris in subtilissimum alchool redacti, & ulceri aspersi bis in die, quo sane brevi illa cicatrizavimus. Expertus quoque sum ad cicatrizationem fila carpta, in decocto aluminis crudi ebullita, deinde exsiccata; & ita ulceribus ad cicatrizandum apposita. Interdum hæc etiam minus proficua deprehendi, quando scilicet corpus nimis impurum extitit.

IV.

Vesicantia, sinapismi, purgantia, aliique hujusmodi stimuli, non sunt exhibendi in corporibus

bus ſucci plenis, plethoricis, & nimia humorum copia repletis, niſi prius depleantur vaſa per ſanguinis miſſionem, ſi indicata fuerit, vel per diætam ſeveriorem. Stante namque tanta humorum copia, aut orgaſmo eorundem in vaſis ſanguiferis, ſecretiones fluidorum in cribris viſcerum, aliarumque partium, vel difficulter fient, vel morboſe. Si quidem ex mechanicis, ad ſecretiores non ſolum requiruntur pori liberi, & proportionata reſiſtentia ſolidorum, verum etiam, & proportionatus motus, ac copia fluidi ſecernendi; quorum alterutrum ſi peccaverit modo prædicto, ſecretiones præternaturaliter peragentur, ut ſuperius de ſopore in principio, & augmento acceſſionis febrium ardentium, per emulſiones, & refrigerantia duntaxat curando, ſubindicavimus. Per ſtimulos purgantium, veſicantium, diaphoreticorum, &c. major in fluidis fermentatio, turgentia, & orgaſmus excitatur, & in ſolidis vivida quædam oſcillatio; unde ſi humores in vaſis redundaverint, vel ob vehementes fermentationes ad extremum turgentiæ gradum pervenerint, ratione ſolidorum reſiſtentiam ſuperent, & ita viſcerum fibras varie divellant, extendant, atque contorqueant, nil mirum ſi paulo poſt vel vaſorum rupturæ, vel fixationes fluidorum periculoſæ contingant. Id quod experientia quotidiana abunde nobis manifeſtat; ſiquidem poſt imprudenter, & intempeſtive adhibita purgantia, veſicantia, diaphoretica, &c. nil aliud obſervamus frequentius in praxi, quam febris exacerbationem, delíria, inflammationes viſcerum, motus convulſivos, ſanguinis hæmorrhagias, & ſimilia: quæ quidem non ſuccederent, ſi depletis prius vaſis ſanguineis per ſanguinis miſſionem, talia exinde præſcriberentur remedia; nam quæcumque ab iis excitaretur fermentatio, & turgentia, cum humores in ampliori ſpatio circularentur, ſolverentur, & commoverentur, impoſſibile eſſet, ut impetum in ſolidas partes facerent, aut ſibi ad coagulationem, ſtagnationemve ſternerent viam. Hiſce ductus fortaſſe rationibus Dominus *Sydenhamius*, ab Academiis Italiæ tantopere laudatus ante uſum purgantium præſertim fortium, vaſorum depletionem per ſanguinis miſſionem, aut diætam, ſi morbus inducias dabit, maximopere ſuadet. Hic pariter auctor inter ceteros hujus ævi per centies repetitas obſervationes ſtabilivit demum methodum, qua tractanda ſit fermentatio febrilis in ſanguine excitata. Primuſque inter Septentrionales, Septentrionalium ceteroquin doctorum Virorum, lubricam aliquantiſper medendi methodum ad debitam rationis, & experientiæ ſemitam redegit, decernendo inter cetera æque peccare Medicos, qui in principiis acutorum purgantia exhibent, ac qui in principiis eorundem exhibent diaphoretica. Nam cum tunc temporis fermentatio febrilis materiæ peccantis cruda jam ſit, confuſa, & ad depurationem impar; per additos purgantium, diaphoreticorum, &c. ſtimulos, magis magiſque turbabitur, & augebitur, & loco debitæ ſeparationis producet febris exacerbationem, aut reduplicationem, vigilias, delíria, inflammationes viſcerum, motus convulſivos, & alia centena, &c. ſed fuſius hac de re in libris de Practica Sapientia ſuperius diſputavimus.

V.

Ex ſuperioribus conſtat, veſicantia magnam vim habere diſſolvendi, & attenuandi ſanguinem craſſum, & coagulatum, & alicubi ſtagnantem, & propterea eſſe veluti ſpecifica in morbis oculorum a fluxione pendentibus, ſuffuſione, febribus ex coagulatione, & ſimilibus lenteſcentiis, &c. Sed quoniam pertinaces viſcerum obſtructiones, cachexiæ, ſuppreſſiones menſium pariter diuturnæ a tali quoque ſanguine originem habent, ideo hortamur Medicos, ut in caſibus deſperatis, cantharidum uſum vel forma emplaſtri, vel alio commodiori modo experiantur, ut horum tam difficilium morborum curatio lucem aliquam exinde mutuetur, nec ſemper hæreamus in limine. *Thomas Bartholinus centur. 5. obſerv. 82.* docet modum parandi infuſum cantharidum, quod tanquam ſpecificum deprædicat in gonorrhæa virulenta, urinæ ſuppreſſione, & pellendo calculo. Sic autem paratur: Scrupulus unus pulveris cantharidum infundatur in unc. iii. vel iv. vini Rhenani, aut ſpiritus vini: ſtet infuſio per aliquot dies, deinde filtretur per chartam bibulam, ut ex ſubſtantia cantharidum nil admiſceatur. Ex colato liquore cochlear unum miſceatur cum ſeptem cochlearibus vini, aut cereviſiæ; hujuſque mixturæ ſume primo die unum cochlear, ſequenti duo cochlearia, & ſic deinceps. An hoc remedium tentari poſſit per os in obſtructionibus, & morbis paulo ſupra recenſitis, nondum expertus ſum. Qui graviſſimæ tuſſi cum ſputo craſſo, & copioſo obnoxii ſunt, a nullo remediorum genere tantam utilitatem ſuſcipiunt, quantam a veſicatorio cervici adpoſito; & ſi contingat, ut ulcus ab hoc excitatum cito ſanetur, fieri aliud poterit veſicatorium infra aures, vel ſupra homoplatas; nam feroſa illuvies a compage ſanguinis ſoluta, & hinc inde exudans, derivatur per veſicantia, ab influxu, quem in pulmonem faciebat, & ita tuſſim excitabat: ut pluries obſervavimus in Xenodochio, ſene Medico præſcribente; & in ſe ipſo expertus quoque eſt *Villiſius*. Hiſce breviter ac fideliter de veſicantium uſu adnotatis, ſequenti capite rationem ex mechanicis trademus de modo, quo revera agant veſicantia.

CAPUT

CAPUT IV.

Vesicantium natura evidenter demonstratur ex Mechanica stimulorum doctrina.

§. I.

VEsicantia stimulando agunt, & inter stimulos principem obtinent locum; ad clariorem tamen illorum notitiam, nonnulla ad mentem Domini *Bellini* in Doctissimo de stimulis argumento breviter exponemus.

Dico primo: A stimulo debet succedere major nisus motuum partium, ex quibus totum systema membranarum componitur, nec non expressio cujuscumque liquidioris corporis, & derivatio ejus, qua potest.

Dico 2. A vi stimuli villi membranarum, id est totius corporis, naturali contractione validius contrahi debent, & hac ratione expressio liquidorum facilius peragetur. Siquidem per majorem hanc contractionem fiet, ut villi breviores evadant, magis duri, rigidi, & tensi, unde tremor vividior, & excursus fluidorum ad contractum dictæ fibræ, adhuc majori cum nisu per diametrum. Et ideo ratione aucti utriusque nisus, facilior expressio liquidorum, & derivatio eorumdem, qua fieri potest, succedent &c.

Dico 3. A vi stimuli, musculorum contractio, quæ fit a liquidis, sive succis intra ipsos fluentibus debet fieri validior, atque hinc repressionem liquidorum facilius successuram, atque insuper a stimulo augeri velocitatem, & cursum sanguinis. Quoniam enim per vim stimuli liquidum nervosum in undas frequentiores agitur, ideo per motum derivationis deducetur in nervos musculorum omnium liquidi quantitas, naturali major, quare musculi validius contrahentur, & extrorsum valide nitentur villis suis, & expriment quidquid est liquidius ad contactum sui, ideſt circa illos, & intra spatia, per quæ successive moventur, dum contrahuntur, &c.

Dico 4. Pro diversitate partis, in qua fit stimulus, potest illa rubefieri sine tumore, vere inflammari, nihil tumefieri, nec rubefieri, intumescere tumore quolibet alio. imo vero evacuare plurimum cujuscumque materiæ, absque eo quod eamdem materiam ad illam partem stimulus vocet, aut trahat &c.

Dico 5. Quod hæc eadem secutura sunt, si cum stimulo conjuncta sit facultas aliqua intro penetrans, & humores subigens; sed posse etiam, nihil non malorum inde provenire, & nihil non plane diversum a solo stimulo.

Dico 6. Si stimulus sit etiam divellens, non autem solummodo flectens, & sic aut stimulus simplex, aut conjunctus cum fermento, producet pariter eadem, quæ exposuimus superius.

Dico 7. A stimulis simplicibus, ideſt non conjunctis cum fermento, & evacuationem producentibus, sive evacuatio fiat per emissaria naturalia, verbi gratia nares, os, alvum &c. sive ab ipsa parte stimulata; dico inquam, quod evacuari potest, & id quod per stimulum exprimitur ab humoribus, hinc inde circulantibus, &, id, quod exprimitur a substantia villorum, sive fibris partium solidarum; idemque fiet a stimulis cum fermento, qualia sunt vesicantia, sinapismi &c. Quoniam enim hæc, & omnia stimulantia faciunt, ut villi quilibet, sive fibræ partium solidarum valide contrahantur, & exprimant quidquid fluere potest. Hoc igitur ipsum effluens derivabitur, qua poterit: & quod quidem a vasis quibuslibet exprimetur, extra ipsa derivabitur, & ducetur inter membranas, & ad earum superficies, & intra ipsarum poros. Et vicissim quod a villis membranarum elicitur, traduci poterit intra vasa. Igitur præfati stimuli evacuantes, etiam non conjuncti cum fermento, ducere possunt per emissaria, sive naturalia, sive ab ipsis facta in loco stimulato, & vesicato, & quod exprimitur ab humoribus, & quod exprimitur a substantia villorum &c.

Dico 8. Stimuli non evacuantes, maxime movent, & maxime solvere possunt. Id ipsum præstant evacuantes non conjuncti cum fermento, & insuper liquidorum quantitatem minuunt, & utrique exsiccent plurimum oportet. Vacuantes cum fermento conjuncti, eadem quoque præstare poterunt, sed pro diversitate fermenti, cum quo sunt conjuncti densare, fundere, coagulare, sistere, & tandem quidquid velis producere &c.

A stimulo fit maxima contractio, & per contractionem maxima expressio fluidorum etiam ad partes remotissimas: ergo maxime movet, tam fluida, quam solida; ergo in morbis a coagulo, & lentore, cum fibrarum paralysi, aut laxitate necessario sunt admittenda, & piaculum esset stimulantia, ob præconceptam falsam hypothesim, aut negligere, aut scuriliter apud vulgus lacessere. Porro in vasis sanguineis, per eamdem auctam contractionem mutabuntur contactus lenti illius liquidi subsistentis, cum velocitas totius sanguinis augeatur, dabitur vis major transverse illud abripiendi per longitudinem canalium & deducendi ad viscera, per quæ subigi ulterius & ad exitum disponi possit.

Dico 9. Si partes liquidi illimentis membranas nostri corporis sese mutuo omnes premerent, atque urgerent quaquaversum, non secus ac partes sanguinis intra vasa, posset ratione illius pressionis materies, etiam distantissimarum partium, derivari ad emissaria stimulorum, & per ipsa purgari: sed nisus ille mutuus in hujusmodi liquido non videtur rationi conveniens.

Similiter si cutis, & membranæ omnes nostri corporis in ea tensione essent naturaliter, ut statim, ac in aliqua parte divelluntur, & stimulantur, undecumque contraherentur per ambitum divulsionis, & illa contractio per totum cor-

pus succederet, ita ut nisus ejus tenderet ad locum divulsionis, & versus eumdem urgeret quidquid est liquidum, ut fit in vesica urinaria, dum exprimitur urina, facto emissario per stimulum posset ejus contractionis ratione derivari ad emissarium stimuli materies remotissimarum partium, & per illud expurgari &c. sed & hujusmodi naturalis tensio in membranis omnibus, & hujusmodi contractio, & hujusmodi nisus, sive impulsus versus stimulum, non videntur rationi consona. Ceterum materia inhærens alicui parti dimoveri per stimulum ab ea distantem poterit, si nervus, aut tensa quælibet membrana, cui stimulus appositus sit, perveniat, & intexatur parti, cui inhæret materia evacuanda: per emissarium vero stimuli evacuari poterit, si sit etiam intra nervum, aut per villos membranæ fluere possit, aut intra eosdem derivari; nec non cum per vim stimuli mota, atque ad fluxilitatem redacta, ad emissaria illorum fluere. Modus vero certissimus, quo stimuli, etiam ad distantes partes agunt, est, quia totum corpus concutiunt, stimulant, exprimunt, & totam quantitatem minuut: sed hac de re plura in folliculo contractili apud laudatum Auctorem invenies, ad quem te remitto. Quoniam itaque stimulus contrahendo concutit, non solum certam aliquam partem, sed totum corpus, ipsumque totum exprimit, & expressa fluunt qua possunt in vasa sanguinis, & undecumque, & per emissaria aliquid expressæ materiæ expurgatur. Igitur cum per eam expurgationem minuatur universa hujusmodi quantitas, minor sane illorum copia ad partem quamlibet affectam, quamvis distantem confluet. Ideo in morbis, quos ajunt a fluxione pendere, utpote sunt catharri nonnulli, tusses suffocativæ, & a lenta materie productæ, morbi oculorum, & præsertim suffusiones dolores nonnulli periodice se exacerbantes, &c. In morbis pariter ab humorum stagnatione, & partinaci fixatione pendentibus, utpote sunt apoplexiæ, paralyses, sopores, obstrutiones, & similes &c. stimuli vesicantium, vel alii hujus generis stimuli ob rationes antedictas omnimodam vim curationis, & salutis absolvunt, & nefas esset iis in casibus vesicantia omittere, ob præconceptam hypothesim, ac speculationem.

Dico. 10. Quoties a stimulo imminet aliquod periculum affluxus nimii humorum ad partem stimulatam, tunc tutissimum erit applicare stimulos in parte remota ab illa, quam expurgare volumus. Quod si nullum ex iis periculis immineat, prope ipsam partem evacuandem adigi poterunt. Plures, quam pauciores magis juvant, dum motiones vividæ, sive oscillamenta acutissima in villis sunt excitanda, imo ampliori spatio, quam angustiori extensi. Repetendi sunt, vel refricandæ plagæ, ab iis excitatæ, cum cessat, dolor, & sensus stimuli: cum subitaneam, & evidentem aliquam utilitatem a stimulis volumus, plures, & ampliores, & acriores adigendi; & quæ exinde supervenire possent calefactiones, exsiccationesque in corpore, humectantibus, & refrigerantibus copiose datis, sunt temperandæ, spirituique demulcendi &c. Ita gravissimis soporibus, apoplexia, aliisque hujusmodi morbis correpti momento fere excitati fuerunt, applicato magno vesicatorio supra totam capitis periferiam, abrasis prius capillis, ut plures testantur historiæ, &c. stimuli vero ad longius tempus protrahendi, minores, ac pauciores esse poterunt, ob rationes recensitas; ex quibus omnibus arguimus a stumulis fieri magnam spirituum agitationem, & absumtionem, ut infra clarius patebit.

Dico 11. Quod stimuli, quamvis inservire possint loco missionis sanguinis, & esse possint æque expeditæ operationis, præcipue si acrius stimulent, sunt tamen minus tuti missione sanguinis. Habent tamem aliquid peculiare, quod a missione sanguinis non consequimur, movent nempe, contrahunt, concutiunt totum corpus, atque tam fluida, quam solida uno eodemque tempore excitant, ac dimovent; &c.

Ex omnibus his propositionibus innumera veluti corrolaria deduci possent ad praxim, per quæ stimulorum utilitas, & noxæ aperte demonstrarentur; quoniam tamen a laudato Auctore hoc argumentum solide tractatum fuit, & singularum propositionum evidens ratio reddita: ideo nos pauca dumtaxat, quæ curationibus morborum inservire possent, mox subnectemus, &c.

§. II.

Stimuli alii sunt simplices, alii cum fermento: stimuli simplices tunc vocantur, cum partem divellunt, rubefaciunt, dolore afficiunt, & ita etiam ad distans operantur, sed nihil illorum substantiæ intra humores communicatur; hujus generis sunt utiones ferro candenti, frictiones, cucurbitulæ simplices, aut scarificatæ, & hisce analoga. Stimuli cum fermento illi sunt, qui non solum partem rubificant, divellunt, agitant, concutiunt, &c. verum etiam aliquid humoribus communicant, utpote sunt vesicantia, sinapismi, dropaces, & similia, quorum particulæ acres, & in parte stimulant, & in sanguinem reassumuntur, valideque illius massam solvunt, dimovent, & aperiunt: utrique hi stimuli agitant vehementur tam solida, quam liquida (magis tamen stimuli cum fermento) & solida agitata adhuc validius in ipsa liquida nituntur, & hæc validius compressa, vim rursus majorem inferunt solidis: unde vicissim premuntur, ac restituuntur; & ex illa mutua pressione, ac restitutione fit, ut plurimæ liquidorum partes intra duas quasque proximas, aut ad superficiem exteriorem duarum quarumcumque non se contingentium nitantur introrsum, unde cohæsio ac permixtio tollitur,

vel ponitur. Id ipsum quoque fieri necesse est a solidis in suas partes dum dimoventur, & a liquidis in solida, & a solidis in liquida, mutua actione, & reactione. Stat igitur quod pluries subindicavimus, partes scilicet solidas a stimulo plurimum dimoveri, concuti, atque dissolvi. Et ab eodem stimulo quoque fieri agitationes, dissolutiones, mutationes contactuum, violentias & expressiones, atque derivationes liquidorum, qua fieri potest. Et quoniam in hisce actionibus plurimum humiditatis absumunt, stimuli, spiritusque debilitant, per opportuna humectantia, atque corroborantia, obviam eundum est talibus incommodis, aliter optatus finis a stimulis haberi non potuerit.

Inter stimulos principem obtinere locum vesicantia, omnesq; effectus antedictos jure quodam ipsis convenire fatentur Mechanici. Quamobrem credibile est nonnullos morbos vix, ac ne vix quidem sanandos fore nisi adhibeantur vesicantia, alios contra in pejus abituros si imprudenter adhibeantur. Neque tantum ea præscribantur ad minuendam humorum copiam, vel malignitatem educendam, ut multi putant, quantum ad eosdem coagulatos, crassos, vel alicubi hærentes, solvendos, dimovendos, & ab affecta parte ad locum stimuli derivandos. Siquidem quidquid per ea evacuatur exiguum est, neque ad minuendam peccantem materiam sufficiens. Sed undenam potissimum veniant humores a vesicatorio excreti quæret quispiam. Respondemus eos eructari partim a poris cutis, & glandulis cutaneis, partim ex arteriarum osculis, & fibrarum nerveorum finibus, & tandem peracta stimuli actione, atque oscillatione, a toto corpore, & a partibus quibusque remotissimis, ut constat ex antedictis. Latex enim serosus pharmaci stimulis imbutus magna copia ac promtissime a reliqua sanguinis massa separatur, ac veluti divellitur, & qualibet circulationis periodo major ejus quantitas per eadem arteriarum oscula continuo irritata excernitur, cum eoque infinitæ aliæ morbosæ particulæ secernuntur, ac evacuantur. Porro cum per vesicatorii applicationem fibrarum quoque nervearum extremitates denudentur, & irritentur, probabile est a nervis etiam in stimulato loco aliquid secerni; totus namque nervorum latex vi stimuli commotus a stagnatione liberatur, simulque particulæ etherogeneæ eidem inhærentes ubique agitatæ, & a cerebro derivatæ versus emissarium recens apertum sensim prolabuntur, ac demum foras eliminantur.

Morbi igitur in quibus præ ceteris convenire possunt vesicantia ob rationes antedictas sunt; malignæ febres ex coagulo, & visciditate humorum; affectus soporosi; Catharri a viscida materia pendentes, & irruptionem minantes in pulmones, vel aliam nobiliorem partem, aut in nares, oculos, fauces, pectus, &c. dolores fixi, & acriter divellentes partem aliquam; Morbi cutanei nonnulli, & dolores hinc inde vagantes; Convulsiones sine febre; Epilepsiæ, aliique hujusmodi nervorum morbi; Demum, in omnibus aliis, in quibus necesse est solvere, divellere, derivare, excitare, & similia agere pro morbi genio, & Practicantis experientia, &c.

GEORGII BAGLIVI DISSERTATIO VIII.

DE OBSERVATIONIBUS ANATOMICIS, ET PRACTICIS, VARII ARGUMENTI.

ILLUSTRISSIMIS VIRIS.

Carolo Carthario, Decano,
Carolo Montecatinio,
Marco Antonio Buratto,
Proſpero Bottinio,
Mercello Severolo,
Jo: Franciſco Fagnano,
Alexandro Caſalio,
Bente Bentivolo,
Philippo Sacripante,
Camillo Spreti,
Marcellino Corio, &
Vincentio Amadorio,

Sacræ Conſiſtorialis Aulæ

ADVOCATIS,

ET ALMÆ URBIS GYMNASII RECTORIBUS,

GEORGIUS BAGLIVUS. S. P. D.

COLLATA mihi nuper, Vobis potiſſimum Auctoribus, ab optimo Principe Anatomica Cathedra, nunquam ſatis mihi placere queam, niſi extet grati animi erga Vos mei aliqua ſignificatio. Nil enim libero homine, proboque dignum magis putaverim, quam ſi accepta beneficia meminerit, eique debitas bene de ſe meritis laudes impertiri liceat, ſi minus parem gratiam referre. Hanc igitur Anatomicam diſputationem editurus, meas eſſe partes exiſtimavi, illam vobis dicatam, & inſcriptam, ut emitterem: quo non ſolum obſervantia erga vos mea magis magiſque conteſtata fiat, ſed rudis, ac exigua tractatio, ex veſtro ſibi nomine ſplendoris aliquid, atque auctoritatis accerſat. Equidem rei bene gerendæ occaſionem nactum me eſſe, nemo diffitebitur. Qui enim, tum mirabili, ac prope ſingulari Celeberrimam Academiarum omnium regendi ratione, tum eximia, qua præſtant doctrina, ingentem ſibi quaquaverſus famam, & exiſtimationem compararunt; mirum ni de illa, quæ ipſis ſuperat dignitate, & gloria, Clientibus ſuis præſertim, atque Cultoribus gratificari velint. Porro de me, meoque conſilio quid plura? Quam libentius in vobis omnibus, tam ſingulis ſeorſim, quam univerſis celebrandis Orationem meam, quæ utique infinita eſſe poſſet, dilatarem; ſed a tali propoſito res duæ deterrent, una, quod unicuique Veſtrum, quæ privatim laudes debentur, eas contemnere, atque averſari vos ſciam, quibus conſcientia recte factorum pluris eſt, quam hominum ſermo; altera quod Collegium nobiliſſimum ſruſtra commendarem, cujus tum publica opinione, tum Principis judicio tanta eſt auctoritas, ut hinc potiſſimum aſſumantur, qui præclariſſima tam Reipublicæ, quam Eccleſiæ Munia ſuſtineant. His omnibus accedit, quod juſto, debitoque vobis tribuendo præconio, præ ingenii tenuitate, imparem me prorſus agnoſam. Hæc igitur mihi reliqua pars eſt, hic reſtat actus, ut vobis ſi quid in hac, quam profiteor Diſciplina facultatis in me, aut jam eſt, aut erit aliquando; id omne in veſtra poteſtate ſit; imo non tam meum, quam veſtrum futurum eſſe pollicear, ſanctæque affirmem.

Romæ 4. Nonas Octobris MDCXCVI.

LECTO-

LECTORI.

INter omnes inveſtigationes, laboreſque Anathomicorum, nihil utilius illuſtrandæ morborum ætiologiæ, ſtructuræque animati corporis duco, quam infuſoriam liquorum, in venas, viſcerave Animalium vivorum; quibus mortuis ſyſtema mutatur tam ſolidarum, quam fluidarum partium, itaut, quandoque diverſæ appareant, quandoque vero abſcondantur; contra experientiæ, quibus utimur in vivis, præcipue per infuſoriam, oſtendunt effectus inde profectos valde clare, ac ſincere. Et ut verum fatear quicquid boni in Italia, & in Tranſalpinis invenit his temporibus Anatome cæſis debet vivis Animalibus. Quæ cum ita ſint, valde miror, tam parum exercitam hac ætate infuſoriam, qua multa ignota paterent, & quoad morborum naturam, et quoad conſtitutionem animati corporis. Multi docti Anatomici prudenter exercuerunt, ſiphonemque deſcripſerunt, aliaque inſtrumenta ejus commode exercendæ. Verum iſti ipſi poſtmodum hæſere, ut ita dicam, in veſtibulo operis. Ut ergo hic meus liber juſti opuſcoli molem æquet, quatuor has ſubdidi experientias, quæ in privatis meis annotatiunculis confuſe, ac ruditer extabant: utque gratificarer Anatomicis addidi quoque cadaveris Domini Malpighii ſectionem, a me anno elapſo Romæ factam. Et quoniam ejuſdem morbo adfui, brevem quoque hiſtoriam ejus ægrotationis adjunxi. Addidi pariter nonnulla de apoplexia fere epidemica, elapſo biennio in Urbe, et per reliquam pene Italiam ſæviente, plura de illa, et ſectionibus cadaverum eadem extinctorum peculiari diſſetatione impoſterum tractaturus. Atque hæc ſunt, quæ tibi præfanda, cenſui, Lector, ſuper hac diſſertatione. Tu interea diu vivas, et Praxi Medice favevere ne deſinas.

Romæ 3. Kal. Decembris 1695.

SYLLOGE

Experimentorum per infuſoriam in vivis Animalibus.

EXPERIMENTUM I.

NEapoli elapſo decennio menſe Julii hora pomerid., inciſa jugulari canis grandioris, injecimus per ſyringam unc. ſem. ſpir. vitrioli; clauſo, & faſciato vulnere ſtatim horrore, & rigore correptus fuit canis; vomuit, ſalivam copioſam ejiciebat, humi concidit, anhelabat, convellebatur paulum; paucis interpoſitis horis mortuus eſt. Aperto cadavere, viſcera omnia ſubnigro colore perfuſa erant, ſanguinis nigri inſignis copia in corde aderat, eratque grumefactus, & talis in pulmonibus apparuit; reliqua ſana, &c.

COROLLARIUM.

Materiem hanc infundendi liquores in ſanguinem, ſive intra vaſa vivi Animalis, a paucis, quod ſciam, tractatam video hoc ſæculo, imo nec traditam methodum recte inſtituendi tam neceſſariam infuſoriam, a qua morborum natura, & curatio illuſtrari ſummopere poſſent. Poſt infuſum liquorem ſi accurate obſervabimus omnia accidentia, quæ Animali accidunt, circa quaslibet vitæ functiones, & circa quodlibet viſcus, aut partem corporis facto analogiſmo talia metuere poterimus in humano corpore ab infuſo illo, ſi ægrotantibus præſcribendum foret. Fateor itaque, quod maximopere conferret Praxi Medicæ, ſi ab aliquo eruditorum cœtu experimenta hujuſmodi infuſoria inſtituerentur, gradatim ad varios aſcendendo liquores, & methodum in experimentis ſtabiliendo, deinde unum congerendo, prout fecit de rebus Anatomicis præclariſſ. *Mangetus* tanta ſui gloria in aureo opere ſuæ Bibliothecæ Anatomicæ, &c. Et de rebus practicis neceſſarium eſſe teſtatur *Cl. Lanzonus* prof. Ferrarien. Noſtrum Amiciſſimus.

EXPERIMENTUM II.

ROmæ 30. Januarii 1693. cani juveni ſecta vena crurali dextera prope inguina, per ſyringam infudimus unc. ij. ſpir. vini rectificati. Facta ſyringatione, canis paſſus eſt horrores per totum corpus ſpatio ſemiquadrantis horæ, exinde urinavit copioſe, & circa vitæ functiones bene habuit. Imo bene ſe habuiſſet impoſterum, niſi a ſervis Xenodochii incaute occiſus fuiſſet. Aperto cadavere, omnia tam fluida, quã ſolida in ſtatu naturali reperta ſunt, &c.

EXPERIMENTUM III.

CAni juveni ad tabulam ligato aperuimus jugularem dextram, infuſiſque in eam duabus unciis ſpiritus vini rectificati, vix peracta ſyringatione canis adhuc ligatus expiravit. Aperto cadavere maxima ſanguinis grumeſcentia, & coagulatio reperta eſt in pulmonibus: ceteræ partes ſanæ erant.

COROLLARIUM.

Ex præfatis duobus experimentis deducimus, quam diverſos effectus producant in humoribus medicamenta, in his potius, quam in aliis partibus applicatas, intus quam extra adhibita, &c. In pulmonibus namque cum ex univerſo corpore refluus ſanguis, continuo, & copioſe inundet, nil mirum ſi vini ſpiritus in magnum illum ſanguinis oceanum per venam jugularem derepente infuſus, eumdem ſtatim coagulaverit, & ſubitaneam mortem animali intulerit: nam vini ſpiritus albumen ovi ingenter coagulat. Idem ore detentus ſalivam condenſat ad inſtar glutinis. Hoſce pariter effectus in ſanguine, & ſpiritibus producere affirmant *Etmullerus tom. 1. theſ. de nutrit. & auct.* Et *Bohnius cap. de ſomn. & vigiliis*. Non ita ſuccedere potuit ab eodem vini ſpiritu cruralibus infuſo, in quibus cum exigua ſit ſanguinis inundatio, nec ulla detur mora, qualis in pulmonibus, ſed continuus ejuſdem, atque velociſſimus progreſſus verſus cor, vis coagulativa ſpir. vini in ſanguinem enervatur facillime, & infringitur, atque antequam ad uberiorem ſanguinis alveum perveniat, in quo ratione copiæ, & moræ coagulationem aliquam, fixationemque producere poſſet, vires illius poſt repetitas circulationes, prorſus elangueſcunt, &c.

Exinde quoque deduci poteſt ratio, cur quamplures diuturni morbi poſt varia in variis corporis partibus producta incommoda, deſinant tandem in morbos pulmonum, aut renum. Quia ſcilicet impoſſibile eſt, ut ſanguis morboſis imbutus particulis, dum hæc duo viſcera, præ aliis copioſiſſime, & frequentiſſime alluit, in iis demum funeſtam tragediam non finiat, vel exulcerando, vel coagulando, vel gangrænando, vel aliis modis pene infinitis afficiendo. Unde in morbis diuturnis ſemper proſpiciendum pulmonibus, & renibus ob rationes ſupradictas.

EXPERIMENTUM IV.

PAtavii ineunte anno 1691. facta ſectione in vena jugulari canis juvenis, injecimus, per ſyringam uncias quatuor aquæ gelidæ, clauſo exinde, & faſciato vulnere, horroribus per totum correptus fuit canis; ceterum bene habuit, & vixit.

EXPERIMENTUM V.

PAtavii eodem anno accepimus magnum canem, die Jovis hora 22. factaque ſectio ſub hypocondrio dextero ligavimus filo fortiter trunculum arteriæ magnæ, & venæ cavæ deſcendentium infra renes, & fortuito etiam dextrum ligavimus ureterem, conſuto, & faſciato vulnere; canis vomuit ter, deinde cecidit humi velut exanimis, & ita jacuit, nullis aliis ſupervenientibus ſymptomatibus uſque ad ſequentem diem veneris, qua mortuus eſt circa horam matutinam.

Secto cadaveris abdomine per totam inteſtinorum

rum longitudinem inventa fuit ſtria quædam, veluti faſcia latitudinis duorum digitorum, coloris ſubflavo viridis: Diaphragma erat aliquantiſper inflammatum: Bilis prorſus fere effuſa fuit e veſica fellis. Factis per cultrum inciſionibus in rene dextro, ingentem ſeri copiam per totam illius ſubſtantiam diffuſam deprehendimus. In corde ſanguis nigerrimus aderat: reliqua in ſtatu naturali, &c.

EXPERIMENTUM VI.

ROmæ 20 Januarii 1693. In Xenodochio Conſolationis ad radices Capitolii, & Fori Romani poſito aperuimus cadaver mulieris quinquagenariæ, ex inflammatione inteſtini colon defunctæ. Et invenimus quod a trunco arteriæ magnæ deſcendentis prodibat ramus arteriæ qui inſerebatur in dextrum ureterem circa illius medietatem. An hujuſmodi arteria intus cava fuerit, vel potius in ligamentum indurata, ut fit de aliis partibus fruſtraneis, præ celeritate, quam famuli Xenodochii nobis faciebant, obſervare non potuimus. Neſcientes pariter, an mulier prædicta mictui ſanguineo, aliiſque renum morbis obnoxia fuerit per decurſum ſuæ vitæ, &c.

EXPERIMENTUM VII.

BOnoniæ denudato jugulo parvi canis (vulgo *Corſetto di Bologna*) & inventis arteriis carotidibus ſeparavimus ab iis nervos paris vagi hinc inde ad latera colli deſcendentes, eoſque cultro totaliter amputavimus per medium. Facta amputatione, ſtatim extremitates nervorum contractæ fuerunt ad interiora muſculorum: interea vulnus conſuimus, & faſciavimus. Canis ſtatim obmutuit, nec impoſterum unquam latrare, aut ejulare potuit; vividus tamen erat, & bene ambulabat; per intervalla difficili reſpiratione corripiebatur; uſque ad tertium, & quartum diem, quidquid comedebat ſtatim, vomebat, & exinde emaciebatur; uſque ad nonum diem parum, aut nihil comederat, & ita macilentus evaſit, ut ſchæleton videretur; nona die mane maximos ululatus, & latratus fecit, quamvis antecedenter mutus fuerit; tandem cum parum comederet, & ad extremam maciem redactus eſſet, duodecimo die obiit, &c.

Secto cadavere, viſcera omnia ſana erant, æſophagus duntaxat per univerſam longitudinem cibo antea ingeſto repletus erat, & hac de cauſa ſummopere turgebat, nam cibus in ventriculum deſcendere non poterat. Idem experimentum tentavit *Villiſius* in cane, ut notat *tom. 1. c. 24. de nervorum hiſtoria, & uſu:* ille tamen non amputavit nervos, ſed duntaxat ligavit filo, quamobrem nil mirum, ſi in ſuo cane diverſa obſervaverit ſymptomata, ab obſervatis in noſtro, &c.

COROLLARIUM.

Omnibus notum eſt, quod nervi ad cor tendentes proveniant a trunco paris vagi. Et cum per præfatum experimentum utriuſque paris vagi truncos nos omnimode amputaverimus, ideo ſummopere miramur, quomodo impedito prorſus ad cor ſpirituum influxu ob diſciſſos nervos antedictos, illud per integros decem dies pulſaverit, & animal interea vixerit. *Villiſius loc. cit.* aſſerit quod præter ramos paris vagi perveniant ad cor nonnulli rami ex intercoſtalibus, & priorum vices ſuppleant. Nos tamen facta diligenti inquiſitione in pluribus canibus, dicto ramos nervi intercoſtalis ad cor venientes obſervare non potuimus. Ideo ingenio, & obſervatione acriores rem hanc illuſtrare impoſterum ne graventur. &c.

EXPERIMENTUM VIII.

BOnoniæ eodem menſe, una cum Cl. amiciſſimoque Domino *Guillielmo* Prof. Bonon. detectis in alio cane nervis paris vagi in collo, eoſdem a ſociis arteriis carotidibus optime ſeparavimus, ſeparatos fortiter, ac duplici filo legavimus, deinde vulnus conſuimus, & faſciavimus. Auctores nonnulli referunt, facto hoc experimento animalia ſtatim corripi apoplexia; nos tamen talia non obſervavimus, ſed ſequentia. Canis paulo poſt ſtupidus evaſit & ſuper pedes regi non poterat, ſed hinc inde ad latera concidebat; uſque ad quintum diem bene ſe habuit, parum tamen, vel nihil comedebat, aut bibebat. Stupidus ita uſque ad ſeptimum diem fuit, ſeptima vero mortuus eſt.

In apertione cadaveris obſervavimus cerebrum, in quo nec extravaſationem ſeri, nec vaſa tumida, nec inflamationis veſtigia deteximus. Circa viſcera naturalia, & vitalia magnas ſanguinis fixationes, coagulationeſque invenimus. Reliqua naturaliter ſe habebant. Unde vereor ne Auctores dum hoc experimentum faciunt cum nervis ligent etiam arterias carotides illis unitas, & hac ratione animalia ſtatim cadant apoplectica, &c.

EXPERIMENTUM IX.

ROmæ extraximus lienem cani juveni. Cicatrizato optime vulnere canis bene ſe habebat, comedebat, urinabat, & omnia ſanis non diſſimilia abſolvebat uſque ad quadrageſimum diem: quo tempore, cum nihil morboſi in functionibus vitalibus antecedenter obſervaverimus, occidimus eum, ſectoque cadavere nihil novi obſervare potuimus, &c.

EXPERIMENTUM X.

CAnis venaticus quinque annorum, corpore magnus, cum frequentiſſime lacus, & fluvios captandis avibus ingrederetur, incidit demum in tuſſim ferinam, coryzam, & præ coryza in graviſſimam ſuffocationem; bis in anno fœda ſcabie corripiebatur, menſibus ſcilicet Aprilis, & Novembris; & cum ita fere triennio laboraſſet, & extrema macie conſumtus eſſet, demum ſectioni anatomicæ illum ſubjecimus, & ante ſectionem cibo copioſe replevimus: elapſis ab aſſumto cibo quinque horis circiter, ſecuimus primo vivi animalis abdomen, & thoracem, omniaque harum partium viſcera optime conſtituta erant, & præ ceteris pulmo, in quo credebamus invenire cauſam tuſſis, coryzæ, maciei, aliorumque præfatorum malorum, ſed nihil prorſus morboſum inve-

nire

nire potuimus, imo nec in glandulis meſenterii, quas ſedulo luſtravimus: Interea tamen obſervavimus venas lacteas copioſas in menſenterio; prope inteſtina tenuia, & prope venas lacteas incedebant copioſa vaſa lymphatica, quorum altero diſrupto deguſtavi lympham in eo contentam, eratque mordaciſſima, & linguam graviter feriebat. Non ſolum in hoc, ſed in aliis pariter hujuſmodi animalibus talem lympham veluti ſubſalſam guſtavimus. Venæ lacteæ præſertim majores erant nodoſæ, & repræſentabant ramos centinodiæ, nodi illi ſunt valvulæ illarum, erantque frequentes ſicuti in lymphaticis potiſſimum obſervantur. Obſervavimus pariter ſacculum *Pecqueti*, ductum thoracicum, & alia curioſa. Notatu dignum eſt, quod vapores, qui exhalabant a viſceribus mox ſecti animalis, dum impingebant ad ignem candelæ inſervientis ad operationem, ignis ille crepitabat, ac ſi pulvere ſalis marini perfuſus fuiſſet &c. Cum igitur nulla in viſceribus, & pulmone canis læſionem obſervaſſem, putarem coryzam, tuſſim, ſuffocationis metum &c. producta fuiſſe, vel ab ulcere carioſo interiorum naſi partium circa os cribriforme, vel a graviſſima humorum acrimonia, & ſalſedine præfatas partes continuo irritante, & rodente, &c.

EXPERIMEMTUM XI.

De Circulatione Sanguinis in Rana.

APeriatur Ranæ ventre cum forfice, mox vero thorax, & ſtatim prodibunt foris in ventre quidem meſenterium cum inteſtinis, &c. in thorace vero pulmones hinc inde turgidi, & rubicundi. In tunicis meſenterii nonnulla vaſa rubicunda ſparſim obſervantur, ſuntquæ vaſa illa venæ, & arteriæ ſanguinem vehentes. In Ranis venæ ſunt majores craſſioreſque arteriis; contra arteriæ pulſant, venæ non pulſant. Tam venæ, quam arteriæ ſunt diaphanæ, & pellucidæ; & jucundo ſane ſpectaculo contenti in illorum cavitate ſanguinis motus, ebullitio, partium componentium ſitus, & reliqua prorſus curioſa microſcopio obſervantur. Horum nonnulla a nobis detecta mox ſubnectemus.

Ranæ per medium ventrem ſectæ ſume inteſtina cum meſenterio ipſi Ranæ adhuc hærentia; invenies unum ex vaſis rubicundis ibidem diſpoſitis: tunc manu ſiniſtra prehende Ranam, & digitis hinc inde leniter diſtrahas inteſtina, ut vena rubicunda libere appareat. Bene apparente vena, objicias tunc lumini ſolis illam una cum Rana, deinde microſcopio unius lentis dextra manu directo obſerva ſanguinis in vaſe contenti effectus.

Hac ratione ego obſervavi ſequentia. Et primo quidem ſanguis progreditur in vaſis ſuis velociſſime, ac veluti per totidem rectas lineas, ſeu fila ſerica tenuiſſima, ac velociſſima: hæ rectæ lineæ velocius currunt in medio vaſis, quam circa latera ejuſdem, & quo magis proximiores fiunt lateribus, eo magis amittunt de ſua velocitate. Cum Rana eſt proxima morti hæ rectæ lineæ ſanguinis currentis tardius progrediuntur, & loco motus progreſſivi, ad latera hinc inde diſſilire incipiunt, ac velut ad invicem urgeri, atque confundi. Ut Rana diutius vivat ad longiorem obſervationem peragendam ſufficiet aperire ventrem, pectus vero intactum relinquere.

In venis circa meſenterium obſervavi curſum ſanguinis retrogradum: nam ſanguis qui progredi debebat per venam aliquam verſus ſupeririora mutato curſu per eandem verſus inferiora ordinate deſcendebat, & in proximum truncum exonerabatur, quod quaſi videtur contra regulas circulationis, & valvularum venoſarum. Ut hac de re certior fierem, unam ex dictis venis meſenterii oleo vitrioli leniter in ſuperficie inunxi: facta unctione curſus ſanguinis per illam venam ſtatim ſuppreſſus fuit, & in venas proximas regrediebatur, mox vero in truncum majorem, atque in hoc caſu etiam retrogradationem ſanguinis in venis obſervavimus, quaſi in illis nullæ eſſent valvulæ retrogradationem illam impedientes, &c.

Cum Rana morti proxima eſt, circulus ſanguinis retardatur in ſuis vaſis, ſi vero convellatur, aut ob punctura illatam moveatur, ſtatim motus circularis in ſanguine reſtituitur, & a partibus ad centrum denuo currere incipit, & ita continuat ſi dictæ convulſiones, aut motus in Rana continuaverint, aliter ceſſabit. Rana jamjam moriente arteriæ depleri incipiunt, venæ vero tumefieri, & impleri. Eadem mortua, arteriæ omnino deplentur, venæ tamen tumidæ ſunt. Exigua illa ſanguinis portio, quæ in arteriis remanet, videtur compoſita, quaſi ex tot minimis globulis adipoſis lateribus arteriæ hærentibus, &c. Globulos hos adipoſos majori copia vidimus in Rana occiſa ſtatim ac capta fuit: quia tunc bene paſta eſt, & vaſa ſunt turgidiora. Si vero per aliquot dies domi detineatur, nec paſta ſit congruis alimentis, pauciſſimi tales globuli adipoſi apparent in arteriis prope mortem depletis modo ſupradicto, &c.

Si cor a Rana extrahatur, & ſuper tabulam ponatur, ita extractum pulſabit per ſemihoram, & quandoque per integram horam, præſertim ſi caloris ſolis exponatur ordinatoſque ſyſtolis, & diaſtolis motus per id temporis protrahet. Imo ſi cor in fruſtula ſecetur, fruſtula illa ordinatos etiam ſyſtolis, & dyaſtolis motus, magna intuentium admiratione producent. Si motus illi reciproci aliquantulum elangueſcunt, mox reſtituentur, vel facta acus punctura in corde, & ſuis fruſtulis, vel calidum oris halitum eiſdem inſufflando, aut calidiori ſoli exponendo.

Rana, quamvis ab ea evellatur cor, & omnia viſcera naturalia, ac vitalia omnino extrahantur, adhuc tamen ſaltat, oculos movet & puncta convellitur. Et etiam poſt elapſam circiter horam ab extractione viſcerum convellitur, ſaltat, & hinc inde movetur capite, & corpore, &c. vidi interdum ad aliquot horas ſine corde hæc feciſſe: imo etiam in aqua nataſſe.

Demum nuſquam tam clarius obſervatur motus

ſanguinis inteſtinus, & circularis, quam in Rana; non ſolum quia vaſa ſanguifera hujus amphibii animalis diaphana ſunt, verum etiam, quia cultro ſubjecta anatomico diutius vivit, manibuſque facilius tractari, & viſcera illius ac vaſa microſcopio facilius commodeque ſubjici poſſunt, ut ita obſervatio longius protrahatur, ad eruendam veritatem eorum, quæ inquirimus. Singula cordis pulſatione obſervatur ſanguis ulterius, atque ulterius progredi, & adinſtar undæ pellentis undam urgeri a vaſis minoribus ad majora, ex his in venam cavam; demum in pulmones. Facilitas hæc obſervandi circulum ſanguinis, in vaſis ſupra cor, & ad caput tendentibus non ita facile ſuccedit, ſicuti in vaſis viſcerum naturalium, nam ibi copioſæ non obſervantur vaſorum ramificationes, uti in viſceribus naturalibus; & ſi aliquæ abſunt, neceſſe eſt ut dilacerentur poſt ſectum Ranæ thoracem, vel ſi non dilacerantur, ſerpunt tamen hinc inde ita tortuoſe per oſſeas thoracis, colli, & capitis Ranæ partes, ut ſane difficulter microſcopio ſubjici poſſint. Ut in viſceribus naturalibus, atque vitalibus evidentius ac commodius obſervetur in vaſis ſanguinis curſus, cave ne Ranam nimium forfice dilaceres, in ſecando ejuſdem ventre, nam hac ratione amputatis plurimis vaſis ſanguiferis, circulus ſanguinis difficilius, vel pauco temporis momento obſervabitur. Ad hæc experimenta peragenda utendum eſt microſcopio unius lentis, quod dextra manu tenendum; e contra Rana ſiniſtræ manus digitis, accurate præhenſa, lumini ſolis objiciatur, nam ita commode tentabitur operatio, & noſtra obſervata ſuperius expoſita clare conſtabunt. Notatu dignum eſt Ranam in Inſtrumento Boileano commode vivere, etiamſi omnis aer exhauſtus ab eo fuerit: ſi vero Ranæ dorſo aut capiti pix liquida innungatur, Rana ſtatim extinguitur, ut expertus eſt pluries *Th. Bartolinus tract. de pulmon. &c.*

In Rana, Teſtudine, aliiſque amphibiis unus obſervatur, in corde ventriculus, cujus vas ingrediens erit vena, egrediens vero arteria, in cujus exitu a corde obſervavi valvulam figuræ epiglottidis, quæ ſanguini dat exitum, regreſſum vero negat.

Quamvis Rana ablato corde per plures horas vivat, & moveatur ut ſupra diximus, cerebro tamen, & capite avulſo, ſtatim moritur, nec amplius movetur. Contrarium vero contingit in calidioribus animalibus, ut pullo &c. cujus cor palpitat per plures horas capite jam diſſecto.

Renibus utrinque adhærent in Rana facculi multiplices oblongi, oleoſa repleti ſubſtantia, & quaſi trunco venæ portæ prope jecur adnati: & ad aliud inſervire non poſſunt, quam pro adipe renali, geruntque vicem omenti, &c.

HISTORIA MORBI,
Et ſectionis Cadaveris Marcelli Malpighii Archiatri Pontificii.

CUm Aliquandiu familiariter egiſſem Bononiæ cum Domino, *Malphighio*, ejuſque lethalis morbi curationi aſſidiſſem Romæ: non gravabor in gratiam Eruditorum hiſtoriam morbi, & ſectionis cadaveris, quam nuper in tam ſagaci Anatomico feceram, breviter ſubnectere.

Marcellus Malpighius ann. ætat. 66. circiter, temperamenti ad ſiccum vergentis, mediocri corporis habitu, & mediorci pariter ſtatura præditus, cum per decurſum plurium virilitatis ſuæ annorum obnoxius fuiſſet vomitibus, & ſeceſſibus biliosis, & poſt horum ſuppreſſionem, vomitibus acidis, palpitationibus cordis, calculis renum, & veſicæ urinis cruentis, & interdum affectionibus podagricis levioribus: demum exacerbatis his omnibus poſt illius adventum Romam, & præſertim palpitatione cordis, calculis renum, & ſudoribus quibuſdam, veſpertinis, iiſque mordaciſſimis, correptus fuit apoplexia 25. Julii ann. 1694. hora circiter meridiana, præcedentibus curis, & animi paſſionibus, &c. Apoplexiæ acceſſit paralyſis totius dextri lateris corporis, tortura oris, & oculi pariter dextri, &c. Varia remedia ſtatim adhibuimus, ſcilicet ſanguinis miſſionem in brachio ſiniſtro, (mihi tamen eſt in uſu eamdem ni ipſo brachio paralitico inſtituere; ſiquidem impeditus fluidorum circulus in affecta parte celerius non reſtituitur, quam ejuſdemmet venam ſecando, ut clare deducitur ex mechanicis reſiſtentiæ, & impulſus: ſed hic tentari non potuit ob varias opiniones Medicorum curationi vocatorum) cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis, pulverem Cornachini, ſinapiſmos plantis pedum, & alia quamplura ſpirituoſa, cæphalica, & ſpecifica in apoplexiis remedia: quorum uſu poſt 40 dies graviſſimorum malorum, vanı loquii, capiplenii, aliorumque accidentium, liber evaſit ab apoplexia, & paralyſi, ſupradicta, aliiſque accidentibus recenſitis. Sed quoniam malorum latius ſerpendi mos eſt, Clariſſimus Vir vi antecedentis morbi ſummopere læſus fuit in memoria, & ratiocinio, imo quavis minima de cauſa ſolvebatur in lacrymas: inappetentia, indigeſtionibus ventriculi, ſubſultu muſculorum, & levibus vertiginum invaſionibus per intervalla afficiebatur. His denique aliiſque ſymptomatibus miſerrime laceſſitus, die 29. menſis Novembr. ejuſdem anni denuo correptus fuit apoplexia poſt injectum conſuetum clyſterem hora maturina. Novam hanc apoplexiæ invaſionem præceſſerunt graviſſimæ vertigines cum exacerbatione calculoſa veſicæ fere per integrum octiduum, inappetentiæ, & reliqua ſymptomata antedicta graviora erant: ſed vehementior his omnibus fuit novæ apoplexiæ inſultus: nam irritus quibuslibet remediis poſt quatuor ab invaſione horas, migravit ad Superos.

SECTIO CADAVERIS.

Secto cadavere obſervavi ſiniſtram pulmonum pertem aliquatenus flacceſcentem, lividam præſertim in poſteriori illius parte, qua dorſo adhæret. Cor erat mole ſua auctum, & præcipue parietes ſiniſtri ventriculi, qui duorum digitorum latitudinem

Rem æquabant. Bilis in vesica fellea valde nigricabat. Rem siniſter in naturali ſtatu erat, dexter contra quaſi medietate minor ſiniſtro, ejuſdem pelvis adeo dilatata, ut duo digiti commode intrudi poſſent: ob hanc pelvis dilationem ſuccedebat forſan, ut calculi in Renibus geniti, ſtatim in veſicam deſcenderent, & e veſica foras proſilirent, ut pluries mihi teſtatus, eſt, dum eſſet in vivis Vir optimus. In veſica urinaria parvus calculus aderat, qui quatuor diebus ante invaſionem ultimi accidentis apoplectici inibi deſcenderat, & deſcendendo vertigines illas ultimas exacerbavit. Reliqua viſcera naturalia optime ſe habebant.

Aperto capite, in cavitate dextri ventriculi cerebri duas libras circiter ſanguinis nigri, & grumoſi extravaſata invenimus, quæ ſanguinis extravaſatio apoplexiæ cauſa fuit, & mortis. In ſiniſtro ventriculo reſidebat aqua ſubflava ad pondus leſquunciæ, eique intermixtæ erant minimæ arenulæ exigua quantitate. Vaſa cerebri ſanguifera erant undequaque varicoſa. Univerſa dura mater fortiter, ac præternaturaliter adhærebat cranio. Atque hæc eſt ſumma eorum, quæ in ſectione cadaveris antedicti obſervare mihi licuit Romæ in Ædibus SS. Vincentii, & Anaſtaſii ad radices Quirinalis, ipſis Kalendis Decembris 1694.

APPENDIX

De Apoplexiis fere epidemicis, proxime elapſo biennio in Urbe, & per Italiam obſervatis.

PRoximis his duobus annis 1694. & 1695. non ſolum in Urbe, ſed per univerſam pene Italiam non exigua hominum pars apoplexia periit, & adeo frequentes erant funeſti hujus morbi caſus, ut inſtantis mortis horrorem ſingulo fere momento viventibus incuterent. Epidemicæ hujus apoplexiæ cauſa peti jure ac merito poſſet ab inſueta illorum annorum aeris intemperie. Æſtas anni 1693. erat adeo exurens, ut calore, & ſiccitate omnia conſumi viderentur; ſubingrediente anno 1694. frigora ſummopere intenſa cœperunt, & inſueto Italiæ more, gelu, nivibus, & glacie tempeſtas ſeviebat. Latium, & Apulia, quæ raro nivibus ſubjacent, illa bruma copioſe illic diffluebant, & ad cubiti circiter altitudinem elevatæ magnam necem animalibus intulerunt, &c. Quæ ſubſecuta eſt æſtas multo fuit ardentior ſuperiori, & per continuos quinque menſes nullæ pluviæ apparuerunt; hæ autem cœperunt circa Kalendas Octobres, & flantibus ſemper auſtris continuarunt uſque ad menſem Aprilis hujus anni, quo hæc ſcribo 1695. tantaque copia ceciderunt, ut poſt hominum memoriam viſæ non fuerint uberiores, nam poſt 15. dies pluviarum vix duo ſerenitatis apparebant, quos ſtatim copioſores imbres inſequebantur. Per has igitur inſuetas annorum conſtitutiones apoplexiæ ſupradictæ ſævierunt. Præter illas tamen occaſionem quoque dare potuerunt morbo mœrores, & domeſticæ curæ, omnibus pene communes, ob calamitoſiſſima hæc tempora, quibus per continuum ſeptennium univerſa Europa bello adhuc ardet crudeliſſimo, & vix poſt Orbem conditum audito; tot etenim Urbium vaſtationes, & incendia, tot hominum cæſa millia, impedita prorſus commercia, pacis aditus fere præcluſi, cui quæſo horrorem mortis, imo mortem ipſam non afferrent?

Porro halitus maligni, a tot terræmotibus (quibus ab anno 1687. uſque adhuc concuſſa fuit Italia) excitati, epidemiæ huic apoplexiæ ſomitem præſtare quoque potuerunt, ut ſentit etiam *Seneca nat. quæſt. cap.* 27. Anno 1687. primum tremuit Neapolis, ſed exiguo prorſus perampliæ illius Urbis damno. Anno 1688. menſe Junii hora 21. iterum tremuit ſed fortiter Neapolis, quo tempore ipſe illic degebam; oppida quamplurima eidem proxima ſolo æquata ſunt, & Neapolis ipſa in Ædificiis male tractata fuit. Tremuit eodem tempore Beneventum 50. circiter milliariis Neapoli diſtans, & pene tota nobilis Urbs Beneventana ſolo excidit cum Oppidis adjacentibus. Per ſubſequentes deinde annos quamplures aliæ Italiæ Urbes tremuerunt. Ariminum, & Ancona Urbes ad oram Maris Adriatici ſub ditione Pontificia, terræmotus damna præ aliis maximopere ſenſerunt. Anno elapſo tremuerunt fortiter Calabria, & Sicilia, & ſolo prorſus æquata eſt nobilis Urbs Catania, cujus nulla hodie reſtant veſtigia. Meſſana in ædificiis mulctata fuit, & Oppida innumera Siciliæ omnino conciderunt. Hoc Anno tremuerunt etiam Venetiæ, Patavium, & vicinæ Ditionis Venetæ Urbes. Junio mox elapſo, hujus anni 1695. quo ſcribimus, Balneoregium (vulgo *Bagnarea*) Civitas Provinciæ Patrimonii, quinquageſimo circiter ab Urbe lapide diſtans, terræmotu concuſſa, & diruta omnino fuit. Urbes eidem vicinæ, præſertim Viterbium tremuerunt etiam: terra pluribus in locis aperta eſt, & Oppida fere decem omnino conciderunt. Per totam Europam terræmotus, etiam his annis divagati ſunt. Peſtis invaſit Apuliam ann. 1691. cum non exigua ſtrage illarum Urbium. Fames etiam ſæviit alicubi. Hæc, & hujus generis alia obſervata ſunt proximis his annis, quibus funeſtæ ſevierunt apoplexiæ uſque ad præſentem Decembris menſem 1695. De Curatione apoplexiæ in genere nonnulla eſſent dicenda. ſed hac de re tractavimus ſuperius *l.* 1. *Prax. reſtitut. c.* 9. §. *de apopl.*

EPI-

EPISTOLÆ CLARORUM VIRORUM
QUORUM JUDICIO ET AUCTORITATE
GEORGII BAGLIVI
OPERA CONFIRMANTUR.

EPISTOLA I.
DE LUMBRICIS LATIS:
GEORGIO BAGLIVO
VIRO EXIMIO NICOLAUS ANDRY,

Doctor Medicus Parisiensis, Medicinæ Lector, ac Professor Regius

S. P. D.

UUM apud nos Parisiis recens editum *de Praxi medica ad veram observandi rationem revocanda*, opus sane, si quod unquam fuit, præstantissimum, quanta cum voluptate perlegerim, hic profecto verbis doctissime *Baglive*, significare vix possum. Veram monstras medicinæ viam, quam nostri omnes utinam tenerent Medici, quorum quamplurimos video in disputando mire callidos, & ab illa cavillatione cum discesserint, non magis in aperto medicinæ cœlo sufficere quam parva quædam animalia, quæ, ut ipsis *Quintilliani* verbis utar, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur. Quam mihi arridet ea præ ceteris, quæ sentis de *Hippocrate*; cum ipsum *medicorum Romulum appellas, eundemque naturæ, non hominis voce fuisse locutum dicis; tantoque Viro nec prisca ætate visum esse parem in re medica, nec visum iri futura, nisi demum resipiscant Medici; & velut ab alto somno excitati videant, &c.* Tanti enim apud me ponderis scias esse velim *Hippocratem*, ut qui medicum esse meditatur, ei sic legendos, pervolutandos, terendos esse *Hippocratis* libros existimem, eos ut non solum voret, sed etiam conquocat, ac in succum, ut ita dicam, & sanguinem convertat suum. Tanti est apud me *Hippocratis* nomen, ut cum de *Tullio* audiam *Quintillianum* cum dicit: *Ille se profeciſſe ſciat, cui Cicero placebit*: Idem de *Hippocrate* proferam, & in hæc verba sæpe mihi contingat erumpere: ille se in re medica profeciſſe sciat, cui *Hippocrates* valde placebit. Sed heu! nunc refractis pudoris, & reverentiæ claustris, spreta omni doctrinæ, & scientiæ via, non solum non legunt *Hippocratem* magna pars Medicorum; sed hunc sapientia magis, & gravitate, quam ætate Senem conviciis insectantur audaci fronte Medicastri quidam, qui cum altam illam tanti Viri in medendo solertiam assequi minime valeant, eam verbis elevare conantur. Sic enim est a natura comparatum, teste *Tullio*, ut tantum quisque laudet, quantum se posse sperat imitari. Medicinæ gratulor, Doctissime *Baglive*, quod hujus sui Parentis causam susceperis, eoque magis, quod tanta in defendendo illo insit orationi tuæ vis, ut & repugnantes quoque ducat, & impellat. Jam in iis, quæ dicis tanta inest auctoritas, ut a te, tuisque Præceptis dissentire pudeat; nec Advocati studium, sed Testis, & Judicis afferas fidem. Ne mireris itaque, doctissime *Baglive*, si hujus tui aurei operis amore captus, ipsum nunc per litteras consulere decreverim Auctorem, Te nempe cui video doctrinæ, & Sapientiæ deesse nihil. De lumbricis puerorum sermonem habes *cap.* 9. *lib.* 1. & ea dicis, quæ ratione, & usu comprobata maxime mihi videntur. Id effecit, ut de Vermium generatione in corpore humano opus jam susceptum propediem absoluturus scire cupiam, quæ tua sit de hoc lumbrico sententia, qui lumbricus latus appellatur; de quo quædam apud *Hippocratem lib.* 4. *de morbis*. 1. Undenam tanta ipsi præ ceteris magnitudo sit. 2. An generetur ex semine. 3. An ab ipso matris utero hunc ferant Infantes; ut dicere videtur *Hippocrates*. 4. Romæ ne rarior hic vermis, ut in Gallia, an frequentior, ut in

Hollan-

Holandia; ibi enim quamplurimi viſuntur, iique tanta proceritate, ut octoginta quinque Holandiæ ulnas quandoque ſuperent, uti accepi nuperrime per litteras ad me datas a Doctiſſimo *Nicolao Hartſoekero* Roterodamo, viro in mathematicis, & phyſicis pererudito; quod certe ſe credere poſſe negat, niſi ipſe ſuis vidiſſet oculis. En ſchema lumbrici hujus generis, quem lumbricum a Viro 30. annos nato, delirio, & pleuritide graviter affecto vivum fugavi; quo fugato conclamatus antea æger vires collegit, & a morbo convaluit. Hoc igitur de lumbrico ſentiendum quid putes, certiorem me facias, rogo. Experimenta refers in lumbricos lectu dignißima; velim ſcire an ea feceris in lumbricos terræ, an in lumbricos humanos; diſcrimen enim obſervavi ſummum inter utroſque, quantum ad ea ſpectat, quæ eos ſervant, aut interimunt. Quoſdam enim e corpore humano fugatos nuper in acetum projeci, qui vixere diu; hocque in liquore ita ſe bene habere videbantur, ut in eo natos nemo non dixiſſet. Lumbricos vero terræ eodem aceto aſperſi, qui ſtatim convulſi periere, citiuſque quam alii, quos in oleo ſuffocaveram. Quam mihi tranſmittes epiſtolam expecto vehementer, ac impatienter. Opuſculum meum prælo mandari ante non finam, quam mihi reſcripſeris. Vale, Decus Romæ. Pariſiis 1. Kal. Junii 1699.

GEORGII BAGLIVI
EPISTOLA DE LUMBRICIS LATIS, EORUMQUE GENERATIONE.
AD DOM. NICOLAUM ANDRY,
Medicum Pariſienſem, Medicinæ Lectorem, ac Profeſſorem Regium.

LITTERIS tuis humaniſſime, atque elegantiſſime ſcripti nihil his diebus, accepi jucundius. Antonium Albertum virum doctiſſimum, quem ob incredibilem morum ſuavitatem, & ſummam erga me fidem, ac benevolentiam amavi ſemper, & colui, nunc obſervo magis, & in oculis, licet a me longe remotum, perpetuo fero. Nam præter innumera, quæ ipſi debeo beneficia, nova quotidie, quæ ſua eſt humanitas mihi conferre non deſinit. Nuper enim occaſionem mihi dediſſe eruditiſſimum *Nicolaum Andry*, Virum optimum per litteras cognoſcendi, beneficium ejus puto inter maxima profecto collocandum.

Ad te igitur ut proxime accedam, Doctiſſime *Andry*, gratæ certæ mihi litteræ tuæ ſunt, ſed gratiſſimus, qui te ad ſcribendum animus impulit. A liberali enim & prolixa erga me voluntate tua profectum eſſe crediderim ſtudioſum te eſſe meorum opuſculorum, & mihi aliquid, atque adeo tantum tribuere in praxi medica, quantum optavi equidem ſemper, ſed aſſecutum me eſſe nunquam putavi. Nunc ſi tu Vir auctoritate, & doctrina apud Galliarum Medicos celebris, ita de me ſentis, in dubium pene revoco judicium meum, nec me prorſus audeo contemnere, ne a te diſſentiam; & enitar, multo etiam quam antea diligentius, ut accedam proxime, ſi ulla ratione potero, quo tu me perveniſſe jam exiſtimas, ut aliquando veritati jure des, quod forſaſſe nunc humanitati magna ex parte largiris.

Valde gaudeo tractationem de lumbricis per obſervationes, & experimenta a te ſuſceptam, quam primum elegantiſſimis Pariſienſibus typis edendam eſſe, quod quidem argumentationis genus cum omnino novum ſit, & a paucis tali methodo exornatum, magnam ex eo te laudem, & exiſtimationem a cunctis reportaturum eſſe confido. Age igitur, opuſque utilitati publicæ ſummopere neceſſarium, quam citiſſime poteris, expedias.

Cum epiſtola accepi quoque ſchema lumbrici lati, plurium ulnarum longitudine, a triginta circiter annorum viro, pleuritide, ac delirio laborante, excreti; latus itaque lumbricus cum non occurrat frequenter in praxi, quatuor ſunt, quæ de illo a me petis. 1. quidem An ab ovo ducat originem? 2. Deinde undenam tanta ipſi longitudo? 3. An ab utero matris (ut Medicinæ Parens obſervavit,) ferant ipſum ægroti. Denique, frequens ne ſit in Urbe Roma, ut in Holandia eſſe ſolet? An vero rarus ut in Galliis? Quæris iterum utrum experimenta a me relata circa lumbricos *lib. 1. Praxeos*, fuerint circa lumbricos terreſtres, an circa lumbricos humanos? De ſingulis breviter pro ingenii tenuitate nonnulla dicamus.

Omnium animalium, ac vegetabilium principium & origo ab ovo eſt: Quid enim aliud plantarum ſemina, quam ovum? in quo veluti in compendio quodam univerſa futuræ plantæ rudimenta contrahuntur, eaque, accedente nutritii ſuci fermentatione, aeris elatere, duplicique calore, altero quidem ſolis, altero vero telluris magnæ Matris centrali, ſenſim veluti ſoluta compedibus excitantur, creſcunt, & ad tantam, debito tempore, perveniunt magnitudinem, quanta unicuique plantarum generi ex congenitis naturæ legibus debetur.

Si

Si talia Philoſophi, ac Medici ad unum omnes de vegetabilibus opinantur, quanto magis ſentiendum id erit de viventibus non ſolum perfectis, verum etiam de imperfectis, quæ vulgo vocant inſecta? Nam præter quam quod idem rebus in omnibus, ac æqualis ordo ſit, & ab uno oriantur omnia principio, & omnia in unum, poſt generalem quemdam deſinant circuitum: Inſecta admirabili partium nexu, & conſtructione, iiſdemq; nobiliori vitalium operationum exercitatione, non ſolum plantis minimo cedunt, ſed ea in re illis longe antecellunt.

Quamobrem cum nemo plantas a putredine oriri ſtatuerit, ne quidem inſecta aliaque vilia animalcula ab eadem originem deducere debere ſuam, cum ratione æſtimantur. Pudet enim Philoſophum, ac Medicum feliciſſimo ſcientiarum hoc ſæculo, in quo per experimenta, ſolidaque Mathematices præcepta, rerum cauſæ illuſtrantur, fortuito putredinis caſui tribuere, quæ conſtans, & perpetua ſeminibus inhærens naturæ lex moderatur, & dirigit.

Non enim putredo eſt, quæ viventia producit imperfecta, ſed putreſcentium rerum calor, & fermentatio, rerum ſemina undequaque vagantia per orbem, fœcundat, ut ita dicam, ſive potius futuri animalculi primordia fœcundato in ovulo torpida, & inertia excitat, fermentat, ac veluti primam vitæ auram eiſdem inſpirat, idemque cum illis agit, quod calor ſolis, aut gallinæ incubatio gallinaceis cum ovis, in bombycum ovulis.

Quæ ſuperius de inſectis univerſe diximus, ad lumbricos quoque in homine naſcentes jure quodam poſſunt accommodari, utpote qui non a putreſcente generantur κακοχύλῳ, ſicuti vulgo putant pſeudogalenici, ſed ab eodem lumbricorum ovula in inteſtinis latentia excitantur, & ad vitæ actus reducuntur.

Latus itaque lumbricus ab ovo ſui generis originem ducit ſuam, & ſicuti ſingularum rerum ſingulæ ſunt proprietates, a quibus ne minimum quidem deflectere queunt ob inviolabiles naturæ leges iiſdem impoſitas, ita & lumbrici lati, natura ſua, progigni ſolent in fœtu hærente adhuc in utero matris; paulatim creſcunt in orbiculos, donec faſciarum more univerſam inteſtinorum molem adæquent. Nonniſi poſt plurium annorum curſum ad debitam perveniunt longitudinem, creſcentibus enim ſenſim hujus inſecti particulis; ſenſim quæ jam creverunt manifeſtantur.

Nec mirum tam longo tempore propriam acquirere magnitudinem: familiare namque eſt naturæ, prout in ovorum cicatricibus, plantarum ſeminibus, & in ipſa vegetatione obſervamus, partium lineamenta primo deſcribere, ſacculos nempe membranaceos, quos deinde humore replendo, ſtato tempore manifeſtat, reddito enim craſſiore, contento in ſacculis ſive utriculis jecore, ab ambiente membrana figuram, & tutamen obtinet, atque ita pro naturæ ordine, viſcera, & partes omnes, ſuo quæque tempore, breviori, aut longiori, pro animalium, ac vegetabilium varietate exoleſcunt.

Opinionem hanc confirmant admirabiles bombycum, formicarum, aliorumque inſectorum metamorphoſes, ipſorum enim alæ, ſpicula, variæque corporis partes licet antea extiterint, non niſi paulatim, & ſtatuto quæque tempore, ſe nobis produnt.

Dentium ſemina in alveolis, plures per annos, ſicuti & pilorum glomeramina in bulbo, ſive radice ſua in ſubcutanea pinguedine implantata reconduntur, donec tandem accedente neceſſaria maturitate, veluti vegetando foris erumpant. Ita & lumbrici lati longitudo ingens, quamvis in ovulo tota, veluti in compendio quodam, contracta ſit, non apparet tamen antequam debitam maturitatis ſuæ metam acquiſiverit.

Unde non ab uberiori, quo veſcuntur alimento, incredibilis eorum longitudo deducenda, prout nonnulli falſo opinantur, ſed a congenitis proprietatibus huic lumbricorum generi præ aliis familiaribus; veſcantur enim, & ſaginentur cibis quantum velint pigmæi, pigmæi tamen ſemper erunt.

Sed hic ulterius quæris an ab utero matris ſecum adferant infantes, an vero poſtea in illis generentur. Summus Medicinæ parens *lib. 4. de morb.* primam, ut obſervas, tenet opinionem, & cum ipſius præcepta naturæ oraculo confirmata ſint, haud facile ab ejus ſententia recedam, nec me profecto rationes, aut vana hypotheſeon (quas floccipendo) figmenta, ad recedendum movebunt, ſed propria experientia per multiplicem obſervationum ſeriem conſtans reddita, & infallibilis. Quare ſicuti plures dantur hæreditarii morbi, qui ex utero ſua ducunt principia, quidni etiam de latis lumbricis hoc idem ſentiendum, multo magis cum divinum ſenem hujus rei habeamus auctorem?

Ait hic, loco jam laudato, ex lacte, & ſanguine redundante, & corrumpente ſe, hos vermes in fœtu, uteri clauſtris concluſo, produci; idque non ſine ratione opinatus eſſe videtur; ſugit enim puer in utero lacteam lympham, ut certis recentiorum obſervationibus probatum eſt; a cujus putreſcente fermentatione excitantur latentia horum lumbricorum ovula; & ad vitam diſponuntur, quod quidem aliarum rerum putreſcens fermentatio præſtare forſan non poteſt.

Eademque de cauſa factum eſſe puto; ut hic vermis epidemice graſſetur in Holandia præ aliis regionibus, nimium abundante lacticiniis; cujuſque Incolæ lacte, caſeo fere perpetuo ſaginantur. Cognovi Romæ anno 1696 Juvenem viginti annorum, pallidum, macie affectum, ſputatorem, & in omni lacticiniorum uſu intemperantem. Hic cum mane cæpam cultro reſecaret, ejus odore ita vehementer commotus eſt, & adeo ingenti ſuffocatione correptus, ut brevi ſe moriturum putaret, niſi ſuperveniente vomitu, ejeciſſet lumbricum teretem triginta pedes longum,

& ro-

& rotundam in pilam conglobatum, quo excluso statim convaluit.

An præterea generari quoque possint lati lumbrici in adultis, nihil audeo dicere, cum nihil hac de re mihi adhuc constet experientia. Puto tamen impossibile non esse, licet *Hippocrates* suo tempore non observaverit: & ut in re difficili clare, & distincte procedamus, observandum est: an æger signa det lati lumbrici ab ineunte ætate, an vero postea, & annis jam gravis: si primum sit, in utero esse credas; si alterum, non nisi eodem adulto genitum esse existimandum. Difficile enim adducor ut credam puerum ab infantia in intestinis lumbricum gerere, nec affici symptomatibus, quæ cum hoc vermium genere conjunguntur:

Sunt autem dolor circa jecoris regionem, jejuno tempore ingens sputatio, & si dolor nimis excruciat, aphonia supervenit. Tormina circa ventriculum ferociunt; pallidi sunt, & imbecilles; ad labores pigri; quandoque fastidiunt cibos; quandoque appetunt inordinate; vermiculos figura cucurbitina excernunt, qui cum sint resciſſæ partes lati lumbrici; illos, dum apparent, pro horum pathognomonico habet Doctissimus *Dodonæus* cum Medicinæ Parente, loco citato.

In Urbe Roma, & in reliqua pene Italia, non ita frequens est latus lumbricus, ut in Hollandia, quia Itali humidam, paludosam, frigidamque non incolunt regionem, nec forsan sunt nimium intemperantes, sicut Holandi; præstantius enim pharmacum contra lumbricos sobrietate non datur.

Quatuor ab hinc annis observavi Romæ puerum duorum annorum exereviſſe per alvum vermem viginti pedes longum, quem nisi fuisset a matre resciſſus, multo longiorem videſſemus.

Puer erat pallidus, & multum imbecillis. Eodem tempore mulier corripitur febre cum ingenti dolore, tumoreque in hepatis regione; vena brachii tunditur, sed frustra; dolentem locum ungi justimus oleo absynthii per coctionem facto; paulo post vomitus, & diarrhæa superveniunt; & centum vermes ex ascaridum genere ejecit, & sanitatem recuperavit. Quindecim post dies recrudescunt omnia, ut supra; de vermibus denuo suspicamur; contusis tribus manipulis absynthii Romani, & affectæ parti appositis, quindecim vermes emisit, statimque convaluit; hunc vero dolorem circa regionem hepatis, non ipsius hepatis, sed intestini colon e regione hujusce visceris, fuisse arbitrandum. Multa de lato lumbrico videntur apud *Spigelium*, & *Sennertum*, multa apud hunc de verme umbilicali, de crinonibus sub cute. Apud *Panarolum* de vermibus cucurbitinis, rostratis, ac pilosis, ad mille per alvum vivis excretis, sæviente maligna febre epidemica, ab uno solum ægrotante.

Porro curiosum est hic adnectere quod in Viro 40. ann. observatum est. Hic laborare cœpit derepente doloribus stomachi, & partium vicinarum vehementissimis, qui per octo dies perdurarunt, tunc supervenit motus convulsivus curiosus, & raro visus in Medicina. Idest singulo semiquadrante horæ toto corpore convellebatur leviter patiens cum pallore vultus viriumque prostratione; & hæc omnia momento temporis durabant, deinde quiescebat. Diu noctuque singulo semiquadrante horæ dicta momentanea convulsio cum pallore vultus, viriumque prostratione recurrebat; & adeo exacte dicto tempore recurrebat periodice, ut nullum horologium tam regularem periodum posset observare. Afflicto per octo dies his malis misero patiente, derepente quieverunt omnia per duas circiter horas, quibus vix elapsis, supervenit dolor stomachi, ac pectoris ita crudelis ac vehemens, ut ejus vi paulo post perierit. Dicebat ante mortem patiens sibi cor, & ventrem veluti a canibus lacerari, & scindi.

Aperto cadavere inventus est in cavitate pericardii vermis niger, pilosus, & vivus longitudinis fere palmaris. Cor vero valde longitudinis fere palmaris. Cor vero valde lividum. Dictus vermis causa morbi fuit, cor periodice pungendo donec patiens defecit, &c.

Addam pariter observationem satis utilem de lumbricis, quam anno 1700. ab erudito Medico habui scriptam Massæ Tudertinorum in Umbria. Eo anno constitutio regnabit fere epidemica febrium putridarum, atque malignarum: ægroti circa primum septenarium, aut circa secundum moriebantur, & semper maxima pectoris anxietate torquebantur: vermes teretes magna in copia excernebant singuli. Hi vermes vivi positi in vinum statim peribant; in oleo, aqua sacchara-ta, spiritu vini, aceto, succo limonum per plures horas vivebant ac plures dies. Ægroti qui vinum bibebant, penes omnes sanabantur. Ex ægrotis fenes, & mulieres majori numero periere. Vinum itaque antidotum fuit morbi: causa, &c.

Experimenta, quæ circa lumbricos feci, & *præxeos nostræ lib.* 1. descripsi, non fuere circa lumbricos terrestres, sed humanos. Mulierçula enim quinquaginta ann. nata, febre, & dissenteria correpta, tercentum circiter vivos ejecit, Romæ anno 1694. erant longitudine phaseoli figura fere cucurbitina, injecti in spiritum vini, & in infusionem seminum santonici post quinque horas periere; post novem in vino, dissolutione aloes, extracti chamædrios, & extracti tabaci. Die Jovis, hora decima quinta, positi fuere in oleo amygdalarum dulcium, in succo limonum, in aqua tetucciana (mineralis est, & salinis principiis abundat,) & in vase mercurio vivo semipleno. Sequenti die veneris hora matutina in oleo amydalarum dulcium inveni vivos,

valde torpidos, & imbecilles, vivos vero, vegetos, & valde mobiles in aqua tetucciana, in ſucco limonum, & in vaſe mercurii; in hoc tamen mercurii contactum fugiebant, & ad ſummitatem vaſis progrediebantur. Immerſi in aquam florum aurantiorum, & roſarum, poſt octo horas, convulſionibus correpti obiere. Atque hæc de lumbricis.

Mirifice delectatus ſum non defuiſſe in Galliis, (ſed quando illuſtris, & inclita Galliarum Regio claris viris ferax non fuit?) acres ingenio viros, qui mecum ſentiant difficillimis hiſce praxeos Medicæ temporibus, in quibus omnia ſpeculationum, & hypotheſeon fluctibus agitata, turbataque videmus, non ante ceſſaturam tempeſtatem, quam Medici ſpreta opinionum arrogantia, & faſtu ad *Hippocratem* clavum tenentem, & moderantem confugiant, & ab eodem naturæ voce loquente diſcant, qua via progrediendum ſit, ut ad veritatis metam in Medicina tandem perveniamus.

Elapſo anno in Regiam Societatem Anglicanam adſcriptus fui; ut vides, nunc in Academiam Germanorum, quod ad te ſcribo propterea quod gratum id tibi eſſe agnoſco. Hoc eodem tempore ſcripſi Epiſtolam ad amiciſſimum *Antonium Albertum*, de qua illum moneas rogo. Vale, Galliarum Ocelle, & Reipublicæ bono, ſaluti tuæ conſulere non deſinas.

Romæ pridie Idus Julias 1699.

EPISTOLA II.

De Purgatione in principio Febrium, ac de Febribus Meſentericis.

GEORGIO BAGLIVO,

VIRO DOCTISSIMO,

NICOLAUS ANDRY

MEDICUS PARISIENSIS, MEDICINÆ LECTOR, AC PROFESSOR REGIUS

S. P. D.

UTinam mihi liceret Doctiſſimum, & cariſſimum noſtrum *Antonium Albertum* comitari, Teque amplecti, atque alloquio affari; perſpectum haberes quanti Te faciam; hominemque videres admiratorem Tui non ſolum, ſed & tuarum laudum præconem æquiſſimum. Si quod opus Medicum lectione dignum ſcriptum umquam eſt tuum eſt de *Praxi Medica*, cujus ſtudium omnibus Medicinæ filiis ſuadere numquam deſino. Eum lego, & cum legi, lego iterum. Si quem librum alium meditaris, fac me certiorem; meum de lumbricis ad Te mitto: in hoc tuam elegantem, eruditam, & concinnam invenies Epiſtolam, quam ad me ſcripſiſti humaniſſime, unde liber meus pretium omne ducit ſuum.

Notas in Aphoriſmos *Hippocratis* eaſque breves prope diem ſum in lucem expoſiturus; ſi quæ habes hac de re mihi ſcribenda; facies, gratum ſcribere. Loca enim multa ſunt, ubi aphoriſmi *Hippocratis* explicatu difficillimi omnino videntur, ſibique invicem adverſari. Epiſtolam tuam, ſi mihi ſcribas, typis mandabo, & cum libello in publicum prodibit. Mos eſt apud Doctiores & Peritiores hujus Urbis Medicos ſtatim initio morbi catharticum, aut emeticum propinare, cum humor turget juxta *aphoriſm.* 22. *ſect.* 1. Hic mos familiaris eſt imprimis Doctiſſimo, & Celeberrimo *Guidoni Creſſentio Fagon* Primario Regis noſtri Medico, & ceteris qui inter Aulicos verſantur Medicis, atque felices inde quotidie eventus obſervantur. Quidam exiſtimarunt hunc medendi modum a Te fuiſſe damnatum; verum ego qui librum tuum, legi accurate, & præ manibus ſemper habeo, nihil unquam in eo reperi, quod eorum errori favere poſſit; licet enim purgationem initio morborum, præſertim acutorum iſtitui non oportere quibuſdam in locis ſcribas anſam tamen inde eripere imprudentiæ eſt ut Te a purgatione initio morborum facienda ſemper abhorrere quis exiſtimet. Cum e contra aliis in locis purgationem ſuadeas initio morborum v.g. *l.* 2. *c.* 12. *artic.* 4. hæc ais: *Verumtamen ne omnia uno calceo metiamur fatemur revera dari nonnullas febres, in quibus nulla expectata coctione peccans materies ſtatim eliminanda eſt, &c.* hæc verba tua non ore ſolum protuli, ſed & in libro tuo legenda multis oſtendi, quibus ſane verbis omnem ſuſpicionem damnatæ a Te purgationis initio morborum omnino removi. Notas meas in *Hippocratis Aphoriſmos* præceptis tuis quam plurimis dictavi, & in his notis multa contexui ex libro tuo excerpta, quæ ad purgationem in principio morborum rite faciendam, cum turget humor, ſcitu neceſſaria videbantur. Epiſtolam tuam impatiens expecto, tuaſque laudes prædicare non deſino. Vale, decus Italiæ.

Pariſiis, Kal. Septembris 1700.

GEORGII BAGLIVI

Epiſtola de Purgatione in principio Febrium ac de Febribus Meſentericis,

NICOLAO ANDRY

MEDICINÆ LECTORI, AC PROFESSORI REGIO, DOCTORI, MEDICO PARISIENSI.

S. P.

DEbeo Tibi, optime ANDRY, tot jam nominibus, ut non videam, qui ſolvendo eſſe poſſim. Officii mei ſæpe me admonet officiorum tuorum recordatio. Scripſiſti ad me ſæpe, neque id ſolum, ſed magnis cum laudibus, meamque amicitiam pro urbanitate tua expetere perpetuo non deſinis. Ego vero iſtum erga me animum, & quæ ſignificatur in epiſtola tua benevolentiam amplector libentiſſime, & amore proſequor ſingulari; nam, ut omittam, quod ita poſtulat humanitas Tui, Te præterea mores, tua virtus, & in re Medica judicium acre egregie commendant. Quod autem ſpectat ad laudes, quas mihi tribuis, etſi me delectet laudari a laudato Viro; tamen ea, quæ de me dicis, cum eſſe veriſſimam cupiam, non agnoſco. Dilexi equidem adoleſcens, ipſoque decimo-quinto ætatis anno quo completis Philoſophiæ peripateticæ ſtudiis, ad hanc artem me dedi, veterem *Græcorum* Medicinam, & egregia præ ceteris monimenta, quæ nobis *Coorum* maximus tradidit *Hippocrates*: excellere tamen in re omnium, ut ego ſentio, præſtantiſſima & difficillima, cujus negotii ſit, cujus ingenii, non modo experiens ipſe intelligo, verum etiam ex inani multorum induſtria conjicio.

Innumera ac pene vana commenta, quæ proxime lapſa ætas circa morborum naturam, curationemque cumulavit, multorumque plauſum meruerunt, mihi adhuc Juveni nequaquam arridebant; non ſolum quia nihil ſolidi, quod priſcam *Græcorum* Medicinam ſaperet, continent, ſed potiſſimum quia ordine præpoſtero, ad veritatem illuſtrandam minus apto Medicinæ *Praxim* tractatam videbam, naturæ nempe leges cogitationibus mentis ſervire, morborumque curationem ab oraculis theoriarum pendere totam. De cujus quidem veritate rei certior redditus per patientiam in Italiæ Noſocomiis factam plurſibus annis obſervationem, in mea me magis opinione confirmavi. Artem noſtram obſervationibus illuſtrari, & creſcere; quæque hac via deteguntur præcepta, acre judicium Medici ab hypotheſi phyſico-mechanica, juxta Geometriæ leges explicata directum ad ægri naturam, & morbum accommodare debet ac rite determinare, acerrimum namque judicium eſt anima bene medendi; nec ſolum morbi naturam, ſed occaſionem ejus ad bene curandum noſſe oportet. Quare Tu, qui judicio, & uſu præſtas rerum, & in Florentiſſima Pariſienſium Academia vivis, ſi prout cœpiſti rem Medicam juxta *Græcorum* præceptiones excolere, ac perficere curaveris, ad eas Te perventurum laudes confido, ad quas me pro benevolentia tua jam perveniſſe exiſtimas.

Vir illuſtris, doctiſſimuſque *Abb. de Tourreil.* utriuſque noſtrum æque familiaris, de quo ſub *Antonii Alberti* nomine ad Te ante ſcripſeram, Romam reverſus, libellum tuum *de lumbricis* cum litteris tuis tradidit. Litteris perlectis aggreſſus ſum legere tuum libellum: mirifice profecto placuit: genus enim ſcribendi non minus utile, ac neceſſarium, quam nova experiendi methodo concinnatum complexus es: valde delectabat ordine, valde etiam genere orationis tuæ; res vero ipſa ita me affecit, ut quaſi ſemina quædam veræ *Praxeos* quæ fructum non mediocrem aliquando ferent, in animo meo reliquiſſe videatur. Quare cum eximii ingenii, doctrinæque opibus abundet, me certe judice magnam omnium approbationem, commendationemque promeretur.

Audio nunc Te in promtu habere perbreves notas in *Hippocratis Aphoriſmos*, quibus obſcura multa loca, quæ frequenter in magni Senis operibus occurrunt, ad morborum uſum, debitamque reducis claritatem. Cumque magnum hoc Medicinæ opus interpretatione aggrederis, laudo certe inſtitutum tuum, mihique perſuadeo Te id magno cum obſervationum ſolidæque meditationis apparatu facturum, quibus inſignis Medicæ facultatis doctrina complectatur. Quæ cum vera ſint, ne diu protrahas, rogo laudabile opus publici juris facere ægrorum beneficio, reique Medicæ ornamento.

Inter *Aphoriſmos*, qui quotidie diſceptandi occaſionem dant Medicis, duo mihi præ ceteris eſſe videntur; *Aphoriſmus* 22. *lib.* 1. & 29 *lib.* 2. quod certe non ab ipſorum obſcuritate; ſed a peculiari Medicorum cachoete oriri crediderim. Horum enim quiſque huic, vel alteri opinioni, ſyſtema-

ſyſtemati, aut hypotheſi additus, pro modulo hujus peculiaris genii, *Hippocratis Aphoriſmos* ad ſuam partem trahit: nec ad veritatis normam, ſed ad opinionem anteceptam interpretatur; unde fons & origo contentionum perpetua. Ita male interpretato *Aphoriſmo* 12. *lib.* 1. videbis plures Medicos ſingulis in morbis purgationem in principio laudare, damnare alios, paucos demum mediam inire viam. Talem purgandi abuſum in morborum omnium initiis familiarem reperi quampluribus apud nos, cum decem ab hinc annis, completis Italiæ peregrinationibus Romam me contuli. Quod cum non omnimode redundet in ægrorum beneficium; ut modus aliquis poneretur tanto errori, operæ pretium duxi paulo acriter in mea *Praxi* typis data 1696. contra illum invehere; & pluries, ac pene ad nauſeam animadvertere purgationem non eſſe ſingulis in morbis adhibendam in principio; ſed in iis duntaxat quorum cauſa primis viis ineſt, & magnus cachochimiæ apparatus ibidem hæret, occaſionem magnis daturus morbis, niſi per prudenter adhibita in principio purgantia ſubducatur.

Qua in re quomodo me geram in ægris curandis en habe. Quoties de purgatione in principio res agitur, obſervare ſtatim ſoleo, an prima in regione pravorum humorum congeries adſit, cum magna humorum turgentia, quam ingentes in ſex rebus nonnaturalibus errores produxerint; an contra acutæ, aut inflammatoriæ affectionis ſigna appareant.

Si primum a leni purgatione, in principio nec abhorreo, nec in editis a me libris ipſam damnavi, potiſſimum vero ſi turgentiæ humorum notas obſervo; nam putrix cachochimia, niſi tempeſtive educatur, in ſanguinem ingrediendo vehementiores excitabit fermentationes, atque ad longos, ac periculoſos morbos patientem diſponet. Eodem tamen tempore, quo purgationi indulgemus, non prætereunda ſunt ſtomachica, & reliqua, quæ crudum humorem primis viis congeſtum digerant, remedia. Et ſi quædam ad vomendum propenſio ſit, purganti pharmaco emeticum miſceri poteſt. Sed in popularibus Urbis Romæ, quoniam non bene cedunt emetica, nec ipſorum naturæ congrua ſunt, iiſdem fere continuo abſtinemus. Singulis itaque, vel alternis diebus hanc potionem præſcribo.

℞. *decoct. ſenæ. tart. & epithimi cum Flor. cordial. & cin. unc. v. ſyr. de cic. Nicol. cum dupl. rhabar. unc.* 1. *aq. cinnam. q. ſ. m. f. p.* Poſt quatuor, vel quinque horas a ſumto pharmaco, ſi purgatio lente progrediatur, cliſtere utor ad faciliorem reddendum humorum exitum. Totum ventrem mane & veſperi foveo decoctione calida cichorei, agrimoniæ, radic. altheæ, malvæ, & nitri, ad relaxandas magis primas vias, humorem concoquendum, & blande diſponendum ad receſſum. Si vero patiens purgationes fere non poſſit ob nimium fractas ſtomachi vires, & magnam in viſceribus turbationem a putrefacta cachochimia, tunc ſingulo mane clyſteres impero emollientes, & ſi magnus ſit humorum cumulus, bis etiam in die, fomentis per totum ventrem ante clyſterem ſemper adhibitis, qui quotidianus clyſterum uſus, incredibile dictu, quantum ad liberandas primas vias a morboſis impuritatibus, & longos febrium progreſſus impediendos conducat. Quolibet mane laudo uſum juris pulli cocti cum 12. ſem. citri contuſis, & chichoreo ſylveſtri, & cum eo miſceo vel aquam theriacalem, vel ſequens oleoſaccharum noſtrum ſtomachicum.

℞. *Eſſentiæ citri, ſpiritus roſarum, & olei cinnamomi an. gutt.* 20. *circiter ſacchari cand. per ſetaceum trajecti q. ſ. m. f. eleoſaccharum, cujus capiat ſingulo mane cum juſculo drachm.* 1. *circiter.* Ad roborandum ſtomachum, ejuſdemque tonum reſtituendum, appetitum promovendum, par remedium non datur. Nuper diarrhœam pernicioſam cum febre, & moleſtis ſymptomatis, a nimiis ſtudiis, & inde ortis cruditatibus factam hoc ſolum eleoſaccharo bis in die cum potione cocolatæ dato, quarta morbi die compeſcui feliciſſime in Viro erudito prope ædem Theatinorum S. Sylveſtri in Quirinali. Si ſpiritum cariophilorum recentium (quos in Urbe vocamus, *garofani di colore ponzò*) addas, rarum habebis remedium ad cruditates acidas, & varias ſtomachi affectiones præ ceteris vomitum, nauſeamque, & dolorem tollendos.

Uſque ad ſeptimum diem clyſteribus, & ſtomachicis quotidie utor, quia tunc ſecurus eſſe ſoleo primas vias ab impuritatibus eſſe liberatas, & ſtomachum priſtino vigori reſtitutum. Poſt ſeptimum obſervo denuo quam periodum, & cum quibus ſymptomatis aſſumit febris, & methodo cuilibet neceſſaria occurro promtiſſime, Id tamen pro certo dicam me præfato medendi modo febres cum apparatu humorum, quas voco meſentericas feliciter tollere circa 14. vel ad ſummum circa 21. Et ſalutis ſpes aliqua circa 9. vel 11. incipit apparere. Hujuſmodi febres nonnulli curant in Urbe teſtaceis, bolis, & ut vulgo dicunt pulveribus antiacidis copioſe præſcriptis a principio ad finem febris; nullis interea præſcriptis, & ſaltem raro clyſteribus, purgationibus, & ſtomachicis recenſitis cum fotibus per totum ventrem: idque cum magno ægrorum diſcrimine factum vidi. Dictis namque remediis concreſcente magis putri cachochimia, magiſque ſe in anguſta meſentericorum vaſorum ſpatia inſinuante, mora evadit acrior vehementius effervescit, & producit demum vel hecticas meſentericas, vel chronicas, & difficile curabiles febres cum vera glandularum meſenterii obſtructione (ſicuti ex ingenti pallore vultus, cum cadaverica, vel ſaltem multum a ſtatu naturali mutata facie, conjicio) ut frequenter

obſervo, & infelicem hodiernæ *Praxeos* ſtatum deploro.

Inter ſigna, quæ apparatum humorum in primis viis denotant, ſequentia ſunt, patienti obſervatione noſtra, & matura meditatione acquiſita. Os valde amarum eſt cum quadam nauſea horis matutinis. Lingua viſcida, glutinoſa, ingrati ſaporis cum oris fœtore, dentes quoque lurtidi ſunt, & conſpurcati. Stercora multum fœtida, & flatus pedendo emiſſi ingenter fœtent. Caput aliquando nutat, & gravitat, & ſi patiens ſupra lectum perpendiculariter erigitur, caput hinc inde nutando gravitat. Aliquando caput fere continuo dolet cum gravitate, & pulſatione circa tempora, & dolor exacerbatur poſt prandium, & aliquando poſt cœnam, aures murmurant cum ſibilo. Urinæ naturales vel a ſtatu naturali non multum recedentes. Febres poſt prandium, & poſt cœnam augeſcunt, & typum duplicis tertianæ continuæ ſervant. Calorem in volis manuum aut pedum, & in hypochondriis patiuntur. Vultus pallet, alvus ſicca eſt. Inappetentia moderata: ſed quod magis obſervatione dignum eſt, qui febricitant ex infarctu meſenterii, majora mala in capite experiuntur, quam in meſenterio, in quo morbi ſedes eſt. Medicique decipiuntur cœphalica, emulſione frigidaſque potiones aut copioſos aquarum hauſtus, ut hodie apud nos invaluit abuſus, propinando; quibus remediis creſcit magis, quam minuitur morbus, quia creſcit cauſa ob indigeſtionem dictorum inutilium remediorum: omiſſis interea fotubus ventris, purgationibus, vel quotidianis clyſteribus, ſtomachicis ac digerentibus ante recenſitis: ſed non omiſſa Chinachinæ, qua in hujus generis febribus magno cum ægrorum damno hi pulverum amatores utuntur. Et hæc familiaris methodus mihi eſt curandi febres a putri cachochilia, & meſenterii ab infarctu productas.

At contra, ſi vel minima ſuſpicio appareat acuti, & inflammatorii morbi, lingua ſit arida, urina crocea, ſalibuſque ſaturata, calor ingens per totum, anxietas, magna ſitis, & omnium ſiccitas cum metu latentis viſcerum inflammationis, a purgatione in principio omnimode me abſtineo, ut in mea *Praxi* animadverti; nec indiſcriminatim morborum omnium curatio a purgatione inchoanda, ſicuti plures apud nos faciunt, nec tales etiam apud nos deficiunt. Nam ob acrem acuti morbi calorem & ferveſcentes ſuccos ſingula urentes, cum ſolida ſint nimium criſpata, ideſt convulſiva oſcillatione nimium intenta; fluida vero ſupra modum ferventia, acria, impetuoſa, & bona cum malis ſuccis confuſa; nec debitam laxitatem (in qua morborum coctio præcipue conſiſtit) habeant ſingula: purgatione in principio non ſolum peccantem materiam non educimus, cum non cedat, quæ adhuc cruda eſt affectio; ſed novo addito impetu rodiſque ſtimulis excitata vehementius efferveſcit, & hinc inde excurrendo, morbum auget & ſymptomata; donec tandem deſinat in aliquod viſcus, in eoque morbi ſedem, aut inflammationem producat. Cujus veritatis optime gnarus Medicinæ Magiſter ſic præcipit *aphor. 24. ſect. 1. In acutis morbis, raro, & in principio Medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.* Et *de rat. vict. in morbis acutis num. 36.* docet. *Quicumque vero ea, quæ inflammantur, ſtatim in principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt: non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda eſt; quæ vero morbo reſiſtunt, ac ſana ſunt, colliquefaciunt. Debili vero evadente corpore morbus invaleſcit.*

Neque in febribus tantum, ſed ſingulis quibuſque in morbis cum febre conjunctis hujuſmodi purgationis lex obſervanda. Pleuritis de ſua natura cum inflammatorius ſit morbus, reſpuit omnino purgationem in principio, præſertim ſi dolor ſit ad claviculas. At contra ſi magni errores in victu præceſſerint: dolor ſit ad præcordia, & apparatus pravorum humorum, ac putris cachochimiæ in meſenterio, & primis viis, a purgatione pectorali curatio inchoanda, prout monuit magnus Medicinæ Magiſter pluribus in locis, ſed præſertim *de vict. rat. in morb. acut. num. 12.* Et ipſe damnavi ſemper in edita *Praxi* purgationem in pleuritide, non quidem ratione apparatus antedicti, ſed affectionis inflammatoriæ, quæ ſemper cum pleuritide conjuncta eſt, omnemque reſpuit purgationem. Neque hic repeto, in humorum turgentia, quolibet in morbo celebrandam ſtatim eſſe purgationem, ne turgens humor impetu in partem aliquam facto brevi eandem ſuffocet, cum hæc ab aliis Auctoribus ſint ſatis animadverſa.

Harum itaque febrium cum acutis conjunctarum curationem, a ſanguinis miſſione in principio ſemel, vel pluries celebranda, prout occaſio, aut natura morbi poſtulaverit, incipiendam eſſe conſulo, Sanguinemque mitto, non tantum ad ferveſcentes ſuccos temperandos, eorumque incendium extinguendum; quantum ad inducendam per hujuſmodi vaſorum depletionem, in ſolidis, ac in fluidis laxitatem quandam, ad fluidorum circulationem, eorundem ſtatuto tempore rite peragendam deſpumationem ſumme neceſſariam, & ideo poſt ſanguinis miſſionem in acutis aliqualem ſudorem in ægrotis fere ſemper cum ſymptomatum levamine obſervo.

Quod ſi quis *Helmontianorum* more ab eadem facienda abſtineat: tunc quoniam fluida ob nimiam ſui acrimoniam ac fervorem vehementius circulant, ac proinde ſuperant ſolidorum, per quæ circulant, reſiſtentiam, & utraque nimium recedunt ab equilibrio ſive naturali proportione reſi-

ſtentiæ,

ſtentiæ, & impulſus, quæ eſt inter ipſas, fiet, ut fluida hinc inde hærendo per partes, eaſque varie afficiendo, ſpirandi difficultatem, ſitim, capitis dolorem, & gravitatem, vigilias, & mille id generis accidentia producant, quæ prudenter præſcripta ſanguinis miſſio certo impediret, ac tolleret.

Familiaris quoque mihi eſt his in febribus clyſterum emollientium uſus uſque ad ſeptimum, ad liberandas primas vias ab impuritatibus; in primas namque vias ſanguis febricitans repetitis circulantibus morboſas deponit particulas, unde clyſteribus hæ ſunt quotidie ſubducendæ; præterea confert clyſterum uſus ad moderanda capitis, viſcerumque vehementia ſymptomata.

Poſt ſeptimum incipientibus jam coctionis ſignis, ac deſpumationis morboſæ materiei a clyſteribus frequentioribus abſtineo, ne naturæ opus perturbetur: at ſi grave aliquod ſymptoma ſuperveniens eos poſtulaverit; iiſdem denuo utor, vel ſolis, vel adhibitis ante fomentationibus ventris ſupradictis. Singulo mane juſculum cum ſoncho, cichoreo ſylveſtri. vel appropriatis herbis, vel cum *unc. ij ſucci ſonchi depurati* coctum patiens haurit, additis *ocul. cancr. & nitri perlat. an. drachm.* 1. quibus fluidorum fervorem mitigamus, & eadem ad coctionem, deſpumationemque diſponimus, debita in illis, ac in ſolidis ante procurata laxitate. Circa nonum vel undecimum apparentibus ſignis coctionis juſculum cum herbis alchalicis, & leniter diaphoreticis bullio, & loco nitri aliorumque digerentium, addo deſpumantia nempe *corn. c. philoſ. bezoar. occid. aq. cord. ſ. gelat. corn. c. & ſimilia* ad ſudores leniter movendos, & diſponenda fluida ad purgationem, 14. vel 17. die citius, aut ſerius, ſemel, bis, aut pluries prout occaſio poſtulaverit faciendam. In magno febris ardore veſperi emulſiones libenter concedo cum ſale prunell. &c. qua ratione temperata ac mitigata fluidorum acrimonia, celerius ad coctionem veniunt, feliciuſque particularibus, & univerſalibus morbi temporibus deſpumant.

Taceo reliqua, quibus ad tollendas hujuſmodi febres utor, ne nimium creſcat epiſtola; ſolum animadverto curationis caput, atque ſummam in eo conſiſtere; ut ſanguis ebulliens intra debitos fermentationis limites per debitam methodum & remedia opportuna ſeſe contineat; ut ſuo tempore facile, atque naturaliter deſpumet. Et ſi nimium ferveat, coerceatur diluentibus ac nitratis: ſi contra torpeat, excitetur diaphoreticis magna cum prudentia, & cautione præſcriptis, quouſque perveniamus hac ratione ad 14. diem, quo purgatio præſcribenda erit, ſerius aut citius pro ratione copiæ, aut pravæ qualitatis humoris peccantis, ad educendum morboſum ſerum, in quo noxiæ, inutilesque particulæ coctæ jam, ac deſpumatæ diſſolvuntur: coctionis autem ſigna ipſe præ ceteris deſumo a ſymptomatum remiſſione; cruditatis, a vigore eorumdem. Etſi circa finem omiſeris purgationem; recidivam expectato, ut ſæpe contingit.

Cum finem epiſtolæ damus, Opus noſtrum, monitum te volo, *de Solidorum elatere, natura, & effectibus* ſecundum editionem mox viſurum Romæ. Exemplar ad Te mitterem libenter, niſi *Aniſſonus* Bibliopola Lugdunenſis ad me ſcripſiſſet, ſe opera omnia noſtra aucta, & in unum redacta corpus brevi typis elegantibus daturum: qua occaſione facilius exemplar omnium ad Te perveniet, quam ſi Roma Pariſios mittatur. Vale, Vir optime, & *Praxim Medicam*, quæ magnis hoc tempore Doctorum Virorum indigę auxiliis frequenti morborum obſervatione, & maturis phyſices meditationibus augeas, & confirmes.

Romæ 3. Nonas Junias 1701.

EPISTOLA III.

DE ADMIRANDA VI SOLIDORUM.

GEORGIO BAGLIVO,

VIRO ILLUSTRI MEDICORUM ÆTATIS NOSTRÆ PRINCIPI,

GODEFRIDUS GASPAR OSTERCHAMPIUS,

Sereniſſimorum Lobkovizenſium Principum Archiater

S. P. D.

CUm primum aureus Liber tuus de *praxi Medica* ad me venit: eodem lecto, & iterum ac ſæpe lecto, dixi: *Hic Auctor Medicorum Coriphæus eſt. Hæc Praxis vera ſalutis præcepta continet, quæ nulla impoſterum ſilebit ætas, & quantum durabit Orbis, tanta laudes ab omnium gentium Mediris ſuo dabuntur Auctori.* Quare cum multum Te duce profecerim, mihi ſatisfacere nunquam poteram, niſi Romam venire decreverim, ſicuti olim ad videndum in Urbe *Livium* faciebant, ut Te de facie cognoſcerem, & Te *de Medicina* loquentem præſens audirem. Quod cum feciſſem, & maxime, Romæ,

Romæ æternæ muros venerabundus ingrederer, ſtatim domum tuam veni in via poſitam, quæ ducit ad Quirinalem, Teque amplexatus ſum, & oſculatus manum, quæ tam eleganter ſcripſerat, ac erudite. Et ſane tanta Te humanitate, benevolentia, comitate, doctrina ornatum inveni, ut Tibi pares in meis peregrinationibus valde paucos cognoverim. Atque cum Te conſpiciebam, mihi videbar *Democritum* cum ipſum alloquebatur *Hippocrates*, res mundanas omnes contemnentem, hominum ſtultitiam peculiariter cognoſcentem, ac ut olim *Democritus* hilariter deridentem, tuis animi affectibus heroice imperantem, ac de Scientiis ſolide ſatis, ſed maxima cum modeſtia, nulloque faſto diſputantem. Unde merito dicebam felicem Romam Urbium Dominam quæ tantum Virum fovet in ſinu. Felix Archilycæum Romanum quod verum *Hippocratis* Filium Medicinæ Reſtauratorem tota laudatum Europa tam glorioſe oſtentat, in eoque ſuperbit; atque veteri *Antonio Muſæ Auguſti* Archiatro ſuum nunc opponit *Baglivum*. Neque credas me hic tecum adulando agere, ſed ut veritas (ſi alicui ignota ſit) propalatur. Cathedram enim anatomicam ſex ab hinc annis, non gratia & favore Principis, ſed merito tuo; ideſt Publico certamine anatomico in celeberrimo Orbis Archilycæo, urbe ſtupente, & ſtupentibus ipſis, qui tecum concertabant, obtinuiſti. At quantum obſtupui ipſe, cum Te primum in thæatro Anatomico, *de anatome*, ac *de univerſa re medica* omnibuſque diſciplinis diſſerentem audivi, *Ciceronem* medice loquentem non ipſe ſolum, ſed omnes plenis votis prædicabant. Et publica nunc, atque in ore omnium vox eſt Romæ, ante Te paucos, poſt Te fere nullos, tanta cum gloria, experimentorum utilitate, ſermonis elegantia, memoriæ felicitate, ſcientiarum omnium uſu & poſſeſſione, in ipſo ætatis tuæ flore rem anatomicam in Archilycæi veſtri theatro tractaturum. Et quod paucis a natura tribuitur, id Tibi Deorum munere conceſſum eſt, ut ſcripto æque, ac eloquio diſſertiſſimus ſis, elegantiſſimuſque.

Quæ cum vera ſint, non amplius miror ſi Te Pariſiis, Te Londini, in Belgio, in Germania noſtra, tota denique Europa tanquam verum *praxeos* ducem ſequantur omnes, & librum tuum ſecundo, atque iterum legant, ſemperque habeant in manibus. Et licet unice intentus ſis *praxi* promovendæ, theoricam tamen, ac geometriam optime calles; ſed dum hanc a ſciolis ſtricte, ac rigoroſe ad diagnoſim, prognoſim, curationemque morborum applicari vides, o quantum rides! atque tunc Medicis mere geometris unicum monſtras *Hippocratem* Medicinæ, ſingulis ætatibus, & ante applicatam *Praxi* geometriam adornatum caput, cujus opera memoria ſemper tenes, & ad ægrorum lectulos ſemper habes in promtu. Faſtum, & ſuperbiam geometrarum ſpernis, nam circuli, lineæ, demonſtrationeſque figurarum geometricæ, vix aliquid conferunt ad morborum curationes. Hoc ſemper Tibi mente ac perpetua cogitatione (ſemper enim cogitas, tuaque vita continua eſt meditatio, & pene continua abſtractio) ineſſe obſervavi, dum tecum per Urbem incedebam; ut centies repetita obſervatio in præceptum ſtabile redacta imperet ac dominetur geometriæ, & geometria explicandis morborum phænomenis, non vero curandis inſerviat.

At quid dicam de libro tuo nuper ſecunda vice edito de *Fibra Motrice* cum adjunctis varii generis, maximæque utilitatis argumentis? Materiam de *Solidis* ſatis arduam, difficilemque, & a nemine hactenus tactam primus omnium auſus es aggredi, promovere, ſtabilire, & ad uſum practicum reducere. Tam futilia, & inepta, quæ de particularibus fermentis; & id genus ſomniis ad nauſeam uſque circumferunt, ſola fibra ſuo prædita elatere deſtruit, ac delet: O quantum poſthac theorica Medicæ mutabit faciem, prodeunte in lucem hoc novo ſyſtema tuo *de Solidis eorumque elatere*, lucem daturo Medicis ac Medicinæ! In lectionibus tuis quotidianis in Archilycæo, & in aliis, quæ in Theatro Anatomico ſemper Auditoribus pleno a Te factæ ſunt omnium ſtupore, plura ex Te audivi *de fibrarum origine ac motu; de origine albarum a meningibus, de carnearum a tendinibus, & inde ab oſſibus. De elatere ſolidorum, & vario horum inter ſe, & cum fluidis æquilibrio* toto anno 1699. tum in Cathedra, tum in Theatro diſſeruiſti; Auditoreſque maximo cum candore rem hanc omnino novam, nec adhuc a Te typis datam docuiſti. Unde verebar ſummopere ne quis latrunculus hanc Tibi gloriam raperet, & ſuffuratis tuis præceptis candide communicatis, ante Te publici juris faciat, ſeque primum Auctorem, atque inventorem oſtentet. Quod Tu, qui Mundi pompas, & vanitates perpetuo ſpernis, & Mundi Sapientiam perpetuo rides; quia ſemper ad Cœleſtia, & ad ea quæ de futura vita tractant, animum ſemper fixum, ſemperque fixam cognitationem habes (ut ex converſatione tua familiari conjicere potui) minime curabas. Imo cum nonnullas ſimul feciſſemus obſervationes, & experimenta circa meninges anno 1699. & 1700. dicebas Te graviſſimis *praxeos* negotiis valde occupatum, hac de re tractare nunc commode non poſſe; idque muneris ſuſcepiſſe Medicum amicum tuum, cujus nomen non recordor, qui de meningibus nonnulla luci publicæ conſignabit. Et cum de omnibus ad miracalum fere diſſereres anno 1701. in Teatro Anatomico in ultima lectione *de vaſis omnigenis, ac de fibrarum origine, & elatere*, in qua egregie diſputando, & inaudita facundia diſſerendo, Te ipſum propemodum viciſti: pleno Doctorum hominum ſtupentium Theato. & taliter.

liter pleno, ut præ incredibili frequentia populi nullus adesset locus aliis ad Te audiendum confertim accedentibus. Quidam virtutis cultor insignire Te voluit nobili epigrammate eleganti papyro typis expresso, cujus plura centena exemplaria lectione completa sparsa fuere Auditoribus in Theatro. Epigrammatis autem hæc est idea.

In Laudem Viri Doctissimi GEORGII BAGLIVI, Soc. Reg. Lond. Socii, Anatomicen cum matheſi, & morborum praxi junctam in Romani Archylicæi Theatro tota plaudente Urbe exercentis.

EPIGRAMMA.

Jam bene quod laceros graderis Baglive per artus.
Seu reseces ferro, seu potis eloquio.
Quis neget exiguo concludi limite vitam
Si quod motus agit, supprimit una quies?
Attamen ingenii robur, nomenque, tuamque
Tempora virtutem claudere nulla queunt,
Democritum certas industri vincere ferro;
Arte ac eloquio diceris Hippocrates.

DISTHICON.

Amphitheatra prius, surgunt nunc Urbe theatra.
Illa necis pompas, ista salutis amant.
Cultor Virtutis N. N.
Roma 1701 Typis Buagni.

At ſicuti nunc Orbis Medicus fruitur beneficio, quod ipſi novum tuum de ſolidis affert ſyſtemata, & aurei libri de praxi Medica, o quanto majus ipſi perveniet, cum ſingula opera tua, quæ nunc meditaris, & alia quæ magna ex parte abſoluta ſunt, lucem videbunt! Præ ceteris opus ingens, ac novum, quod ſæpe domi tuæ legi de morborum ſucceſſionibus. Difficillimus ille tractatus hiſtorico anatomicus de occultis viſcerum aneuriſmatibus, hydatibus, & varicibus; cujus viginti circiter folia jam vidi apud te completa: o quantam utilitatem feret hic tractatus plurimis occultis doloribus, ac morbis! Tractatus de circulatione liquidorum per canales pelliceo-conicos vaſorum corporis animati juxta leges ſpiræ, ſive cochleæ Archimedis, necnon ex legibus coni, arteriæ namque in anguſtum deſinunt conum, venæ contra ex anguſto oriuntur. *De anatome vaſorum*, *animum*, in quo tractatu demonſtras vaſa, peculiare ſyſtema conſtituere ab aliis partibus valde differens, & peculiari motus oſcillatione prædi tum. De varia ſecretione liquidorum ex varia gravitate liquoris ſecernendi. In *Simplicianum* Dialogi tres, lepidi, elegantes, ſale Plautino aſperſi; in quibus puſillum quemdam medicum, edito libello ſuperbientem, & in rudium cætu de te minus prudenter loquentem, corrigis, atque caſtigas. De morborum analogiſmo opus novum non adhuc in arte viſum; in quo per varias morborum comparationes reduci morbos ad morbos generales peculiari charactere præditos, qui deinde in varios ſubdividuntur ab eodem charactere pendentes, ſed forma nova ſive nova alterius morbi ſpecie veſtitos. Et deinde in particulares morbos, qui ratione peculiaris, nec communicabilis characteris in alias ſpecies mutari non poſſunt.

Taceo alia id genus opera a te cœpta, mihique demonſtrata, quibus rempublicam medicam, & ſalutem publicam ditabis, urinam quamprimum, &c.

Quare, mi *Baglive*, cum fatigoſam tuam vitam conſidero, & ſtudia infinita in tuo hoc ætatis flore peracta, exclamare cogor cum *Seneca* illum Poetæ inclyti verſum.

Tollimus ingentes animos, & maxima parvo
Tempore molimur.....

Porro legenti mihi novum opus tuum de Solidis, eorumque elatere, de quo elapſis annis quotidie mecum diſſerebas, cum obſervaverim quanta ſit vis, poteſtas ſolidorum in morbis producendis, res ſane a paucis adhuc animadverſa in confirmationem tuæ opinionis decrevi ad ſequentem te ſcribere hiſtoriam ex meis ſchœdis excerptam.

HISTORIA.

Anno. 1698. menſe Martio Vir illuſtris *Dominicus Haphner* Sereniſs. Principum Philippi, & Joſephi de Lobkovitz meritiſſimus Præceptor ætatis 45. naturæ robuſtæ, & ſtudiis fere perpetuo deditus, Lutetiæ Pariſiorum cœpit ſæpius leviter animo delinquere paulatim emaciari, calore, ac dolore renum premente torqueri. Sitis erat continua, inappetentia, pulſus frequens, qui velut hecticam mentiebatur. Urina corpore quieto tenuis, alba, ac decolor, at in exercitatione deponebat ſedimentum rubrum, ſquammarum piſcium adinſtar, ac filamentoſum. Interne præſcriptis remediis mediocriter refrigerantibus, externe vero unguentis ejuſdem naturæ, calor, & febricula evanuere, ægerque ſanatus eſt. Anno vero ſequenti 1699. dum Januario menſe Pariſiis Germaniam diſcederet, toto itineris tempore præfatum ſedimentum denuo mingebat, corpore tamen bene valente, donec Viennam pervenit. Ubi denuo eodem modo cum iiſdem præfatis ſymptomatibus correptus fuit, cum vomitu crebriore, & macie corporis. Iuito cum Medicis conſilio quidam putarunt eſſe hecticam; alii diabetem; ego vero, qui tunc brevi mora Viennæ eram, conſtanter aſſerebam morbum eſſe in renibus, & ibidem morbi cauſam calculum eſſe, vel aliud quid ſolidum fibras valide criſpans, ac irritans. Demum circa Paſcha 1700.

omnibus omnino exacerbatis, ac ægro semper in pejus ruente, præsertim quoad dolores in renum regione, quatuor ante mortem diebus delirio primo correptus, deinde horrendis motibus convulsivis, in ipsis motibus convulsivis expiravit.

Secto cadavere fibræ musculorum abdominis duræ, tensæ, ac solidæ instar tabulæ inventæ sunt: universa corporis pinguedo consumta erat. In pelvi dextri renis ingens calculus aderat figuræ ovalis, particulis salinis splendentibus in superficie conspersus, & in uretere dextro sub eodem pelvi alius jacebat calculus priori similis, sed minoris molis. In renis sinistri vasis, uti & in reliquo corpore, nihil aderat morbosi. Causa igitur mortis tribuenda solummodo erit solidis irritatis ab his ingentibus calculis, a qua irritatione, tensione, & aucto nimium elatere vomitus, macies, urinarum copia cum sabulo, innapetentia, pinguedinis universa solutio, & reliqua accidentia prodiere, & hæc historia fere similis est ei, quam de muliere calculo interemta descripsisti in dissertatione de anatome fibræ, de motu musculorum, ac de morbis solidorum. En quantæ utilitatis ad praxim est doctrina tua de solidis. Mille somniatis fluidis peccantibus vulgo præscribuntur remedia, cum anima morbi resideat in solidis, uti in casu nostro, & mille id genus aliis, qui quotidie occurrunt.

Tota interim Germania, & universus Septentrio noster ultimum opus tuum de solidis, eorumque morbis, elatere, &c. sive de fibra motrice & morbosa, &c. summopere laudat, & ad sydera extollit; ob summam utilitatem quæ in curandis morbis exinde oritur: & miratur te in ipso ætatis tuæ flore tantum opus, tam arduum, tam difficile, primum tentasse, & primum post tot sæcula viam demonstrasse futuris sæculis. O te felicem! Plures Medici quotidie per litteras librum hunc tuum a me petunt, & ex tota Germania quotidie hac de re litteras habeo, quibus cogor ut eundem typis reddam in Germania. Quare si brevi, ut nuper ad me scripsisti; Opera omnia tua non recudentur Lugduni apud Anissonios, vel in Anglia, aut Hollandia, ut mihi narrant, cogar eadem Viennæ, aut Norimbergæ celerrime typis dare; aliter tot & tantis Medicorum desideriis resistere non potero.

Maxima igitur pro his omnibus in rempublicam beneficiis tibi gratias habeo, & vitam longævam tibi a Superis precor, ut Medicinam a tot vanis opinionum sabulis misere labefactatam, oppressamque erigas, atque ad suam certitudinem ac veritatem tandem post tot secula, tu solus, qui tanto polles ingenio, reducas. Vale, decus Medicinæ: vale iterum, ingens decus Romæ.

Viennæ Austriæ prid. Kal. Augusti 1702.

EPISTOLA IV.

DE RARA DIABETIS CURATIONE.

GEORGIO BAGLIVO,

Viro Clarissimo, in Medicina Doctori, Praxeos Medicæ Auctori Excellentissimo Gualterus Harris M. D. Anglus.

CLARISSIME DOMINE.

Librum tuum eruditione, institutis, ac observationibus plenum, vere proxime elapso accepi, & summa cum voluptate perlegi. Hujusce sæculi vanitas talem scriptorem meruit, & postulavit, qui errores epidemicos in re medica late serpentes & dignoscere potuit, & si possibile fuerit, sanare. Quot nempe volumina hodie profert nimis ferax prælum? Quantillum tamen fructum ad praxim medicam feliciter excolendam percipimus? Multi quidem tradunt præcepta non contemnenda, & studiosorum speculatione non indigna. Multi materiam medicam uberem colligunt, & varios ordines redigunt. Alii denique præscripta exhibent in omnes morbos copiosa. At quam pauci scriptis mandant methodos aliquas medendi veras, quibus diversæ species morbi alicujus generalis, tum clare distinguantur, tum experientia fideli frequentissime sanentur. Raro destituitur ars medica viris litteratis, acumine ingenii, studio, doctrina præstantibus. Forte nulla alia ars eruditione nostram superat. Sed nescio quo pacto ut termini Oceano ipsi, & ingenio humano a numine divino figuntur, ita progressibus medicis termini nimis breves videntur circumscribi. Tu vero, Illustrissime vir, si quis unquam alias expectationem nostram suscitat, & quæ *Sydenhamius* noster voluit, afflagitavit, aut conatus est, ex te merito speramus, & ex principiis tantis perfectionem aliquam in difficillima praxeos provincia nobis promittimus. Falso igitur ab historicis dictum est ultimum Romanorum olim defun-

functum esse. Tu certe veterum Romanorum, ipsorumque virtutum diu deperditarum, tu solus hæres, tanquam Brutus alter litterarius, scriptores hodiernos corrigis, castigas, instruis; ac si non tantum Romæ vestræ, sed universæ artis fueris optimus censor. Aphoristica tua morborum tractatio, & Collegia ad praxim promovendam in celebrioribus Urbibus instituta juxta normas a te in libris tuis recensitas, animum tibi inesse magnificum, excelsum, & summe benevolum demonstrant. Pergas itaque, eruditissime Domine, accurate scribere, & scriptores Medicos emendare. Peragas provinciam, quam auspicato suscepisti magis, magisque ornare, & præ aliis amplificare.

Sed ne molestias inanes tanto Viro, utilitati publicæ nato facessere videar, observationem unam in morbo magno, nec apud Nostrates raro, subjungam, quæ ad praxim paulo felicius promovendam in illo morbo non erit plane inutilis.

Septimo die Septembris anni elapsi, Mercator opulentissimus suppressione urinæ totali laborabat, ut ne guttam quidem redderet ante vesperam decimi diei ejusdem mensis, quo tempore diluvium quoddam urinæ ope internorum variorum & cataplasmatis diuretici umbilico adhibiti tandem supervenit, adeo ut proximo mane diabetem indicarem; tum ex copia urinæ, tum ex dulcedine, tum demum colore. Ab illo tempore ægrotus die, nocteque matulam poscebat bis fere singulis horarum quadrantibus, atque ex ista profusione succorum nutritiorum macie tabescebat, qui prius obesus erat, carnosus, & succi plenus. Adde quod siti maxima interim premebatur. Post varia remedia frustra tentata in mentem venit quod hoc profluvium urinæ fuerit quædam veluti diarrhœa, aut fluxus meatuum urinæ, sicuti aliud illud genus est intestinorum proprium. In deplorato igitur hoc casu, cum consanguinei innumeri valedixerant decumbenti; experiri ego volui rhabarbari polychresti innocui, sed nunquam satis laudati vires egregias. Sic igitur præscripsi Medico socio annuente.

℞. rhab. elect. ʒ. ß. santal. alb. & citrin. an. ʒ. i. cardamomi min. ʒ. ß. infunde lento igne in vini canarini opt. lib. i. sumsit hujus colaturæ cochlearia VI. hora sexta matutina Decembris 16. atque tantumdem hausit hora decima ante meridiem. Quis vero hujus vini medicati effectus? Certe seni octogenario licet ante illum diem continua urinæ profusio, tanquam rivuli cujusdam per vias urinarias excurreret, ab illo meridie usque ad decimam vespertinam penitus sistebatur, & paucis ejusmodi haustibus debitis intervallis iteratis a gravissimo hoc morbo convaluit. Vale, ut plurimis diu valeas, sic optante.

Dabam Londini 1701. Aprilis 8. st. vet. 19. st. novo.

Ex ædibus meis in Vico dicto Southampton street Bloomsburg,

Tui Observantissimo Gualtero Harris, M. D. Serenissimi Gulielmi tertii Magn. Britanniæ Regis Medico Ordinario.

GUALTERO HARRIS, MEDICO REGIO,

GEORGIUS BAGLIVUS,

LONDINUM.

NON mediocre amoris erga me tui argumentum litteræ tuæ nuperrime mihi traditæ manifestarunt. Quod enim tu, magna Vir amplitudine, & ob aureolum libellum de morbis infantum satis notus, & a laudatis summopere laudatus tam honorifice de me, cui nulla tecum officiorum intercessit necessitas, & loquaris, & sentias, non aliunde certe, quam ex magna amoris, & humanitatis tuæ abundantia profectum id esse certo crediderim. Video, Vir optime, quam parvi facias vanitatem sæculi nostri, in quo Medici spectris inanium cogitationum, & umbris praxim medicam, quæ lectulos ægrorum vix deserere potest, turbarunt, ac confuderunt, spretis naturæ observationibus, quibus solis origines, progressus, & curationes morborum rite investigantur, ac demonstrantur. Cumque mihi adhuc juveni hæc vana hominum commenta nequaquam arriserint, & quotidiana librorum præjudiciis, & anteceptis opinionibus plenorum lectione minus proficerem; decrevi tunc temporis in majoribus Italiæ, atque Dalmatiæ Nosocomiis per annos quamplures molesta, ac pene incredibili patientia medicinæ praxim marte proprio addiscere, morborumque naturam notare. Quæque hac demum via investigare datum est, ea publici juris ut facerem, & in quoddam veluti specimen redigerem, hortati sunt amici, & medicorum opinandi cachoetia stimulavit. Quod autem tibi placuerint, mihique pro tua in me benevolentia, ac felicitate tantum tribuas, quantum ego postulare sine rubore non ausim, maximas tibi debeo gratias, & ad quævis officia me tibi futurum paratissimum promitto. Ita enim usu fere venire solet, ut quæ laudes a tui similibus, ideſt ab iis, qui ipsi in laude vivunt proficiscuntur, eæ nos vel si simus hebetiores in primis acuant, & quasi necessitatem quamdam imponant, ut quales esse dicimur, tales aliquando studeamus esse

quod

quod ego, quantum possum, do operam, ut consequar.

Solidam observationem tuam de Diabete a solida mente profectam magna mehercule cum voluptate perlegi. Admiratus sum in praxi felicitatem, & ingenii acumen, ut nempe vi santalorum constrictoria urinæ torrentem sisteres; & ne constricta, acris, & vitiosa materies alio impetum faceret, ut sæpe cum ægrorum damno contingit, per superadditum rhabarbarum ad alvi vias vocares; mihi quoque familiare solet esse morbos vesicæ urinariæ, atque uteri, ut fluores albos, gonorrhæas, dysurias, &c. per purgantia leniter stringentibus mixta ad intestinorum vias optimo cum successu divertere, cardamomum minus pro stomachico in infusione additum esse crediderim. Tibi itaque gratulor, Vir optime, pro eximia qua polles curandis in morbis prudentia, & acumine: nec despero futurum, ut certitudinem, quam in se requirit, nec ob allatas rationes invenit nobilissima scientiarum medicina, per te, idest per indefessos labores tuos, & accerrimum judicium, tandem nanciscatur. Virum doctissimum, mihique usque ad cineres amicissimum *Gulielmum Sherardium* apud vos Medicum, & Botanicum illustrem, meo nomine peramanter salutabis. Idem quoque facies cum eruditissimis Medicis *Dn. Cole*, amico meo; *Sloane* Soc. reg. Secret. aliisque apud vos doctis Viris, quos ipse fere perpetuo observo, ac diligo. Si quid novi librorum medicorum in Angliæ illustri Regno, & ob rem litterariam nostra ætate memorabili est, rescribas. Vale decus Anglorum.

Romæ 13. Kalendas Julias 1701.

EPISTOLA V.

VIRO DOCTISSIMO

GEORGIO BAGLIVO

S. P. D.

JOANNES DOMINICUS PUTIGNANUS. S. I.

PRæstantissimum opus tuum, Vir doctissime, de Praxi Medica, tanta me per hosce dies avidissime percurrentem affecit voluptate, ut me tibi plurimum debere fatear. Hic sane admiratus sum styli concinnitatem, lectissimos ingenii doctrinæque flores, & quod plurimum arrisit in re tanti momenti judicii maturitatem. Percrebuit, imo & latissime infecit medicorum ingenia, ut sapienter in 8. capite adnotas, blanda illa pestis, & popularis ambitio nova construendi systemata; unde medicinæ sæva symptomata, & conclamata salus. Pro suo enim quisque ingenio alias atque alias hypotheses vestigat, fingit, adglutinat, & tam alte animo recondit, ut altius se jactet, quam impotens profecto cuique amor est se suaque tuendi. Nec in tanta innovandi licentia patet veritati locus, quam non fingendi libido, ut Poetas Bacchicus furor urget: sed rationum pondus, & observationum invincibilis patientia e latibulis eruit, & sibi devincit. Tibi vero, eximii, & excelsi animi Vir, sæculi nostri splendor, & ornamentum, saniore addiscendi consilio perscrutanti rimas omnes, intimosque facultatis medicæ recessus, occurrit amica veritas, seque totam quodammodo contemplandam exhibet. Quam utinam studiosis omnibus fucata nequaquam facie, aut mutilam, ut moris ceteris scriptoribus est, exhiberes; uti ingenue conjectare possum ex edito nuper opere divinitus tibi datum munus. De instauranda medicina, Vir doctissime, agitur; hoc est de illa sapientiæ sorore conjunctissima, quam, ut ajebat, & optime Democritus, omnes nosse convenit, cum præclara res sit, & ad vitam conducibilis; tum vero vel maxime Viros eruditionis, & eloquentiæ peritos. Artem hanc tam bene de naturali Philosophia meritam scimus, quam male de se Philosophiam ipsam, quæ hodie in scholis tota fere quanta est in phantasticas abit quæstiones, & bilem potius, quam ingenium acuentes. Medicam igitur hanc nobilissimam artem, & a se ipsa nunc degenerasse fatali rerum omnium vicissitudine scimus, nec in nativum splendorem, & in pristinam veluti salutem restitui posse ego audacter affirmo, nisi in ingens opus assurgat ingenium, cujus virtute, & mirabili plane conatu, collatis hinc inde tam veterum, tum recentiorum medicorum observationibus, atque laboribus, rationale systema efficiatur, per omnia sibi congruens: per compendiariam nempe aphorismorum, in nono capite aurei operis tui prælibatorum viam, ut inde facilior ad reliqua transitus sit, ad eaque omnia, quibus inhias, Vir optime, per totum secundum operis tui librum. Quod nisi totum hoc a te indicatum, ac demonstratum ante præsletur, nescio quo pacto valeat medicus recte diagnosim, prognosim, ceteraque omnes particulares morbi affectiones inquirere, non ante sub-

fubſtratis anatomes, febrium, morborum, therapeuticæ ſolidis fundamentis, quibus hucuſque in obſcuro latentibus, ſimulque ingenia fallentibus, cetera ſuperſtructa neceſſe eſt corruant, ac delabantur.

Hæc ideo licet curſim raptimque dicta velim, non ut Phormionem agam apud Annibalem, nec geſticulari affectem coram Roſcio, ſed ut *Baglivum* meum ad altiſſima natum excitem, ut voces intermorientis medicinæ, facultatiſque de humano genere optime meritæ, a te, Vir magne, opem exoptantis, excipias, ut ſtimulos, ſi quo modo poſſim, addam feſtinanti. Dum id omne tibi per florentem ac juvenilem ætatem, per ſtudia ab incunabulis, ut ita dicam, protracta, per ingenium ferme incomparabile, perque experimenta in tuis peregrinationibus repetita diutius datur. In communi omnium utilitati, tuæ, & virtuti proſpicies; nec tam Urbem curabis, quam Orbem. Interea fruere cœlo Romano litteris, & virtuti amiciſſimo; & perquam ſalubri. Fruere litteratis, qui iſthuc tanquam in ſacratiſſimam ſedem confluunt. Fruere bibliothecis, quæ ſapientiam ceteroqui longe, lateque peregrinantem intra Romana clauſtra continent. Vive diu optimo ſane Parenti tuo, quem ego ob ſingularem ejus virtutem obſervo. Vive feliciſſime nobis, meque addictiſſimum tibi plurimis de cauſis ſuſcipe, ac ſuſcipe. Aletii Salentinorum in Apulia Kal. Maii 1697.

EPISTOLA VI.

CELEBERRIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO

GEORGIO BAGLIVO,

Medico Romano & Soc. Reg. Londin. Collegæ.

VIR CELEBERRIME.

INgratum valde, imo peſſime moratum me tibi videri vereor, celeberrime Vir, quod poſt aliquot menſes jam elapſos, & ita ſero tibi gratias reddam pro egregio munere, id eſt pro libro tuo de praxi medica, &c. mihi tranſmiſſo, ſed ſpero te mitiorem de me ſententiam laturum ubi primum intellexeris, prout bona fide aſſero, ad manus meas non ante perveniſſe quam menſe Julio ante elapſo. Nec quidem perpaucos hoſce ab eodem accepto dies gratias diſtuliſſem, ſi per negotia in praxi neceſſaria non dicam perlegendi, ſed velut tertiam partem percurrendi copia facta fuiſſet. At diutius a gratulatione mihi temperare nequeo, ne etiamnum ingratus habear: quippe in his quas evolvi ſchedis eximia tua eruditio, ſumma perſpicacia, genii candor, terſa tua proferendi facilitas, & perſpicuitas, rationiſque optima uſura tantopere meum exhilarant animum, ut inter præſtantiſſima quæ mihi unquam obtigerunt munera lubens merito æſtimem. Plurimum certe laudandum eſt tuum hoc inſtitutum, quo nos in primævam experiundi, chartiſve obſervationes mandandi Græcorum viam reducere ſatagis, abſque quo nullus qui ſaltem alicujus momenti ſit, in immenſo medicinæ campo progreſſus fieri poterit, cum in hoc vera medicina, ægrorumque ſalus conſiſtat. Neſcio an Dominus Doctor *Kendrichius* tibi nuntiavit Romæ me libellos meos de apoplexia, & de febribus intermittentibus e bibliopola comparaſſe, ut tibi quamprimum tranſmittantur. Nunc vero doctiſſimus juxta, ac humaniſſimus Doctor *Sherard* opportunitatem mihi ultro dat illos ad te ſecum ferendi in Italiam.

Injurius admodum, doctiſſime Vir, & in te, & in propriam perſuaſionem eſſem ſi inſtitutum tuum aureum de condendis obſervationibus non plurimum prædicarem tanquam utiliſſimum omnium, quæ ſunt in tota medicina & tanquam primam baſim ejuſdem. Nec eo conſilio illam hypotheſiſtarum defenſiunculam ad te nuper conſcripſi, tanquam litem tecum, quem valde veneror, & cujus amicitiam percupio, inire ſtudeam; ſed tantummodo, ne mihil omnino præter gratias meæ deportent litteræ, & ita nudæ ad te veniant. Et quidem quamquam hypotheſibus quas indigitavi addictus ſim, aſſero tamen eas, quæ ubi res minutius explicanda ſit alia baſi quam machanici innititur, mihi legenti auſcam parere, quippe cui nil in tota quaqua patet Philoſophia, niſi ad mechaniſmum quadret, recte ſapit. Perge igitur, Vir magne, tuis conatibus laudatiſſimis medicinam illuſtrare eandemque tu, qui fere unicus potis es, in priſtinum reſtituere. Vale interea, atque amare digneris, tanto licet terrarum, mariſque ſpatio diſſitum,

Virtutis & Doctrinæ tuæ flagrantiſſimum æſtimatorem

Gulielmum Cole M. D. Anglum.

Dabam Londini 8. Auguſti 1699.

EPI-

EPISTOLA VII.

VIRO ILLUSTRI, AC CELEBERRIMO

GEORGIO BAGLIVO,

In Romano Archilycæo Medic. Prof.

VIR CLARISSIME.

EX quo in hanc Academiam vocatus ſum, nihil mihi potius fuit, quam ut iis, qui ſe mihi in diſciplinam tradiderant, guſtum aliquem præberem veræ medendi prudentiæ, quæ tota inniti obſervationibus eorum quæ in ægris fiunt ſemper mihi viſa eſt. Id enim pridem perſpexeram ex novitiis illis hypotheſibus, quibus jam paſſim perſonant Medicorum ſcholæ, quaſdam eſſe manifeſto falſas, etiamſi aliquam præſeferant ſimilitudinem, non ſecus ac fabuloſa hiſtoria, veram imitatur ac refert; alias dubias plane atque incertas eſſe; quaſdam non falſas tantum, ſed & ita noxias, ut in certam ægrorum perniciem procuſæ viderentur; nullas medendi uſum attingere: igitur id mihi ſumſi ut philoſophemata iſta confoderem, & *Thomam Sydenham* optimum illum medendi artificem, tibique unice ſimilem, atque profecto parem ſequutus, conſtanter docui varium, & multiplex eſſe morborum ingenium, quo non explorato, & perſpecto nullam eſſe, nec poſſe unquam eſſe medendi rationem, non poſſe ex tam paucis principiis, & cauſis ac vulgo jam adferuntur morborum indolem cognoſci, nec ſufficere iis expugnandis generalia remedia, quæ in uſu fere ſunt: quæque utique acrimoniæ, ſed in genere tantum ſpectatæ corrigendæ, pituitæ incidendæ, & expediendis obſtructionibus dicata ſunt; ſed pro fluidorum vitio, & depravatione vehementer varia, remedia quoque varia eſſe adhibenda, ſi quidem adhibenda ſint, nuſquam tantam reperiri varietatem, quam in plantis, quarum ſingulis peculiarem vim, & arcanam proprietatem ineſſe certiſſima ratione intelligitur *Plinii* illud veriſſimum eſſe, nihil non herbarum vi effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe incognitas, quocirca in hoc præcipue enitendum eſſe Medico, ut ægritudinum variarum genus, & medicamentorum eorum præſertim, quæ ex penu herbario depromuntur, virtutes hactenus occultæ detegantur. Iſta quidem perſuadere iis, qui maturiori erant judicio, licuit. At junioribus, quorum animi novitia doctrina imbuti erant, certe vix potui. Hi inclamare me plane nova proponere (ita erant in Medicorum ſcriptis verſati) & a veritate manifeſte abhorrentia, ſolumque me eſſe, qui in hac rerum Medicarum luce ita ſentirem.

Hæc propterea commemoro, Vir eximie, ſplendor artis & reſtaurator unice, ut intelligas, qua me voluptate affecerit pulcherrimus, atque aureus ille tuus de praxi Medica commentarius, quem ante annum Roma mihi attulit *D. Bennis* Anglus, neſcio an tibi notus. Eodem fere tempore viſa eſt hic apud Batavos altera editio Lugdunenſis, ac Pariſienſis; ſtatim igitur inſignem hunc ingenii florentiſſimi fœtum omnibus laudavi, ac commendavi; atque cum intra paucos dies divendita ſtatim eſſent omnia exemplaria editionis Lugdunenſis apud nos; ſignificavi typographo cuidam hujus urbis, ut ſine mora typis ſuis mandaret egregium librum tuum, hoc præſertim tempore utiliſſimum; at is reſpondit ſibi quoque commendatum ab erudito Amſtelodamenſi Medico jam typis ſuis commiſiſſe, & brevi foris proditurum eſſe.

Hoc ut tibi ſignificarem vel potiſſima eſt hujus ad te ſcribendæ epiſtolæ cauſa, ad hoc ut ſi forte addenda quædam habeas, ea ſtatim tranſmittas, quia in formam appendicis apponentur libro vel brevi prodituro, vel quartæ, quam meditamur editioni; recudendum enim denuo fore librum optatiſſimum mihi perſuadeo. Cui ſi paratam habes diſſertationem deſideratiſſimam de fibra motrice, & ſolidorum elatere, ac meningum vi, & elatere, libentiſſime etiam adnectemus; & tibi omnes hoc nomine gratulabuntur medicinæ Patres. Præclariſſimo rei fibrariæ antiſtiti *Jo: Baptiſtæ Trionfetto* plurimam ſalutem meo nomine dices: eique rogo ut ſignifices accepiſſe me litteras cum incluſis ſeminibus, quas 31. Octobris ad me dedit, eiſque brevi reſponſurum, & ſemina incluſurum in horto noſtro collecta. Tu interea vale, ac tibi perſuade nihil mihi antiquius fore, quam ut operam tibi præbeam ubi dabitur occaſio.

Lugduni Batavorum 9. Decembris 1699.

Tu obſervantiſſimus Petrus Hotton. Medic. & Botanic. in Acad. Lugd. Batava Prof.

EPISTOLA VIII.

VIRO NOBILISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMIMO

GEORGIO BAGLIVO,

MEDICINÆ DOCTORI EXPERIENTISSIMO,

& Anatomes Profeſſori celeberrimo S. P. D.

DANIEL LE CLERC.

EO Majori, quo minus ſperato gaudio affectus ſum, cum aureum tuum accepi librum, Vir doctiſſime. Si tot præſtantiſſimorum Medicorum, quot univerſus habet Orbis calculis atque votis meus adjectus calculus, vel minimi ad famam tuam, ut par eſt celebrandam eſſet momenti, quam libenter occaſionem hanc arriperem teſtatum tibi faciendi, quanto affectu exquiſitiſſimum hunc ſolertiæ, & experientiæ tuæ fœtum exoſculatus ſum. Verum hac ratione mihi potius, quam tibi utilis, quid aliud preſto, quam ut cum maximis Europæ Medicis idem de te, ac ſemper admirabiliter ſentire videar. Quicquid ſit credas velim, Vir Illuſtriſſime, me praxi tuæ, tanquam unico, & ſolido veræ medicinæ fulcro innixum hactenus omnes alias methodos flocci feciſſe, atque obſervationem artis noſtræ parentem, ex quo in Jatrices caſtris mereri ac conſeneſcere cœpi, agnoviſſe, & coluiſſe. Nulluſque dubito, quin mihi currenti, quod ſubdidiſti calcar, omnes, & ſingulos, qui ratione utuntur, pari modo excitet. Perge itaque, Vir Excellentiſſime, generis humani commodis tanto cum fructu inſerviens, genuinæ medicinæ pomœria ampliare, fictæque & ſuppoſititiæ radices evellere. Ad me quod attinet, quid ſupereſt, niſi ut Te humillime rogem, ut eorum numero me habeas, qui merito tuo perculſi favorem tuum anxie, & omni ope deſiderant; atque inter Clientes tuos devotiſſimos reponas tibi addictiſſimum

Danielem Clericum Med. Doct.

Aureliæ Allobrogum, vulgo Genevæ 29. Aprilis 1697.

EPISTOLA IX.

GEORGIO BAGLIVO

Medicinæ Reſtitutori.

NICOLAUS ANGELINUS, MEDICUS SENEX S. D.

INVIDIA proſequor, Clariſſime Vir, & gloria Salentinorum, epiſtolam hanc, cui ad manus tuas pervenire licet, non mihi, qui ex quo legi totum opus tuum de praxi medica ab amico commodatum, adeo in tui amorem exarſi, adeo totum me tibi devovi, ut alas mihi cuperem pro citiſſime expediendo hoc quod interjacet ſpatio, & pronus ante te ſiſterem oſculaturus manus; quæ tam egregie, & eleganter ſcripſerunt, adoraturus ingenium, quod excogitavit tot monita, & præcepta pro conſtruenda medicæ arti Regia, ventis, turbinibus turbulentiſſimis opinionum tempeſtatibus non tantum commota, ſed fere e fundamentis demolita, & everſa. Porro importunitati epiſtolæ, & te forſan a gravioribus curis interpellanti, dabis credo veniam, poſtquam intellexeris culpam, ſi culpa dici meretur, amoris eſte erga te mei, quem cohibere nequivi, ne tibi aliqualiter innoteſceret, & caulam inſuper, quæ me tibi tam arcte devinxit, quam dicere non verebor, vidiſſe ſcilicet, imo audiviſſe multa, quæ animo jam conceperam, ſenſu, ita expreſſa, & tam eleganti ſtylo a te declarata, ut inſigni voluptate perfuſus, & lætabundus Deo gratias egiſſem, quoniam, quod ego non poteram, tam candide, tam ornate, tam pacato animo differere, tu omnia perſolviſti, adeo ut nil minui, nil addi niſi quæ addenda promittis in illo opera, revera poſſit.

Multa quoque alia haberem dicenda, ſed nec tibi otium eſt, ut mea legas, habens animum ad majora, atque ad maxima ſemper intentum; nec mihi ob turpem, ut Maro vocavit, egeſtatem licuit hucuſque experiri majora quædam, quæ & tibi, & cuilibet ingenuo in arte

viro

viro placitura essent. Sileo igitur, & hoc tantum rogo, ut pergas in incæpto, quam susce-pisti labore, nec talentum a D. O. M. tibi concreditum effodias, sed operibus augeas, & quæ meditatus, & quæ in posterum experturus es, propalare ne dedigneris; ita namque, & præsens sæculum, & posteri omnes maxime tibi devincti erunt, & obligati. Mihi jam seni, & annis gravi, curis quoque, morbisque consumto hoc Deus largiatur, ut quod ego nequeo, alii quibus vires, ingenium, facultates non desunt, compleant, & præstantissimam artem, quæ ob vulgi ruditatem, & ignorantiam eorum, qui eam exercent, omnium artium vilissima censetur, ut Senex divinus monuit, ratione, & experientia fundatam ornatamque omnibus præbeant conspiciendam, suscipiendamque. Tandem pro maximo meo solatio liceat mihi a te impetrare exemplar unum operis tui jam enunciati de praxi, & alterum de fibra motrice, sive de solidorum elatere & morbis, usuque, & elatere meningum, super quod audio te multa expertum esse & meditatum. Et licet tibi ignotus sim, hoc petere non erubesco; fratri namque tuo unico *Jacobo Baglivo* Sacerdoti, docto, & bonis prædito moribus notissimus sum, amborum quoque amantissimus. Et ambo licet ortum debeatis Ragusio illustri apud Dalmatas Urbi, ab ineunte tamen ætate apud nos in Salentinis estis educati. Vale igitur, Vir illustris, nec te docentem forsan pigebit habere

Addictissimum & Obsequentissimum famulum, & discipulum Nicolaum Angelinum Medicum senem.

Dabam in Oppido Sancti Petri ad Galatinam in Salentinis Apuliæ Kal. Aprilis 1700.

EPISTOLA X.

VIRO PRÆCLARISSIMO DOMINO, DOMINO GEORGIO BAGLIVO,

M. D. & in Romano Archilycæo Anatomes Prof. Joannes Fantonus S. P. D

CUM intellexerim quasdam meas lucubratiunculas, non ita pridem in lucem editas, benevole te excepisse; opportunum Putavi libellum hunc meum anatomicum e prælo sudantem tibi transmittere, plurimum tribuens humanitati tuæ, quæ spem mihi maximam facit non jucundum tibi futurum hoc qualecunque munusculum, postquam grato animo priora levidensia excepisti. Judicium super hoc opere tuum avidus expectabo, gavisus experiri utilissimam censuram viri doctissimi. Scio enim me ad errandum maxime pronum esse, quia juvenis sum, sed ubicumque lapsus fuero, non detrectabo sapientum virorum censuram, quandoquidem in juvenili ætate errare non admodum turpe est, ubi persæpe hallucinantur seniores. Porro licet imbecillis valetudo non permittat, ut ad senilem ætatem perveniam, tamen intra breve illud tempus, quod mihi suppetere spero, si per amicos, & doctos viros liceat mihi eorum frui monitis, enitar profecto, ut rejectis falsis opinionibus, mentem ad magis verisimilia convertam. Tu interim, Vir, eruditissime, qui sublimis animi, & ingenii es, laborum tuorum monumentis Rempublicam medicam exornare, & juvare ne desine. Dici enim vix potest quo gaudio, qua utilitate, quo applausu tua excipiantur ubique terrarum opera. Ex Anglia nuper redux amicus meus, multigena eruditione singularis, Londini egregium scriptorum Italum celebrari mihi narravit, Romanum nempe Anatomes Professorem *Georgium Baglivum*. Sed frustra in his moror, quæ tibi notissima sunt. Nemo enim magis tuæ quam tu conscius sapientiæ. Vale diu Reipublicæ medicæ bono. Vale Urbis incolumitati, & mihi favere perge, qui cultor sum tui nominis maximus.

Taurini in Pedemontanis 22. Martii 1701.

EPISTOLA XI.

ISRAELIS CONILIANI Medici Constantinopolitani, & in aula Magni Turcarum Imperatoris, scripta Romam ad Illustrissimum Præsulem ALDROVANDUM Italico sermone, hac ratione:

Illustris. e Reverendis. mio Sig. Patron Colendis.

AVendomi preso l'assunto di ricordare qualche regola a Monsignor Illustris. Gozzadini per evitare la generazione di nuova pietra nella vessica, scorgo necessario che mi mandi un' esatta istoria del male, e della cura fatta dalla felicissima penna del *Sig. Baglivi*, nè la mandi fatta da altri Medici, perchè non mi serve. E benchè io abbia udito dallo stesso Monsig. Gozzadini qualche cosa; ad ogni modo da certe circostanze minute dell' istoria passata, e dello stato presente non considerate per niente dal più de' Medici, può nascere un lume da prendere qualche buon metodo in materia tanto difficile, come scrive ed insegna lo stesso *Sig. Baglivi* in quella sua immortale opera *de Praxi Medica*: con la quale si è raddoppiato il numero de' libri nella mia biblioteca, la quale fin' ora era composta d'un libro solo, cioè d' Ippocrate; adesso ne averà due, cioè Ippocrate, ed il Baglivi. Io ritrovai nel libro del Baglivi me stesso, dove faccio quella figura che fa una mosca nel tempio celebre di S. Pietro. Ho però l' onore di esservi, ma vi arrivai tardi, cioè dopo molti anni di Pratica, e di errori; e resto stupito, come il Sig. Baglivi in età giovanile sappia tanto.

Mi creda, Monsignore, che una delle due cose è vera; o che la mia naturale debolezza, e poco valore mi fanno meravigliare di cose, che non meritano meraviglia, o che se avessi gli anni di Nestore ancora sarà rara la dottrina del Baglivi. E fu disposizione celeste, che io non parlassi prima con lui, e lo conoscessi in Roma, prima di leggere il suo libro *de Praxi Medica*, perchè avrei mancato all'adorazione che si deve a questo divino Giovine. Per il piccolo incomodo dunque di V. S. Illustris. per me basta la savia condotta dell' ammirabile Baglivi in occasione del male di Monsignor Gozzadini, ma se desiderano che io vi faccia qualche riflessione, aspetto l'istoria fatta dal medesimo.

L' Illustrissimo Signore Filippo mi aveva esibita una lettera per il Signore Marchese Azzolini, io gli dissi, che gliela avrei dimandata al bisogno, ed in effetto gliela cercai l' altra settimana. In tanto se a bocca gli viene congiuntura la supplico di raccomandarmi allo stesso, ora che si ritrova a Roma, con quel calore, che è solita graziarmi la Casa Aldrovandi. E se non gli pare opportuno tralasci. In Napoli non ho osservato altro, che la vista del mare, ed ha qualche similitudine questo Golfo collo stretto di Costantinopoli, dove presto ritornerò per via di Roma. E resto di V. S. Illustrissima e Reverendissima

Umilissimo, devotissimo, obbligatissimo Servitore.
ISRAELE CONIGLIANI.

Napoli 3. Giugno 1700.

EPISTOLA XII.

AL MOLTO ILLUSTRE SIGNORE,
e Patrone mio Colendissimo, il Signore

GEORGIO BAGLIVI,

ROMA,

CON tutta l'anima nel cuore, e con tutto il cuore su le labbra ho baciata mille volte, e ribaciata l' opera immortale di V. S. *de Praxi Medica*. Non furono così cari a Platone i libri del Pitagorico Filolao; ad Aristotile del Platonico Speusippo, ad Alessandro del Poeta Greco Omero, come caro mi capitò nelle mani il suo libro. *Cibasti me volumine tuo*, potrei dire con Ezechiello, & *factum est in ore meo sicut mel dulce*. Di dolcissimo nettare, più che d'inchiostro ripiene mi si presentarono avanti le sue carte. Con tutto che per gustarne quanto vi è di dolcezza altro vi vorria, che il mio palato simile a quello dell' asino, che avvezzo alle spinose pannocchie de' cardi volle masticare l' Iliade del menzionato Omero. Non arriva tanto oltre il mio cortissimo intendimento a poter discoprire, quanto ha di prerogativa il suo libro,

bro, *in quo*, come fu detto delle pitture di Timante, *plus intelligitur, quam pingitur: & cum ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est*. Ma siami io come si voglia, non isdegni V. S. che tra gli applausi universali di tutto il mondo le tributi ancor io da questa ultima estremità del continente della Provincia Salentina il mio ossequio, e le preghi dall' eterno Facitore, di cui ella celebra le glorie, spiandone i secreti ad ammirandone la grandezza, anni felicissimi da allungare la sua onorata fatigosissima vita, a gloria di se medesima, della Patria, e di tutto il mondo. Finisco per non più distornarla dalle sue occupazioni supplicandola se mi farà degno della risposta ad avvisarmi del costo del suo libro, acciò comprarmelo, e studiarlo di nuovo con più accortezza, e tenermelo meco carissimo. Di Silla il felice disse la Sorella di quel nobilissimo Ortensio Oratore: ancor io meco ne voglio un filo di felicità, e con due dita in punta spiccò un bioccoletto dalla veste di Lucio: così voglio ancora io essere partecipe delle sue dottrine, conservando il suo libro, minima parte de' suoi abiti virtuosi. Mi tenga in tanto V. S. sotto la sua Cattedra, ed a suoi piedi, come se fossi suo discepolo: e favorisca racommandarmi all' amicissimo mio Signore D. Giacomo Baglivi suo unico Fratello, e degno Sacerdote; mentre io mi sottoscrivo

Di V. S.

Lecce *in Salentinis Apuliæ*.

20. Febbraro 1697.

Umilissimo, & Obbligatissimo Servitore vero.

TOMMASO QUARTA, Med. Doct.

ALIA EJUSDEM.

QUÆST. XIII.

DUe giorni sono per mano del Signor Compare di V. S. ricevei le grazie singolarissime dell' opera sua immortale *de Fibra motrice*, &c. di che umilmente la ringrazio. Signore Giorgio mio se non mi assidasse la sua cortesia, io mi sarei confuso per lo merito, che in me non conosco, onde avvenir mi possa favore, così segnalato: tanto più che so doversi il favore de' suoi libri compartire a pochi, ed a quelli soli, *quos æquus amavit Iupiter*, &c. poichè non istanno bene in mano di tutti le opere di V. S. come diceva Alessandro dell' eroico poema di Omero, doversi cantare solo a gente guerriera, ed a suon di Tromba, non ad anime che non hanno punto di spirito generoso e forte. Quanto a me per quel poco, che io intenda grande utile per Dio avete recato a Medici con questo nuovo libro *de Solidis*, & *Solidorum effectibus*; argomento grande, utile, non più veduto da' secoli, ed uscito da un animo veramente eroico, e superiore ad ogni più ardua impresa; grande utile al certo avete recato a tutti ma precisamente a quelli, che vogliono uscire dagli infiniti pregiudizj introdotti nella vera Pratica Ipocratica dalle vanità, e false ipotesi di molti per non dire di tutti i moderni: come appunto il recò a' barbari Abitatori del Messico il gran Cortese, il quale imparò a loro il modo di far lume con la cera: levandogli dalle mani i tizzoni, che portavano più fumo, che luce. Ed in vero qual cera da far lume chiaro hanno lavorato i Modernacci del passato secolo 1700. pochi eccettuati come il Sidenamio, il Baglivi, e pochi altri? Aride, e vuote graticole di vespe chiamerei i loro libri, non sciami di api o pecchie industriose; senza cera da illuminare, e di più senza mele da temperare l' amarezza delle altrui miserie. Grazie a V. S. che ha saputo così bene aprirci gli occhi, e provederci di utili, e salutevoli consigli; riportandone per se medesima, per la casa sua, e per la Patria, gloria, e fama immortale. Siegua V. S. gloriosamente con utile comune ad immortalarsi, che questo appunto, come ben sa, è la vera, e sola durevole gloria di qua giù, e non altro.

Marmora Messala findit Caprificus, & audax
Dimidio Crispi Mulio rudet equos.
At chartis nec furta nocent, nec sæcula præsunt:
Solaque non norunt hæc monumenta mori, &c.

Con che ringraziandola di nuovo de' favori, che mi compartisce coll' ultimo suo dottissimo libro, e riverisco il Signore D. Giacomo Baglivi suo Fratello, e mio Signore, ed a V. S. bacio umilmente le mani

Di V. S.

Lecce *In Salentinis Apuliæ*

9. Novemb. 1702.

Umiliss. Obbligatiss. vero Servitore.

TOMMASO QUARTA, Med. Doct.

EPISTOLA XIV.

DE VANITATE OBTRECTATORUM HIPPOCRATIS, ET GALENI;

MATTHÆI PALLILII MEDICI ROMANI,

AD

GEORGIUM BAGLIVUM

AMICUM INTEGERRIMUM.

DEGENTE me adhuc in Tusculano in ruderibus Villæ Ciceronis, duodecimo ab Urbe lapide, eodem illo autumnali tempore, quo major pars Quiritum aulæ, & fori curas in saluberrimo hoc aere deponere convolat; quamvis me huc contulissem, ut otii, ac libertatis occasione in Suburbano hujusmodi reficerem vires, ob illam corporis ægritudinem collapsas, e qua nuperrime, te sapienter, atque industrie præsidente lectulo meo, incolumis evasi; tamen cum familiaris quidam meus ab Urbe ad me misisset duos libellos de re medica tractantes; non potui liberum tempus eorundem lectioni non permittere, ut, quod occupatus facere soleo, eo magis otiosus memet ipsum erudirem. Unus erat *Michaelis Aloysii Sinapii*, *De vanitate, & falsitate, & incertitudine aphorismorum Hippocratis*, hoc anno editus Genevæ; alter *Jacobi Le-Mortii*, *Fundamenta novo-antiqua Theoriæ medicæ, Chymiæ nobilioris experientia suffulta*, hoc eodem anno 1702. Venetiis impressus. A primo me vanitas, ne dicam impudentia tituli illico rejecit; nihil enim, quod ad rectam medendi rationem pertinet, aut rem medicam posset illustrare in eodem contineri sum arbitratus. Alterum *Le-Mortii*, utpote modestiori titulo insignitum, legere sensim, accurateque observare incœpi. Et quoniam post lectionem hujusmodi, nec doctior, nec eruditior sum redditus; imo cum hunc auctorem quam plurimis præjudiciis scatere, & contra *Hippocratem*, ejusque asseclas, aphoristice, ut ipse dicit, delirantes, nec non contra hodiernos anatomicos, ac pene omnes medicorum ordines ad chymistarum defensionem arripere tela repererim, iram, ac risum sustinere non potui. Etenim si velim ea considerare, quæ is superbe, ac tumultuarie in suo libello congerit; ecqui non rideam, eadem illa hunc dignoscens maledicta effutire in *Hippocratem*, & *Galenum*, quæ alias alii frustra, imo cum dedecore evulgarunt? Si vero recogitem laudari ab ipso in fol. 66. *Sinapium* amicum suum, ea forsan de causa quod aphorismos *Hippocratis* labefactaturus impetum in eosdem fecisset; aut si recenseam molimina pro evertenda re medico-Hippocratica, & Anatomica Recentiorum, vaniloque a *Le-Mortio* tentata, nihilque ab eo licentiæ ad hæc omissum fuisse, an possim non irasci? Propterea cum locus non sit, mi *Baglive*, te ante reditum meum ad Urbem alloqui, & coram disserere de hujus sæculi licentia, in quo cum sublata fuisse putaremus censoria supercilia pro artium, ac scientiarum incremento; tamen, quia laqueo tenet ambitiosi consuetudo mali, tenet insanabile multos scribendi cacoethes, & ægros in corde senescit; ideo hanc ad te epistolam mittere decrevi, quæ quidem aperiet causam, cur plures impudentissimi homines rixantur quotidie, & fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.

Equidem si occasionem perpendam, qua *Le-Mortius* adductus est prælo subjicere librum istiusmodi, nulla propemodum aptior, & magis consona veritati erit, nisi quod is offensionem alicujus Medici *Hippocratem*, *Galenum*, aut anatomem apprime callentis in Batavia passus; eandem vitare est aggressus, contra *Hippocratem*, *Galenum*, & anatomicam fatultatem scribendo. Si hæc vera sunt, quomodo ego assentiar *Le-Mortio*, cujus opuscula non veritatis amorem, sed livorem, calumniam, & obtrectationem sapiunt? Unde si te non piget, carissime *Georgi Baglive*, meum precor de hoc auctore judicium breviter, atque integre ne graveris suscipere, & quid sentiam de eodem humaniter sentire.

Postquam libellum perlegissem, diu multumque mecum hæsitavi investigando, ubi illius basim auctor fixisset. Tamen adeo est confusus, & adeo miscet infera superis supera inferis, ut vix percipiendum detur quid sibi velit cum hoc suo libello *Le-Mortius*. Statim in operis limine, folio nempe tertio, incipit conqueri, ac lamentari de Batavis Medicis conterraneis suis, innuens sese plures habere æmulos in Patria, verum illos universim habere despectos: quia jamjam est notus omnibus vicinis, & omnibus incolis, & plausus recipit frequenter civium, auditorum, & academicorum ad domum suam confluentium. Sint tibi mi *Le-Morti* hæc omnia prospera, sint

fausta ; sint felicia , fortunatoque omine hæc omnia procedant ; sed comprime quæso tam inanem fastum. Et quoniam contra te iras attollunt Medici conterranei, desine eorundem iras in lucem, & publicum afferre . Etenim egerendo talia in libris ad publicam forsan miserationem conciliandam , timorem tuum aperte manifestas. At qui timidus est, vix ad magna natus est.

Ignis furni tui, mi *Le Morti*, o quantum differt ab igniculo naturæ corporis animati! Tuus urens est , & furibundus , alius placidus , & mitis, & longe impar est alterius alteri comparatio, atque adeo impar etiam a furni experimentis ad naturam, historiamque morborum ratiocinatio. Natura morborum ex solo ægrorum lectulo petitur; ipsaque diagnosis, prognosis, & remediorum indicatio ab eodem quoque petuntur fonte. Et cum medicinæ basis, & fundamentum in hisce consistat, parum refert , an ad curationem remedia e furno chymico magis , quam e plantis petantur, nam utraque curare poterunt, dummodo indicatio vera fuerit, stabilisque. Nunc autem verum , indicationum fontem in solo esse *Hippocrate*, & aliis eidem similibus omnes omnium Nationum scholæ fatentur . Unde nescio qua de causa eos tam male tractes: revereri potius eos debes, & ipsorum vestigiis mordicus hærere. Audi hac de re *Seneca* consilium tom. 2. epist. 64. *Multum egerunt , qui ante nos fuerunt , sed non peregerunt : suscipiendi tamen sunt & ritu Deorum colendi . Quidni ego magnorum Virorum , & imagines habeam , incitamenta animi , & natales celebrem ? Quidni eos honoris causa semper appellem ? Quam venerationem præceptoribus meis debeo , eandem illis præceptoribus generis humani , a quibus tanti boni initia fluxerunt . Si Consulem video , ac Prætorem , omnia quibus honor haberi solet , faciam ; equo desiliam , caput adaperiam , semita eedam . Quid ergo Marcum Catonem utrumque , & Lælium Sapientem , & Socratem cum Platone , & Zenonem , ac Cleantem , in animum meum sine dignatione summa recipiam ? Ego vero illos veneror , & tantis nominibus assurgo ?*

Quæ quidem *Seneca* monita ad omnes omnium artium inventores , auctoresque referri necessario debent . Id tu cum non bene hucusque cognoveris, ideo turpiter lapsus es, *Hippocratem*, *Galenum* , eorumque assecias probris agitando. Nonne vides, quod hujusmodi maledictis scatent undique chymistarum libri , ad talem usque putiditatem , ut stomachum mehercule moveant, & inducant ? Idcirco ulterioribus scommatis abstinendum erat. Omittite probra , & producite opera , & novorum operum indicationes.

Est facilis cuivis rigidi censura cachinni.

Existimo, mi *Le-Morti* , te in Batavia natum esse, ibidemque nunc degere, prout potui conjicere ex nonnullis opusculis tuis simul editis Lugd. Batavorum 1696. si tamen extra Bataviam vivas perinde est. Nihilominus tamen cum magna ex parte obtrectando agas in tuo opere , ignosce si paulo libentius , sed modestius , quam tu fecisti, te parumper alloquor, sincerique animi sensum tibi candide aperio . Quoniam , ut plurimum *Hippocratem* , *Galenum* , eorumque assecias mordes, & convellis, propterea de hac re tecum mihi est sermo institutus . Et primo quidem si non ita solida , ac certa essent talium medicinæ Auctorum dogmata (sicuti revera certa sunt, & perpetua) impossibile profecto esset, ut tam longa sæculorum serie ab omnibus Orbis academiis, & omnibus communi consensu Nationibus recepta essent ; nam inconstantia, & incertitudo tandem manifestari potuissent ; sed quoniam id de operibus *Hippocratis* nunquam verificari potuit , & multo minus de assecliis ejusdem ; omnesque academiæ a nata medicina ad hanc usque ætatem plenis velis eorum vestigia secutæ sunt ; nec est qui ausit tot doctissimorum hominum opinionem , sæculorum serie confirmatam , erroris arguere ; cur id tibi faciendum in mentem venerit ego sane non agnosco. Nonne vides quantam sibi gloriam comparavit in tua Batavia omni ævo memorabilis *Sydenhamius* ? Ille errores quamplurium nostri sæculi medicorum detegendo , seseque *Hippocratis* præceptis addicendo , praxim medicam a nebulonibus deturpatam ornavit , defendit, restituit . Quam non famam sibi peperit in Galliis , & in Galliarum Principe Lutetia scientiarum altrice , Duretus omni æternitate dignus , eo quod *Hippocratem* tam bene intellexerit, & illustrarit ? Nec est quod in nostra Italia præteream *Martianum* , *Mercurialem* , alioque tibi satis notos , qui nunc in Urbe , Urbium Domina , claresçunt . Desine igitur obtrectari , dein incipe scribere . Cum de Italis , eorumdemque academiis, & institutis loqueris, disce loqui . Etenim si tu ad incrementa medicinæ in hoc sæculo respicies , vel invitus fateberis eadem in anathomicis , mechanicis , practicis, & chymicis ab Italia originem primam duxisse. In anatomicis laudabis *Redium* , & *Malpighium* , in mechanicis *Borellium* , & *Bellinum* , in practicis *Baglivum* nostrum , in chymicis *Salam* , *Bartholettum* , *Tachenium* , & innumeros alios qui , & Romæ , & in reliqua Italia nunc florent . Quod si quispiam imprudentissimus homo , qui per Italiam sit peregrinatus tibi persuasit scientias hic non florere nec coli , bonasque artes , & disciplinas silere Romæ , ipsamque praxim medicam jacere incultam , ambo certe decepti estis , & ni scribere dicatis ambo experiemini , quantum Itala tellus , quantum valeat Latium pro re medica , & pro tuenda praxi *Hippocratica* , Neque putes nos in Urbe ,

Terrarum Dea , gentiumque Roma ,
Cui par est nihil , & nihil secundum ,

rancidos esse Galenistas facultatum , & qualitatum admiratores: falleris enim si id putaveris. Nos in praxi solum *Hippocratem* , ejusque assecias præ oculis

lis habemus. In medicina theorica sequimur hypothesim anatomico-mechanicam super strictum, & laxum fundatam, & a methodicis olim, potissimum *Calio Aureliano* Romæ excultam. In remediis vero unice credimus Botanicæ, plantarumque virtutibus. Imo si tu proferes expertissimum aliquod remedium chymichum, te etiam quoad hujusmodi experimentum sectabimur, dummodo probatum sit. Istud itaque nostrum, & totius Italiæ, institutum medendi, an laudabile sit, tumet, si æquo judicio polles, judicaveris. Attamen si nostram medendi methodum in Italia probatam, non ita adamussim isthic respondere observaveritis; dijudica quæso, & distingue naturam climatis in quo medemur, ac postea judica de rebus hujuscemodi, & insulsa scommata regurgita.

Galli omnibus pene in febribus china chin. utuntur felici cum eventu: nos Romæ minus feliciter. Equidem chin. chin. nunquam præcipio nisi in febribus tantum, & in fine earumdem, ut optime monet *Baglivus* meus in sua praxi quinquies jam edita, & mox cum omnibus ejusdem operibus edenda Lugduni Gallorum: idque faciendum jubeo expurgato bene corpore, non ad frænandam, sistendamque febrim, quod irrideo; sed ad roborandum sua amaritie stomachum morbi diuturnitate relaxatum, atque etiam ad restituendum primævo vigori sanguinem longa morbi præsentia jam vapidum, ac relaxatum. Debemus ergo damnare Gallos quod hoc remedio utantur frequentius, quam nos Itali, præsertim Romani? minime quidem: nam laudatissimi Galliæ medici in patrio solo proficuum, atque utile illud experiuntur, quod in nostro natura dissimili prædito, ventorumque varietatibus, atque aliis cœli tempestatibus, & variis ac pene diversis mineralium exhalationibus obnoxios nos minime experimur. Ergone Angli redarguendi sunt quod frequenter, & copiose in pluribus morbis utantur opiatis? nec quidem. Ergo Batavi tui, præclari in re medica Viri, insulse agunt, eo quod adhibent sæpissime diaphoretica potentiora? nec quidem. Igitur ex his veluti per corollarium deduci potest non remediis curari morbos, sed indicationibus bene perceptis, meliusque ad usum adhibitis una cum bono remedio. Equidem sine *Hippocrate* mederi nescio; sine chymia optime scio. Utique, si non reperiretur chymia, remedia e plantis petita satis certe essent ad curandum, ut in prisca gente mortalium observare est, sine chymia incolumem, ac diuturniorem vitam ducente. Helleborus remediorum Hercules pluriumque domitor incurabilium morborum pro mille valet remediis e chymia petitis. Noverunt id bene *Paracelsus* & *Helmontius*, & præ ceteris medicinæ parens *Hippocrates*, qui nullius remedii frequentius meminit, quam hellebori. Bilem igitur comprime, *Le-Morti*, si audias medicus spernere remedia a te tantopere decantata, plantasque pluris facere, & plurimos morbos diæta potius curare; quam mille nugivendulis pulveribus. Per aphorismos, & præcepta curantur morbi, non vero cum remedio sine præceptis dato. Præceptivam autem hujusmodi methodum a Coo tantum Sene discere datum est, atque ab illius asseclis. Quæ quidem quod vera sint te abunde docere poterunt Batavi Medici, *Tulpius* nempe, *Lindanus*, *Lomius*, *Pauvius*, & alii tibi valde noti, qui quantum fuerit *Hippocrati* addicti, tu idem in Patria nosse, ac excipere poteris, dum nobis id testantur eorumdem opera, etiam post obitum glorioſa. Verumtamen præceptivam talem methodum, ideſt *Hippocraticam* a te, cunctisque medicis addiscendam esse, vel ex hac ratione conjicies; quod sive diaphoretitis petitis ex plantis, sive petitis e regno animali, aut minerali (sed mineralibus parum fidimus, uti discimus ex *Baglivo* in libro suo de vegetatione lapidum) sudorem moveas, in idem res recidit, nam singula sudorem movebunt. Verum quando est sudandum, qua indicatione, quo die, quantum, & quando quiescendam, id certe ab uno discere poteris Præceptore *Hippocrate*: siquidem furni tui te talia nunquam docebunt. Cohabitandum, & conseneſcendum est cum morbis, ut totidem me moratus Senex fecit, exinde optime, ac acerrime est judicandum. Nam si tu in furnis agendo de languoribus ægrorum in lecto jacentium disserere aggrederis, quantum *Le-Morti*, quantum a scopo aberrabis? *Paracelsus*, & *Helmontius*, in quorum nomina tu juras, cum de *Hippocrate* loquuntur, non obtrectando, uti tu facis, loquuntur, sed illius meminerunt magna cum reverentia, obediundo ejusdem monitis, ac legibus, tanquam e naturæ penu eductis. An non revererentur illum Virum, quem Jurisconsultus etiam doctissimum renunciavit. *L. septimo mense ff. de statu hominum*? Quapropter te amice moneo, ut discas scribere serio, scilicet absque conviciis, non autem argumenta recocta obtrudere, ni velis serio conviciari. Qui nunc apud vos florent spectatissimi Viri, *Hortonus* celebris, & valde doctus homo, *Ruischius*, *Blanchardus*, *Comelinus*, *Bidloo*, *Hermannus*, aliique innumeri doctissimi medici, quibus ornatur inclyta vestra, & illustris Academia Leidensis, cum scribunt, neminem probris exagitant, aut vexant, nullius methodum aperte vituperant, aut damnant. Igitur tu abstine execrationibus. Probra probris pensabuntur, & plausus, quos te isthic excipere tantopere profers, vertentur a nobis in sibilum. Parata est Attica, & Latia tela tibi pro *Hippocratis*, & *Galeni* defensione semel atque iterum obsistere. Verum cum tu forte subolfeceris; in fine præfationis innuis te spernere hæc omnia, & æmulos in atria etiam spernere. Quæ verba cum faustum & superbiam, non veritatis amorem in te probent, profecto nullam glorioſi nominis hæreditate seris nepotibus relin-

relinques; imo vivus apud viventes, quod obtrectatoribus evenit, insulsissimi notam subibis. *Cerissima*, ut quidam ait, *ad illustre nomen est via bene mereri, & cum privatim de singulis, tum publice de universis*. Neque putes tecum nunc colloqui rancidum aliquem Galenistam præjudiciis, & commentis fascinatum. *Hippocratis* ab ineunte æta te admirator, & assecla, philosophiæ naturalis, experimentalis, & anatomes recentiorum cultor tecum modo sermonem instituit, ideſt tecum loquitur: non *Palillius*, sed *Baglivus* ipse sub *Palilii* nomine, incredibili observandis in morbis patientia, sedulitateque pene consumtus, & ob id in ipso ætatis flore viribus pene fractus; qui te monet, ut imposterum si scribendum tibi sit, ut in fine libri tui promittis, induas primo mores Romanos, urbanitatem nempe, humanitatemque, deinde discas scribere, & a criminationibus cavere: quique in te insulse debacchati non sunt, in eos tu insulse debacchari, nomine ipsorum appellato (ut facis in opere tuo) imposterum desistas. Etsi ad utilitatem, non ad rei medicæ tabem, natus es, & chymiam tuam, tanquam eidem utilem sectaris, & propugnas; cur non sectaris chymistas per ignem disserere discentes? Qua in re tibi unicum præ aliis exemplar dabit vir amplæ, & immortalis famæ *Boylæus* in Societate Regia Londinensi *Baglivi* nostri Collega, & ejusdem dum viveret amicissimus. Is verus revera chymista reliquis medicinæ partibus chymiam annectens, eam tanquam partem, non tanquam medicinæ caput amplexabatur. Felicem chymiam, si omnes chymistæ *Boylæo* similes! Dic quæso quemnam tu sequerere libentius in morbis curandis. *Paracelsumne*, an *Boylæum*? Si tibi veritas cordi est, certe præferes *Boylæum*. Delirus enim est, qui chymistas *Boylæo* similes, vel damnaverit, vel aliis postponet: eam præsertim considerando prudentiam, quam in judicando adhibuit. Cum ab uno furni experimento infinitas prope, ut ceteri solent, nunquam deduxerit conclusiones; sed a mille experimentis, veluti per gradus ascendendo, ut medici vere *Hippocratici*, & vere observatores faciunt, ad medicinæ artis præcepta condenda, processit. Disce ergo disserere, postea perge obtrectare. Priusquam de sapientibus viris, eorumque scriptis judicium proferas, eadem sedulo evolve, non tumultuarie, & inconsiderate.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere virtus.

In re nemo e nostris hucusque insulse est debachatus tu e contra a nullo læsus, omnes ordines medicorum *Hippocraticos*, *Galenicos*, atque hodiernos Anatomicos improbas, atque aspernaris. Ecquid? Consulem te forsan delegit respublica medica? Propugnatorem chymiæ? Censorem academiæ? Tribunum plebis scientiæ? ac reliquæ facultates? Cumidum, & eruditatibus repletum caput! Ah chymia artium nobilissima, & summopere necessaria rei medicæ tuæ indiget defensione? Quis hanc artem reprobavit? Quis damnavit? Quis in eam, ut tu dicis, debachatus est insulse? Quis inutilem reputavit? Quis ullum e chymicis hodie viventem (ut tu facis in nos) nomine appellato læsit? Attamen reprobandi sunt chymicastri impudentissimi, & insulsorum secretorum venditores, ac emunctores crumenarum, & tanquam Cumani asini insolenter rudentes e suggesto; quos hanc in Urbem, nescio quo fato, confluere magna in copia quotidie, & quidem non sine mœrore nostro observamus. Quod te attinet, *Le-Morti*, Tyria, ut dicunt, maria movere eniteris pro splendore nominis, & pro censoria dignitate emerenda. Si talia munia captas, redde te similem *Hippocrati*, qui magnitudine judicii, atque ingenii, perpetuam sibi in republica medica dictaturam comparavit. Versa te in ejusdem operibus, quod omnes medici, teste *Dureto*, facere debent; ait enim hic fol. 267. in Coacas *Hippocratis fremant licet omnes, dicam tamen quod sentio, majorem scientia, & praxeos ubertatem comparari a studioso Hippocratis uno die, quam ab istis Pragmaticis uno sæculo*. At cum illa ne in cortice noveris, ut conjicio, ideo illius monitis, ac præceptis non obtemperas. Igitur turpe est, quæ non intelligis aspernari, ac deridere. Non ita *Tachenius* celebris in Italia chymistæ affecit, exinde celebrior, quod ipsius libri *Hippocratem* affabre sapiunt. Redde te similem *Tachenio*, dein scholam Coam, si poteris reprende. Sed quoniam non leges dare, sed te hic amice monere voluimus; quomodocunque hæc monita acceperis, perinde erit. Utere solus tua chymia: sed non abutere patientia nostra; nam patientia sæpe læsa fit furor, ut monet Philosophus. Nonne sæpissime ex scintilla emergit incendium; ex pruritu morbus, ex ludrico acies? Tibi cave. Tibi prospice. Temetipsum sequere, & intuere. Relinque nos in Italia, & in Urbium Principe Roma cum *Hippocrate* nostro, & cum herbis in latino solo surgentibus. Tellus Latina ab Attica tellure non multo distat spatio: nec mirum inde, si ea quæ Senex sagacissimus in Attica observavit, eadem nobis bene cedant ut Latio ab Attica parum disjuncto ob analogam forsan climatis naturam, & analogam pariter Græcorum Latinorumque temperiem. Si Coa præcepta, & remedia vestris in Regionibus minus feliciter juvant; id climatis intervallo valde ab Attico tribue, vel contrariæ medendi methodo; non autem remediorum, aut præceptorum vanitati: nec proinde conculcanda sunt monita, & præcepta. Quare per Deos immortales non ita male preceris Attico, nec Latino solo; quibus in locis Ars Medica nata est, & in quibus est nutrita. *Hippocrates*, *Celsus*, & *Galenus* pro mille auctoribus satis fuerint iis, qui veram medendi normam methodicam præceptivam, ac rationalem voluerint sibi comparare.

Quod

od autem empiricorum more tu in medendo etorum opem usurpas: Deus tua cœpta sedet. Hanc tibi facilitatem non invidemus; Cræsi thesauros auguramur.

quod reliquum est, nec est a me omittendum, erata, fronte insurgis, *Le-Morti*, in recentio-anatomicos, atque eorum doctrinam appellas *trinam cadaverosam*, *& quod boni anatomici infelices practici*. Profer amabo causam tam udentis argumenti. Nescis fortasse, quod ars lica, quæ quinquaginta ab hinc annis obscu- incedebat, lumen, ac evidentiam ab anato- nunc percipit, per detectam sanguinis cir- ationem in Italia primum a *Cæsalpino*, dein- in Anglia confirmatam & illustratam ab *Har-* ? Per viscerum, & aliarum corporis partium cturam, & usum diutina inquisitione per tomicos repertas, ac cognitas? Nescis quod ativas indicationes recentiores medici ab ana- micis adinventis excipiunt? Nescis quod labo- sissimi Batavi medici, ceteris nationibus in hu- smodi inquisitione pares, hanc scientiam tam ilem, praxi medicæ, tam proficuam glorioso hoc sæculo exornarunt? Cur igitur gloriam natomicis summopere debitam tam diris objur ationibus eripis, & imminuis? Sed cum te fe- is quædam calumniandi teneat, ignosco tibi, od sic de anatome judicas. Siquidem *ubi in nsilio adest liver, ibi cæcum est judicium*. Chy- iam tibi concedemus, nobis tu anatomen.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Utræque hæ facultates ad augendam medici- n præcipuo deserviunt instrumento. Tua chy- a resolvit corpora in sua prima entia. Nostra atome reducit partes corporis animati in sua ima stamina, & ducit in cognitionem usus & ici singularum; sine cujus præsidio de cau- morborum, signis, ac prognosi vix differere terimus. Medicina respublica est, non autem narchia, multo minus tyrannis: idcirco sin- læ ejus partes mutuo se illustrant, confir int, augent, & devinciunt. Non ita mehercu-, non ita de anatome judicabis, cum prælum, lucem subibit opus *Baglivi* Viri ingenui, & strum amicissimi:

Cujus & annis,
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt.

Opus scilicet anatomico-practicum de internis, cultisque viscerum *Aneurismatibus*, *Hydatidi-*, *& Varicibus*: a quo splendorem, & maxi- am incrementum accipiet praxis medica, pro- colligere potui ex illius lectione cum mihi nice fuit communicatum. Tunc scientiam ana- micam minime vocabis cadaverosam, sed il- minativam, & totius medicinæ basim præci- iam. Multo minus cadaverosam vocabis, cum usdem Viri de morborum analogismo videbis pariter opus, cujus exiguum specimen est in dis- sertatione de *Vegetatione lapidum*. Nec non opus de morborum originibus ex *Hippocrate*, & ex naturæ fontibus eductum; cum alio insimul tractatu de observationibus anatomico practicis circa meninges, quas me inspectante, & eidem opem ferente perfecit solertissimus auctor, absolvitque his annis. Tamen ut reliqua præteream hortor te, ut perlegas hujus auctoris specimen librorum de solidis, eorumque effectibus, qui nunc tertio luctm publicam vident in Galliis magis aucti, & magis perpoliti. Tunc profecto si rem integre fateberis nunquam appellabis anatomen doctrinam cadaverosam. Sed quorsum hæc, si canimus surdis? Te propterea oro, atque obtestor per Higyeam, & Panaceam, perque medicinæ auctorem *Hippocratem*, ut doctis viris impostorum succensere abstineas, ut fastu in scribendo te exuas, ut errores, si sint, corrigas, sed errantium nomina chartis non ponas: ut mitius, ac molestius immunes jurgiorum viros tractes, caputque tumidum, ac inflatum tantillum deprimas.

Fulmina nam montes feriunt, ac tecta superba.
Horriferum Ajacem timidus confecit Ulysses.

Sed ut ad te redeam, mi *Georgi Baglive*, vere amice, miraberis quod uberrimas tibi litteras remiserim: faciendum tamen mihi putavi, ut eas ad te mitterem, ne iras a lectione *Le Mortii* conceptas in incolumitatis meæ perniciem intus obtegerem. Accidunt enim præter opinionem meam nova hisce temporibus præjudicia, quibus abdicandis cum tantopere doctissimi viri nuperrime insudassent pro fundanda, firmandaque theoria, & praxi medica; nihilominus non desunt mox auctores, qui iterum præjudicia congerant, & dispergant in noxam, ac detrimentum medicinæ tyronum. Nemo non sequitur suam sententiam: nos itaque nostram. Stet nobis *Hippocrates* noster, nosterque *Duretus*, & *Martianus*, cum *Mercuriali*, *Septalio*, *Ballonio*, *Sydenhamio*, aliisque hujusmodi auctoribus. Stent aliis *Paracelsus*, *Helmontius*, iisque analogi. Quod me attinet tua premo vestigia, quia & voce, & calamo ubique *Hippocratem* sapis. Nec imprecandum, sed optandum mihi est, ut clementissimus rerum formator Deus omnes similes obtrectatores vertat in melius, detque illis, & mentem, & linguam viris medicis dignam. Tu interea, amicorum optime, vale millies, & salutata peramanter meis verbis *Jacobum Baglivum* unicum fratrem tuum, sacerdotem optimum, mihique devinctissimum; meque reducem ad Urbem quamprimum expecta. Iterum vale, decus meum. Ex agro Tusculano, in Ruderibus Villæ Ciceronis 8. Kal. Nov. 1702.

Extat Epistola XV. De motu meningum, & oscillatione solidorum ad D. Hecquet vir I. 1. ite c. 6. de Fibra motrice.

JOANNIS DOMINICI SANTORINI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ PROFESSORIS,

Et in Veneto Lycæo Publici Anatomes Inciſoris Opuſcula quatuor.

I. De Structura & motu fibræ. II. De Nutritione animali. III. De Hæmorrhoidibus. IV. De Catameniis.

SPECTATISSIMO VIRO

FRANCISCO DELPHINO,

Philoſoph. Medic. ac Chirurg. Excellentiſſimo,

JOANNES DOMINICUS SANTORINUS. S. P. D.

ÆQUUM eſt, Excellentiſſime Præceptor, ut quæ tua ſunt, aut tibi reddam, aut tibi voveam. Neſcit tenella adhuc & meticuloſa proles, niſi in parentum gremium, ad quem confugiat. Te igitur fidenter adeo, at ſolum metuens, ne me tuum eſſe deſpicias. Quidnam me tuum negabit, præter (da veniam ætati, nondum enim quintum perfeci luſtrum) tenuiſſimum profectum? Te meum erigente animum Lauream ſum nactus. Te Auſpice Chirurgorum, mox & Medicorum Collegia, & auſus ſum flagitare, & ſacra tandem adire limina licuit. Tua me rudem excepit, ac inſtituit Medica Praxis, Tecum Palatia adivi, Tecum Noſocomium genuinæ Praxeos Pallæſtram & adeo, ubi me Tua vox deſtitueret, libris, quorum mihi fuit curta ſupellex, propemodum oneraſti. Anatomes ſtudii Tu mihi calcar fuiſti. Ut modo Anatomen publice faciam, delato mihi ab almo Collegio munere, a Te primum habeo. Et alia Te Duce ſum aggreſſus, & aſſecutus. Non eſt igitur quod hæreas; tuus ſum. Quid ergo pro tot, ac tantis referam? Nihil eſt omnimode meum, quod tibi tribuam. Hoc eſt infortunii maximis beneficiis, ut deſit æquale retribuendum munus. Informem hunc Tibi mei ingenioli fœtum exhibeo. Pauca quidem accipies: at totum largior. Hunc igitur, qua Tua me reſpicis humanitate, Librum fove. Erige, precor, metuentis animum. Hoc unum tamen mihi conſtat, & ſi omnes eum male habuerint, quod quam facile, Te illi fore blanditurum. Valeas diutiſſime, precor.

Venetiis VI. Kal. Septembris MDCCV.

AUCTOR

AUCTOR AD LIBRUM.

NE te pudeat in lucem egredi; nec Auctoris nomen, nec Titulus, quem fronte geris, magna abs te poſtulant. Si quis te Lucernam non redolere dicat, illi ſuaviter repone, te fuiſſe inter laxantes, nec totius æſtatis, ardores editum. Nemo a te deceptum eſſe queretur, plura enim dabis quam quæ promittas: Opuſculum es. Si vero pudoris loco nimius auſus te inceſſeret, cohibe, precor, maleſanum ignem. Plura habes, quibus deſpondeas, quam glorieris: qui me noverint, ſi quid tu non damnandum habueris, mei cauſa fortaſſe damnabunt; ſi quid vero damnandum, quod ab homine inſeparabile eſt, una omnes increpantes, ætatem loco, ſaltem officii ergo excuſandi, nimis audentem criminabuntur. Habebis tamen, ſpero, aliquem eruditum Amicum, forſan & Patronum. Si hinc diſceſſeris, meliora ſpera, me enim non inviſo, niſi tibi blanditi fuerint, certe non oderint: niſi proderis, ſaltem ne noceas futurum ſpero. Nullius nomini prave conſuluiſti. Plura habes, pro quibus firma ſtat ratio, nonnulla quæ tuetur probabilitas. Vade ergo; te maneat quodcumque fatum, non deterrebor, & annos mihi Divina largiente Clementia, nec unus te pone ſequetur.

ELENCHUS MATERIARUM

QUÆ IN HISCE IV. OPUSCULIS TRACTANTUR.

IN OPUSCULO I.

De ſtructura ac motu Fibræ.

I. Occaſio ſcribendi de hoc argumento.
II. Quid ſit fibra, ubi pauca de meningibus.
III. Quid intelligatur per motum fibræ.
IV. Nulla fibra, ſeu nervus eſt admodum tenſus.
V. Quid requiratur, ut fibra moveatur.
VI. Exponitur ſtructura fibræ.
VII. De cauſa contractionis naturalis.
VIII. Fibra moveri non poteſt aut per longitudinem, aut per latitudinem, quin ejus particulæ a contactu recedant.
IX. Neque coarctari, neque abbreviari poteſt, quin componentia in contactum adhæreant.
X. Fibra poteſt augeri, & per longitudinem, & per latitudinem.
XI. Poteſt, & quoad longitudinem & latitudinem minui.
XII. Poteſt fibræ augeri longitudo, quin minuatur latitudo.
XIII. Quomodo fibra acquirat majorem latitudinem, & amittat de longitudine.
XIV. Fibræ partes non ſunt concipienda arcte inter ſe adhærentes.
XV. Pro conſtructione fibræ non ſufficit unica ſeries particularum.
XVI. Sed duæ ſaltem ſeries pro motu ſunt neceſſariæ.
XVII. Quamvis particulæ fibræ arcte non adhæreant, fibra poteſt moveri, nec facile diſſolvi.
XVIII. Si fibra conſtet pluribus particularum ſeriebus, difficilior erit ejuſdem ſolutio.
XIX. Unde fibrarum origo, & quid ſint in corpore.
XX. Quid oſcillatio ſignificet, & unde ejus ethymologia.
XXI. Non æqualis eſt in omnibus fibris fluidis quantitas, & velocitas.
XXII. In Fibras, in quibus minor conſumtio fit, licet eadem diameter, non eadem tamen influit ſucci quantitas.
XXIII. Duplex cerebri fluidum a qua cauſa ad partes promoveatur.
XXIV. Meningum motus pendet a vaſis ſanguifluis.
XXV. Poteſt tamen aliqualis meningum motus a fibris pendere.
XXVI. Influxus liquidi nervorum eſt cauſa motus cordis, & motus cordis eſt cauſa influxus ſucci nervei.
XXVII. Quiſnam fuerit prior motus cordis, an ſucci nervei.
XXVIII. Qualibet pars cerebri aut a pia matre, aut a vaſis ſanguifluis cingitur.
XXIX. Determinatur fibras carere orificio extremo.
XXX. Quid ſit motus ſiſtalticus, & quid ab illo præcedat.
XXXI. Non eſt neceſſe admittere fibrarum extima orificia.
XXXII. Quæritur quanam ſit fibræ figura.
XXXIII. Quot ſint fibræ motus tum ſimplices, tum compoſiti.
XXXIV. Unde primo fibræ motus, nempe quid conferat ſpiritus, & fibræ anguſtia.
XXXV. Et obliquitas fibræ eſt ejuſdem motus cauſa.
XXXVI. Quid fiat de ſpirituum impetu in fibras.
XXXVII. Pro quolibet fibræ motu directio determinata requiritur.
XXXVIII. Pro tali motu, & tali impetu gradus exigitur.
XXXIX. In qualibet unda ſucci nervei fieri debet fibræ diaſtoles.
XL. Quomodo impetus ſpiritus pertingat ad extrema fibrarum.
XLI Ut Spiritus influat, quantus requiratur impetus.
XLII. Poteſt augeri reſiſtentia ex parte fluidi.
XLIII. Si fiat æquilibrium inter potentiam impellentem, & reſiſtentiam, non fiet motus.
XLIV. Præmittuntur quædam circa doctrinam ſenſuum.
XLV. Fibra moveri non poteſt, quin mutet figuram.
XLVI. Neque poteſt mutari fibræ figura, quin incluſum fluidum moveatur.
XLVII. Facilius poteſt moveri fibra liquidum, quam ſolidum.
XLVIII. Affertur ratio prædictæ propoſitionis a fibræ cavitate.
XLIX. Altera a compoſitione fibræ.
L. Alia demum deſumta a varia particularum figura.
LI. Externæ impreſſiones communicantur cerebro per liquidum nerveum.
LII. Perpenditur partium fibræ tenuitas.
LIII. Quid requiratur, ut moveatur particula minima fibræ.
LIV. Impetus concurrit ad motum fibræ.
LV. Varius ſitus partis movendæ variam potentiam requirit.
LVI. Quid requiratur pro liquidi nervorum refluxu.
LVII. Examinatur modus fluxus, & refluxus.
LVIII. Quid contingeret ſi mutata fibræ figura non fieret refluxus.
LIX. Non in qualibet mutata figura fit refluxus.
LX. Unde petenda ſit varietas ſenſuum.
LXI. Non cujuslibet fibræ fluidum æqualiter poteſt refluere.
LXII. De diverſitate ſenſoriorum, & præcipue aliquid de oculo.
LXIII. Nonnulla de auditus organo, & ſono.
LXIV. Aliqua de tactu, & guſtu.
LXV. Quid requiratur pro ſenſu doloris.

LXVI. *In dolore quomodo fieri debeat refluxus.*
LXVII. *Cur ossa careant & dolore & sensu.*
LXVIII. *Cur secta cerebri cortice dolor non fiat.*
LXIX. *Cur partes molles corporis frigore rigeant, & cur rigida sensu careant.*
LXX. *Quid sit & qui fiat nervorum relaxatio.*
LXXI. *Quomodo fibra mutetur in relaxatione.*
LXXII. *Si fibra potest relaxari, potest etiam tendi.*
LXXIII. *Cur fibra excisa ab animali vivente, contrahatur.*
LXXIV. *Quid tensio, & relaxatio præstent in motibus fluidorum.*
LXXV. *Motus fluidi retardatur ab ulteriori fibræ tensione.*
LXXVI. *Quid præstet fibra contracta, aut relaxata, si vas cingat.*
LXXVII. *Quid contingat in fibra tensione, & relaxatione ab aqua & ab oleo.*
LXXVIII. *Effectus pressionis aqua frigida supra fibram.*
LXXIX. *Quid vere præstet aqua calida.*
LXXX. *Quid præstet oleum, & ratio effectus.*
LXXXI. *Solutio objectionis circa effectus olei.*
LXXXII. *De stimulis, & quid sit stimulus.*
LXXXIII. *Quinam influxus fiat in fibra stimulata & confluente.*
LXXXIV. *In fibra stimulata non semper debet fieri refluxus.*
LXXXV. *In fibris stimulate confluentibus fit major distractio.*
LXXXVI. *Quid a stimulate fibra oriatur extra fibram.*
LXXXVII. *Si aliquid hæreat intra fibram, quid agat stimulus.*
LXXXVIII. *Quid vero, si quid hæreat intra interstitia fibrarum.*
LXXXIX. *Quid fiat si fibra stimulata vas componant.*
XC. *Stimulus indiscriminatim agit.*
XCI. *A stimulo excitantur species majoris momenti.*
XCII. *Emetica & cathartica per stimulum operantur.*

IN OPUSCULO II.

De nutritione Animali.

I. *Necessitas consumtionis & reparationis.*
II. *Consumtio solidi non potest pendere a motu intestino fluidorum.*
III. *Consumtio præcipue dependet a motu circulari, & modus consumtionis.*
IV. *Statuitur & probatur partes solidas consumi.*
V. *Confirmatur solidorum consumtio.*
VI. *Nutritionis divisio.*
VII. *Partes corporis differre videntur.*
VIII. *Divisio corporis in partes nerveas, sanguineas, & adiposas.*
IX. *Reductio partium omnium ad Classes.*
X. *Ossium fabrica in fœtu: unde soliditas in genere.*
XI. *Duæ difficultates contra Ossium soliditatem.*
XII. *Probatur periostium causam esse ossium soliditatis.*
XIII. *Qui musculi concurrant ad ossium soliditatem.*
XIV. *Ob ossium cavitatem Fibræ ad intra extendi non possunt.*
XV. *Quid sint Cartilagines, ubi observatio de Aorta Ossea.*
XVI. *Et tendines & membranæ vasa sunt nervea.*
XVII. *Ad sanguinea referuntur musculi Lien, Hepar &c.*
XVIII. *Et Glandulæ & Pulmones ad sanguinea referuntur.*
XIX. *De Adiposis, ubi quid sit Omentum.*
XX. & XXI. *Quomodo nutriantur partes adiposæ.*
XXII. *Qui fieri possit secretio adipis.*
XXIII. *Adipis particulæ sunt crassiores reliquis.*
XXIV. *Exponitur nostra hypothesis circa novam glandularum adiposarum structuram.*
XXV. *Solutio difficultatum contra nostram hypothesim.*
XXVI. *Ostenditur quomodo adeps transeat in sanguinem, & quomodo animalia, per plures menses non pasta, solo adipe possint nutriri.*
XXVII. *Quid sint nervi, cujusdam figuræ, & quænam origo.*
XXVIII. *Duplici succo nervi turgent tenuiori uno tenuissimo altero.*
XXIX. *Respondetur negantibus succum nerveum.*
XXX. *Ostenditur tenuitas succi nervei, inductione sumpta a filo serico.*
XXXI. *De principio seu fonte succi nervei.*
XXXII. *Qualis sit figura succi nervei, & qualis motus.*
XXXIII. *Succus nerveus differri non potest per nervorum interstitia.*
XXXIV. *Confirmatur eadem propositio.*
XXXV. *De causa fluxus succi nervei per nervos.*
XXXVI. *Statuitur succus nerveus materia nutritionis.*
XXXVII. *Exponitur ratio nutritionis, & ejusdem tempus.*
XXXVIII. *Cur in febribus nutritio non fiat.*
XXXIX. *Cur in pueris fiat augmentatio.*
XL. *Explicatur modus augmentationis.*
XLI. *Cur in adultis non fiat augmentatio.*
XLII. *Cur senes decrescant, & quomodo.*
XLIII. *Quænam sit nutritio partium sanguinearum.*
XLIV. *Quæritur quomodo possit statui quantitas necessaria succi nervei pro nutritione.*
XLV. *Sanguis fluit copiosius ad cerebrum, quam alio.*
XLVI. *Sanguis defœcatior ad cerebrum fertur.*
XLVII. *Cur copiosa sit fluidi secretio in cerebro.*
XLVIII. *Quando, & cur fiat major consumtio.*
XLIX. *Unde materia perspirationis, & quanta possit esse solidorum consumtio.*
L. *Statuitur quanta fieri possit liquidi secretio in cerebro, singulis omnium cerebri arteriolarum constrictionibus.*
LI. *Perspiratio copiosior in somno non impedit uberiorem nutritionem.*
LII. *Cur magis perspiretur in somno quam in vigilia.*
LIII. *Situs dormientium, & quies musculorum causa sanguinis tardioris motus.*
LIV. *Qui motus requiratur pro secretione.*
LV. *Cur ossa, & adeps sensu careant.*

IN OPUSCULO III.

De Hæmorrhoidibus.

I. PRæjudicia ab antiquitate orta.
II. Erronea cogitata de hæmorrhoidum fluxu.
III. Quid ſint vaſa hæmorrhoidalia, & unde eorum ortus.
IV. Exploduntur inanes cauſæ hæmorrhoidum.
V. De hæmorrhoidum fluxu, & ſanguinis vitiis.
VI. Quomodo hæmerrhoides fluant ob majorem ſanguinis quantitatem.
VII. Cur poſſint aperiri imminuto ſanguine.
VIII. Et per qualitates ſanguinis hæmorrhoides fluunt.
IX. Quomodo aperiantur hæmorrhoides partibus ſanguinis in contactum nimis nitentibus.
X. Quo vero modo iiſdem minus coharentibus.
XI. Poſſunt fluere hæmorrhoides a partium abraſione.
XII. Ob motuum vitia fluit ſanguis.
XIII. Contenta in inteſtinis poſſunt eſſe fluxus cauſa.
XIV. Sanguis hæmorrhoidum ab arteriis emanat.
XV. Cauſa hujus fluxus periodici.
XVI. Cur hæmorrhoides proſint in ſanguinis copia.
XVII. An proſint, an noceant, ubi quantitas minor.
XVIII. Quomodo proſint vitioſæ ſanguinis qualitati.
XIX. Sanguis velocior eſt a fluxu hæmorrhoidum.
XX Velocitas ſanguinis dupliciter pendet a vaſis.
XXI. Sanguis poteſt per velocitatem rareſcere.
XXII. Poteſt per velocitatem ſtipari.
XXIII. Sanguis candidior per hæmorrhoidum fluxum poteſt minus calidus fieri.
XXIV. Non eſt facile determinare ubi per ſanguinis miſſionem augeatur, vel minuatur calor.
XXV. Quid fiat ab hæmorrhoidibus, ubi minor motus fluidorum.
XXVI. Si in nimio motu ſanguis rareſcat, quid fiat.
XXVII. Quid in ſanguinis tardiori motu.
XXVIII. Quid, ubi ſegnior ſit motus ob cerebri aut nimiam aut parvam preſſionem.
XXIX. Quid ab hæmorrhoidibus, ſi ſanguis ſtagnet in capillaribus.
XXX. Sanguis ſtagnans poterit promoveri ratione vaſorum.
XXXI. Non ubicumque ſtagnat ſanguis æquale commodum habetur.
XXXII. Sed vaſa obſtructa debent procedere a trunco oppoſito emiſſarii.
XXXIII. Quid præſtet varietas vaſorum fluentium.
XXXIV. Unde pendeat neceſſaria, quandoque tantum, ſanguinis evacuatio.
XXXV. In vaſis corroſis non ſiſtitur facile ſanguis.
XXXVI. Commentum in Hipp. aph. II. lib. VI.
XXXVII. Quid poſſit per melancholiam intelligi.
XXXVIII. Quid præſtent hæmorroides calculo.
XXXIX. Quid diabeti.
XL. Quid urinæ ſuppreſſioni a fortiori ſanguinis nexu.
XLI. Quid ejuſdem ſuppreſſioni a ſanguine in arteriolis renalibus ſtagnantes.
XLII. Quomodo ſedetur hæmorrhoidum dolor.
XLIII. Quid præſtet fluxus immodicus, ubi de morbi diagnoſi.
XLIV. Quodnam remedium ſit applicatio hirudinum hæmorrhoidibus.
XLV. De hirudinum ſuctu, & de lympha ſanguinis.
XLVI. Quid ſit rubra ſanguinis pars.
XLVII. Quid & quomodo exeat per hirudinum ſuctum.
XLVIII. Quid ſit ſuctus lactantium.
XLIX. Quid ſperandum ab hoc remedii genere.

IN OPUSCULO IV.

De Catameniis.

I. DIfficultas argumenti.
II. Cuinam competat fluxus menſtrualis.
III. Sanguis menſtruus præcipue exit a vagina.
IV. Sanguis ille exit ab arteriis.
V. Diſpoſitio vaſorum hypogaſtricorum.
VI. Unde ſemen muliebre, & ejus activitas.
VII. A quibus cauſis pendeant catamenia.
VIII. Hæc excretio partim pendet a ſemine.
IX. Motus materiæ ſeminalis.
X. Liquidum ſeminale agit in fibras, & quomodo.
XI. A quacumque ſeminis actione non ſit idem impetus in fibras.
XII. Unde pendeat diverſitas ſeminis actionis.
XIII. Quando ſemen dicendum erit cauſa catameniorum.
XIV. Determinatio actionis majoris, aut minoris ſeminis in fibris.
XV. Sanguis circa uterum ſibi occurrit, & quid a tali occurſu contingat.
XVI. Quid fiat in utero a ſanguinis celeriori vel tardiori motu.
XVII. Qua de cauſa poſſint menſtrua non fluere.
XVIII. An a lunæ phaſibus pendeant catamenia.
XIX. De tempore menſtruorum, & de eorum fine.
XX. Cur in brutis menſtrua non appareant.
XXI. Eruitur cauſa, & a fluidis, & a ſolidis.
XXII. Solutio prædicti problematis.
XXIII. Altera ſolutionis ratio deprompta a ſemine.
XXIV. Cur gracilibus menſtrua fluant.
XXV. Obſervatio rara admodum de excretione menſtrua.
XXVI. Oppoſitio ex pellicum catameniis contra ſtimulum ſeminis.
XXVII. Cur virginibus quandoque non fluant.
XXVIII. Ratio, cur lactantibus, & gravidis menſtrua non fluant.
XXIX. Cur puellis, & Vetulis menſtrua aliquando fluxerint.
XXX. Cur aliquibus matribus nunquam fluxerint.
XXXI. De ſanguinis menſtrui qualitatibus.
XXXII. Quomodo catamenia tandem ſiſtantur.

DE

DE STRUCTURA, AC MOTU FIBRÆ.

OPUSCULUM I.

UM paſſim præcipue apud recentiores nonnullos, reperiantur Fibrarum oſcillatio, criſpatio, ac motus: quid vero hæc nomina ſignificent, ſeu quo modo illi motus perficiantur, cum adhuc, prout mihi compertum eſt, aut non explicatum, aut non ſatis lucide, ac inconcuſſo rationalis philoſophiæ fundamento explicatum fuerit; meum arbitratus ſum non fore damnandum ingenium, ſi quod ſentio de ſtructura ac motu Fibrarum exponerem, præcipue ſi ea in pluribus uterer methodo, quæ, cum difficillime decipiat, facillime ad veritatem ducit; prius vero, Geometrarum more, debeo nominis definitiones tradere, dein vero, & dividere, ſi opus fuerit; ſingulas demum propoſitionis partes probaturus.

II. Fibram voco nerveum filamen, unicum tantum tubum nerveum, ex quorum multitudine faſciculus ille componitur, qui paſſim nervus appellatur. Si vero ſupponant unicum hunc tubum nerveum, qui ex aliis tubis non conſtat circumcingi ſeu inveſtiri ab aliqua meningum; peto. Vel hæc meninx conſtituitur ex tubulis patulis, vel ex villis omnino ſolidis abſque ulla media cavitate, per quam aut ſuccus nerveus, aut ſpiritus tenuiſſimus poſſit ſtatuto tramite permeare; ſi admittunt meningem, qua circumdantur extra cranium ad extremas uſque corporis partes hi minimi ſeu individui tubuli, conſtare ex aliis tabulis, per quorum cavitates permeare poſſit, & ſpiritus, & ſuccus nerveus; dico, vel hi tubuli ſeu pervii meningum villi potiuntur ut, nervi ſenſu & motu, vel non: ſenſatio ipſis negari non poteſt, cum exquiſitiſſimi ſenſus ſit meninx, quæ ex illis conſtituitur; ſi potiuntur, ſenſu, & motu, hi tubuli non diſcriminantur a nervis, cum & illi habeant ſenſum, & motum: cum vero hi minimi tubuli meningum habeant totum id quod habent nervi, vel requiritur hos tubulos circumdari ab aliqua alia meninge, vel non. Si negetur neceſſitas, ut illi tubuli ab aliqua membrana circumdentur, cum tamen habeant ſenſum, & motum ut nervi: dico neque nervos debere circumdari ab alia membrana, ad hoc, ut habeant ſenſum, & motum, cum eadem in toto corpore ſit machinæ ratio, & neceſſitas: ſi vero requiritur, aſpicis admittendum eſſe proceſſum in infinitum, nam & de illa membrana circumdante villos meningis poteſt fieri interrogatio, an ſit ejuſdem naturæ, ac membrana, ſeu meninx, quæ inveſtit nervos. Si enim admittatur habere ſenſum, debet conſtare nervis, & nervi debent juxta vulgatam hipotheſim circumdari ſeu inveſtiri a meninge; quare proceſſus hic non eſt admittendus. Neque poteſt admitti meninges conſtare villis omnino ſolidis, ita ut nullus ſit Spiritui, aut ſucco nerveo tranſitus; nam cum ſenſum habeant, debent eodem modo ac ceteri nevi, ſeu partes ſentire per medium ſpiritum in villis hoſpitantem, quod ab ullo vix negari poteſt. Quid ergo dicendum? Certum eſt præcipuos ſaltem nervorum faſciculos a membrana, quæ a meninge derivari creditur circumdari. Certum quoque eſt ſenſum in cerebro explicari per ſpirituum motum intra tubulos. Quid ſtatuendum; cum forſan de cerebro egero, dicam. Interea Fibra eſt corpus teres, oblongum, cavum, non diviſibile in alia corpora cava.

III. Per motum Fibræ non intelligo quod fibra hinc inde moveatur, ut dicunt per accidens, cum nempe Fibra, quæ in brachio eſt, moveatur ad motum brachii, quin aliquid agat, ſed ſolum ab aliquo externo huc, illuc ducatur; ſed motum Fibræ intelligo, quando illa vel elongatur, vel abbreviatur, vel expanditur, vel coarctatur, vel quomodolibet alia intrinſeca motione, aut ſimplici, aut compoſita, aut ab externo, aut ab interno principio proveniente, dummodo aut intrinſece immutetur villus, aut diverſimode afficiatur incluſum fluidum.

IV. Ulterius dico nullam Fibram, ſeu pervium corporis villium, aut nervum in corpore vivente naturaliter conſtituto tenſum eſſe veluti, ut ajunt, citharæ fides, ita ut uno extremo tacto, ſeu leviter moto ratione tenſionis, ſeu tantum ſolidi, debeat motio illa abſque contenti fluidi actione villi ſeu Fibræ extremo communicari. Hæc enim Fibrarum tenſio, nec habetur, nec pro earum munere eſt neceſſaria. Unicuique enim, qui & a limine anatomen ſalutarit, conſtat hanc non eſſe nervorum diſpoſitionem; illi ſiquidem per corpus laxe vagantur, ut ſeſe accommodent partibus varie ſeſe moventibus; ſi tenſi eſſent, ut in flexione partis ammitterent illam tenſionem, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad propria obeunda munera, aut in partium extenſione nimis extenderentur, aut cum incommodo animalis, aut cum periculo totalis diſtractionis, ſeu divulſionis. Hoc inſuper acrius non probo, quia res per ſe mihi patere videtur, tum quoque, quia nec talis tenſio, aut pro ſenſu, aut pro motu eſt neceſſaria, uterque enim ab alia pendebit cauſa, ut videbitur.

V. Modo his habitis debemus perpendere Fibræ motum, quo ſcilicet modo Fibra moveatur; antequam vero videamus quomodo moveatur Fibra in corpore vivente a cauſa ſcilicet interna, videndum qua ratione extra animal moveri poſſit. Fibra extra animal ſupponatur tubulus

bulus seu intestinulum vacuum, in cujus nempe cavitate nihil sit, sc. nullum agens: dico hanc Fibram moveri non posse, quin minimæ illius partes dispositionem mutent, seu a contactu recedant, aut in majorem cohæsionem nitantur.

VI. Ut facilius hæc intelligantur & exponantur, liceat mihi pro determinanda Fibræ structura ea uti libertate, qua usus est nitidissimum medicinæ lumen *Bellinus*: ubi de villo contractili. Liceat igitur ad mentem tanti viri mihi concipere, nec forsan falso supposito, alicujus Fibræ portionem. Sit igitur Figur. I. cujus ABCD sit fragmentum seu portio fibræ, rectangula vero EFGHI cum reliquis sint partes seu minima componentia Fibræ. Hic vero advertendum, me non asserere illam esse minimarum partium figuram, illam dispositionem, illum perfectum contactum, ita ut aliter esse non possit, quin imo arbitror partes illas, quas ego rectangula voco, rectangula omnia esse non posse, sed minima corpora cujuscumque figuræ, magnitudinis, dispositionis, situs; dummodo possint concurrere ad contractionem Fibræ & Fibræ contractilis. Hinc visum fuit hunc potius, quam alium excogitare ordinem, seu illorum rectangulorum dispositionem, quia, utpote in prælaudato viro apparet, hæc potius dispositio, seu series rectangulorum magis distractioni, & contractioni congruit. Talis seriei cognitio intuenti patet. Non enim prima rectangulorum series EFG quomodo cumque superposita est alteri seriei rectangulorum HI, neque utcumque tertia series rectangulorum KLM posita est supra quartam seriem rectangulorum OP; sed ita cogitamus esse superposita, ut nullum totum rectangulum superpositum sit toti plano alterius rectanguli, sed ita concipitur superpositum rectangulum E rectangulo H; ut E bifariam dividatur ab H, & ita F superpositum I, ut bifariam quoque dividatur ab I, & sic G concipitur superincumbens I, ut bifariam quoque sit divisum ab I. Quod de primis duabus seriebus dictum, idem de reliquis dicendum est, cum eodem modo sint dispositæ. Hæc vero juvat dispositio, ut partes in opposita distractæ non divellantur a toto, seu secedant, tanta tamen est facienda duarum partium in opposita distractio, ut a contactu superpositi, aut suppositi rectanguli omnino non recedant. Fig. II. K & M ita distrahantur in oppositas partes ab L, ut omnino non recedat K ab OH; M vero ab IP, sed K ita recedat ab L, ut extrema pars plani K supposita H adhuc in cohæsione sit cum extremo plano superposito H, & ita pariter extrema pars plani K superposita O contingat extremam partem plani suppositi O. Pariter ex altera parte M ita recedat ab L, ut recessit K ab I., nempe, ut M adhuc contingat partem aliquam plani IP, ita vero partes distractæ non divellentur a toto; pars elongabitur, nec dividetur: elongabitur quidem, quia si rectangula KLM Fig. I. supponantur æqualia rectangulis KLM Fig. II. si rectangulis KLM Fig. II. addantur duo spatia media, alterum inter K & L, alterum inter L & M, totum rectangulum comprehensum sub rectangulis KLM, una cum duobus spatiis mediis, erit majus toto rectangulo KLM Figur. I. comprehenso sub solis rectangulis KLM, quare pars elongabitur, nec dividetur: hoc vero ulterius non prosequor, ne actum agere videar, utpote fusius magno *Bellino* probatum.

VII. Cum vero omiserit, parvi forsan hoc faciens, nec ad propositum spectans, qua scilicet causa; si duæ facultates, quæ in oppositas traxere K & M, removeantur a tali tractione, cur inquam K & M Fig. II. iterum accedant ad contactum ex oppositis partibus rectanguli L: pro quo admonet, ne decipiamur ab æthere Cartesii, forsan non quia negandum sit æther, seu purissima tenuior aeris pars, seu flos, sed quia ab æthere nullum nec minimum spatium vacuum relinqui arbitratur, quod equidem tanti Philosophi nec exiguus nævus est. Credimus igitur K & M rectangula sibi relicta, nec a facultatibus majoris, quam eorum sit nisus, detenta in contactum L venire, qui solum in contactu L sunt in æquilibrio virium, & res in æquilibrio positæ, ut in libra habetur, debent consistere; K & M igitur sibi relicta debent accedere ad L, quia cum magis urgeantur versus L, quam vel detineantur in eo situ, vel removeantur ab L, debent ratione majorum virium impellentium ad L, accedere ad L. Si enim supponantur illa duo spatia inter K & L, & inter L & M carere corpore, seu vacua omnino esse, vel ita intra illa si æther, ut tamen non minima vacuola relinquantur; dico, vel spatia illa inania, vel omnimode non plena æthere non posse rectangula K & M arcere a contactu L, quia si illa spatia sint omnino vacua, non possunt contraniti externæ pressioni; quare cum externa pressio non habeat æqualem in spatiis resistentiam, cum nullam habeat ab ullo incluso corpore, impellet K & M ad contactum L. Rursus cum supponatur aerem, vel quodlibet aliud externum impellens K & M ad contactum L habere majorem vim, quam sit resistentia a minimo illo æthere in illis spatiis concluso, poterit externum impellens superare resistentiam interni contranitentis, quare K & M venient in contactum L.

VIII. Modo ad propositum revertentes, dicimus primo, portionem Fibræ Fig. I. ABCD neque in longitudinem, neque in latitudinem moveri posse, quin ejus minima componentia EFGH cum reliquis a contactu recedant. Sit igitur AC, BD longitudo; AB, DC latitudo; ejus vero componentes partes ut EFGH supponantur corpora omnino solida, ita ut neque extensilia, neque compressibilia sint, idest poris careant, hoc enim non inscite supponitur, quia quamvis illæ partes sint forsan compressibiles, aut extensiles,

Fi. I.



Fi II.



Fi. III



Fi. IIII.



Fi. V



Fi VI.



A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
O
P
Q
R
S

siles, attamen deveniendum ad aliqua corpora, quæ sint omnino solida, cujusmodi sunt prima minima, & quales gratis supponuntur minimæ hæ partes EFG; si igitur illæ partes supponantur, quales diximus, dico longitudinem AC, BD, & latitudinem AB, CD majorem fieri non posse absque eo quod EFG a contactu recedant. Si enim persistant in eodem contactu, & non possit per earum extensionem majus spatium occupare, necesse est ut persistant in eadem mole, seu extensione, quare ad hoc ut pars illa ABCD major fiat, debent illius aliquæ partes a contactu recedere, ex. gr. F ab HI; K, & M ab L, R ab OP, ut in Figur. II; quare patet primo propositum.

IX. Hinc veluti corollarium fluit; oppositamque ad invicem se sequuntur, neque longitudinem, neque latitudinem minui posse, supposita semper præsentia partium omnium, quin partes illæ a contactu dimotæ in contactum veniant. Si enim de primis diximus, neque esse extensisilia, neque compressibilia, dicendum & hic per compressionem imminui non posse extensionem, quare in contactum veniant oportet, quod est secundum.

X. Dico tertio, Fibram posse augeri & quoad longitudinem, & quoad latitudinem si detur facultas ad utramque partem ducens, dummodo tamen illa sit determinatæ virtutis. Detur igitur quæcumque facultas, aut duæ facultates, quarum altera in Fig. I. nitatur per longitudinem in F versus AB, & in R versus CD; altera vero per latitudinem in K versus AC, & in M versus BD, dummodo sint determinatæ virtutis, ita ut primo superent resistentiam quarumcumque removendarum partium, seu nisum, quo sunt in contactu cum reliquis, nempe ut superent nisum, quo F cohæret cum EHIG; idem dicatur de reliquis; secundo ut sint tantæ virtutis, ut removeant quidem K ab L, & M ab L, sed ita ut adhuc K contingat HO, & M contingat IP, & R contingat QS, & F contingat EG; hoc vero, ne Fibra dissolvatur, ut vidimus num. VI. quare patet Fibram posse, & per longitudinem, & per latitudinem augeri.

XI. Pariter si concipiatur Fibra eo modo, quo est in Fig. II. & facultates partes illas a contactu removentes desistant a sua actione, cum partes illæ a contactu remotæ debeant in contactum venire, prout vidimus num. VII. Fibra minuetur, & quoad longitudinem, & quoad latitudinem simul, cum F recedat ab AB versus HI, & R a CD versus OP, & K ab AC versus L, & M a BD versus L, & habebitur eadem Fibræ longitudo ac latitudo, quæ est in Fig. I.

XII. Si vero fuerit una tantum facultas, quæ in unam tantum partem nitatur, nempe in longitudiuem, non vero in latitudinem, dico posse augeri longitudinem, quin minuatur latitudo. Si aliqua facultas, Fig. I. nitens, seu ducens F versus AB, ducens R versus CD, ita tamen ut omnimode ab adjacentium partium contactu non secedant, nempe F ab EG, & R a QS, sed F & R remaneant, ut in Figur. II. absque eo quod tamen reliquæ a suo contactu versus AC, aut BD removeantur, habebitur elongatio, quin habeatur latitudo minor. Pariter dici potest, latitudinem augeri posse non imminuta longitudine, si facultas eodem modo ac supra operetur ducens non versus AB, sed versus AC, aut BD.

XIII. Si vero facultas, sive interna, sive externa sit perinde est, nitatur solum in latitudinem, seu partes Fibræ ducat versus ACBD tanta vi ut Fig I. divellat a mutuo contactu OP, ita ut inter O, & P possit consistere L, & ita dimoneat K a contactu L versus AC, & M ab L versus BD, ut inter K, & M possint consistere HI, dico Fibram acquisituram esse majorem latitudinem, sed amissuram aliquam partem longitudinis. Nitatur igitur facultas per transversum, nempe per latitudinem in OP, ita ut duo illa rectangula removeantur a contactu, & tantum spatium relinquant, ut contineri possit inter illa L, ut in Fig. III. L, ita constitutum sub se in spatio medio inter O, & P non habeat alicujus corporis, ut supposuimus, resistentiam, & supra se habeat pressionem, non a facultate in latitudinem nitente, sed ab HI a quibus bifariam secatur, dico non debere persistere inter K, & M, sed debere ob superiorem pressionem in spatium inter O, & P migrare: pariter si eadem facultas eodem tempore quo duxit O ad AC, & P ad BD, duxerit etiam K versus AC, & M versus BD, ita tamen, ut spatium inter K, & M possit continere rectangula supraposita HI, dico HI non debere persistere in loco, in quo sunt in Fig. III, sed ipsis migrandum esse in spatium vacuum inter K & M, ita ut fiat rectangulum constitutum ex KHIM, ut in Fig. IV., & hac eadem ratione, qua L migravit inter OP, debet HI migrare inter KM, cum vero fuerit HI inter KM, cum EFG cohæreant cum HI, & descendentibus HI non ratione facultatis in latum ducentis, sed pura ratione propriæ gravitatis, debet & totum rectangulum EFG cohærens cum HI, cum nulla sit ratio divulsionis, una cum HI descendere, quare E continget, & bifariam dividet K & GM, quare non amplius erunt quinque series rectangulorum, ut in Fig. I., sed tantum quatuor, ut in Fig. IV. quare longitudo AC, BD erit minor, cum constet tantum quatuor seriebus rectangulorum, latitudo vero erit major, eo quod rectangulum totum KLM non constet amplius 3. rectangulis KLM, sed 4. KHIM, & quarum rectangulum OP constet tribus, nempe OLP, patet ergo propositum: idem dicendum, si facultas eodem modo agens nitatur in longum, potest enim minui latitudo, augeri longitudo.

XIV.

XIV. Hic porro advertendum prima Fibræ componentia non esse concipienda arcto admodum inter se contactu adhærere; alioquin totum resultans ex partibus intime inter se cohærentibus, non molle, sed solidum corpus esset, mollities enim pendet ab eo quod partes tactæ facile possint cedere; cedunt vero facile, quia compressæ sese adigunt in spatium, in quo minima erat resistentia, quæ tamen ab extrinseci pressione superari non poterat. Ulterius ad hoc ut Fibra possit extendi, aut per longitudinem, aut per latitudinem, requirit præter partium dispositionem, & facultates, etiam spatium, quod possit occupare, quo deficiente, aut quia Fibra sit prope aliquod corpus ita solidum ac renitens, ut a facultate superari ejus resistentia non possit, non fit extensio, aut fit major in parte, in qua minor est resistentia; si forte facultas nitens in latum superet quidem Fibræ resistentiam, seu cohærentiam partium, at non possit superare corpus, quod circumundique premit Fibram, ac impedit illius dilatationem, non perit ille nisus, sed in longitudinem se exercet; hujus vero exemplum, absque eo quod per longiora argumenta evagemur, in sanguine habemus: hic enim e corde exiens non in latum in arteriam nititur, sed in longum, nempe in sanguinem antecedentem; cum vero præ sanguinis antecedentis resistentia totus cordis nisus in longum insumi non possit, in latum extenditur, a quo arteriæ diastoles: clarius vero hoc patet in bellicis bombardis, quæ in nisu explosionis non franguntur, ut contingere deberet; nam cum vis expansi pyrii pulveris circum undique æque nitatur, deberet frangere bombardæ latera, & quia maximam ibi invenit a partium firma cohærentia resistentiam, & cum tantam non inveniat versus bombardæ lumen, illac suam vim exerit, tum in latum, tum in longum nitentem, quare fit explosio pilæ, non fractio ænei cylindri.

XV. Ulterius dico pro constructione Fibræ corpore vivente unicam non sufficere particularum seriem, sed duas saltem requiri. Posito enim, quod una tantum particularum serie constaret Fibra, hæc aut motus necessarios subire non posset, aut si posset brevissimo temporis spatio tota Fibra dissolveretur. Sit ergo sectio transversa fibræ Fig. V. ita tamen ut non constet bina, sed tantum simplici, & externa particularum serie. Hæ partes ABCD vel se contingunt, seu mutuo inter se adhærent, vel non; si hæ partes inter se adhærent, Fibra figuram mutare non potest prout diximus num. VIII. & IX. nam ad hoc ut vel extendatur, nempe majus spatium acquirat, debent partes a se divelli, & ad hoc, ut ad minus restringantur, debent prædicta minima componentia in majorem contactum venire: aut vero minima componentia flecti, aut extendi, quod non posse fieri supposuimus, ut sphærica fiat sphæroides, aut aliqua parte complanetur: hoc vero, ut diximus a minimis componentibus haberi non potest, non quia minimæ partes Fibræ prout Fibræ extendi non possint, sed quia maxima vis requiritur, quam haberi in corpore vix puto, ad hanc extensionem; partes vero absolute minimæ omnino inflexibiles sunt, quare per partium flexionem figura mutari nullo modo potest. Ut igitur figura mutetur, A, vel debet accedere ad centrum Fibræ, vel ab ipso removeri; neque accedere, neque removeri potest, quin a partibus, quibus adhæret, nempe ab H, & B removeatur; si ab harum partium contactu removeatur, cum a nulla alia parte, puta in simplici serie partium detineatur, illuc se conferet, aut quo ducet facultatis nisus, aut quo impellet momentum gravitatis. Hinc secedente A Fibræ structura vitiatur, tum quia relinquitur spatium inter H, & B, quod vitiat Fibræ figuram, tum, quia aliæ partes a contactu discedent: nam cum H contingat veluti per punctum G, nec in eo situ ab alio detineatur, sed removeatur vel ab externa facultate, vel extrorsum, vel introrsum nitente, aut a momento gravitatis. quod solum, si minimæ adhæsioni præponderabit, illam partem nempe H a contactu divellet, quare multo magis Fibra destruetur; nec enim finguntur facultates; exterior enim potest esse præter innumeras, arteriosi sanguinis pressio, interior vero contenti animalis spiritus ad exteriora nisus. Si vero partes inter se non adhæreant, non construetur Fibra, partes enim unitæ esse debent ad Fibræ constructionem; quare patet posita una tantum particularum serie, aut Fibram non moveri, aut citissime dissolvi; citissime quidem, quia cum incessanter debeat moveri quodam licet obscuro motu systolis, & diastolis, & cum a motu habeatur demonstrata dissolutio, citissime dissolvetur.

XVI. Duplici igitur ad minimum particularum serie debet Fibra constare: sic enim quicquid in superiori propositione metuimus, facile vitatur; Fibra scilicet quomodolibet moveri potest absque tamen sui tam facili dissolutione, supposito tamen, quod partes unius seriei inter se non adhæreant; nam cum inter partes B, & C, inter A, & H mediet spatium, per quod partes possint in majorem contactum venire; patet cum partes illæ possint inter se magis accedere, Fibram posse coarctari, si vero sit aliqua potentia, quæ illas partes magis ab invicem removeat, Fibra fiet majoris diametri, nec tamen Fibra facile solvetur; nam ut in alia propositione vidimus, ideo Fibra solvitur remota H ab A, quia tantum veluti in puncto adhærens G satis firmiter non adhæret, ita ut possit resistere, aut propriæ gravitati, aut facultatibus a contactu removentibus; cum vero hic firmior habeatur contactus, hoc evenire æque facile non potest; nam quamvis H supponatur remota a contactu A, & G, tamen a Fibra abscedere non potest, quia per majorem sui partem adhæret P, & Q,

& Q, quare non divelletur, nisi, aut P ita removeatur a Q, ut spatium inter P, & Q sit majus H, aut aliqua facultas ita nitatur in H, ut illius potentia sit major momento, quo H adhæret QP: quare data duplici serie particularum, quæ dicto modo sint dispositæ, Fibra moveri quomodolibet potest, nec facile dissolvetur, ut proposuimus.

XVII. Ulterius Fibra moveri potest, nec facile dissolvi, quamvis Fibræ partes inter se arcte adhæreant, dummodo tamen duplici constet particularum serie. A igitur contingat B, & I adhæreat K, dico Fibram moveri posse, quin dissolvatur. Debeat primo Fibra coarctari, & ad hoc ut coarctetur I recedat ab AB partibus extimæ seriei, & a KQ partibus intimæ seriei, & A recedat ab HB, & a subjecto Q, ita ut A secedat a Fibra, sicuti & I, & QK sibi magis accedant, vel adhæreant; jungantur pariter H, & B, si particulæ B succedat C, & particulæ H succedat G ex num. IX. Fibra coarctabitur, nec tamen tota dissolvetur, nam vel Q post separationem I adhæret K, vel non: si adhæret, stat constans Fibræ structura, vel Q non adhæret K, nondum tamen dissolvetur Fibra; nam quamvis Q non adhæreat K, tamen Q non ita parum adhæret, ut a quocumque momento possit sejungi a P, cum non solum adhæreat P, sed insuper & H, quare Q duplici parti adhærens non facile avelletur. Debeat modo extendi Fibra, & majorem nanciscì diametrum: A igitur recedat a B, & I a K prout necesse est ex num. VIII. tamen A non secedet a Fibra, eo quod quamvis non adhæreat B, tamen adhæret H, & quamvis A non adhæreret H, attamen adhæret I & Q, idem pariter dicendum de I, & de qualibet alia parte in utraque serie: ergo poterit Fibra dilatari, quin dissolvatur, & partes a compage recedant, dummodo tamen ita I & Q ab invicem non recedant, ut relinquant majus spatium; quam quod possit impleri ab A; tunc enim secedente I a Q, & A ab H & B, simul A divelletur a Fibra, cum non adhæreat neque lateralibus partibus, neque interne subjectis, nihilominus Fibra non dissolvetur, cum interna series integra permaneat, quare ex dictis constat Fibram & hoc modo constructam posse moveri, nec facile dissolvi.

XVIII. Si vero Fibra constet pluribus particularum seriebus, puta quatuor, prout apparet in Fig. VI. quæ repræsentat circulare segmentum Fbræ, dico difficiliorem, ac tardiorem futuram esse Fibræ dissolutionem. Hic admonendum me non arbitrari tot esse particulas in minima serie, ac in maxima, idest æque in interna, ac in externa, quod connotatum videtur a prædicta figura, hoc enim veritati nihil obest, ac demonstrationem adjuvat, quin pariat innumeris minimis particulis confusionem. Ut ergo habeatur Fibræ dissolutio, partes minimæ Fibræ debent ab invicem secedere, quæ eo difficilius abscedent, quo arctior est eorum contactus; & major est superanda resistentia pro earum remotione. Sit primo facultas aliqua, quæ nitatur, seu vim faciat in E, ut divellatur a cohærentibus partibus. Hæc facultas sive potentia removeat a contactu F, adhuc supersunt tres integræ particularum series, quare quo plures series longius tempus requiritur pro earum resistentiis superandis. Sed supponatur interna facultas, nempe in centro Fibræ agens in E, hæc dupliciter potest agere, scilicet dimovendo per longitudinem, aut per latitedinem. Utroque modo difficillime E dimovebitur. Si facultas urgeat per longitudinem, quamvis hæc potentia minima sit ad dissolvendam Fibram, eo quod, ut superius ostendimus, situm partium muret, non divellat, & præter hoc debet, & subjectas, & superiores resistentias superare, nempe contactum, quo E adhæret lateraliter D, & P, & superne F, & H, quæ resistentia major fit a reliquis circumprementibus partibus: si vero urgeat E per latum, ita ut dimoveat partem illam versus peripheriam, tanto est difficilior remotio, quanto majores, seu plures sunt superandæ resistentiæ. Ad hoc igitur, ut E tendat, & pertingat ad peripheriam, debet interior nisus quamlibet partem circumprementem superare; debet ergo dimovere E a DP, & ab FH, sed insuper debet ita dimovere F ab H, ut spatium medium sit majus E, ulterius debet dividere G aut a B, aut a K, ita tamen ut spatium sit majus E, ac tandem, aut removere a Fibra LM, aut ita dividere, ut possit inter illa permeare E, quare ob tot superandas resistentias difficillime, ac longiori tempore E dimovebitur a Fibra; at si facultas non sit in centro, sed in circumferentia, quæ extrinsecus nitatur in L versus interiora, eædem erunt superandæ resistentiæ, ac quando adigendum erat E versus exteriora; idem quoque intelligendum de quacumque alia parte in quacumque serie dispositа; nam si series erunt extremæ, jam dictum est quid superandum venit: si vero sit in seriebus mediis, non potest potentiæ nisus ad illas pervenire, quin prius transierit per extremarum aliquam; nec illam superare, quin per aliam extremam a Fibra divellat, quare eadem in omnibus est difficultas superanda; constat ergo in pluribus seriebus difficiliorem, ac tardiorem esse Fibræ dissolutionem.

XIX. Determinata modo Fibræ structura, & illius motu, extra tamen corpus, nempe in abstracto, nunc in animali vivente supereſt considerandа. Fibrarum quodcumque principium a cerebro deduco, veluti animalis radice, cum omnes arborum tubulos a radicibus vel mediate, vel immediate oriri credam. Quælibet enim pars solida corporis nihil est, meo judicio, præter Fibrarum acervum, seu glomerem: sint vero hæ Fibræ cujuscumque texturæ, diametri, aut crassitiei, prout alibi patebit.

XX. Præcipua Fibræ actio, ac quæ passim per ora vagatur, est Oscillatio, quæ quid significet

non

non adeo facile est determinare, multiplici namque usurpatur significatione, non omnino veritati cohærente, cum insuper hæc vox passim quoque usurpetur in rebus omnino solidis, dicunt enim, aerem oscillare; oscillare percussum parietem; vitream, aut metallicam laminam &c. Si vero a latinis, & significatum, & vocis ethimologiam inquiramus, habebimus componi hanc vocem ex os, oris, & cilleo, quod significat moveo, quasi oscilleo, unde oscillo, seu osmoveo, & hic est legitimus oscillationis significatus, nempe motio oris: quare Fibræ oscillatio nil aliud est quam motio, seu particularis apertio oris seu orificii, hoc est diastole. Alio quoque nomine indigitatur Fibræ motus nempe crispatio, quæ præter vocem, nihil ab oscillatione differt cum eadem in re sit, & contractio, prout, & vidimus, & fusius videbimus.

XXI. Fibra quælibet succo turget a cerebro elicito, tanto scilicet, prout per cujuscumque Fibræ diametrum, & parietum crassitiem, seu tensionem licet. Non eadem est Fibræ structura; seu non æque tot series particularum: quare ubi minor erit influenti liquido resistentia, uberior erit ejusdem fluxus. Neque idem erit, seu æque velox in qualibet Fibra influens succus, quamvis pro qualibet Fibra ab una eademque causa, seu impellente ad motum determinetur; nam, cum determinatio motus debeat pendere, tum a facultate, seu potentia movente, tum a fluido movendo, tum vero a loco per quem debet moveri, seu fluere mobile, quotiescumque unum ex hic mutetur, non æqualis fit motus. In Fibris idem supponitur fluidum, seu nerveus succus, idem succi impetus, non vero idem locus; nam cum facilius extendatur Fibra pauciorum, quam plurium parietum, facilius tenuioris Fibræ, quam crassioris augeri potest diameter, quare mutato loco, mutari debet, aut quantitas fluidi, aut velocitatis gradus; cum vero quantitas fluidi, quam suppono indefinitam, dependeat a loco, & gradus velocitatis ab impellente, & a resistentiis, quo minores erunt resistentiæ pro gradu potentiæ impellentis, major erit fluxus velocitas, & quo capacior locus, major influentis quantitas; seu sunt Fibræ, quæ minorem, ut videbimus, habent diametrum, & majorem pariunt fluido resistentiam, & aliæ Fibræ, quæ majorem habent diametrum, & pauciores resistentias; ergo in aliquibus Fibris major est, & fluidi quantitas, & velocitas, in aliis utraque minor.

XXII. Quamvis tamen eadem sit in duabus Fibris diameter, non eadem tamen fit succi consumtio, seu motus velocitas, neque eadem quantitas per easdem Fibras, æquali tempore excurret. Hoc absque probatione patet, cum enim Fibra supponatur succo turgens, nec succus possit a Fibra recedere, aut Fibra extendi, quamvis detur eadem diameter, tamen, cum a substantia impenetrabili repleatur, alter succus in ejus locum venire non potest; quamvis aut non desit materia, aut vigeat impetus, qui tamen, cum intercientis succi resistentiam vincere non possit, novum succum non valet impellere. Hinc totus impetus, qui nitebatur in totum succum propellendum, cum major sit impetu resistentia, nititur in partes succi, easque impellit, ut cogi, comprimi, ac coacervari necesse habeat, quare a pressione major particularum succi cohærentia, unde partes fluidi per aliarum cohæsionem auctæ molis magis motui resistunt, ac ferme spiritualem, seu volatilem, ac tenuissimam indolem exuunt.

XXIII. Fluit per Fibras a cerebro nerveus latex non omnimodo homogeneus, cujus scilicet partes, vel sint ejusdem omnino figuræ, vel ejusdem tenuitatis, sed habentes, & eamdem cohæsionem, & eumdem cohæsionis gradum: sed succus ille tenuis quidem est, sed ejus partes non æque tenues sunt, aliæ enim tenuissimæ sunt, & spiritus audiunt, aliæ minus tenues, seu majoris aliquantulum molis, & basim illius fluidi constituunt. Latex iste, ut singulas partes abluat, impelli ad illas opus habet, sive hic impulsus habeatur a propria gravitate, sive ab impetu externo. Non a propria gravitate proficisci potest hic motus, sed ab externo impellente, quod ceteris omissis a meningum motu specialius credimus. Moveri meninges testis est oculus, unde vero hic motus oriatur, si earum texturam perpendamus, non est difficile eruere. Duo præcipue meninges constituunt, vasa scilicet sanguifera, ac nerveæ Fibræ, non tamen excludere intendo, aut nonnullas minimas glandulas, aut aliqua lymphatica vasa, hæc enim parti sunt adjacentia, non vero constitutiva principia: circum undique hæc cerebrum investiunt; circum undique fulciuntur vasis nullo ordine dispositis: eodem pacto disponuntur Fibræ, quæ non rectæ, non circulares, non spirales omnes procedunt, sed modo simplices, modo decussatæ, ac nullo determinato ordine illam membranam constituunt. Non æque tamen pia ac dura mater vasis scatet, durior enim nonnullis est eorum fulcimentum, aut contra cranii alisum tutamen, nec ista indesinenter piam comitatur, nam in internis partibus deest, cum pia mater omnes ferme, & internas cerebri partes investiat. Internas illas partes voco, quæ adhuc, ut intueantur, non sufficit, aut lobos, aut basim cerebri denudare, sed aut manum, aut cultrum requirunt: hujusmodi vero sunt Corpora, ut ajunt, Striata, Crura, Medullæ oblongatæ, Nates, Testes, Pinealis glandula.

XXIV. Aut a Fibris, aut a vasis sanguifluis pendet meningum motus. Dico, præcipue a vasis sanguifluis pendere hunc motum: nam cum pia præcipue meninx velut intexta sit arteriis, necesse est attollentibus sese arteriis, in diastole, & piam matrem annexam illis obsecundare, quare opus est, ut illa in diastole attollatur, seu turgeat, & deprimatur, seu flaccescat in systole, qui sunt meningum motus,

XXV. Po-

XXV. Potest tamen aliqualis motus a Fibris oriri; cum enim continuus non sit in nerveas Fibras spirituum influxus, sed tantum alternus, seu undatim influat, quotiescumque tantus sit hujus influxus impetus, ut Fibras possit extendere, ita ut majorem diametrum acquirant, palmam est, & a Fibris aliqualem motu oriri posse; nec repugnat, Fibram nerveam per spirituum influxum majorem diametrum acquirere posse; nam cum & succus nerveus habeat propriam resistentiam, potest prior unda succedenti aliqualiter resistere, ita ut totus succedentis undæ impetus non insumatur in undam priorem, sed & in latera Fibræ. Quod si major sit spirituum impetus in latera, quam sit ipsorum laterum resistentia, ita ut Fig. II. per illum impetum necesse habeat M recedere ab L, & K ab L, latitudo Fibræ AB, CD fiet major, hinc nervi diastoles; cum vero remiserit impetus, qui removit K, & M ab L, iterum K, & M redibunt ad contactum L, ea de causa, quam attulimus num. VII. & fiet nervi systoles, seu constrictio; cum vero iterum redeat unda a cerebro, iterum potest extendi, cujus impetu remisso rursus constringetur, & sic deinceps, quare per alternum spirituum influxum possunt meningis Fibræ, & dilatari, & constringi; quare, & Fibris poterit oriri aliqualis meningum motus, adeo tamen exiguus, ut sensu percipi non possit, ideoque aut minimi, aut nullius usus in cerebro.

XXVI. Meninges idem præstant suo motu in fluidum cerebri, ac cor in sanguinem, quare non minimo jure nuncupari possent cor nervei liquidi, cum ab illis, aut proprius loquendo, ab illa, nempe a pia matre, cujus præcipuus est motus, per totam corporis machinam distribuatur. Ratio vero distributionis, est arteriarum pressio, a quibus tota cerebri moles compressa quidquid fluidi continent per emissaria adigit; hiant vero nerveæ Fibræ, in quas vi compressionis nerveus succus adigitur, ut albi fusius habebimus. Hic vero quis a me quærere posset, cum motus cordis habeatur ab influxu succi nervei, & influxus succi nervei pendeat a motu cordis per medias arterias, quisnam prior fuerit motus, aut cordis, aut succi nervei? si prior assignetur motus cordis, ergo motus cordis non fit ab influxu succi nervei. Si vero dicatur succus nerveus; ergo motus succi nervei non pendet a corde, quod utrumque est contra nostrum assertum.

XXVII. Quidquid dicatur contra nostrum assertum non est; nam vel fuerit prior motus cordis, vel motus succi nervei, utrumque in embrionis rudimento ab alia, quam quæ modo est causa, profectum fuisse jure possum asserere. Quis enim vetat, me dicere, utriusque motum primis formationis instantibus non ab alterutro, sed ab externa causa, nempe vel ab incumbantium calore, vel a materno sanguine intra uterum fovent[i]um, ortum fuisse? At possum asserere priorem fuisse cordis motum; cum tamen hic motus non indiguerit spirituum influxu a cerebro: nam cum, ut ostendit ubi de motu cordis celeberrimus *Bellinus*, primæ cordis motiones non factæ fuerint in corde, utpote a musculo, sed veluti a membrana naturaliter se contrahente, & a fluidi intrusione ab undis pendente, in quo innatarit membranosus ille canalis, adhuc salva res est dicendo motum cordis, utpote sacculi membranacei, non indiguisse cerebri influxu, quare & illo priorem fuisse. A corde vero etiam naturaliter se contrahente mediantibus suis propaginibus, seu arteriarum rudimentis, quædam potuit oriri pressio supra cerebrum, a qua pressione fuerit influxus in cor, & ab illo influxu cordis, utpote musculi, motus; potest ergo determinari priorem fuisse motum cordis motu spirituum animalium, & priorem fuisse motum spirituum animalium motu cordis, utpote musculi, & adhuc viget inter hos motus mutua causalitas. Absolute tamen probabilius est dicere priorem fuisse motum spirituum animalium, ab externa vero causa pro tunc pendentem, cum ab illo motu fuerit partium omnium primo inchoatum rudimentum.

XXVIII. Patet ergo & meningum motus, & ejusdem causa, ut pariter, & ejusdem motus effectus, nempe cerebri pressio, a qua pendet spirituum in Fibras intrusio. Hic tamen non abs re judicio considerare, quamlibet cerebri partem, aut a pia matre, aut a sanguifluis vasis circumdari. Cui non notum cerebri basim ab utraque meninge investiri, ubi majores vasorum trunci? cerebrum, ac cerebri lobi secundum totam exstimam intestinulorum, seu plicarum peripheriam a pia matre stipantur; superior medullæ oblongatæ pars tenui meninge circumdatur, ac intimi partium cerebri recessus, aut ab hac, aut a vasis non deseruntur, solum tamen per superficiem ad oculum reptantibus: Nates enim pia mater cooperit, & ad latera testes: glandula pinealis integitur a principio plexus choroidei, qui superfunditur cruribus medullæ oblongatæ ac sternitur, & versus superiora contingit fornicem, seu cerebri substantiam callosam, ac per ipsa corpora striata nonnulla, nec valde tenuia vasa sanguifluа perrepunt, quare pars omnis tum interna, tum externa a vasis satis cingitur, ut ab eorum dilatatione comprimi possit, ac elaborato spiritui impetum necessarium imprimere.

XXIX. Fluit ergo per nerveas Fibras fluidum aliquod, ut ad ultimam Fibrarum partem pro statuto munere pertingat. Videndum tamen, an extrema Fibrarum pateant, seu habeant patens orificium, an vero absque ullo lumine, cæca desinant, seu in extrema parte non pateant, veluti

tot cæca inteſtinula. Pro quo determinando videndum eſt, an hoc extremum orificium pro earum munere requiratur, ita ut cæcæ forent omnino inutiles, ac ſi non eſſent: primo dico, prout mihi compertum eſt, nervos aut ſenſui, aut motui tantum inſervire. Secundo: Non video, pro alterutro neceſſarium fore Fibrarum hiatum, ſeu extremum orificium; Non pro motu, quia, hoc admiſſo, difficile admodum eſſet explicare genuinam ſtructuram muſculi; præter quam quod abſque Fibrarum orificiis puto, me aliquando demonſtraturum fieri poſſe motum. Neque vero Fibrarum orificia pro ſenſu requiruntur, ut inferius videbimus, ubi quædam habeo de ſenſu. Fibræ ergo in extremis non hiant, nam dato Fibrarum hiatu, cum indefinenter Fluidum nerveum per Fibras excurrat, indefinenter extima unda per Fibræ orificium avolaret, ac abſque ullo animalis commodo conſumeretur. Admiſſa vero cæca extremitate quidquid per Fibras patulas fieri poteſt, & majori facilitate, ac maximo animalis commodo explicari poteſt; nam conſumitur & occluſo Fibræ extremo corpus, cum enim Fibræ non ſint corpora adeo ſolida, ſeu poris ab imperfecto minimarum particularum contactu enatis deſtituta, per illos nec minima illius tenuioris fluidi pars conſumi poteſt, ſed quamvis non ſupponantur hi pori emergentes ab irregulari minimarum particularum figura; tamen per ipſum motum Fibræ, quamvis omnes illius particulæ componentes eſſent rectangula, poſſunt patere aditus pro contenti tenuioris liquidi exitu. Pro quo ſupponatur in diaſtole Fibræ Fig. III. M & K ita ſecedere ab L, ut inter K & L, & inter L, & M relinquantur duo ſpatia, pariter O recedere a P, ut inter O, & P aliud majus ſpatium, ſeu vacuum relinquatur, ſpiritus in illa Fibra incluſus, & indefinenter a cerebro preſſius poteſt ſeſe in illa ſpatia intrudere, quæ, ſi aut extra Fibram ducant, aut aliis vacuolis alterius ſeriei correſpondeant, ſpiritus poteſt extra Fibram derivari: quod vero per illa ſpatia poſſit ſpiritus, ſeu tenuiſſimus ſuccus exire, facile eſt conjicere ex unius ſimplicitate, & alterius compoſitione, ſed hæc ſufficiat tetigiſſe; poteſt ergo fieri partium conſumtio abſque extremo Fibrarum hiatu.

XXX. Non me fugit ſiſtalticus glandularum motus, quo quidem admiſſo dico, hunc in modum fieri poſſe. Concipiatur glandula veluti inteſtinum tenue cum annexis lacteis, ita ut inteſtinum ſit vas ſanguineum, arterioſum tamen; lactea vero vaſa ſint ductus excretorii. Si Fibra aliqua nervea ſecet ad angulos Fibras longitudinales vaſis ſanguinei, ita ut correpta, ſeu abbreviata ſtrangulante Fibra, anguſtetur vas ſanguineum, hebetur ſiſtalticus motus, qui proprie mihi videtur ſignificare motum retardativum, eo quod a Fibra vas ſtrangulante, atque anguſtante, aliqualiter ſanguinis motus inhibeatur. Conſtringi vero facillime Fibra poteſt, & eo facilius, ſi in extrema ſui parte careat orificio, nam cum ſemper a premente cerebro habeatur fluidi per Fibras motus, ad prioris undæ incurſum ſuccedens reſiſtentiam inveniens aliqualiter, ut oſtendimus num. XXV. debet Fibra dilatari, & eo major erit Fibræ dilatatio, quo major ſuccedens unda a priore reſiſtentiam inveniet, & eo major erit prioris undæ reſiſtentia, quo difficilius progreditur, cum vero ſupponatur unda jam ad extremum Fibræ perventa, ita ut præ cæco ductu progredi amplius non poſſit: hæc unda ibi remorans ſuccedenti magnam pariet reſiſtentiam, quare ſuccedentis undæ particulæ progredi non potentes, ad altera reſilient, a quo major Fibræ dilatatio proveniet, quæ tanta dilatatio non eſſet, ſi Fibræ pateret exitus, quinimo minima foret, eo quia, cum prima ad exitum unda ab alia reſiſtentiam non haberet, minima quoque ſuccedenti pateret, quare a minima reſiſtentia minima dilatatio, & maxima haberetur fluidi nervei conſumtio, nam præ minori reſiſtentia major eſſet illius velocitas, quare & maxima quantitas, quin inſtitut o ſatisfaceret inſumeretur.

XXXI. Ulterius, non ut quidpiam evomerent, aut ut aliquid a partibus aſſumerent, admitti debent Fibrarum orificia; nam, neque pro muſculari, neque pro ſiſtaltico motu, horum opus eſt; non ergo ut quid exonerent, nam, neque teſtibus, ut creditum fuit, neque meſenterio, neque lieni, neque ventriculo, aut ulli alteri parti quidpiam ſucci per patentes hiatuum ductus emittunt, eorum namque viſcerum actio diverſo longe modo emergit, & ſi quid ſpirituoſi eructant, per particularum componentium interſtitia, ut diximus, exonerant. Neque vero, ut aliquid a partibus aſſumant, nam neque quid utile aſſumendum ſit video, neque copioſæ aſſumtionis modum agnoſco, ſi hoc vero aſſumendum ſit quid tenuiſſimum ſpiritui animali, aut vi aut tenuitate analogum, orificiis non indiget; ſi craſſius vero ſit, aut inutile eſt, aut Fibræ diametro improportionatum: quod vero linquentes animo, aut imbelles ſpiritu a ſuaveolentibus odoribus, aut a ſpirituoſis liquoribus momento ferme reficiantur, hoc tribui illarum tenuium partium ſoli motui poſſet, abſque ulla admixtione, ſanguinem ſcilicet, aut nervorum liquidum impellendo, aut largius agendo, concedi poſſet admitti aliquid, ſed tenuius, ac ſpirituoſius, qualia ſunt odora effluvia, aut liquorum tenuiſſimæ partes, quæ abſque Fibrarum orificio, ab inſito impetu in Fibras intrudi poſſunt, quod pariter de venenis dicendum.

XXXII. Nec inutile foret mente rimari, quænam eſſe poſſit Fibrarum figura, an ſcilicet eſſe debeat, & poſſit cylindrica, aut conica, quam tamen probabilius reor, conicam eſſe debere.

Nam

Nam vel habeatur in ovo ſola pro fœtu formando apta materia, vel præexiſtant omnes corporis partes, minimæ quidem, quod hic dirimendum non eſt, dico, vel ſolum minimæ illæ partes augeantur, vel rudis tantum materia ſit diſponenda, totum hoc a ſpiritu fieri, a ſpiritu ſcilicet corporeo, qui machinæ rector eſt. Cum ſpiritus ergo agat, aget motu, & motu finito; quare in conſtructione ex. gr. Fibræ, fortius aget in actionis principio, quam in fine: ſupponatur conſtruenda Fibra bipalmaris, dico fortiorem eſſe impetum ſpiritus in principio, quam in termino Fibræ; nam cum impetus conſumi non poſſit, niſi ab incurſu reſiſtentiarum, quo minores, & pauciores erunt reſiſtentiæ, diutius durabit impetus, qui brevi deficeret, ſi in plures, & majores reſiſtentias incideret. Neque impetus ſimul totus perit, ſed paulatim pro ratione reſiſtentiarum: ſpiritus ergo, qui ad ſpatium, ſeu longitudinem bipalmarem debet Fibram producere, fortius aget in principio Fibræ, quam in termino, nam cum percurrit bipalmare ſpatium, plures invenit reſiſtentias a quolibet externo, vel ab ipſa materia, quam cum ſolum percurrit tantum ſpatium palmare, ſed pluribus reſiſtentiis major pars ejuſdem impetus conſumitur, quam a paucioribus; cum vero in ſpatio tantum palmari pauciores habuerit reſiſtentias, quam in bipalmari, in ſpatio palmari majorem habebit impetum, quam in bipalmari; ergo ſpiritus fortius aget in principio Fibræ, quam in termino. Cum vero fortius agat in principio Fibræ, quam in termino, fortius expandetur in principio, quam in termino; quare a ſpirituum fortiori expanſione major habebitur Fibræ dilatatio, a debiliori minor ejuſdem expanſio, quod idem eſt; a majori impetu fiet coni baſis, a minori vertex, ab impetu vero inter hos medio id habebitur, quod inter coni baſim, & verticem mediat ſeu perfectus conus, qualem Fibram diximus.

XXXIII. Determinata Fibræ ſtructura, ejus motus perpendendi occurrunt, qui ſimplices ſunt, aut compoſiti: ſimplices voco reſtrictionem, aut dilatationem, abbreviationem, aut elongationem; compoſitos vero elongationem ſimul, & dilatationem, elongationem & reſtrictionem, abbreviationem, & dilatationem, abbreviationem, & reſtrictionem, quos in Fibra motus fieri poſſe a num. 8. ad num. 13. oſtendimus: nunc vero ſpecialius aliqua rei magis intima addamus: ſit itaque primo.

XXXIV. Spiritus propter Fibræ vel minimam obliquitatem, aut illius anguſtiam non poteſt, quin in Fibræ latera allidat, ab ejus vero alliſu omnis pendet Fibræ motus, qui ab interna cauſa procedat. Supponatur prius Fibra recta quidem, & anguſta; & tanta ſpiritus copia, ut latera Fibræ non contingat, ſeu præ ſua determinata quantitate poſſit non contingere: dico impoſſibile eſſe ſpiritum ad latera non allidere: primo, ſi directio primæ undæ ſpiritus adeo recta non ſit, ut ſit normalis ad axim Fibræ, quotieſcumque, & per minimum ab axe deflectet, præ Fibræ anguſtia ad latera allidet. Secundo, ſupponatur prior unda a ſuccedenti promovenda, hæc utique aliquam reſiſtentiam ſuccedenti pariet, quare ſpiritus reflectetur; cum vero angulus reflexionis ſit æqualis angulo incidentiæ, & cum impoſſibile ſit tantum tenuiſſimarum partium numerum ſemper in facies minimarum particularum ad angulos rectos, ſeu perpendiculariter incidere, impoſſibile etiam erit, aut obtuſum, aut acutum reflexionis angulum non eſſe, quare impoſſibile eſt ad latera non allidere

XXXV. Et propter Fibræ obliquitetem debet fieri alliſus, nam cum impetus ſemper per lineam rectam tendat, rectam tantum impellit. Si vero fiat a projectis parabola, hæc fit, & a medii reſiſtentia, & a projecti gravitate; quare impetus a recta deflectit ratione reſiſtentiarum. Cum igitur ſpirituum impetus per rectam feratur lineam, quotieſcumque Fibra e rectitudine deflectat, & obliqua fiat, impetus ſpiritus impellet ad illum locum, per quem tranſit directionis linea; quare cum Fibra obliqua ſit, ſpiritus ad Fibræ latera debet allidere.

XXXVI. Secundo, poſita neceſſitate ſpiritus ad latera alliſus, vel totus, vel pars impetus in illo alliſu debet perire. Non enim totus impetus integer poſt alliſum poteſt remanere, ſecus enim, niſi ad occurſum reſiſtentiarum minueretur impetus, foret duratione infinitus; quare vel totus, vel pars aliqua Fibræ lateri debet communicari, quare particula illa minima Fibræ debet pro ratione communicati impetus moveri magis, aut minus, fortius, aut ſegnius, ſecundum plures, aut pauciores impetus gradus. At cum nulla Fibræ particula moveri poſſit, quin aut a contactu aliarum partium recedat, aut in contactum veniat, ut oſtendimus num. VIII. a ſolo ſpirituum motu fiet Fibrarum aut elongatio, aut reſtrictio, cum reliquis præadductis motibus.

XXXVII. Non a quocumque Spiritus impetu quælibet fit Fibræ motio, ſed & gradus impetus, & ejuſdem directio requiritur. Primo debet attendi impetus directio; nam ſi impetus fiat in L. Fig. I, & Fig. V; vel ita fiat ut linea directionis L cadat ad angulos rectos, L recedet a K M, & accedet ad C D, ſi illa prius non contingat, aut ſi illa prius tangat, removebit a B E, & fiet Fibræ dilatatio; ſi vero impetus fiat quidem in L, ſed angulus incidentiæ ſit acutus ad partem H I Fig. I, L recedet a K M, & urgebitur verſus O P; quare O P Q R S accedent C D, & fiet Fibræ elongatio, quare ab impetus directione pendet diverſitas motus Fibræ.

XXXVIII. Pro determinata Fibræ motione, & gradus impetus requiritur. Nam ad hoc ut partes in Fig. I. diſponantur eo modo, quo ſunt in Fig. IV. præter directionem requiritur etiam

tantus impetus, ut non ſolum quocumque modo, & per quodcumque ſpatium K & M recedant ab L; O & P recedant ab invicem, ſed ita K & M recedant ab L, & ita O a P, ut inter O & P poſſit conſiſtere L, & inter K & M poſſit conſiſtere H I, ut in Fig. III., ita ut per ſimplicem preſſionem, aut obliquum impulſum diſponantur, ut in Fig. IV. ita ut partis fiat dilatatio, & abbreviatio; cum vero pro quocumque motu non ſufficiat quicumque impetus, ſed pro majori remotione a contactu, aut pro majori cohæſione major requiratur impetus ſeu vis, quam pro minori aut diſtratione, aut cohæſione, pro determinata igitur Fibræ motione determinatus impetus gradus requiritur.

XXXIX. His habitis neceſſario infertur in qualibet ſucci nervei, ſeu ſpiritus unda fieri debere Fibræ diaſtolem, cui ſyſtoles neceſſario ſuccedat, quod ut concipiatur in duplicem partem debet dividi mentis ope ſucci, ſeu liquidi influentis unda. Una ſcilicet pars, quæ priorem undam immediate tangit, & urget, altera vero, quæ hanc partem ſequitur, ſeu cerebro vicinior. Cum pars, quæ antecedentem undam tangit, illa urget præ reſiſtentia ab illa aliqualiter reflectitur, ac verſus alteram undæ partem paululum ſe confert; cum vero ex utraque reſiſtentiam inveniat, reſidui vi impetus illuc adigitur, ubi minor eſt reſiſtentia; cum vero pars Fibræ lateralis ſupponatur perſiſtens in contractione, facile erit, ut dimoveatur & reſiſtat minus: illuc igitur coarctata pars undæ impellet, quo lateris motio, ſive per longitudinem, ſive per latitudinem ſecundum impetus directionem; at cum directio in tali caſu præcipua ſit in latitudinem, fiet Fibræ diaſtoles, quæ eo major fiet, quo major erit ſpirituum impetus: & minor, quo ille debilior. Remiſſo vero ſpiritus ad latera urgentis impetu, ita ut major ſit niſus particularum Fibræ in contactum, iterum partes in cohæſionem venient, & fiet Fibræ ſyſtoles eodem quidem temporis intervallo, quo in arteriis; nam, cum tunc fiat Fibræ diaſtoles, cum fit liquidi influxus in Fibras; & tunc fiat influxus, cum fit cerebri preſſio, & tunc cerebri preſſio, cum fit arteriarum dilatatio, & expanſio, & cum tunc fiat Fibræ ſyſtoles cum ceſſat influentis liquidi impetus, & impetus ceſſet cum ceſſat cerebri compreſſio, & cerebri compreſſio cum fit arteriarum ſyſtoles; patet, cum ordinarium Fibrarum motus, ſeclusa voluntate, pendeat ab arteriarum expanſione, eodem intervallo fieri motum, & in arteriis, & in nerveis Fibris.

XL. Quamvis non admodum cerebri motu moveantur Fibræ, attamen tardus non debet concipi liquidi nervorum ad extremas partes influxus; nam ad hoc ut unda hujus ſucci ad extremam Fibræ partem pertingat, non eſt neceſſe, ut a tot undis ſuccedentibus prematur, quarum tantum una qualibet ſyſtole poſſit ſuccedere, ſed extrema Fibræ pars poteſt turgere, cum cerebro vicinior unda ita antecedentem premat, & hæc alteram, donec a prima communicato impetu, ultima, ſeu in Fibræ extremo, aut ulterius urgeatur; aut magis prematur ad latera, quare non longius tempus requiritur pro extremæ partis turgeſcentia, quam unica ſyſtoles.

XLI. Ad hoc, ut fiat ſpiritus influxus in Fibres debet eſſe tum ratione Fibræ, tum ratione contenti fluidi minor reſiſtentia, quam ſit influentis impetus, movens enim potentia, ut moveat, debet ſuperare mobile; quare ſi utrique reſiſtentiæ, nempe, & fluidi, & Fibræ tanta addatur alia reſiſtentia, ut æqualis ſit viribus potentiæ moventis non fiet influxus. Poteſt vero multipliciter augeri reſiſtentia, vel quia ita concipiatur Fibra diſtracta, ut æque nitatur in contractionem, ac impetus ſpirituum nititur in diſtractionem, tunc equidem æquis hinc inde viribus nullus fiet influxus, vel ſi Fibra ita concipiatur compreſſa, ut extendi pro tranſitu ſucci nervei a tali momento non poſſit, privabit partem influxu, ut aliqua parte compreſſa nimis experimur.

XLII. Poteſt augeri reſiſtentia tum ex parte fluidi. Si permanente eodem impetus momento ita augeatur unda, ut reſiſtentia ad orificium Fibræ præ undæ mole aucta, aut major, aut æqualis ſit illius impetus momento, unda perſiſtet, nec fiet influxus: ſi vero, non tanta ſit unda, ut a momento impellentis ſuperari non poſſit, ſed undæ partes, ſeu ſucci componentia ſint tantæ molis, ut Fibræ diametro non reſpondeant, ſeu illam ſuperent, perſiſtet influxus, nec Fibra turgebit: ſi vero detur, neque unda major momento, neque partes undæ Fibræ incommenſurabiles, ſeu Fibra majores, ſeu fluidi minimæ partes per varium occurſum ita poſſint componi, ut conſtituatur ratione perfecti contactus tertium quid ſolidum, ac tantæ magnitudinis, ut poſſit per eamdem directionem motus ferri per baſim Fibræ non vero per verticem, ad verticem ſubſiſtet, & permanente eodem illarum partium contactu, & eadem motus directione cum eadem Fibræ reſiſtentia, & fiet influxus mora, ſeu pars Fibræ ad extremum verticem carebit influxu.

XLIII. At ſi ſit potentia aliqua in quacumque parte Fibræ, quæ ita ſpiritum, ſeu fluidum in Fibra incluſum moveat tanto momento, quod cum fluidi reſiſtentia fiat æquilibrium inter vires externæ, & internæ, potentiæ moventis, fluidum perſiſtet immotum, nec ad aliquam partem magis determinabitur. Si vero potentia exterius applicita moveat Fibram tanto momento, ut poſſit moventis interni impetum ſuperare, non fiet ſucci excurſus ad partem, ſed fiet ſucci nervei refluxus in cerebrum.

XLIV. Hinc emergit ſalebroſa ſenſuum doctrina, quæ eo difficilior redditur, quia præterquam quod verſari debet circa materiam quidem, ſed adeo tenuem, ut ſolum concipi poſſit, & animæ cancellos ingredi debet, a qua ſenſuum complementum cognoſcere etiam inviti cogimur. Unum hoc certum

arbitror

arbitror abſque motu ad cerebrum uſque communicato ſenſum fieri non poſſe. Alterum vero motum hunc cerebro communicari per nerveam Fibram. Tertium neceſſe eſt Fibram ab aliquo prius moveri, quam deferat cerebro motum. Quarto non quælibet Fibra, poteſt æque ac altera moveri. neque quælibet Fibra poteſt ita moveri, ut impreſſum motum cerebro poſſit ita communicare, ut ſenſus fiat. Ne vero longius procedam; adducta ſigillatim ſunt perpendenda, & primo medium ſenſus, Fibra nempe ad examen eſt revocanda, quæ cum duo ſignificet, Fbram ſcilicet, ſeu tubulum, aut partem ſolidam, & fluidam, ſeu ſpiritum contentum: dico, Fibram ſeu partem continentem non eſſe unicum, ac integrum ſenſus medium, ita ut per ſolum motum partibus Fibræ impreſſum uſque ad cerebrum impetus propagetur ſoli Fibræ longitudini, communicatus.

XLV. Et primo quomodolibet agat in Fibram internum agens, ita ut illam moveat, per quamcumque illam moveat directionem, nunquam moveri poteſt, quin ipſius figura aliqualiter mutetur. Cum vero partes Fibræ inter ſe ita unitæ ſupponantur, ut perfectæ non cohæreant, ſed inter vel plures vel aliquas, aliquid ſpatii mediet, neceſſe eſt fieri, quod dicemus. Supponatur ergo movendam eſſe Fibram per longitudinem, in quo caſu magis viget noſtra ratio, eo quod difficilius, quam in quacumque alia directione motus Fibra mutetur Fig. II. moveatur igitur per D verſus B, & potentia movens ſit applicita R, dico Fibræ longitudinem minui debere. Urgeatur ad R verſus O P, vel R magis accedet ad O P, vel non accedet, & perſiſtet in ſuo primo loco; ſi accedit verſus O P, ita ut fiat minus ſpatium inter Q O P S R, Fibra fiet brevior, quare totum fluidum contentum mutabit locum, ſeu movebitur, unde poteſt oriri non a motu Fibræ, ſed a motu contenti liquidi in cerebro ſenſus. Si vero R non accedat ad O P, & ratione ſpatii vacui, & ratione figuræ planæ poſſit accedere; ideo non accedet, quia momentum, quo adigitur in contactum ab externo agente, minus erit momento, quo detinetur in diſtractione a liquido contento; cum vero momentum, quo detinetur in diſtractionem, pendeat ſolum ab impetu, quo liquidum adigitur in Fibras; ſi totus impetus in R, non poſſit ſuperare reſiſtentiam ad R, multo minus impetus refractus in F, nempe in extremitate ſuperiori, ſeu cerebro vicina, poterit ſuperare reſiſtentiam in F, quare ſi R non poteſt loco movere liquidum ad R, multo minus F movebit liquidum ad F, nempe ſpiritum in cerebro, unde ſenſus non excitabitur. Quod vero vigeat ratio majoris inæqualitatis in R & F patet; nam cum impetus ad R integer ſit, & uſque ad F ſemper decreſcat ob occurſum tot reſiſtentiarum, quot ſunt partes Fibræ promovendæ, & contra cum reſiſtentia ad R, ſeu momentum detinens R in diſtratione minus ſit, quam in F, quia impetus a cerebro impreſſus in F ſemper decrevit ob reſiſtentiam tot undarum ſuperandarum, & tamen majus ſit momentum detinens R in diſtractione, quam potentiæ momentum in contactum urgens; ergo ſi intrinſecum momentum ad R majus eſt contranitente momento extrinſeco; multo magis momentum ad F majus erit contranitente momento ad F; quare, aut Fibra non movebitur, aut ſi movebitur, mutabit figuram, unde ſenſus principium erit a ſpiritus, non a Fibræ motione.

XLVI. Secundo: ſi potentia movens Fibram Fig. V. ad A, ita ut urgeat A verſus R centrum Fibræ, vel magis A accedet ad R, vel non accedet, ſi non accedet, cum non urgeat niſi per latitudinem Fibra non movebitur. Si vero A accedat ad R, movebitur quidem Fibra, ſed non directione neceſſaria pro ſenſu: ulterius, ſi accedet, minor fiet diameter aut mutabitur, figura ſphærica in elipſim: ſed mutata figura contentum liquidum mutare locum debet, quare movebitur, & cum totum mutetur loco, totum movebitur, nam vel mutatur figura totius Fibræ, vel alicujus tantum partis; ſi totius figura mutatur, & totum liquidum movebitur, ſi vero ſolum pars aliqua, hæc erit ad cerebrum, vel non; ſi erit ad cerebrum, & ſpiritus mutabitur, ſeu movebitur; ſi non ad cerebrum, ſed remote ab illo, nulla fiet neque a Fibra motio, cum neque moventis fiat.

XLVII. Tertio: A minoribus potentiæ viribus, facilius poteſt Fibræ liquidum moveri, quam Fibræ ſolidum, quod ex duplici fundamento eruitur. Primum eſt deſumtum a mole, ſeu a materia: materia enim quo major eſt, eo majores requirit in potentia movente, ut moveatur, vires, quo minor, minores, habita ſemper eadem ratione, ſeu ut dici ſolet ceteris paribus. Nam non me latet, facilius elevari ſaxum 50. librarum, quam vectis ſolum 20. librarum, ſi in alterutra extrema parte illa capiatur, dummodo ſit 5. tantum pedum longitudinis. Fibra vero meo judicio ſupponitur majoris longe ponderis, quam contentum liquidum. Hunc vero ponderis Fibræ exceſſum ſupra contentum liquidum mihi ſuadeo, quia cum minimus ſit Fibræ tubulus, adeo ut oculis intueri non poſſit, ſed tantum ratione concipi; ſi Fibræ ſolidum, aut minus aut æquale ſpatium ac porus, ſeu ejus foramen occuparet, ſicuti non videtur Fibræ foramen, ita nec videretur ipſa Fibra. Si ſumi poſſet unica Fibra, quæ tantum occuparet ſpatii, quantum capitur ab orificio, ſeu poro Fibræ, ſi non poſſet conſpici orificium, ſeu foramen Fibræ, neque Fibra, ſeu ſolida pars circa foramen poſſet conſpici, quia cum idem ſupponatur ſpatium occupatum a Fibra, ac a poro Fibræ, ſi non intueretur porus, neque poſſet intueri Fibra, & multo minus poſſet intueri Fibra; nam ſi ſpatium foraminis collectum non cadit ſub oculos, neque ſpatium diſgregatum, a Fibræ ſolido occupatum, ſub oculos multo mi-

nus cadere poteſt, quod ut clarius percipiatur

XLVIII. Supponatur Fig. V. æquale ſpatium occupari a partibus A B C, Q I K cum reliquis omnibus ſimul, ac a ſpatio comprehenſo inter illum circulum: dico: ſi non videatur ſpatium comprehenſum intra circulum, multo minus videri poſſe partes A B C cum reliquis, quia ſi quod unitum eſt videri non poteſt, multo minus diviſum videbitur; cum vero non videatur ſpatium ſignatum ad R unitum, multo minus videbitur ſpatium A B C diviſum. Si vero non ſumatur una Fibra, ſed faſciculus Fibrarum, dico: cum non videantur pori Fibrarum, neque Fibras ipſas videri, & ratio eſt, quia ſi Fibræ unitæ viderentur, ideo viderentur, quia Fibræ ſe contingerent, & quæ videri non poterant diviſæ, poterunt unitæ, ſed duo circuli (hic enim ſumimus non longitudinem, ſed latitudinem Fibræ) ſe non contingunt, niſi in puncto, aut ſaltem phyſice loquendo, ſecundum minimam circuli partem, ergo ſi totus circulus ſimul videri non poteſt, neque duæ minimæ circuli partes, quales ſolum conſpici in Fibrarum ſeu cylindrorum unione poſſunt, videbuntur; at cum nervorum faſciculum in ſua ſectione videamus abſque pororum intuitu, dicendum majorem eſſe continentis, quam contenti materiam, quare majores potentiæ vires pro illa, quam pro ſpiritu movendo requiruntur.

XLIX. A compoſitione quoque Fibræ ratio eruitur, qua evinci poteſt, majorem eſſe continentis, quam contenti materiam, nam in duobus æqualibus ſpatiis ibi major eſt materia, ubi major eſt materiæ partium contactus; ſed in Fibra major eſſe debet partium contactus quam in liquido nervorum, ut ex ſe patet; fluidus enim eſt nervorum ſuccus, & fluida illa ſunt, quæ ſecundum minimum ſe tangunt, dummodo ſint in minima mole: vel Fibræ partes, æque per minimum ſe tangunt, ac ſucci partes, vel ſecundum ſpatium majus minimo; ſi ſecundum minimum ſe tangerent, Fibra æque eſſet quid fluidum, ac ſuccus, quod cum non ſit, ſecundum majus ſpatium ſe tangent; quare in Fibra major eſt materia, quam in ſucco ejuſdem Fibræ, ergo ſuccus nervorum ratione quantitatis facilius moveri poteſt, &c. quod erat propoſitum.

L. Alterum deſumtum eſt argumentum a partium figura: Aliæ namque partes conſtituunt nervorum liquidum, aliæ Fibram, partes ſcilicet illius liquidi magis eſſe debent motui pronæ, quam Fibræ componentia; nam cum de ratione ſolidi ſit contactus, ſeu partium cohæſio quo perfectior erit partium cohæſio, eo firmius ſolidum; illa vero eſt perfectior cohæſio, quæ eſt inter plura duarum partium puncta, & eo per plura puncta fit contactus, quo major eſt partis ſuperficies, & quo magis per rectam lineam ſunt diſpoſita puncta, ſeu quo magis plana eſt facies; contrario vero modo de fluidis dicendum quæ eo ſunt talia, quo inter illorum partes minor eſt contactus; cum vero pars, quæ ſecundum minimum ſe tangit, ſit figuræ, quæ accedit ad ſphæricam; partes componentes liquidum nervorum accedent ad ſphæricum, & quæ componunt Fibram, ad planum. Cum vero partes ſphæricæ, aut ſphæricæ figuræ proximiores facilius moveantur quam quæ planæ, & hoc ratione contactus, qui minor eſt in ſphæricis, ac minus reſiſtit, major eſt in planis, ac magis reſiſtit; dicendum eſt ſuccum nervorum facilius moveri quam Fibræ partes, quod erat ſecundo fundamento demonſtrandum.

LI. Reſtat igitur dicendum cerebro motum communicari a liquido, nervorum a quacumque cauſa in refluxum acto, tanta tamen vi, ut quaſcumque poſſit ſuperare reſiſtentias. Qua vero ratione motus hic nervorum fluido communicetur, explicatum ferme ſuperius fuit, a quo tamen cum tota ſenſuum res pendeat, nitidius enucleandum. Sit igitur Fig. V. Sectio Fibræ, & ſit aliquid, quod tangat Fibram in A; dico, illud tangens ad hoc ut ſenſum producat, debere movere A a ſuo loco, ita ut accedat ad R, & ſuccus contentus in ſpatio R. moveatur qua poteſt, dummodo cerebro quoque motum communicet. Quod ut cognoſcatur, debet preſciri quanta debeat eſſe moventis vis, quanta corporis moti reſiſtentia, & cur ſuccus ille motus debeat agi in refluxum uſq; ad cerebrum.

LII. Pro primo; Pars A, cum ſit minima pars Fibræ, tantæ eſt tenuitatis, quantæ ſunt partes illæ, ſeu illa effluvia, quæ perſpirationem conſtituunt; quod vero tantæ ſit tenuitatis patet; nam cum pars A a Fibra eſt diviſa, perſpirationem conſtituit, ſed partes perſpirationis demto ſpiritu, minimæ in corpore ſunt; ergo pars A erit minor quacumque in corpore poterit conſiderari, ſub ratione talis texturæ corpori applicabilis. Verum enim eſt partem A minimam eſſe, ſi ad partes corporis referatur, ſi vero ad partes primæ materiæ, minimam non eſſe fateor: ſed partes in corpore compoſitæ conſiderantur; ergo pars A ratione ad partes compoſitas minima erit.

LIII. Hæc minima pars A ad hoc ut moveatur, vel requirit partem majoris molis, ſeu materiæ, vel niſi majoris materiæ ſaltem majoris impetus. Quod igitur debet movere A debet eſſe majoris materiæ, nam cum majorem materiam ſequatur major gravitas, pars majoris gravitatis habebit potentiam majorem parte A minoris gravitatis; ergo pars majoris materiæ ſuperat partem minoris materiæ, ſeu partem A, ſed quælibet aſſignabilis materia extra corpus, quæ ſenſibus ſubiiciatur, major eſt A, quia tenuitas partis A fugit etiam captum noſtræ mentis; ergo quælibet materia aſſignabilis, quæ captum non fugiat A, prout partem A movere poterit; poterit quidem A non moveri, non vero propria reſiſtentia, ſed vel ob contactum cum reliquis, vel ob fluidi incluſi majorem impetum

LIV. A inſuper moveri poterit a quacumque minoris materiæ parte, dummodo exceſſus impetus ſuppleat defectum materiæ; neque multi impetus gradus requiruntur; ſed tot ſufficiunt,

quot

quot uniti cum potentia materiæ constituant potentiam compositam ex gravitate, & impetu, quæ possit superare simplicem potentiam pendentem a gravitate; sed cum in minima materia, ut superius vidimus, minima sit potentia pendens ab intrinseco; ergo minima facultas, seu potentia ad illam superandam requiretur: sed cum etiam minimus impetus, sit major potentia non minimæ materiæ, superabit aliquam & magnam gravitatem; ergo minimus impetus satis superque erit una cum potentia materiæ minoris ad superandam resistentiam majoris materiæ.

LV. Si vero pars A non debeat moveri contra vim gravitatis, sed vel debeat moveri horizontaliter, minor requiretur moventis vis, cum minor sit mobilis resistentia, multo minor erit si secundum gravitatis lineam moveri debeat. At supponatur superandum esse contactum, quo A adhæret H B, & alterum, quo adhæret Q & I, ita ut Q & I debeant removeri a contactu P & K, & a contactu B & H, ad hoc ut accedant prementé A ad R, & mutetur Fibræ figura, dico debere multiplicari agentis, seu moventis potentiam, prout crescit mobilium contactus; si vero cresceret alia series movendarum partium non sufficeret augmentatio unius gradus, sed tot deberent esse gradus, quot essent novi superandi contactus; ut si frangenda sit virga & sufficiat unus gradus, duo non sufficient pro duabus untis frangendis, præter enim duarum resistentias, nova supereſt superanda unio, quare quæ vis divisas poterat superare, collectas non sufficit.

LVI. Alterum resistens, ne sensus fiat, est influxus liquidi nervorum versus inferiora, qui non solum cohiberi debet, sed agi in contrariam partem, seu versus principium, qui quidem refluxus mutata Fibræ figura facilius est, quod sequatur, quam quod non sequatur. Facilior enim est illæ motus inter duos terminos oppositos, qui habens eumdem, aut æqualem impetum ad idem percurrendum spatium, minores habet resistentias; atqui refluxus & influxus æqualem habent impetum ad idem percurrendum spatium, & refluxus minores resistentias, idem est amborum spatium, æqualis est & impetus, nam tantus fuit in cerebri pressione impetus, ut potuerit mutare Fibræ figuram, illam extendendo; tantus in sensibili, ut illam mutaverit ad minus spatium coarctando, ergo æqualis est impetus quoad Figuræ mutationem: majores vero resistentias habet influxus, quam refluxus, liquidum namque influens debet progredi a basi ad verticem coni; refluxus a coni vertice ad basim. Secundo influxus cohibetur a Fibræ partibus, nam influens, & in illas impingens debet eas a contactu magis dimovere, ut amplior fiat pro nova unda Fibræ capacitas; e contra in refluxu, cum ille non requirat partium extensionem, eo quod ex angusto in latum procedit, non cohibetur a nisu partium in contactum, sed magis promovetur, quare minor est resistentia, ergo facilius fiet refluxus, &c. quod erat propositum.

LVII. Insuper varius est impetus modus a cerebro versus exteriora ac ab exterioribus versus cerebrum, seu a sensibilibus. Cerebrum namque totum Fibræ orificium præmit, ac totam undam adigit in: influxum sensibile vero ita Fibram comprimit, ut non quælibet pars necesse habeat in motum adigi; sed solum aliquæ, illæ nempe, quæ & motui sunt faciliores & refluxui magis accommodatæ. Minime vero partes ratione parvitatis materiæ facilius moveri possunt, quam crassiores, pro quarum resistentia major requiritur vis movens, & magis refluxui sunt accommodatæ; nam præter minorem materiam, minoris etiam sunt molis: omitto figuram, quamvis illa supposita circulari proxima inutilis non sit, quare illi minores sternuntur a contactu crassiorum partium resistentiæ, quare nec crassioribus motis, illæ usque ad cerebrum impelli possunt; at cum facilior sit motus aliquarum partium, quam omnium, facilior erit refluxus in sensu, quam influxus a cerebro. Nec arduum esse debet huic fidem adhibere; posse nempe tenuiores partes moveri crassioribus immotis, etiam in corpore fluido, si quis enim contra ventum loquatur, ventus non cessat, & tamen qui ad flantem ventum est, prolata audit verba, non tamen eadem facilitate, distantia, aut celeritate, quasi aut non flaret ventus, aut contra flaret.

LVIII. At supponatur mutata Fibræ figura non posse fieri refluxum in cerebro: Peto, mutata figura, vel idem persistit liquidi situs, vel mutabitur. Certum equidem est restricta figura liquidum, quod in parte Fibræ restrictæ continebatur in illa amplius non posse contineri, vel igitur liquidum sibi proximum removebit, seu repellet, ut sibi locum cedat, vel extendet Fibram, ut aucta illius diametro possit in Fibra absque actione in proximum liquidum contineri, sed minori impetus momento potest removere liquidum sibi proximum, quod idem est, ac in refluxum agere, quam Fibram extendere, ergo facilius potest refluxus fieri, quam Fibra moveri seu extendi; hoc enim patet ex n. XLVIII. & XLIX. in quibus vidimus, majorem esse Fibræ resistentiam, quam fluidi, intra Fibram contenti, tum ratione quantitatis, tum ratione dispositionis, & figuræ: patet ergo multiplici de causa mutata Fibræ figura, seu in minus spatium coarctata refluxum liquidi nervorum fieri debere.

LIX At, ut vidimus, non in qualibet Fibræ mutata figura fieri debet refluxus, quia eo pacto potest Fibræ figura mutari, ut non coarctetur, sed extendatur; ubi vides, cum nulla possit a partibus magis extensis fieri pressio supra nervorum liquidum, non posse illum in contrarium adigi motum, seu refluxum, a quo unice sensus dependet; quamvis tamen posset Fibra, & ab aliquo externo simul & extendi quoad latitudinem & elongari, attamen illius Fibræ figuræ mutatio absque sensu contingere non potest, quia, cum

ſit externum agens, debet antequam in Fibram agat, ſeu eam producat, & extendat ut in Fig. II. illam prius tangere, nec tangere eam poteſt tanta vi, ut illi adhæreat, quin illam prius comprimat, quare prius debet fieri ſenſus, qui brevi ceſſaret, ſi Fibra veniret in ſuppoſitam figuram.

LX. Modum vero refluxus ſenſibilium varietatem indicare, pro certo ferme ſtatui poſſet; nam cum tota ratio ſenſuum pendeat a refluxu, tota varietas ſenſibilium pendebit a modo refluxuum, nam prout varius eſt ſenſibilium modus, & activitas, varia quoque eorum debet eſſe actio: poſito enim agente, quod poſſit varie in Fibram agere, non fiet variante actione idem ſemper refluxus. Sit exemplum de tactu. Si leve corpus tangatur, ideo leve poteſt judicari, quia omnes illius ſuperficiei partes omnes ſimul Fibræ partes tangant, quæ ſunt ad contactum poſitæ. Si vero corpus aliquod ita Fibram tangat, ut ſolum aliquæ corporis tangantur, hinc inde mediis non tactis, corpus inæquale, ſeu ſcabrum dici poterit, eo quod non omnes æque illius ſectionis Fibræ partes tangat. His vero duobus tactibus probabile eſt aſſerere non eodem modo moveri liquidum nervorum, cum omnes æque partes tangantur, ac cum ſolum aliquæ, aliis partibus intermediis non tactis: quare, cum eodem modo liquidum non moveatur, idem non fit refluxus, quare a modo, ſeu a varietate refluxus varietas ſenſibilium percipietur. Hi vero refluxus immenſa propemodum varietate inter ſe poſſunt deſcriminari. Poteſt primo varietas pendere a quantitate liquidi refluentis, ita ut tam inter ſe duo ſenſibilia diſcrepent, quam poteſt augeri, & minui liquidi refluentis quantitas: quod quam lata diſcriminis via! Secundo poteſt pendere ab ipſa quoque materia refluente, ita ut ſi tenuior refluat unum judicetur agens ſenſibile, ſi minus tenuior alter percipiatur: hic quoque quam poteſt hæc materiæ qualitas ſeu tenuitas propagari. Tertio a motu poteſt ſenſibilium fieri judicium, alia enim poſſunt majori impetu liquidum in refluxum cogere, alia vero minori, quæ quanta ſit impetus varietas, quot ejus gradus, a quibus ſingulis ſpeciale poteſt pendere ſenſibilium judicium, omnibus patet. Non eadem puto vi in refluxum agi nervorum liquidum ab igne, ac a glacie, quare refluxus major aut minor celeritas, & impetus poteſt ſenſibilium diagnoſim in mente excitare. Hi ſunt præcipui ſenſibilium diſcriminis fontes, quamvis nec alius deficeret, nec magnæ ubertatis, nec captu adeo facilis, quare hoc ſatis pro hac provincia.

LXI. Non cujuslibet Fibræ fluidum æque & celeriter, & copioſe in refluxum agi poſſe cognitum puto. Ratio enim petenda eſt a Fibrarum textura, niſi & ſpiritum, ſeu liquidum in cauſam vocare velimus; nam, ut expoſuimus, quo major eſt Fibræ reſiſtentia, ſeu quo plures ſunt Fibrarum partium ſeries, eo major requiritur vis, ut Fibræ Figura mutetur, quare ſi majori facilitate comprimeretur Fibra conſtans duabus ſeriebus, quam conſtans quatuor ſeriebus, facilius liquidum Fibræ minus reſiſtentis in refluxum agetur, quam liquidum craſſioris Fibræ, quinimmo dabitur agens, quod movebit in refluxum liquidum tenuioris Fibræ, nec movebit liquidum craſſioris, hinc eſt ſenſuum varietas, ſeu quinarius numerus.

LXII. Hinc & rudioribus licet Creatoris ſapientiam intra proprium corpus nuſquam non exculptam admirari. Senſoria intueatur, ac uniuſcujuſq; agendi modum penſitando, mirum quanta reperiet, quæ potius animi cultum, quam imparem mentis ſtuporem exigent. Singulorum percurrens ſenſuum objecta, eorum elucet in opere, ſeu in ſenſu facilitas, quæ, ut ſuperius diximus, a Fibræ textura pendere facile eſt eruere. Retinam in oculo præcipuum viſus inſtrumentum, quidquid de choroide dicatur, ſedulo perpendamus, quæ vix, ac ne vix ſolida apparet, ſed potius male concretum fluidum, adeo tenella eſt illius textura, nec fortior compages tanto operi par eſſe poterat, minimum enim luminoſum corpus, ſeu facile evaneſcens luminis activitas ad majorem ſuperandam reſiſtentiam impar fuiſſet, ac ſpiritus in Fibris hoſpitantes immoti ſtetiſſent niſi & leviſſimo attactu mutata tenerrimæ Fibræ figura, in refluxum adigi potuiſſent

LXIII. Succedit oculo auris, quæ quidem, cum a tenui, percellatur objecto, tenue, nec admodum reſiſtens organum, expoſcit. Et a cerebro conſpicitur inter nervum ad intimam aurem pertingentem pro ſenſu, ac per extimam percurrentem motus gratia diſcrimen. Ille enim tenerior, hic durior ſeſe exhibet, nec durior ille potuiſſet pro auditu ab aeris preſſione in ſono contingente flecti, augetur, quidem phonici radii in aure activitas, ſed ubi latus Fibræ paries comprimendus fuiſſet, major inventa foret activitate moventis mobilis reſiſtentia, hinc teneriori opus fuerat, qui quidem facilius movetur, eo quia ſonori radii ob conicam auris figuram, ac ſecundum helicem, lineam diſpoſitam ſæpe coeuntes, ac ortho-phoniſmum producentes, mirum quantum augeantur, ac validius in refluxum nitantur.

LXIV. Et in reliquis ſenſibus ſervatur hic ordo. Minoris ſunt activitatis, quæ odoratum efficiunt, quam quæ guſtum objecta, hinc & in naribus tenerior Fibræ textura, ideoque facilior ab alienis objectis moleſtiæ ſenſus. Tactus reliquis durior eſt, quare & ejus Fibræ durioris texturæ fore opus erat, at guſtus quidam tactus eſt, objecta enim immediate apponi, ut cognoſcantur, neceſſe habent; at minori vi indigent, ut guſtum moveant, quam ut legitimum tactum, nam quæ reliquo corpori, & mediocriter calida apparent, linguæ adurentia videntur, adeo diſcrepant Fibrarum texturæ, adeo facilior eſt guſtus Fibra ut ab eodem objecto moveatur, & majori vi in refluxum agatur nervorum liquidum.

LXV. Hæc

LXV. Hæc brevi calamo de ſenſibus, quorum poſſet, pro rei dignitate agendo, in non correptam molem tractatus exurgere: at etiam de dolore pauca, qui nihil eſt præter ſenſus exceſſus. Æque enim in ſenſu, ac in dolore liquidi requiritur in cerebrum refluxus at refluxus modus illorum eſt cauſa diſcriminis. Cum enim dolor ſenſus ſit, quæ pro ſenſu requiruntur exiget, nempe ut Fibra mutetur, ſeu varietur figura, anguſtetur ſcilicet, & ut liquidum in cerebrum refluat, a cujus refluxus modo deduximus ſenſibilium varietatem. Si vero modus ille adeo variet, ut magna vi refluxus in ſpiritus cerebri hoſpitantes impetat, & eorum ferme nexum ſolvere moliatur, dolor dicetur. Dolor enim, ſeu ſenſus exceſſus, aut moleſtia fieri non poteſt, quin cauſa illius moleſtiæ ſeu doloris eſſe poſſit corpori inimica. Irritum enim eſſet & fugere, & abhorrere a quo nobis nihil metuimus, quare dolor non erit quicumque refluxus, ſed refluxus, qui corporis machinam poſſit evertere, quare ut conſervetur, inditum eſt a ſupremo Conditore hujus machinæ præſidi animæ, ut hos occurſus fugiat, & pro poſſe eliminet.

LXVI. Dolor igitur nec ſine refluxu, nec ſine exuperanti refluxu fieri poteſt, cum enim doloris judicium fiat in cerebro, ſed non in quacumque cerebri parte, ſed prout leviſſima ſuppetit conjectura in cerebri meditullio, quoties, aut motus exceſſus ad cerebrum non pertinget, aut refluxus non fiet, nec ſenſus, nec dolor excitabitur; hoc enim luculenter patet in epilepticis, in quibus quamvis contingat maximus ſpirituum motus, pro validiſſima muſculorum contractione, aut in phræneticis, nullus tamen contingit dolor, in illis enim fluxus ad partes, non a partibus refluxus ad cerebrum fit.

LXVII. Mea nunc eſt quoniam de doloribus, & ſenſu fuit ſermo, cauſam exponere, cur oſſa, quæ meo judicio ſunt nervearum Fibrarum glomeres, & ſenſu careant, & dolore: ſenſus, ſeu hujus exceſſus dolor duplici de cauſa poteſt non fieri, aut quia Fibræ figura mutari, aut quia contentum liquidum in refluxum, aut in ſufficientem refluxum agi non poſſit. Verum quidem eſt oſſium Fibras difficillime figuram mutare, eo quod demonſtrante eorum duritie, conſtitutivæ Fibræ pluribus conſtant particularum ſeriebus, quare, cum plurimi ſint ſuperandi contactus, maxima vis pro mutanda figura requiritur, at tandem ſaltem ſerra, qua dividuntur, mutatur, figura; cum vero dolor neque ſecto oſſe fiat, aliunde ratio eſt petenda ſcilicet ab impedito refluxu, qui ideo impediri poteſt eo quia etiam ſecta Fibra illius partes poſſint quidem dividi, at non adigi in majorem contactum, a quo Fibra anguſtetur, aut ſi veniant in majorem contactum, adeo minima ſit contactus diſcrepantia, ut in minima quoque fiat Fibræ anguſtia; ſi enim ſecetur tenella populus virga, ſub ſecante illa complanatur, ſi vero quercus, aut buxi fruſtum, ſenſus mutationem non percipiet; fieri ergo poteſt aliqua, ſed minima ob oſſium partium firmam cohæſionem Fibrarum anguſtia, hinc minimus refluxus; at perpendenda eſt materia refluens, quam in oſſibus ab aliis partibus aliqualiter diſcrepantem, puto ob ea, quæ diximus, n. XXII. nam cum oſſium ſubſtantia ob firmiorem contactum non ſit æque, ac aliarum partium difflabilis, ſuccus in illis Fibris contentus diutius detinetur, ac a continua cerebri preſſione magis premitur, ac illic coarctatur, & in majorem contactum, ſeu majorem motui reſiſtentiam adigitur; ulterius cum ſemper cerebrum illas Fibras premat, nec ſuccus poſſit progredi fit veluti tenuiorum partium expreſſio; nam omnes compreſſæ, veluti in muſto fit, tenuiores reſiliunt, craſſioribus intra Fibras remorantibus, quare craſſiores nervorum fluidi partes oſſium Fibris inhoſpitantur, unde mirum non eſt, ſi partes craſſiores, & motui reſiſtentes per minimum compreſſæ in refluxum agantur, ut ſenſus, aut dolor fiat, alibi de hoc iterum habebitur ſermo.

LXVIII. alterum, neque hucuſque ſolutum problema, ſolvendum ſupereſt, cur ſcilicet ſecta cerebri cortice nullus dolor cotingat. Ut dolor contingat, vidimus neceſſum eſſe vehementem fieri in cerebri meditullium nervorum liquidi refluxum, qui, cum in ſectione cerebri corticis non fiat, dolor contingere non poteſt: ſupponatur igitur ſecta cerebri cortex, quid fiet? ſpiritus hoſpitantes in tubulis corticalium glandularum excretoriis ferentur verſus meditullium; ſed etiam abſque ſectione per arteriarum impulſum ferri debebant ad meditullium, quare cum ſit naturalis fluxus, non vero refluxus, quia a meditullio ſpiritus non feruntur ad corticem, ſed a cortice ad meditullium, dolor non continget; alioquin ſi contingeret in quocumque effrenti hujuſce liquidi motu fieret, cui obſervatio repugnat.

LXIX. Non tot quin plura ſuppeterent ſolvenda problemata, ſed ſelectiora ſub trutina revocanda, inter quæ ſit: cur partes molles corporis frigore rigeant, ac cur rigidæ ſenſu careant. Statuimus ſuperius rigiditatem, ſeu duritiem a partium majori cohæſione pendere, quare ad hoc ut membrum aliquod rigeat, debent partes, illius in majorem venire contactum, quam prius erant. In aere gelido, cum partes ſint magis preſſæ, magis quoque gravitant, quare prementes membrum aliquod, ita quoque poſſunt illius partes premere, ut externi prementis vi minimæ Fibrarum partes poſſit ſuperare quæcumque impedimenta, puta tenuiſſimum aliquod inter particulas Fibram componentes, aut impetum contenti fluidi, a quo in diſtractione detinentur, & in majorem venire contactum, ſeu in majorem cohæſionis gradum, unde

rigi-

rigiditas, ſeu durities: hinc pars rigida criſpa apparet ob minorem fluidorum influxum ob compreſſas cavitates: quod vero ita conſtituta ſenſu careat, patet; nam cum ad hoc ut ſenſus fiat, debeat fieri Fibræ mutatio, ſeu major anguſtia, cum partes ſint in perfecto contactu, in majorem venire non poſſunt; quare Fibra angſtari non poteſt, ideoque nec adigere contentum fluidum in refluxum. Poteſt etiam, & probabilius, aſſeri propter firmiorem contactum clauſam fuiſſe Fibræ cavitatem, ut nullus poſſit ſpiritus eam pervadere; quod experientia evincitur; partes enim diu rigidæ moriuntur: quare, cum nullus inſit in rigida Fibra ſpiritus, quamvis & Fibræ figura poſſet mutari, tamen refluxus non fieret, cum non ſit ſpiritus influens: Hujus vero ecce ulteriorem probationem; calefiat pars, rareſcit ambiens aer, quare minus premit, cum minus premat, partes minus premuntur, & minus preſſæ minus diſtractioni reſiſtunt, unde ſpiritus influens per impetum a cerebro impreſſum paulatim Fibram extendit, cavitatem aperit, ac partes Fibram componentes a cohæſione dimovet; deficiente in meningis ſyſtole cerebri preſſione ceſſat, aut minuitur liquidi in Fibram impetus, quo imminuto partes Fibræ ab impetu nimis divulſæ iterum in contactum nituntur, ac fluidum comprimunt, & in refluxum adigunt, unde in principio calefactionis rigidæ partis punctorius dolor ſolet ſuboriri, qui tandem ceſſat, cum veluti in æquilibrio ſiſtuntur, & fluidi, & Fibræ vires, ita ut nec nimis Fibra prematur a fluido, nec fluidum in refluxum agatur a reſtitutione ſeu contractione & ſyſtole Fibræ, unde patet problematis ſolutio.

LXX. Cum ſæpiſſime contingat audire nervos relaxari, ſit operæ pretium inquirere quid ſit, & quomodo fiat nervorum relaxatio. Prout mihi conſtat, aliquid relaxari dico, cum minus tenditur ſeu cum recedit a majori tenſione, in qua prius erat. Funis, ex. gr. relaxari dicitur, cum minus tenſus eſt, quod dupliciter fieri poteſt, cum ſcilicet, immutata illius figura, aut craſſitie, ſolum elongatur per alterius additionem, aut ſi funis ideo tenſus erat, quia aqua madidus, evaneſcente humido illum tendente, funis relaxatur, eo quia decreſcente latitudine longitudo augetur, unde relaxatio. Nervi igitur tunc relaxari dicentur, cum erunt minus tenſi, ſeu magis elongati, quod cum non poſſit contingere, eo quia illis addita ſit alia nervi portio, & ut magis, extendantur, reliquum eſt dicere illos relaxari, quia in latitudine minuantur, quomodo vero in latitudine imminuti relaxentur, patet rudi exemplo. Accipiatur inteſtinum, ſit hoc turgidum, ſeu ab aere diſtentum, bipalmare, ab utraque parte trahatur, ita ut tenſum ſit; ut relaxetur, ſeu ut aliqualiter ſuperet menſuram bipalmarem, nil aliud requiritur, quam ut aeri incluſo, & diſtendenti pateat exitus, ſtatim exeunte aere inteſtinum flacceſcit, ac ut dicunt, relaxatur: eo prorſus, modo de nervis dicendum, tunc nervi, ſeu Fibræ ſunt tenſæ, cum illarum cavitates a liquido nervorum inferciuntur, ita ut partes Fibræ præ ſucci turgentis impetu neceſſe habeant a contactu removeri, ſeu extendi; ſi vero extendens ſpiritus deficiat, ita ut partes Fibræ non ſint amplius in diſtractione detentæ, in coheſionem venient, quare minuetur Fibræ dilatatio, augebitur longitudo, unde relaxatio.

LXXI. Quo vero modo hæc Fibræ mutatio contingat, videatur num. XII. in quo apparebit partes Fig. I. per impetum urgentem in latum, diſpoſitas eſſe eo modo, quo ſunt in Fig. IV. Si vero ceſſet impetus, quo partes a proprio loco dimotæ fuerunt, remanente adhuc interna vi ſeu preſſione a gravitate pendente, partes reſtituentur in priſtina loca, quæ extendentur ab eorum vi, quare redibunt ad diſpoſitionem, in qua erant in Fig. I. ſeu Fibra elongabitur, ac relaxabitur.

LXXII. Hujus veluti conſequens eſt Fibram poſſe contrahi, ſeu magis tendi; nam ſi relaxatio eſt Fibræ elongatio, tenſio relaxationi contraria erit Fibræ abbreviatio, ſeu turgeſcentia, & cum relaxatio pendeat a privatione liquidi Fibrarum illas non extendentis, contractio pendebit a ſucci ſatis grandi copia illas dilatantis. At contractio poteſt ab alia cauſa pendere, præterquam a liquidi turgeſcentia; ſi enim, utpote alibi oſtendimus, Fig. F. ſit facultas quomodolibet agens, ita tamen ut dimoveat F a contactu H I, & pariter removeat R ab O P, & K M ab L, ut in Fig. II. Certum eſt Fibram in eo ſtatu elongatam, ac dilatatam eſſe; ſi vero facultas illa, quæ partes ita dimovit, ab actione recedat, ita ut partes liberæ, hoc eſt R non detentum verſus C D, & F verſus A B, poſſit F venire in contactum H I, & R in contactum O P, Fibra contrahetur abſque eo quod extendatur, hoc eſt abſque influxu liquidi copioſioris.

LXXIII. Hinc ratio habetur, cur nempe in Fibra exciſa ab animali vivente videatur aliqualis contractio. Primo partes Fibræ, puta, F & R, ab aliis diviſæ in diſtractione amplius non detinentur, quare ſibi relictæ poſſunt in aliarum contactum venire, unde contractio. Secundo, cum prædictæ partes F & R in diſtractione detinerentur a liquido incluſo, quotieſcumque liquidum illud per ſectionem evaneſcit, non amplius agit in F & R, quare a contactu non impeditæ in contactum, ſeu cohæſionem veniunt, & contractio fit. Poteſt quidem hæc contractio diutius perſeverare, prout partes liquidi paulatim, & ſenſim avolant; quare paulatim deficiente cauſa, quæ in diſtractione detinebat, paulatim etiam diſtractio ceſſaret, ſeu fieret contractio. Poteſt ulterius fieri alternatim, & contractio & diſtractio, nam ſi partes Fibram conſtituentes Fig. V. ob remiſſum cerebri impetum adeo comprimantur, ſeu ob deficientem vim liquidi in diſtractionem adigentis in tantum veniant contactum, ut partes craſſiores aut tenuiores liquidi in R contentæ nimis premantur, itaut non amplius

plius sit æquilibrium inter potentiam nitentem in distractionem, ac contractionem, sed superet potentia nitens in distractionem, iterum partes AB CD &c. removebuntur a contactu, & fiet Fibræ dilatatio; si vero partes internæ succi, ita expansæ sint, ut non possint resistere partibus in contractionem nitentibus, fiet contractio, & hoc quousque inter externam & internam potentiam sit æquilibrium. Hoc passim intuetur in Folle lusorio, qui ab alto decidens, ac terram percutiens non sistitur, sed resilit: iterum cadit, iterumque resilit, donec æquilibrentur vires externæ, & internæ, nempe impetus, & aeris. Et hæc esse potest ratio, cur cor ranarum avulsum diutius systolem & diastolem protelatur, eadem nempe, aut quam diximus de paulatim viscidioris succi avolatu, sive quam attulimus de alternata actione fluidi cum solido, pendente a viribus utriusque extra æquilibrium positis.

LXXIV. Determinata Fibræ tensione, seu contractione, & remissione, seu relaxatione, videndum esset, quid in fluidorum motibus possent præstare. Apprime pro hujusce rei explicatione arridet exemplum, quod hauriri, & experiri potest in ludo sphæristerii, vulgo *racchetta*: si fides quibus texitur sphæristerium tensæ sint admodum; ad quemcumque & levem pilæ allisum ad fides, illa resilit, & magno impetu magnum spatium percurrit: e contra vero si fides tensæ adeo non sint, sed laxæ, & molles, facillime ad pilæ allisum cedunt, nec nisi remisso admodum impetu, & per brevius spatium pilam propellunt. Modo ad rem nostram. Fibræ vas aliquod contexentes tensæ sint, seu contractæ, ad fluidi allisum non cedent, seu flectentur, nisi per tantum spatium, quantum exigit illa vis, quæ agens in Fibram, Fibræ partes a contactu removet; cessante liquidi impellentis vi, partes in contactum nituntur, quare per conceptum ab externa pressione impetum in contractionem veniunt, & liquidum tanto impetu propellunt, quanto partes Fibræ fuerant a cohæsione dimotæ, unde liquidum promovetur, & celeritas augetur. Si e contra non a tensis, sed a remissis, seu laxis Fibris sanguineum aliquod vas componatur, laxæ quoque erunt ejus partes; quare liquidum ad latera veniens prius debet Fibras tendere, seu ad longitudinem, quam potest habere citra partium distractionem perducere, in quo faciendo, si fluidi impetus consumatur, a vase illum repetere non potest, quia Fibræ, cum in ea tensione in quam devenere citra distractionem partium in æquilibrio sint virium, seu ut dici solet, in statu naturali, non vero violento, sese non contrahent, quare fluidum intra vas inclusum non promovebitur, sed in eo situ hærebit, nisi aliunde, nempe ab alio fluido impetus adveniat.

LXXV. Si vero præter extensionem Fibræ fiat, ut particulæ Fibræ a contactu dimoveantur, & Fibra tendatur remittente sanguinis, aut alius liquidi impetu, vel superante potentia, qua particulæ Fibræ in contactu nituntur, potentiam, qua particulæ a contactu dimoventur, partes Fibræ venient in contactum, seu tantum ferme restituentur, quantum fuere distractæ, quo cum pervenerint, ulterius non urgent, seu venient in pristinum statum, seu iterum laxæ ut prius evadent; quare tantum solum impetum sanguini, aut alteri fluido communicabunt, non quantum habuit Fibra in utraque tensione, sed solum in illa tensione, quæ æquilibrium excedebat, seu quæ particulas Fibræ a contactu dimovit; quare impetus fluidi minuitur, & motus retardatur.

LXXVI. Alia vero ratione, & contractio, & relaxatio Fibræ in fluidorum motum agere potest, si nempe ex illis Fibris non constituatur fluidi vas, sed tantum illud circumdet, & debeat suo motu illud promovere. Si ut passim in corpore contingit Fibra vas circumdet, & suo motu systolis & diastolis debeat fluidum promovere; si Fibra illa circumdans laxa fuerit, sua contractione, aut systole circum vas, aut minime, aut nihil fluidum premet, quare aut nihil, aut minime illud promovebit. Si vero tensa sit Fibra, & sese dilatando vas comprimat, & liquidum urgeat; illi motum nec tenuem communicabit. Si demum adeo tensa sit, ut nimis sese extendendo vas comprimat, & veluti strangulet, non solum illi liquido motum non communicabit, verum angustata nimis diametro illius cursum remorabitur.

LXXVII. Nec inutile erit, quid in his duabus Fibrarum affectionibus & ab aqua, & ab oleo haberi potest, & quomodo illud fiat perpendere. Supponamus injectam primo ventriculo parti quidem Fibrosæ frigidam. Hæc dupliciter in Fibras agere potest, hic tamen præscindo a quantitate, quæ esse possit ventriculo onerosa admodum, & molesta; potest scilicet agere aut Fibræ partes premendo, aut intra illas sese in cuneando, seu intrudendo. Videndum hic est quanam probabilius actione aqua in Fibram possit agere, an alterutra, an utraque. Pro quo dico, aquam debere agere per quod, & facilius, & citius potest agere: quare cum aqua possit citius, & facilius agere pressione, quam intrusione, aquam pressione in Fibras agere probabile est. Facilius frigidam pressione agere posse patet, nam premendo partes Fibræ, illarum vires adjuvat, quibus in cohæsionem nituntur, quare non agit premendo actione absoluta, sed composita expressione aquæ, & nisu partium, & nec validas debet resistentias superare, ut partes in contactum ducat; nihil enim contractioni resistit præter contentum liquidum, quod suo impetu partes a contactu dimovet. Difficilius vero intrusione agere potest, nam non debet agere contra liquidum, sed contra soli-

ſolidum, quia ad hoc, ut ſeſe intrudat inter duas particulas, debet illas contra propriam vim a contactu dimovere; cum vero difficilius ſit, & operoſius in ſolidi partes, quam in fluidi agere, & eo magis, quando partes ſolidi fluidum excedunt, ut ſupra oſtendimus, difficilius erit aquam agere per intruſionem, quam per preſſionem. Cum igitur difficilior ſit intruſio, quam preſſio, tardior etiam erit; quare cum preſſio ſit facilior, etiam citius fiet; cum vero fiat preſſio, intruſio fieri non poteſt, quia altera alteri adverſatur; preſſio enim in contactum partes urget; intruſio vero a contactu removet; ergo ſi fiet preſſio, intruſio non fiet; aqua igitur in Fibram tantum preſſione agit.

LXXVIII. Loquor hic tantum de Fibra, non vero de compoſito ex plurimis Fibris, & quamvis adduxerim ventriculum, illum ut Fibram ſumſi, non enim me latet, ſi fiat nexus Fibrarum, ſeu membrana ex illis intexatur intra illius membranæ porulos, ſeu interſtitia a Fibrarum diſpoſitione emergentia partes aquæ intrudi poſſe, ut de facto intruduntur, quo in caſu aqua uno modo agit in Fibram, altero modo in membranam, ſeu diverſimode agit in partes componentes, ac in compoſitum; in partes enim componentes agere poteſt preſſione, in compoſitum vero intruſione, quare ſalva eſt noſtra aſſertio. Si aqua igitur frigida eo quo diximus modo in Fibras agat, ideſt preſſione, ſi premet, utpote debet premere in latum Fibræ, Fibra in latitudine minuetur; ſi vero ita diſpoſitæ ſint, ut latitudine imminuta, debeat longitudo augeri, Fibra relaxabitur, ſeu elongabitur; ſi vero partes ita ſint diſpoſitæ, ut in Fig. II. & preſſio in utramque dimenſionem agat, Fibra, & contrahetur, & anguſtabitur.

LXXIX. De calida vero aqua pari paſſu non eſt procedendum, hæc in liquidum preſſione agere non poteſt, quæ a frigido pendet. Sed potius ambiens particulas Fibræ premens ſuo calore rareſaciendo facere poteſt, ut particulæ Fibram componentes ſolo niſu partibus proprio in contactum nitantur, quare partibus minus fluidum contentum prementibus magis Fibra dilatatur, & abbrievatur. Si vero partes aquæ calidæ minus craſſæ ſeſe intra particulas Fibræ intrudant, Fibra poteſt, & in latitudine, & in longitudine augeri, ſeu ex parte relaxari. Omitto hic aquam calidam facilius poſſe porulos membranarum pervadere; aut intra excretorios tubulos ſeſe intrudere, animus enim hic non fuit, quid acqua præſtare poſſit circa quamlibet partem, ſeu ſimplicem, ſeu compoſitam, an ſcilicet vaſa premat, fluida attenuet, &c. ſed ſolum quid in ſimplicem Fibram agat rimari.

LXXX. Oleum vero cum ſit aqua & levius, & calidius, ſeu minus frigidum, non poterit eo modo, quo acqua agere, ſcilicet preſſione, aget ergo particulas Fibræ a contactu dimovendo, ſeu ſeſe intra illas intrudendo; licet autem illius partes ſint partibus aquæ admodum craſſiores, tamen cum intra ventriculum, ut ſuppoſuimus ingeri, a calore attenuentur, penetrationi facilius, ſeu minori, quam ſi frigidum eſſet, difficultate diſponuntur; ulterius cum pertinaciter adhæreat, a continuo ambientis motu poteſt intra partes intrudi, quare illas a contactu dimovendo, ſi urgeat verſus latum Fibræ, Fibra dilatabitur, ſi verſus longitudinem, elongabitur, unde relaxatio. Poteſt quidem in utramque partem agere, ſeu & in latum, & in longum urgere, quia illius partes caſu feruntur, nec potius in hanc, aut in illam agunt, quare ſi oleum ut debet intra Fibræ componentia intrudatur, ita ut quaslibet a contactu removeat, ut apparet in Fig. II. Fibra & elongabitur, & dilatabitur. Ex hoc videatur quo in caſu utile ſit olea adhibere, cum ab illis extenſio Fibrarum ſeu relaxatio habeatur.

LXXXI. Nec reponant ſimul partem ſeu Fibram elongari, & dilatari non poſſe, & eo firmius hoc aſſerant, quia laxus funis acqua madidus dilatatur quidem, ſed tenditur, ſeu abbreviatur, & aqua evaneſcente elongatur, ſed reſtringitur, ſeu minorem circumferentiam acquirit. Quibus breviter dico, diſparem eſſe rationem, nam ratio contractionis in fune non pendet quomodolibet, & ſimpliciter ab aquæ intruſione, ſed a funiculorum contorſione, qui aqua ſeſe intrudente magis contorquentur, quare funis magis abbreviatur, quod vero ab hac cauſa pendeat patet, nam evaneſcente aqua funis utcumque non elongatur: ſed elongatur ſeſe in girum ducendo, dummodo altera pars funis libere pendeat, ſeu funiculos magis explicando, ac inverſo ordine vertendo, quare cum non ſit eadem corporeæ Fibræ, ac funis mechanica diſpoſitio, eadem quoque non erit in illas actio, quare funis ab aqua ma defactus poterit abbreviari, ſed dilatari. Fibra vero ab eo inuncta, & elongari, & expandi, ut propoſuimus.

LXXXII. Ex his, quæ de contractione, & diſtractione Fibræ habuimus, una cum illis, quæ dicta ſunt de dolore maxime elucet, elegantiſſima Doctiſſimi *Bellini* doctrina de ſtimulis, quoniam illa quanta eſt, tota vertitur circa Fibrarum contractionem, aut elongationem. Stimulus namque cum ſine dolore, aut vehementi ſenſatione fieri nequeat, nec dolor, aut ſenſus vehemens fiat ſine liquidi in cerebrum refluxu, & refluxu vehemente, patet primo a ſtimulis majorem in motum liquidum nervorum, & cerebri cieri, quare cum nervorum fluida momento naturali minori expandantur, conſtat quid per ſtimulum haberi poſſit.

LXXXIII. Non æque tamen in qualibet Fibra partis ſtimulatæ fit idem impetus, ſeu eadem habentur liquidorum undæ, nam in Fibra ſtimulata cum fiat liquidi contenti in cerebrum refluxus, minor eſt ejuſdem liquidi copia, quam in Fibra confluente, ſeu ad orificium in cerebro proxima non ſtimulata. Non ſolum vero Fibra

ſtimu-

ſtimulata minor eſt liquidi copia, ſed in Fibris confluentibus duplici de cauſa majus liquidum eſt, ſeu major contractio, quam antea erat. Et primo magis confluentes Fibræ in contractionem veniunt, quia liquidum, quod in Fibra ſtimulata exprimi debebat, ob alterius fluidi refluxum illam non pervadit, quare in confluentibus dividitur, & fit major a majori ſucci copia contractio. Secundo cum liquidum cerebri ob vehementem ſtimulatæ Fibræ refluxum in majorem motum urgeatur, ſeu majorem impetum acquirat, validius in confluentes Fibras, aget, unde a validiori impetu major contractio.

LXXXIV. In Fibra ſtimulata debet quidem fieri refluxus, ſed non ſemper; ſecus enim tandem liquidum adeo minueretur, ut periret undæ continuatio & preſſio, a qua refluxus; quare eo uſque fiet in Fibra ſtimulata refluxus, quouſque tantus ſit in liquido cerebri motus, aut tam parva ſucci refluentis copia, & partium Fibræ is in contactum niſus, ut demto æquilibrio minus ſuccus refluens urgeat liquidum in cerebro, quam liquidum cerebri per antecedentem refluxum magis expanſum ſuccum Fibræ comprimat: quare ſuperante momento compreſſionis cerebri momentum refluxus Fibræ, fiet iterum novi ſucci influxus in Fibram ſtimulatam, cum vero perſeveret ad Fibram ſtimulus, ſi magis Fibra diſtrahatur, quam ſit ſtimuli preſſio, iterum Fibra vicente ſtimuli preſſione in refluxum liquidum coget; quare ſi alternatim fiat refluxus, ut fieri debet, dolor continuus non erit, ſed alternatim ad refluxus remiſſionem ceſſabit, & ad refluxus reditum redibit, quamvis nobis continuus videatur, quod poteſt contingere ob plures ſtimulatas Fibras; dum enim in una ceſſat refluxus, poteſt in altera perſiſtere, unde continuatio doloris.

LXXXV. In Fibris quidem confluentibus, dum in Fibra ſtimulata fit liquidi refluxus, major fit diſtractio, cauſis ſuperius adductis, nempe ob liquidum & validius, & copioſius influens, attamen neque in Fibras confluentes perennis eſt liquidi influxus a cerebro, quin aliquis refluxus fiat, non quidem a ſtimulo Fibris confluentibus applicato; ſed a copioſiori, & validiori in illas influxu; nam influente validius, & copioſius liquido a cerebro, ſi ultra potentiam, qua partes, in contractionem nituntur, liquidum extendat, & diſtrahat, partes nimis diſtractæ tanta vi in contactum urgentur, ut ſuperata liquidi influentis reſiſtentia, illud in refluxum cogant, quo facto, & remiſſo momento virium, quibus partes in cohæſionem venerunt, iterum fit influxus; quare ſi liquidi refluxus in Fibris confluentibus non ſtimulatis fiat tanta vi, quanta fit in Fibra ſtimulata, poterit & a Fibris confluentibus non ſtimulatis oriri dolor. Hinc phræneticorum errores non omnimode ratione carent, cum vere id illis exhibeatur quod dicunt. Senſatio enim & imaginatio, quæ circa objecta materialia verſantur, non niſi in radice, ſeu occaſione ſecundum magis, & minus differunt; nam ad hoc ut ſenſatio, ſeu perceptio alicujus objecti materialis præſentis fiat, nil requiretur præter fortem actionem, ſeu ut tantum refluxum in liquido cerebri producat, qui cum minoris vis producatur ab objectis materialibus abſentibus, imaginatio dicitur, ideo ex illo refluxu, ſeu tanto motu elicitur ſenſatio, ſeu judicatur occaſione talis determinati motus objectum materiale præſens. Si vero per ſpirituum anomalias ille idem motus, ſeu tantus motus in cerebri fluidis excitetur ab objecto materiali non præſenti, quatenus excitari ſolet ab objecto materiali præſenti, illud, ad quod hoc judicium elicere ſpectat, judicat effectum non eſſe abſens, ſed præſens, cum eumdem producat effectum, ac ſi præſens eſſet; quare patet unde hic error proveniat. Ut ſi quacumque cauſa idem fieret in Fibris refluxus ac fit ab igne, jure patiens ille quereretur ſe id pati, quod ab igne emanat.

LXXXVI. Hac alternatione influxus, & refluxus, ſeu contractionis, & diſtractionis id continget, quod eſt ſtimuli effectus, nempe quod Fibræ alternata illa contractione, & diſtractione renuiores partes inter Fibræ componentia hærentes dimoveant, & tandem mutua inter ſe partium preſſione expellant. Sit ex. gr. Fibra laxa, eo quod illius partes a minimis olei partibus a contactu arceantur, quoties illa Fibra per vehementem & influxum, & refluxum in contractionem, & diſtractionem veniat, illius minima componentia validius diſtracta, validius quoque in contactum nitentur; quare pars olei, quæ inter duo illa Fibræ componentia, ſeu particulas a mutuo in contactum niſu urgetur, tandem debet ab eorum contactu ſecedere, qua remota partes a contactu impeditæ in contactum venient, ſeu fiet major Fibræ contractio, & laxitas ſeu relaxatio ab olei partibus inducta tolletur.

LXXXVII. Non ſolum ſiquid intra Fibræ partes hæreat, per contractionem & diſtractionem a ſtimulo productam, exprimetur; verum etiam, ſi quid intra Fibram, ſeu Fibræ tubulum remoretur, poteſt in motum agi. Supponatur in parte aliqua alicujus Fibræ ex confluentibus quid hærens, ita ut in liquidum influens ad extremum Fibræ non perveniat, facto in altera Fibra ſtimulo, in hac ut diximus, debet fieri, & validior, & copioſior liquidi influxus; copioſiori facto influxu debet fieri major Fibræ diſtractio, ſeu dilatatio, quare fata majori Fibræ dilatatione a copioſiori influxu illud hærens, facta majori Fibræ diametro, debet poſſe promoveri, & ulterius progredi; ſed hoc totum non eſt, quod requiritur: nam iterum ſeſe anguſtante Fibra illud hærebit; ſed quando fit major

par-

partium diſtractio, debet quoque fieri major illarum partium diſtractarum reſtitutio, quare majori vi ſeſe reſtituentes Fibræ partes poſſunt adeo illud hærens premere, ut major ſit vis illa preſſionis Fibræ, quam momentum, quo partes illius hærentis intra Fibram in contactum nituntur; quare ſi major ſit preſſionis vis, quam cohæſionis momentum, dummodo obliqua ſit in hærentes partes preſſio, illæ partes debent ab invicem ſecedere, ſeu a contactu removeri, quare diviſæ poſſunt eſſe poro Fibræ minores, unde per illum uſque ad extremum Fibræ hinc inde excurrere. Idem quoque non diſpari admodum ratione contingere poteſt in ipſamet Fibra ſtimulata.

LXXXVIII. Si vero aliquid hæreat non inter Fibræ partes, neque inter Fibræ tubulum, ſed ad latera Fibræ, nempe in poris, qui emergunt in membranarum a Fibris textura, utpote in quolibet textili apparet, facili quoque ratione, & movetur, & qua poteſt exprimitur. Nam ob rationem, & influxus, & refluxus liquidi, variæ Fibræ ſe ſe contrahentes, & diſtrahentes, hærentes partes non poſſunt quin a contactu removeant, quare a contactu remotæ partes facilius exprimuntur. Dein cum illud hærens intra poros ſupponatur, quoties Fibræ poros conſtituentes ſeſe contrahunt, ſeu extendunt, poros anguſtiores reddunt; quare materia prius dimota, dein ob pori anguſtiam magis compreſſa, & coarctata bi conſiſtere non poteſt, & tandem a prementibus circum undique Fibris vi inde propellitur, & a Membrana ſecedit.

LXXXIX. Eadem ratione majoris motus in liquido cerebri, & copioſioris influxus in Fibras, illarum fiet fortior expreſſio, quare ſi Fibræ ſtimulatis confluentes vas componant, cum habeant majorem liquidi influxum, in majorem venient diaſtolem, quare contentum liquidum fortius promovebunt, quare ſi pro ſecretione aliqua requiratur illius fluidi major motus, ſtimulus ſecretionem promovebit. Si autem Fibræ illæ muſculum componant, cum per illas copioſius fluat liquidum in cauſa erit, quod vi majoris influxus Fibra poſſit per ſanguinem validius contrahi, unde partem, cui talis muſculus affixus ſit, validius poterit movere.

XC. Stimulus, ut ex ſe ſatis conſtat, indiſcriminatim agit, nullum ſcilicet ſpecialius liquidum in corpore eliminando, ſed Fibras concutiendo, quidquid ab illis ſecedere poteſt exprimendo, aut per glandularum poros conformatam materiam ſecernendo operatur; quare cum ſtimulorum effectus ſit movere, ſeu ut dicitur calefacere, & evacuare, ſeu exſiccare, ibi ſolum erunt adhibendi, ubi aut motus, aut evacuationis neceſſitas hunc uſum exigat, cui ſi attentam mentem adhibeamus, & minori ægrorum incommodo, & tutius clinicem agemus, non in omni ſcilicet, ut mos invaluit, capitis affectu a quacumque cauſa pendente omne ſtimulorum genus, aut ſtimulorum præcipuum veſicantia imperando.

XCI. Stimulos cum dolore fieri protuli, non quia revera in quocumque ſtimulo dolor oriatur, ſed quia in illis ſpecies contingat majoris momenti, quam in reliquis ſenſationibus. Non ſolum enim tactus, ſed cujuslibet ſenſorii ſtimuli ſunt. Lingua acrioribus eſculentorum ſpiculis ſtimulata tumeſcit, & circumſtantium glandularum, non exigua fit ob Fibræ circumdantis contractionem lymphæ ſecretio. A naribus irritatis ſternutamenta fiunt, & mucus depluunt. Aures a levi titillatione, nec leviter interne tument. Ipſe oculus ſi ſolem pertinacius intueatur & dolet, & plorat, quin imo ipſemet animus ſi ſpecies majoris momenti concipiat, ſtimulum parat, eo quod ob ejus occaſionem validius agitati ſpiritus contractiones Fibrarum inducant.

XCII. Quid cathartica, quid emetica præter ſtimulos, quorum ſi tota activitatis atmoſphæra non ultra, aut ventriculum, aut inteſtina, ſeu inteſtinis annexa extendatur ſolo ſtimuli titulo agere creduntur; ſin autem eorum activitas illis limitibus prætergreſſis immediato contactu in fluida cujuſcumque ordinis agat, quid aliud illis adjicitur quam quod ſtimulus eſt? Hęc tamen ſatis pro inſtituto, ne raptus occaſione dicendi extra propoſitam ſemitam abire arguar. Quæ dicta ſunt de ſtimulis, non ideo protuli, ut quid præclariſſimo *Bellino* aut adderem, aut detraherem; ſed ut videatur noſtrum hoc Opuſculum de Structura, & Motu Fibræ cum illius inconcuſſa doctrina congruere, illique exponendæ, & inſervire poſſe & debere.

OPUSCULUM II.

De nutritione Animali.

EAdem vivimus, ac morimur cauſa. Quod nos a fato arcere videtur, ad illud compellit. Nihil vita morti infenſius apparet, nihil illa affinius eſt. Per vitam morimur, quin imo ipſa vita mors eſt. Vivere abſque motu haud licet, nec moveri, quin aliquid a nobis ſecedat. Qui unius abſcedentis particulæ interitus, totius ruinæ rudimentum eſt. Nec mirum noſtrum, hoc corpus tam facile laxari: nec firmioribus mixtis tanta lex pepercit, & ſi quid mirum ſubeſt, illud eſt tot & tenerrimis machinulis conſtantem machinam circum undique impulſam, & per momentum vigere. Cujuſcumque corporis, teſtante *Boyleo* optime experimentorum myriade de philoſophia merito, ſua eſt atmoſphæra, & duriora metalla tractata diu gracileſcunt, aut otio tradita ipſamet rubigine teruntur. At quod illis vix ævum poteſt, noſtro corpori, & pauci dies adeo ſatis ſunt, ut ſuperſint. Idcirco ne ephemera foret tanti operis mora, ac veluti fulgur ab in-

teritu

teritu ortum non discriminaret, fuit per nutritionem prospectum.

II. Consumi nostrum hoc corpus extra dubitationis aleam positum est; at quid & quomodo consumatur videndum. Nostrum corpus consumi dicimus, cum aut a solidis solidæ particulæ secedunt, aut a fluidis divisæ extra corpus avolant; avolant vero non ab alio principio impulsæ, quam a motu. Omnia siquidem in vivente, aut moventur, ut fluida, aut aliorum motui subjacent; ut solida quæque. Nec fluida simplici motu moventur, motu scilicet intestino fluidis proprio, qui quamvis oculos lateat, menti patet. Alius fluidis competit, sanguini præcipue, qui ceteris copiosior in corpore est, circularis scilicet, reliquis omissis, qui aut cum circulo haberi non possunt, aut ab ipso non distinguuntur qualis est agitativus, turbativus, &c. Simplicem motum fluidis proprium non admodum consumtioni inservire posse arbitror, hic siquidem ad illarum minimarum partium tollendam quietem, & perfectum arcendum contactum tantum dicatus impar videtur, vel ut possit solidorum partes dividere, vel vi sui impetus superare resistentiam a minimarum particularum gravitate pendentem, illas, nempe in auras elevando, quamvis horum aliquid in solutione salium experimur; adeo attamen verum arbitror solidorum compagem ab hoc solo motu non posse solvi, ut si hoc salsitate laboraret, fluidum quod libet vasis laxaret nexum, a quo contineretur, quod cum experimento repugnet, impar hic motus huic consumtioni dicendus.

III. Motus fermentativus, seu ille motus, per quem alicujus mixti partes, aut cohæsionem, aut directionem, aut gradus cohæsionis mutant, ita ut mixtum alterum, aut aliud resultet, aut quoad totum, aut quoad partes: hic inquam motus, prout validior, aut segnior est ad consumtionem concurrere vel segniter, vel efficaciter potest. Circularis vero motus quanti sit & impetus, & activitatis, spirituum animalium quam sit energeticus motus nulli non notum, & ab his præcipuæ consumtionis ratio dependet. Per validiorem nempe sanguinis ad vasorum latera appulsum præ ipsorum resistentia contractus veluti spumescit, ac ad minima divisus prævalente impetus momento supra vim cohæsionis a contactu solutas partes tenuissima per ubique obvios meatus seu poros eliminat, dum reliquæ ad innumera cutanearum glandularum secretoria pertingentes, ibique secretæ, ubi secernicu-lo respondeant, premente systole glandulæ, extra corpus derivantur; quæ quanta sit evacuatio præclarissimi nostri ac ingeniosissimi *Sanctorii Medic. Statica* ad sensum patefecit. Nec una hæc est evacuationis via. Et intestina, & renes, & testes, & os, & nares, & oculi, si quæ sunt glandulæ, quarum sint in corporis extima periphæria ductus, consumtioni dant operam. Fluidorum igitur vehementior motus, cum absque partium divisione, ac solutione contingere nequeat, solutas illas partes aut tenuissimas eodem quo impetu divisit, & extra corpus per impervios nostris oculi meatus propellit; ceteras nec tantæ libertatis, nec tenuitatis ad secretoria defert, e quibus, aut sanguinis pressione, aut suæ gravitatis pondere, aut secretorii motu foras amandantur.

IV. Et ipsa solida consumi non tamen eadem facilitate, & tam brevi ac fluida mole decrescere pro certo habemus. Nec satis illos probasse autumo, qui objiciunt, aut ossium renitentem consumtioni soliditatem, aut ipsorum a diuturna tabe defunctis non imminutam molem, quibus reponere possem, nec tantam esse ossium duritiem, nec cognosci posse ipsorum imminutionem; cum non habuerimus exactam viventium molem: at alio procedendum tramite ad hoc, ut ipsorum assertum utpote veritati incongruum redarguam. Tunc possent, & solida quæque consumi, cum minus esset momentum, quod minime illorum particulæ in contactum nituntur, quamvis aliqua in corpore, quæ illas a contactu posset dimovere; talis autem vis arduum non est quod in corpore reperiatur, quod ne hæsitanter admittatur, nempe tantæ vis in nostro corpore momentum: Quisnam (liceat exposcere) & praxi, & evidentia destitutus crederet immensam prope virtutem pauculas aquæ guttas exerere posse? quod tamen negare non audebit, cum ipse viderit ab istis infinitæ minus resistentiæ pondus quodcumque elevari; quod facillime obtinebitur, cum funi appensum fuerit quantumcumque pondus, ita ut vix a fune permittatur ut solum tangat; aqua funis aspergatur: inscio mirante pondus elevabitur, nec terram attinget. Quis tantam virtutem in aquæ cuneolis inesse judicasset, ut recluso tramite inter funiculos sese mutuo prementes, illos potuerit dividere, ut illis aucta diametro decurtari necesse habuerit; & secum immensum prope pondus trahere? Dari igitur potest in nostro corpore tanta vis, quæ possit solidorum partes a contactu dimovere, cum actu illam dari experiamur. Ossa carie corrumpi, ut passim in lue celtica obsessis intuemur, quid aliud testatur nisi dari motum tantæ virtutis, quo partes possint a legitima, & naturali cohæsione dimotæ in alium licet morbose niti contactum, qui tamen debilioris gradus tantam non potest divulsioni inducere resistentiam, ut & minimo momento non possit superari? Ulterius nonne observamus in denudato osse sponte aliquando illius aliquod frustulum, non minimam componentium particulam secedere? si vis dari potest, quæ possit frustulum ab osse dimovere, quanto facilius dabitur vis, quæ possit minimam componentium particulam a contactu sejungere, seu solidæ partis consumtionem efficere? Quid arteriarum, & venarum apertiones, quid enormia

ut

ut vidimus, & tetigimus, arteriarum aneuriſmata? ſi tam validus dari poteſt impetus motus, poſſit renitentes adeo, nec exiguarum arteriarum tunicas omnimode divellere, aut adeo extendere, ut plurimæ & magni gradus tolli debeant cohæſiones; hic vero impar erit, ut indeſinenti tenuiorum particularum ad ſolida alliſu poſſit minimas aliquas illorum particulas dimovere, ac ab aliis ſejunctas, & liberatas ſecum in auras ferre, quod idem eſt ac conſumere.

V. Quid quæſo immenſam quærimus potentiam, ut ſolida conſumantur, cum longe minorem pro tanto opere ſufficere nuſquam non obvium habeamus? Nec puto minorem eſſe inter particulas marmoris in contactum niſum, quam inter partium oſſis ſit cohæſio. Quid pro marmore conſumendo requiritur; Non dicam ut boreali impetui exponatur. Non ut inter ſalſas undas mergatur; & frequens, & levis manuum attritus pro hoc opere ſuperabundat. Sat eſt intueri pontes, quorum marmorea latera, aut commodo, aut tutamini inſervientia mirum quam a frequenti manuum attritu conſpiciuntur polita. Scabra illa priuserant, nec partium aſperitatem conſtituentium alia demit firmiſſimum contactum potentia, quam minima, ſed millies repetita manuum alliſio. Non diſpar eſt ab alliſu manuum altera in corpore potentia. Quid frequens turgentium muſculorum niſus? Quid in oſſa latera. lis preſſio? Nonne ſunt totidem potentiæ, quæ pro minima dimovenda particula oſſis ſufficiunt; At deſumamus a pharmaceutica argumentum. Pro philoſophice, ut ajunt, præparando cornu cervi, hoc in alembico ſuſpendunt, & per plures dies ab affluviis ferventis aquæ madefactum tandem fit molle, ut nullo propemodum labore friabile evadat, unde p æparatio. Quid aliud in corpore vivente contigit? circumquaque effluviorum agmina emergunt; quæ non aquea tantum, ſed ſalinis cuſpidibus aſſociata quamnam vim exerere non poſſunt in ſolida in quæ impingunt? Non eſt meus animus probare, aut ceræ ad inſtar flecti poſſe oſſa, aut veluti præparatum cornu cervi friabilia evadere, ſed hoc ſatis oſtendere ab harum tenuium partium occurſu non poſſe quin aliquæ & extimæ oſſium minimæ particulæ a contactu recedant, unde conſumtio. Non enim tam inefficax eſt horum effluviorum vis, ut illas particulas a contactu dimovere non poſſit, nam non puto oſſa adeo regularibus particulis, ſeu illius figuræ conſtare, ut nulla nec minima interſtitia relinquantur, inter quæ velut tot cuneoli intrudi non poſſint minima effluviorum ſolida, a quibus fiat aliquarum particularum a contactu remotio, quæ & per minimum recedere ob tantam eorum exiguitatem, & ſecedere opus habent. Hæc ſufficere poſſe arbitror: at non poſſum quin & illud afferam, quod habetur in aureo dicam libello ſapientiſſimi *Dominici Guillelmini* in Patavino ArchiLyceo medicinæ theoricæ Profeſſoris primi ac præſtantiſſimi de natura ſanguinis & conſtitutione, videlicet naturaliter nobis morti obviam eundum, eo quod per vitiatas ſecretiones tandem S. Maſſa fatiſcere oportet, a qua, cum quæ vitæ neceſſaria ſunt elici non poſſint, mors debet ingruere. Tantum vero ſecretionum vitium non aliunde, quam a vitiatis glandularum poris, qui per continuum fluidorum tranſitum attriti, ac ſolidiorem aliquam ſubſtantiam deperdentes vitiari in figura neceſſe habent, per quod ſatis ſuperque probatum habeo ſolida quoque conſumi.

VI. Determinata cujuſcumque partis, qua fluidæ, quæ ſolidæ conſumtione videndum modo ſupereſt, & a quo, & quomodo nutriantur. Nutritionis nomen genericum eſt, eo quod in inferiora diviſibile ſpecies nonnullas continet. Dum enim corpus quantum a ſe per conſumtionem dimittit, tantumdem per alimentum recipit, hæc legitime nutritio appellatur; dum vero appoſitum excedit conſumtum, augmentatio, dum conſumtum ab appoſito non æquatur, decreſcentia, ſeu imminutio apud Jatros audit.

VII. Partium non una craſis, quinimo ſingularum ſpecificæ ſuæ propriæ affectiones, quapropter nec eadem nutritio unicuique pare eſſe poteſt. Alia enim oſſium, ac cartilaginum textura, alius membranarum ac muſculorum color, varius in viſceribus contextus. Non eadem enim ſubſtantia lienis, ac pulmonis, non eadem hepatis ac cerebri. Quare vel non eadem pro nutritione materies, aut non idem ejuſdem materiæ nutritiæ modus.

VIII. Cum nil æque ac legitime inſtituta diviſio ad dicendorum captum prædiſponat, conſtitutivas humani corporis partes dividam, a quarum diviſione dilucida, ut ſpero, & brevitati ſtudens methodus emerget. Quod ergo in noſtri corporis ambitu continetur, aut nerveum aut ſanguineum, aut adipoſum eſt; quæ an rite fuerit inſtituta diviſio per cujuslibet partes ad propriam claſſem reductionem patebit; non ea tamen eſt omnium partium homogeneitas, ut una tamen, in duplici claſſe conſtituenda non ſit, quinimo nec ſimplicitas adeo arcte ſumenda, ut quid compoſitum non admittat; nam cum harum partium ſit judex oculus, & cum hunc minima au fugiant, ea ſimplicia dicimus, non quæ rationis trutina, ſed oculi judicio judicantur. Hoc tamen non exactum diſcrimen longe eſt, quod iſtituto noſtro, aut veritati noceat.

IX. Ad nervea referenda duco oſſa, cartilagines, tendines, ligamenta, membranas, tunicas, ac demum albicantia omnia. Ad ſanguinea, muſculos omnes, hepar, lienem, glandulas, ac demum alias partes, ſi quæ ſunt, rubore ſuffuſas. Ad adipoſa vero ipſummet adipem quocumq; in loco ſitum, ſive varias nomenclaturas hic ſortiatur, ut ſevi, pinguedinis, & adipis pro liquationis facilitate, aut liquidi concretione, ad quæ referendum eſt & omentum, &

oſſium

ossium medulla. Statutis partium classibus, & ad classes revocatis, quænam sit harum partium materies, & dispositio videndum. Quicquid nostra organa constituit, aut fluidum, aut solidum est; solidum vero nihil aliud esse puto, quam minimorum æque, ac varie dispositorum vasculorum congeries. Si fluida excipias, totum corpus, totum vas est. Ne paradoxon hæc hypothesis redoleat, id enodandum est, quod magis hypothesi fulciendæ contranititur. Æque absurdum videtur vasculorum congeriem asserere ossa, ac mollitiem ossibus tribuere, quapropter quam absonum sit nostrum assertum primo intuitu cuique apparet.

X. At non adeo nudæ autopsiæ fidendum, ut a ratione recedamus: satis enim nostra libertate abutentes, ut ingeniosissime edisserit Doctissimus *Malebranchius*, per sensuum præjudicia in errores incidimus. Et mentis standum ratiocinio, a qua tutius veritatem eruere possumus. Ossa igitur non pertranseunte intuitu sunt perpendenda, sed usque ad prima illorum stamina veritatem inquirentibus nobis est deveniendum. In prima hominis in ovo ichonographia ossium soliditatem reperiri non arbitror, quare in primo fœtus exordio, aut alius materiei, aut alterius texturæ illa esse dicendum. Si oculos nostros acutissimi *Kerchringii* cultro minima prætereuntes associabimus, cum ipsemet osteogeniam perpendentes intuebimur, quantum interfit inter embrionis, & perfecti humani corporis texturam discriminis. Ossa quippe, dum prima ipsorum stamina in rudi fœtu emergunt, duritiem, quam in adulto præseferunt, non obtinent, quinimo adeo mollia sunt, ut sint nervis simillima, nec tantum cum nervis similitudinem habent, sed sunt ipsimet nervi, adeo quæcumque nervorum requisita obtinent, jure dicendi. Sunt igitur ossa in primo exordio coacta nervorum congeries, quæ tandem temporis tractu solidescit. Notum ex physicis arbitror corporum soliditatem non aliunde pendere, quam ab arcta partium textura, ita ut duo minima corporis componentia secundum aliquam planam faciem se perfecte contingant, cum maxima possibili renitentia ad distractionem, pendente a gravitate aerei cylindri superincumbentis, ita ut tota vis cohæsionis pendeat a vi aeris prementis, non vero a ramosarum partium mutuo amplexu, cum & magis plana sit agendi ratio, & magis quoque consonet rationi, & experimentis. Notum autem est, duo perpolite marmora superimposita distractioni, seu separationi reniti. Accedit huic pariter & illud *Ottonis Guerrik* experimentalibus tentaminibus celeberrimi experimentum. Secto in hemisphæria æneo globo ac exanthlato aere, iterum adamussim accommodatis hemisphæriis, ac per tenuem ceram commissis, octo hinc inde annexis equis, ac in contrarias partes actis, æneus ille globus quanta quanta fuerit æquorum vis divelli non potuit; patet igitur pressionis vis, qua non absonum est asserere corpora cohærentia divisioni reniti. Et ossa hac lege solidescunt, quorum particularum perfectus contactus a sola eorum textura, ac Fibrarum tum externa, tum interna dispositione erui potest. Nerveus ille Fibrarum manipulus pro osse construendo talem nactus est dispositionem, ut adveniente ob augmentationem uberiori alimento, non secundum quamlibet dimensionem sese explicare possit. Fibrarum enim longitudinalis dispositio non potest quin impellenti, cum majus sit impetus momentum, quam Fibrarum tunc tenellarum resistentia, secundum longitudinem cedat; hinc ossis elongatio, quæ tandiu procedit, quousque æquantur, & impetus, & resistentiæ momenta. Neque vero secundum profunditatem, aut latitudinem, cum hæ in solidorum phæricitate, aut analoga, & proximiori sphæræ figura pari passu procedant, cum consequatur peripheria diametrum, admodum extendi possunt; injecto enim a circumcingente periostii tunica veluti vinculo, partes illæ stipatæ ad extra extendi non possunt, ad intra ergo premente adhuc uberiori alimenti peuu extenduntur, quare ab interna expansione, & coacto alimento angustiora quotidie effici debent ipsorum foramina, quare parciori, ac strictim affluente succo nutritio, hic partibus tum prementis impetu, tum partium nutriendarum resistentia arcte adhæreat oportet, a cujus firma adhæsione, seu contactu soliditas emergit.

XI. At duplici aggredi potest difficultate nostra assertio; & primo, aut nullum esse periostii vinculum, non eo quod sit periostium, sed quia non possit satis ossibus ad extrema nitentibus reniti; aut si quid patiuntur ossa a periostio in extensione, hoc tolli posse a protrusione, seu ab elongatione Fibrarum periostii. Altera vero difficultas, est. Supposita ossa non posse ad extra extendi, possunt quidem ad intra, nempe ad cavitatem medullarum, seu ad internum, & magnum ossis foramen.

XII. primæ primo respondeo. Si periostii Fibræ quomodolibet essent dispositæ, seu mavis omnes excurrerent secundum ossis longitudinem, omittere possem non multum impedimenti ossium expansioni ab his futurum esse; at cum irregulariter admodum procedant, & cum ut plurimum spiraliter, transverse, ac circulariter ad os ferantur, quantum ab hac dispositione ossium expansioni impedimenti evenire potest, facile est elicere. Insuper Fibras periostium constituentes ab affinibus musculis duco, quæ eodem modo ossi annectuntur, ac in musculo sunt dispositæ, & prout respectu ad eos situs est musculus, quare possunt quidem mole augeri Fibræ os circum vestientes, sed ab earum augmento nulla ossis extensio provenit; cum enim circulariter os stringant, si augeantur, secundum quamlibet dimensionem augentur, quare possunt quidem quoad longitudinem auctæ os adeo premere, at cum simul & augeantur profunditate, seu per latum extendantur, debent magis quam antea premere, quare quan-

tum remittitur ob longitudinem tantum demitur ob profunditatem ; idcirco ab earum augmento nulla offium ad extra extenfio fperanda eft. Hac eadem de cauſa ſeu propter hanc Fibrarum, ſeu perioſtii diſpoſitionem circa os aut elici, aut confirmari poteſt offium ſoliditas ; nam

XIII. Quilibet muſculus offi tendine adhæret, a cujus Fibris perioſtium oriri puto. Muſculus ad hoc ut ſuo fungatur munere, nempe ad hoc ut moveat, turgere ac inflari opus habet. Inflatio, ac muſculi turgeſcentia non eadem ubique eſt, cum tota ferme ſit in ventre muſculi, aliqualiter quidem, ſed minimum inflato tendine, & hunc turgeſcere certum eſt non a toto illo, quod in ventre muſculi turgeſcentiam parit, ſed a copioſiori in tendinis Fibras ſpiritus influxu, quare turgentibus tendineis Fibris comprimi, ac coarctari magis debet os, ſed neque turgente tendine adhuc noſtrum viget cogitatum. Turgente muſculo ipſius tendineæ Fibræ decurtantur, ac verſus ventrem muſculi trahuntur, quare magis abbreviatæ, & expanſæ magis comprimunt os cui adhærent, ac tanta eſt earum tenſio ſeu abbreviatio, ut os trahant. Modo quid ab hac Fibrarum contractione oriri debet, videamus. Tractæ Fibræ, ſeu abbreviatæ neceſſitate mechanica debent ſtrangulare os quod cingunt, ac valida circumpreſſione Fibrarum offis anguſtare foramina, per quæ pauculus poſſit ingredi ſuccus, ab eadem quoque preſſione ita internæ ſucci nutritii partes premuntur, ut neceſſe habeant ob preſſionis vim perfecte, quoad poſſunt, ſeſe contingere, expreſſo fluidiori perfectum impediente contactum, quare patet a muſculi turgeſcentia, ſeu inflatione, & promoveri, & perfici poſſe offium ſoliditatem.

XIV. Alteri difficultati brevius repono ; primo, non quodlibet os magna cavitate donari, ſed tantum pauciora, dein vero & cavitas eſt perpendenda. Eo enim modo cava ſunt offa, ut facile ad intra extenſio fieri non poſſit. Sicut enim fornices quo magis deſuper premuntur, eo magis in ſitu firmantur, ob determinatam, aut laterum, aut marmorum diſpoſitionem, ſeu ſtructuram ; a pari quamvis a circumſtringente perioſtio offa premantur, attamen ob determinatam Fibrarum diſpoſitionem intraflecti non poſſunt. Inſuper talis eſt illarum Fibrarum mutuus complexus, & unio, ut niſi illa laxata ipſæ quidem dividi non poſſint, quare nec figuræ adjumento, ob tam implicatum Fibrarum ordinem, una ſine altera introcedere non poteſt, quare omnibus circum ſeſe lateraliter prementibus, ac æque diviſioni renitentibus, interna cavitas non occluditur ; unde inconcuſſa patet ſoliditatis ratio.

XV. Idem cartilaginum exortus, eadem eſt ac offium metamorphoſis : antequam enim offa ultimam acquirant duritiem, dictante obſervatione cartilagineam mollitiem induunt, quinimmo nonnullæ cartilagines in viris, deſunt in ſenibus, cum offeam ſoliditatem acquiſierint ; & in aliis quoque partibus hæc metamorphoſis obſervatur : diſſecto enim pro meo obeundo munere in Anatomico Theatro cujuſdam ſubita morte denati cadavere, reperii a cordis baſi uſque ad exitum emulgentium totam, quanta erat, omnino offeam aortam, a quo facile fuit deducere inopinæ mortis cauſam, cum deſcendens præcipue cavæ truncus diſtentus fuerit concreto ſanguine, at extra conſuetum ordinem ingentis ſatis diametri ob impeditum tranſitum per cor a fuſſaminata aortæ ſyſtole.

XVI. Tendines eſſe vaſa, & a limine anatomen ſalutanti in propatulo eſt, nam cum nihil ſint præter nervearum Fibrarum congeriem, & cum Fibræ nerveæ vaſa ſint dictante ratione, patet & tendines vaſa eſſe : idem intellectum cupio de Fibris tendineis non collectis, ſed ſejunctis, & per muſculi ventrem diſſeminatis, quæ niſi inter ſe contiguæ ſint, tendini tamen ſunt continuæ, ita ut quot in muſculi ventre, tot ſint numero in tendine, ſeu cauda, aut capite muſculi. Non conteram tempus circa probationem & membranas, & ligamenta vaſa eſſe : nam cum hæc Fibris nervorum conſtent, vaſa ſunt. Sub membranarum numero notum eſt haberi peritoneum, pleuram, viſcerum omnium tunicas, cerebri meninges, arteriarum, & venarum parietes ; non ita tamen ſimpliciter nervis hæc conſtantia duco, ut præfatus ſum, quin aut glandulas, aut ſanguineum aliquod vas non inutili inſtituto admittant.

XVII. Ad ſanguinea referenda protuli, & muſculos, & hepar, & lienen & glandulas cum reliquis. Per ſanguinem id intelligo, quod vel ſimpliciter a ſanguineis conſtruitur vaſis, vel horum maximam partem in ſe recipit. Demtis tendineis Fibris tum coactis, tum ſejunctis, nec non illis Fibris a quibus tendineæ interſecantur, ac paralellæ detinentur, muſculum ad ſanguinea refero, neque ejus parenchima compactum arbitror a ſanguine Fibrarum interſtitiis effuſo, & coagulato, ſed illas ſanguineas, & rubicundas ſtrias tot ſanguinea vaſa duco, exilia quidem, ſed ſanguine referta, ita ut inter gremium ſanguineum vas intercedat nerveum, aut inter gemina nervea intercedat ſanguineum, quod nil aliud eſt, quam prolongata arteria, aut in confinio definentis arteriæ venarum exortus, quæ ab arteriis non differunt, niſi per tunicarum, non numerum, ſed tenuitatem, quæ habetur ob longum nimis arteriæ proceſſum, quapropter gracileſcendo venam conſtituit.

XVIII. Non novum eſt, & ſi novum non rationi inconſonum, glandulas arteriarum & venarum glomeres eſſe, non tamen ruditer, ſed mirabili diſpoſitarum artificio, quare cum hepar ſit maxima glandula, detegente *Marcello Malpighio* celeberrimo anatomicorum Coryphæo, cujus coruſcans nomen, aut perſtrinxit minus impudentis invidiæ oculos, aut rabidæ latrantis

lin-

linguam avulsit, jure ad sanguinea retulimus: quid lien sit ab eodem nunquam satis laudato omnes recepere, & cum maxima illius visceris pars sit sanguineorum vasorum ac glandularum mira distributio, & hic illuc referendus. Quid de pulmonibus, qui quoad innumeras sanguineorum vasorum propagines ad sanguinea, quoad vero membranosas cellulas, ac bronchalia antra ad nervea sunt ablegandi?

XIX. Et adiposa ad trutinam examinis revocanda, sive enim adiposus panniculus intelligatur, sive omentum, aut ossium medullæ, inter quæ non multum interest discriminis; si demas contenta, sint hæc liquida nec ne, nil præter vasa reperies; cum vero omentum sit veluti adipis emporium & centrum, quidnam sit cum *Malpighio* perscrutandum. Omentum est tubulorum, seu striarum, ac sacculorum acervus racematim undequaque distributus. Hi sacculi, seu lobuli sunt veluti intestinula oleoso succo referta. Cum hoc sit omentum, & cum ejusdem naturæ sint membranæ omnes adiposæ, quæ in corpore reperiuntur; duo hic sunt perpendenda, & sacculi continentes, & succus contentus. Cum vero sacculi illi sint, autopsia teste, membranacei, quinam sint, & quo sint referendi patet. Quodlibet enim membranosum nerveum est, quare in nerveorum classe collocandi. Non ea tamen facilitate de adiposa materia ratiocinandum, & *Malpighium*, & sectatores hæsitantes reperio circa adipis & generationem & legitimum usum.

XX. Hisce præjactis modo instituto inhærebo, & nutritionis modum perquiram. Ab illo exordiar, de quo novissime sermo fuit, nempe de adiposis. Adiposa tunc nutriri autumo, seclusis continentibus, cum ubertim intra membranacea illa marsupia oleosus succus deponitur, at quomodo segregetur, hoc opus, hic labor est.

XXI. Succum hunc a nervis non elici unicuique notum arbitror, nec enim illa via apta, nec succus ille congener est, quare a sanguine deducendus superest. Non adeo tamen latet quid sit adeps, ac quomodo separetur. Oleosum hunc esse sanguinis succum, ac ex crassioribus sulphuris partibus constantem, satis ab ejus inflammabilitate, levitate, lentore, ac facili consistentia evincitur. Quod vero secretionem spectat, solum conjecturæ huic insuper nec plurimis rationibus firmatæ locus est. Per sanguifluorum vasorum porulos oleosum hoc transudare nimis absonum videtur, nam si hoc verum foret; ubicumque essent vasa sanguiflua, & adeps colligendus esset, quod observationi adversatur. Neque rationi consonum judico, pinguiorem chyli partem, aut per ventriculi, aut per tenuium intestinorum porulos transudantem omentum constituere; a quo veluti ab alio adipis corde ad universum corpus per propria vasa oleosus hic succus distribuatur.

XXII. Quare cum simplex sit nostræ hujusce machinæ agendi modus, & cum hucusque detecta sint hujus veritatis suffragia huic inhærendum, & quantum in operibus simplicitatem intuemur, tantundem nobis simplicitas hæc indaganda. Quod intra hoc corpus secernitur per figuram, motum, & magnitudinem secernitur, quod fit ope glandularum, de quibus aut in genere, aut in specie non tot quin plures egere, qua ratione, & adipis secretionem fieri juvat confiteri; quod vero microscopiorum acuties nondum detexerit, oblinenti liquido, prout conquestus ipse *Malpighius*, microscopiorum aciem retundenti forsan tribuendum. Hoc ergo per non irrationalem conjecturam statuto, adiposarum partium nutritionem tunc fieri statuo, cum satis magna oleosi succi quantitas per adiposas glandulas secreta intra sacculos colligetur, cujus fidem superans observatio in historiis Medicis mihi legenda contingit Viri cujusdam adiposum panniculum sub cute stratum semissem ulnam profunditate excedere.

XXIII. Hic data occasione licet nostras conjecturas circa nonnullarum glandularum structuram exponere, & præcipue circa adiposas, quas credimus & lactiferas. Accepta est apud Jatros hypothesis secerniculum quoddam esse glandulam, quæ non quodlibet indiscriminatim secernat, sed id solum, quod illius secerniculi poris, & quoad magnitudinem, & quoad figuram, secluso hic motu, correspondet. Mixtum heterogeneum sanguinem esse tum ex ejus synthesi, tum ex analysi facile elicitur, quare secernenda non unius tantum indolis, seu figuræ, & magnitudinis esse in propatulo est; alia enim tenuia, alia crassiuscula esse oportet, quare & eorum cribra variæ admodum magnitudinis esse necesse arbitror, si, ut probabile reor, dantur glandulæ secretioni adiposæ materiæ dicatæ, eas non esse ejusdem structuræ, ac ceteras in reliquo corpore mihi videor posse asserere; nam meo judicio arbitror tum particulas proxime constituentes adipem, tum lac, seu ipsum chylum crassiores esse, seu majoris molis ceteris partibus, quæ sanguinis massam constituunt. Quod vero partes lactis, seu chyli ceteris sint crassiores per se patet, nam chylus primum est sanguinis rudimentum, seu chyli partes nondum illos reliquere contactus, seu in illas minutiores particulas divisæ sunt, quæ necessariæ sunt pro induendo sanguinis charagmate, quæ divisio non nisi longiori inter sanguinis partes attritu, & ad vasorum latera per repetitos pluries circuitus allisu, haberi potest. Adipis quoque partes reliquis in sanguine hospitantibus partibus majoris esse diametri, seu plures minimas partes habere per contactum unitas, multum verisimile agnosco, ut concedatur. Primo facilis earum partium concretio indicat non tam minimæ esse molis, ut diutius a tenuiori aeris parte possint in morum detineri, unde fluiditas. Secundo buty-

rum, quod adipi analogum valde eſt, non ingenti labore a lacte ſecernitur; unde arguendum nec tam minimæ eſſe molis, nec tam paucas inter illius componentia cohæſiones eſſe, ut diuturno labore opus ſit pro illius ſecretione. Tertio oleoſæ ſeu adipoſæ partes nonne ſunt fluido aqueo leviores? attamen fluidum aqueum, & facilius conſumitur ab igne, & in majori motu conſervatur ab aere: evidens ſignum, particulam unam fluidi aquei minorem reſiſtentiam parere igni, aeri, quam particulam adipis; nam ſi eadem ab utraque particula emanaret reſiſtentia eodem momento impetus, poſſet eodem tempore, & aqua, & adeps conſumi, ſed cum non conſumantur eodem tempore, & eodem impetus momento, dicendum eſt, majorem reſiſtentiam parari a particulis adipis, quam a particulis aquæ, ſed partes adipis leviores ſunt partibus aquæ; partes igitur adipis erunt majoris molis, quam particulæ aquæ. Si vero reponant non magnitudinem molis, ſed figuram in cauſa eſſe, cur partes adipis difficilius aqua igni expoſita conſumantur: quæro cur qua tranſit aqua, adeps, tranſire non poteſt; hoc equidem nonniſi a pororum anguſtia, quæ permittit aditum tenuioribus particulis aquæ, occludit vero particulis adipis; ſupponatur etiam, conceſſionis gratia, particulas aquæ eſſe figuræ omnino ſphæricæ, & particulas adipis cujuſcumque alterius figuræ: vel particula aquæ occupabit majus ſpatium, quam particula adipis, ſeu diameter particulæ aquæ major erit, quam diameter particulæ adipis, vel non; ſi aqua habebit majorem diametrum, qua tranſibit aqua, tranſibit & adeps; ſed adeps non poteſt tranſire qua tranſit aqua; ergo diameter particulæ adipis major erit, quam diameter particulæ aquæ; ergo adeps majoris erit molis particulis aquæ. Aquæ partes reliquis ſanguinis partibus craſſiores eſſe, niſi ulterius probem, argui poteſt ab ipſius diuturna mora in ſaculis adipoſis, & ab ejus præcipuo uſu, tum quoque erui licet ab illis corporibus, in quibus abundat; nam intuemur pinguiores non valde celeri ſpiritu donari; & eorum fluida non admodum concitato ferri motu, unde partes chyli non admodum diviſæ facile potuerunt adipoſas partes, ſeu eorum dicam butyrum ſecernere, quod laboribus aut vigiliis, aut ſtudiis conſumitur, ſeu illis omnibus, quæ poſſunt fluida in motum citationem urgere, per quem diviſæ illæ partes faciles a quiete abripiuntur, & per cutis ſpiracula emergunt.

XXIV. Statuto, ea, qua potuimus brevitate, ne a ſemita nimis digrederemur, particulis adipis majoris eſſe molis ceteris ſanguinis partibus, dicimus eam, quæ paſſim habetur apud celebriores Anatomicos, glandulæ ſtructuram hujus ſeparationi accommodatam non eſſe, nam cum arbitremur, ut de facto in reliquis glandulis contingere puto, excretorios tubulos minoris longe eſſe diametri, quam ſit aut arteria afferens ſanguinem, aut vena reportans, per hos ductus excretorios, dico particulas adipis ſecerni non poſſe, nam ſi tubulus ſecretorius tantæ ſit diametri, ut quæcumque partes per illum tranſire poſſint, ſolæ adipoſæ non tranſibunt, ſed ſi hæ tranſierint, cum ſint majoris molis, & reliquas tranſire poſſe puto; quare nulla continget ſecretio; ſed talis glandulæ ſtructura requiritur, quæ inverſo modo ſecernat, nempe craſſius detineatur, ac protrudatur tenuius. Pro quo concipiatur glandula adipoſa veluti inteſtinulum cœcum, ſeu veluti ſacculus oblongus, nempe ex parte orificii patulus, ex altera vero parte cœcus, ſeu occluſus: ad orificium illius ſacculi oblongi hiet arteria, quæ in illum ſacculum ſanguinem effundat; ſint vero hinc inde ad latera ſacculi, utpote ſunt ad latera inteſtinorum vaſa lactea, tot poruli, ſeu tot minima vaſcula, quorum diameter tantus ſit, ut minor ſit diametro particularum adipis, & vel major ſit, vel æqualis diametro ceterorum ſanguinis componentium, ita ut per illa vaſa, ſeu venulas reliquus ſanguis poſſit refluere, præter particulas adipis, dico in hac glandula poſſe fieri adipis ſecretionem; nam ſi ſanguis totus in illo oblongo ſacculo ſeu inteſtinulo effuſus, totus inquam poſſit per lateralia vaſcula abſorberi, præter craſſiores adipis partes; craſſiores adipis partes in illo ſacculo remorabuntur, ac dicentur a ſanguine ſecretæ.

XXV. Nec officit noſtræ hypotheſi, quod quis aſſerat, a craſſioribus adipis particulis occludi poſſe lateralium vaſculorum ora, ita ut nec tenuioris ſanguinis partes per illas poſſint permeare, unde, maximo anialis incommodo, ſanguinis mora. Cui dico difficillime a craſſioribus particulis omnia, quæ plurima credimus, lateralia adipoſæ glandulæ vaſa occludi poſſe, & tanto difficilius, quanto hæc occluſio impediri poteſt a ſiſtaltico glandulæ motu, ut paſſim intuemur in frugum ſecerniculis, quorum pori ex. gr. dicati pro ſecretione millii non occluduntur a majoribus granis tritici, atque hoc ob cribri motum, ſeu ſuccuſſionem. A pari puto oriri idem poſſe in glandula non ſolum hac noſtra adipoſa, verum in qualibet alia, cum ubique ſit eadem ferme difficultas; at ſucceſſorius glandulæ motus huic conſuluit incommodo. Nec quidem eam confringit, ſi iterum reponat aucta adipis mole in ſacculo illo oblongo tandem nonnulla lateralia vaſa, ſeu venulas occludi oportere, quare venæ illæ abſque ſanguine forent, & difficilius reliquus ſanguis ab arteria in glandulam effuſus a minoribus ſeu paucioribus vaſculis deferetur. Huic reſpondere poſſemus quid intereſſe, quod nonnulla lateralia vaſa claudantur, ac venæ otientur ſine ſanguine revehendo. Inſuper in his vaſibus non tam infrequens eſt mutua inoſculatio, ut adhuc aliquid deferre non poſſint. Alteri vero dico, ſi difficilius ſanguis a paucioribus non occluſis vaſculis deferretur, majorem daretur ſanguinis an cedenti arte-

terio-

terioſo reſiſtentiam ; quare parcius ob majorem reſiſtentiam in glandulam effunderetur , unde parcior facilius poſſet a paucioribus vaſis deferri , unde patet & alterius difficultatis ſolutio .

XXVI. Hac noſtra admiſſa hypotheſi facilius , & erui , & explicari poteſt adipis uſus , ſive quod hic collectus ſit pro cuſpidalium particularum ſeu ſalium in ſanguine hoſpitantium correctione , ſive hic veluti nutritiæ materiæ emporium reſervetur , non quod ſic præciſæ nutritioni inſerviat , ſed diverſimode elaboratus , ut videbimus. Ulterius noſtro cogitato favere videtur ipſe *Malpighius* acuratiſſimus ; ubi de omento ait : In ranis tandem pertranctandis hoc obſervavi ; dum languide adhuc redit in cor ſanguis , in truncо venæ portæ , cui appenduntur expoſitæ oleoſæ ſtriæ , videre eſt conſpicuas guttulas olei , compreſſis præcipue ſtriis , quæ una cum ſanguine in hepatis cavum rapiuntur , &c. Quænam excogitari poteſt via , per quam adeps e ſacculo tranſierit in venam portam ? Hic vides quam inutili inſtituto multiplicanda ſunt vaſa , per quæ adeps in ſanguinem commeet. Nos vero aſſerimus ideo oleoſas guttulas irrepſiſſe in ſanguinem , quia per compreſſionem ſtriarum adipoſarum ita potuerint extendi vaſorum lateralium ſacculi adipoſi ora , ut non ſolum potuerint tranſire particulæ reliquæ ſanguinis , ſed ipſe collectus adeps vi compreſſus debuerit per venarum oſcula e ſacculo exire , & ſanguini in porta innatare . Hinc patet , cur quædam animalia per plures menſes abſque cibo vivant , prius tamen bene paſta & pinguia , ut feruntur urſi , taxi , &c. Non arbitror collectum omnem ſuccum prodiuturna reparatione contineri in vaſis ſanguifluis , ſed colligi , ut ſatis grandis adipis copia teſtatur , in ſacculis adipoſis , qui dein paulatim , ſic exigente indigentia , poſſit ſanguini communicari . Nec difficilior eſt hujus tranſitus ratio . Dico primo adipem ſub forma adipis venas non ingredi , ſecus nulla foret ratio ſecretionis , ſed mutata illarum partium figura . Dico ſecundo duplici ratione ſanguinis motum tardiorem eſſe debere , quando abundans eſt rudiori adhuc chylo , quam cum ille aut tenuis factus fuit per plures circuitus , aut per ſecretiones a motu defecit , & propter majorem fluidorum copiam , unde plures reſiſtentiæ , & propter ſpirituum minorem impetum a craſſioribus ſanguinis partibus coercitum . Quoties igitur ſanguis , aut per repetitos circuitus effœtus ſit pinguioribus partibus , vel quia illas conſumſerit pro animalis nutritione , vel pro ſecretione in ſacculis adipoſis , ſanguis urgebitur majori motu , quare tanto impetu arterioſus poterit ferri in ſacculos adipoſos , ut major ſit irruentis ſanguinis impetus , quam niſus in contactum minimarum particularum adipem componentium ; quare particulæ illæ diviſæ , ita ut amplius non habeant eam diametrum ſeu magnitudinem , quæ per poros adipoſæ glandulæ permeare non poterat , venas pervadent , & cum reliquo ſanguine ulterius circulantes eouſque dividentur , quouſque poſſunt , aut nutritioni , aut reliquis animalis uſibus inſervire ; & tamdiu eorum vita ſine novo cibo poteſt durare , quamdiu ſatis adipis eſt in ſaculis pro animalis & reparatione & conſervatione adminiſtranda , quæ cum magna ſit per multum durat. Et hæc eſt expeditior via pro explicando & uſu & tranſitu adipis . Plura non proſequor , ne longior fiam : quid dicendum & in ceteris animalibus ob exercitia adipem deperdentibus , ex dictis patet . Hic forent nonnulla dicenda de glandulis lactiferis , quarum ſtructuram glandulis noſtris adipoſis ſimillimam reor ob adductas rationes , niſi unius ductus diſcrimine , dummodo tamen verum non ſit e thoracico ductu nonnulla lactea ad mammas ferri , quod nondum firmiter ab ullo & demonſtratum , & confirmatum eſt ; huic tamen ſuperſedeo , alibi forſan data occaſione tractaturus .

XXVII. Et qua lege nervoſi ſyſtematis reparatio ſuccedat ſecundo noſtras indagines promeretur . Quid ſit hoc nervoſum genus , quidque ſub ſe comprehendat , ſuperius enunciatum fuit , quapropter quid nervi ſint exhibendum . Nervus (hic ſejunctim de qualibet Fibra nervea loquor , non de nervulorum , aut minimarum Fibrarum faſciculo nervum unum in ſuo principio repræſentante) eſt tubulus , ſeu corpus teres , oblongum , cavum , non diviſibile in alia corpora cava : cum vero oblongum rotundum ſit vas , plura ſimul collecta , & in unum faſciculum coacta adamuſſim inter ſe non uniuntur , ita ut nulla intercedat vacuitas , ſeu intercapedo inter unum & aliud , quod ſolum figuris pentagonis , quadratis , & triangulis , æquilateribus competit , quare cum his figuris non donentur , interſtitia relinquere opus habent . Non injucunda forſan parerbaſi hic meas poſſem de cerebro conjecturas exponere , quoniam partis mollities , ac componentium exiguitas oculum aufugit , & cultri aciem eludit . At cum plurimorum ingenia defatigarit tantum opus , tum ratione partis , tum ratione muneris , quamvis hujus non imperviæ mihi ſuppetant phænomenon explicationum ideæ , maturius acturus , tanum facinus aut omittam , aut dimittam . Nervorum origo , ut autumare modo licet , non a cerebri baſi , aut medullari ſubſtantia petenda eſt , ſed a primo eorum fonte , nempe a corticali cerebri parte , a glandulis ſcilicet , a quibus primo emanat. Nihil enim aliud ſunt nervi , quam cerebralium glandularum ductus excretorii , quorum plurimi ſimul collecti nervorum faſciculum conſtituunt .

XXVIII. Duplici ſucco turgent nervi ab eodem tamen fonte derivato , ac unica ſecretione ſecreto ; tenui altero celerrimi motus , mininiæ molis , maximæ activitatis , ætheri analogo ; ſpiritu ſcilicet animali ; minus tenui altero , cui

ſcilicet minoris tenuitatis nomen habita ad ſummam ſpirituum tenuitatem ratione competet, adeo tamen abſolute conſiderato tenui, ut nullus ſuccus in corpore hoc tenuior exiſtat, qui non eo ſolum inſtitutus fuit, ut facillimam ſpirituum difflabilitatem, ac avolatum ſuo quocumque lentore cohiberet, ſed inſuper, ut impendia in ſolidis partibus a ſpirituum energetico motu producta ſuo irroratu reficeret.

XXIX. Antequam tamen ulterius procedam, nonnulla mihi ſolvenda occurrunt a nonnullis, quorum totus intellectus in ſenſibus eſt, objecta. Primo ſuccum hunc nerveum explodunt, quia a nemine viſus fuit unquam, quorum hebeti viſui ſi regerat Oculatiſſimus *Malpighius* ſe illum e nervis diſſectis emanantem, minima tamen guttula, vidiſſe, aut alium hunc ajunt ſuccum eſſe vel ab arteriis, vel a lymphaticis profluentem, aut tantum Virum hallucinatum fuiſſe non verentur aſſerere. Cujus tamen tanto nomini non patrocinaturus, tanto enim me non dignor, repono, nervum opticum, quo e cerebro exiens nullus major eſt, diſſecare oportet, quod ſi in recenter mactato fiat animali, ſi diſſectus exprimatur, evidentiſſime ſucci nervei guttula non renuentibus oculis ſeſe patefaciet.

XXX. Alterum a ſubſtantia deſumtum eſt argumentum, nempe craſſiorem ſuccum nerveum per exiliſſimos nervorum tubulos haud poſſe tranſire. Miror quidem nonnullos adeo verbis addictos, aut materiei adeo adhærentes, ut nec illa percipere, neque ab hac per latitudinem digiti elevari poſſint. Craſſior quidem ſuccus nerveus dicitur, at non tantæ molis prout verbum ſonat, ſed habito reſpectu ad ætheream ferme ſpirituum animalium conſtitutionem, alioqnin ille omnium corporis ſuccorum tenuiſſimus eſt. Inſuper quæ tanta pororum exiguitas, quæ ab hoc ſucco permeari non poſſit? Ipſe ſanguineus latex, qui craſſior quidem & admodum hoc ſucco eſt, qui minima non pervadit vaſa ſanguifera, quæ vix adjuti microſcopio, poſſumus intueri, & tota velut puncto minora videntur; cum tamen plurimos lateraliter in una ſectione diſpoſitos globulos contineant. Cui non nota ſeminis virilis ad oculum ſaltem craſſities? cui non nota ejuſdem ſeminis via? Effuſum ſemen craſſum corpus videtur, anguſtus ejuſdem trames, attamen craſſum nobis illud corpus per anguſtam viam permeat. Anguſtam vero viam eſſe patebit, ſi principium vaſis deferentis perpenderimus; non enim pervium, ſed omnino ſolidum vas videtur, aut tamen ita minime pervium, ut ſemen, niſi oppoſitum per experimentum conſtaret, illac præterfluere negaremus, adeo minima nos latent, ut cum quampiam magnitudinem non ſolum minimam, ſed minima centies millies longe majorem perceperimus, minimum eſſe, nec minorem dari poſſe ferme pejeramus. At noſtræ imaginationis intueamur rudi exemplo umbram imbecillitatis. Craſſus igitur dicitur ſuccus nerveus, ita ut per nervorum tubulos permeare non poſſit. Precor amabo, quænam fingitur noſtra imaginatione particulæ ſucci nervei magnitudo? Hanc quidem ego ſuppono minorem quacumque ſanguinis particula, demto ſpiritu. Quænam ergo mente fingitur? Dicam ego, ac quoniam non ſuppetunt menſuræ, ſuppleat pondus. Dicetur quidem minor pondere unius grani. Ulterius erit millies minor grano. Ulterius dicetur decem millies minor grano? At particula ſucci decem millies minor pondere unius grani dicetur craſſa? At decipimur. Si particula ſucci nervei, quam craſſam dicunt, non ſit ſolum decem millies minor uno grano ponderis, ſed centum quadraginta quatuor millies minor grano, erit ne craſſa? adeo tenuis noſtra nos imaginatio decepit, ut quod minimum credimus, maximum ferme ſit. Quid erit igitur particula una ex 144000. partibus unius grani? Attende: filum ſericum, ut in nobili æque, ac ſapienti Anglo *Roberto Boyle* habetur ex ovali bombycis theca devolutum æquivalens pondere uni grano extendebatur per longitudinem centum & viginti ulnarum. Hoc ego filum mente divido in quadrantes ulnæ, quæ emergunt 480. Quadrantem ulnæ divido in puncta, & ſignavi paginam quadante ulnæ longam, nec tam acuto calamo tercentis punctis, quæ ſunt tot partes, in quas dividi poteſt quadrans ulnæ fili ſerici, ex quo numero per auream regulam habemus ex 480. ulnæ quadrantibus emergere 144000. ſignata atramento puncta; quare magnitudo unius partis ex 144000. partibus unius grani in filo ſerico erit æqualis ſat grandi magnitudini unius attramento ſignati puncti, quod quidem majus eſt particula ſucci nervei, cum hoc conſtet pluribus aliis particulis, nempe fluidi pro attramento, hoc eſt vino albo, galla, & vitriolo: unde arguatur quam tenuis ſit illa pars puncto centies, ne dicam millies minor, quam craſſum immerito & tubulo impenetrabilem proferunt.

XXXI. Talem hunc ſuccum non hinc inde decerpo, ita ut illum nervi exſugant aut a lymphaticis, aut a chylo in meſenterio, aut aliunde, una eademque origo hujus eſt; unus fons, cerebrum nempe, aut illius corticales glandulæ, a quibus ceterarum more, pororum ſcilicet configuratione cribratur hic ſuccus cujus tenuior, ac magis ab aliarum cohæſione libera pars ſpiritus dicitur, cujus motu a ſuperpoſitarum partium præcipue preſſione dependet, at cum hujus ſæpiſſime motus ab immateriali ſubſtantia, anima puta rationali, promoveatur, ſatius eſt utpote inter extenſam, & cogitantem ſubſtantiam ignorantes nexum, nos hæc ad phantaſticos potius dimittere.

XXXII. Et ad evitanda, quæ poſſunt opponi, & felicius explicanda, quæ dicturi ſumus expedit,

dit, ut exponam quænam noſtro judicio fingitur nervei ſucci figura. Duplici hinc inde urgeor argumento, altero ſcilicet pro motu tum ſucci nervei, tum animalium ſpirituum, altero vero pro nutritione. Ille exigit eam figuram, quæ difficillime in cohæſionem venit. Hæc, qua firmiter in contactu perſiſtat; hoc eſt. Motus exigit figuram ſphæricæ proximiorem. Nutritio vero planæ ſimillimam. Quid ergo decernendum? Nil obſtare puto; quamvis aſſeram rectilineam ſucci nervei figuram, ſeu illam polygonam eſſe, non quidem nutritioni, nam ad hoc ut illa fiat: particularum cohæſio fieri debet, quæ eo facilius fit, quo planior eſt particulæ facies. Neque vero motui repugnabit; non ibo inficias, illum facilius fieri, ſi in ſphæriciores partes incideret, attamen neque talis figura, dummodo non obſit magnitudo, impar illi eſſe videtur. Hoc enim inductione patet. Ceræ particulas non eſſe figuræ ſphæricæ ex illarum quiete & conſiſtentia arguitur, attamen ab igne ceræ fluor communicatur, hoc non alia de cauſa, niſi quia moventis impetus momentum majus eſt mobilis reſiſtentia, qui impetus ſi tantæ ſit activitatis etiam in animalibus ſpiritibus, cur ab illis ſuccus nerveus promoveri non poterit? Quod vero & ſpiritibus illis tanta ſit activitas, & ſucci nervei eſſe poſſit illa figura analogice ſic arguo. Quod in ſemine virili duæ ſunt partes proculdubio certum apparet, nempe in illo centineri partes maximi motus & activitatis, & partes alias majoris momajoriſque reſiſtentiæ; quod in ſemine ſint telis nuiſſimæ ac ferme æthereæ partes ab effectu conſtat: eſſe vero & craſſiores patet, nam effuſum ſemen adeo viſcidum eſt, ut propemodum gluten videatur. Viſciditatem vero non aliunde provenire, quam a mutuo partium contactu & in diſtractionem reſiſtentia firmiſſima ratio ſuadet: Atqui ſemen per plures centenos mire complicatorum tenuiſſimorum vaſculorum paſſus promovetur, ac tam pertinaciter ac tanto impetu ejicitur: ergo liquidum quoque cerebri, quod tenuius arguimus, quamvis hæterogeneum, & particulis plurium figurarum conſtans ocyſſime & validiſſime poterit promoveri, quod cum ſemper non contingat, & nutritioni locus poteſt ſupereſſe.

XXXIII. Hiſce præmiſſis non eſt quod quis ſciſcitetur, quo ductu ſuccum hunc nerveum deferri per nervorum ſcilicet foramina, aut per ipſorum intercapedines. Quod tamen ſi urgeatur, quamvis ægre, non poſſum tamen quin fatear, me hic non poſſe ſapientiſſimi *Alphonſi Borelli* matheſeos nitidiſſimæ facis hypotheſi adhærere. Arbitratur ſpectatiſſimus vir, non per nervorum tubulos, ſed per eorundem coactorum interſtitia ad partes fluere. Hæc hypotheſis nec rationi, nec inſtituto poteſt arridere. Et primo mihi inquirendum, e quo fonte emanantem aſſerit talem ſuccum? Vel in cerebro, vel extra cerebrum: non enim tam prave ſenſit ut illum extra cerebrum in nervos deduxerit: ſi in cerebro, vel aliud eſt ſecretorium ab illo ſpirituum, vel idem: ſi aliud; aſſignandum: ſi vero idem, ut rationi conſonat hæc aſſertio, poſſem ulterius ſciſcitari; cum idem ſit ſpirituum, ac ſucci nervei ſecretorium; eritne quoque eadem via uſque ad cerebri meditullium? quod equidem ultro a quocumque opus eſt, ut concedatur. Uſque igitur ad meditullium ſuccus nerveus cum ſpiritibus eſt intime permixtus, cum ibi ſolummodo inſtituenda ſit ſpirituum a ſucco ſecretio atque diviſio; qua vero machina diſpoſitione peragatur hoc opus latet. At neque talis diviſio poteſt inſtitui, cum nulla poſſit dari via, quæ ſuccum nerveum a Fibræ cavitate in Fibrarum intercapedines ducere poſſit. At hæc via ſupponatur. Cur liceat expoſcere aut non poteſt craſſior ſuccus nervorum porulos, tentando ingreſſum, occludere aut ſpiritus animales illac ad partes fluere ubi minimum reſiſtentiarum inveniunt; cum vero per magis patulas intercapedines quam per nervorum minima foramina, minor apponatur reſiſtentia, cur inquam potius major pars per intercapedines, præter Creatoris inſtitutum ad partes non fluet, ſicque œconomiæ animalis ordine inverſo, aut muſculorum motus nullus fieret, aut minimus præ devio ſpirituum curſu?

XXXIV. Ulterius peto: Facta nervei faſciculi diviſione, prout ubique ſermo locorum in corpore contingit, vitiato intercapedinis clauſtro a recedentibus minimis nervorum cylindrulis, quo abibit ſibi relictus ſuccus nerveus? Hic extra nervos fluens decidet indiſcriminatim quæcumque ſpatia, nec intime, ſic eludens, partibus immiſcebitur. Potior quidem, ac magis congrua videtur hujuſce ſucci via nervorum media foramina, nam prout licet conjectari, ideo partium videtur inſtituta ſucci nervei elaboratio, ut ſit animalium ſpirituum frænum, ac ne tali ſucco deſtitutus ſpiritus præ maxima ſui tenuitate & activitate, aut in auras avolet, aut perennes non coercitus motuum anomalias cieat. Cum ad hoc igitur, non unice tamen, ſit elaboratus, cur in cerebro permixtum cum ſpiritu admittimus, ſegregamus in nervis? Metuimus ne avolet in cerebro tot clauſtris coercitus, nec metuimus ufugere in nervis? Quare mihi videor poſſe aſſerere ſuccum hunc una cum ſpirtuum animalium conſortio per nervorum ductus ad partes deferri, interſtitiis non ad uſum, ſed propter neceſſitatem nervorum figuræ conſtructis, aut ſaltem ſi cui uſui præſtant dicere poſſem ea inſervire, ut turgente ſpiritu, ſeu contracta Fibra, aut in motu, aut in ſenſu, nervus majorem locum naſciſci poſſit; nam ſi nervorum undequaque perfectus eſſet contactus, aut non percipi poſſet, vel minima nevri dilatatio, aut una Fibra contracta & expanſa aliæ omnes comprimerentur, unde aliarum munus interturbaretur.

Patet igitur ſuccum nerveum non per interſtitia, ſed per nervorum foramina derivandum eſſe.

XXXV. Duplici hoc ergo liquido nervi turgent, altero tenuiori, ſcilicet pro ſenſu & motu, altero præcipue pro munere inferius explicando, hoc eſt pro partium nutritione. Cum vero hæc liquida a cerebri fonte uſque ad extimam & intimam corporis peripheriam pertingant, qua vi hucuſque perveniant videndum. Ut ſuperius innui voluntatis motum hic prætereo, utpote ſublimioris indaginis, quamvis cum prælaudato *Malebranchio* poſſem me facillime expedire aſſerendo, voluntatis imperium cauſam non eſſe (quod tamen meo ingenio non arridet) ſed tantum motuum occaſionem: at quæ ſolum a partium diſpoſitione pandent inquiramus. Cum maxima nervorum pars inferius ſe conferat, minima vero, quæ ſupremum caput ambit, aſcendente, decerni ferme poſſet motum horum fluidorum ab uno gravitatis momento poſſe pendere, verum cum hoc minimum ſit, tum ratione molis, tum ratione reſiſtentiarum ab arcto nervorum tramite pendentium, alia eſt potentia hujus motui ſtatuenda, hæc vero eſt cerebri preſſio. Cerebrum namque circumundique ſtipatur arteriis, ac venis per meninges diſpoſitis, earumque nonnullis cerebri ſubſtantiam ſeu abditos receſſus permeantibus, prout alibi diximus. Arteriæ, prout ubilibet, in cerebro pulſant, ſeu ſeſe expandunt, ac explicant, ſeſe vero explicare non poſſunt, ſeu ad exterius moveri, quin majorem locum acquirant, nec poſſunt majorem locum acquirere, niſi partes ſuperincumbentes a primo loco dimoveant, nec poſſunt dimovere, quin ad exterius protrudant. Cum vero cerebri arteriæ, præcipue, quæ plurimæ ad extimam ſunt ejuſdem cerebri ſuperficiem diſpoſitæ, altera parte contingant cerebrum, altera cranium, circumquaque in ſua diaſtole ſe explicant, cum æque ad quamlibet partem nitatur ſanguis; cum vero ad partem oſſis, ſeu cranii præ duritie ſeſe expandere non poſſint majori exiſtente oſſis reſiſtentia, quam ſanguinis impetus momento, partes ſanguinis ad os pertingentes reſiliunt, & augent impetum, quo ſeſe expandebant verſus cerebrum, quare verſus cerebrum magis explicantur, a quarum majori explicatione ſeu expanſione majus ſpatium requiritur, quare magis dimovent cerebrum, quod cum ad exterius cedere non poſſit, quia oſſibus coercitum, premi neceſſe habet, cum minor ſit ipſius reſiſtentia, quam arteriarum impetus; preſſo igitur cerebro, quælibet ejus pars premitur, quare compreſſa fluida ulterius promoventur, quouſque ad nervorum orificia pertingentia ab alternato ſuccedentium impetu ac preſſione ulterius per nervorum ductus, urgentur. Quouſque viget arteriarum expanſio, viget & cerebri preſſio, quare vigente cerebri preſſione, indefinenter premuntur cerebri liquida, quæ continuo arteriarum ad corticales glandulas appulſu indefinenter a ſanguine ſecernentur; quare prior unda alteram premit; ſecunda tertiam, & ſic deinceps, quouſque ad extimos nervos, quorum & materiæ preſſæ alteram premit pertingente uſque ad extrema nervorum hujus preſſionis momento, & ab ipſo nervo ſeu Fibra adjuto prout oſtendimus in noſtro opuſculo de Structura ac motu Fibræ; quare patet alternis temporibus fieri cerebri preſſionem, quæ cum arteriarum diaſtole ſyncrona eſt, & a preſſione tum ſuccum nervorum, tum ſpiritus animales ad extrema nervorum promoveri.

XXXVI. Specialius modo hiſce præjactis ad nutritionem deveniendum. Succum nerveum per nervos ductus ad ſingulas partes ſtillatim per cerebri preſſionem delatum ſingularum partium nutrimentum eſſe mihi firmiter videor poſſe ſtatuere, cum pro certo habeam quamlibet continentem partem, ut ex diviſione demonſtratum fuit, nerveam eſſe, conſtitutam ſcilicet a nerveis Fibris, & cum quælibet Fibra minimum ſit vas nerveum, ſive conſiderentur fibræ oſſium conſtitutivæ, ſive cujuſcumque membranæ, aut hæ ſint arteriarum hepatis, pulmonum, oculorum, aut alterius partis, quælibet inquam Fibra erit ſucco, quantitate diametro proportionato, referta, a cujus tum quantitate tum qualitate, tum motu petenda erit nutritio.

XXXVII. Noſtra præmiſſa partium diviſione, ad hoc ut nutritio habeatur, fruſtra ad fermenta confugimus, quibus hiſce temporibus ideo libri ſcatent, ut centies in qualibet pagina repetitum hoc verbum, cujus aut nulla neceſſitas, aut nulla ratio, aut immanis abuſus, & validiori legentis ventriculo nauſeam proceret. Nec veterum decachinnentur iſti facultates. Hæc ſiquidem fermentorum turba, & magis ſapit ignorantiam, & magis redolet ſuperbiam: nec immenſam pororum varietatem fingimus, ad quos pertingens ſanguis quidqnid poro proportionatum ſit dimittat, aut tandem fruſtra elaboramus in humorum nomenclaturis, glutinis, roris, &c. quæ nihil ſunt præter ſpecioſa ignorantiæ aſyla, quare ſimplicitati ſtudentes ob oculos hoc opus ponendo ſtatuimus, nil aliud eſſe, quam proportionatum nerveum ſuccum Fibris adhærere, quo enim copioſius adhæret, major, quo parcius minor nutritio peragitur. Neque ſucco illi ibidem exiſtenti quidquam opus eſt; ex ſe enim ob ſuarum partium diſpoſitionem Fibrarum parietibus adhæret, cujus adhæſio nutritio appellatur, quæ adhæſio tamdiu perſeverat, quouſque prævalente aut ſpirituum impetus momento, aut ipſiuſmet Fibræ diſtractione, & contractione ab illo contactu particulæ adhærentes dimoventur, ac impetui cedentes a Fibra ſejunguntur, quod conſumtio appellatur. Supponatur igitur nutrienda Fibra in Fig. III. Non fiet nutritio, niſi pars aliqua ſucci nervei amiſſo motu adhæreat alicui parti Fibræ nutriendæ, tunc vero aliqua particula ſucci adhærebit

hærebit lateri Fibræ, quando ita plana facies particulæ ſucci contingat aliam planam faciem alicujus particulæ Fibræ, ut inter partem ſucci, & partem Fibræ nihil mediet. Non ubique tamen pars ſucci Fibræ adhærebit, quia non ubique eſt eadem facilitas pro contactu, aut pro diuturna cohæſione in contactum. Sit igitur aliqua particula, quæ occurrat particulæ H, non poterit æque facile particula illa cohærere cum H, ac cum O P, ſi ſe intruderet inter O P; nam ad hoc ut cohæreat cum H, debet tam firmiter in ejus contactu perſiſtere, ut illius cohæſio ſit major momento impetus deſcendentis ſpiritus a B A verſus C D, & eo major debet eſſe cohæſio, quia impetus obliquus eſt ex F verſus H, nec ita nititur in particulam adhærentem H, ut ab H, & a tota Fibra divellat, ſed ab H verſus L promoveat. Si vero particula aliqua ſucci quomodolibet ſeſe intrudat inter O P; ita ut ſuperior preſſio ſpirituum minuatur a ſuperincumbente L, aut inferior ab R, cum non poſſit fieri ſpirituum impetus niſi normalis ad particulam intruſam inter R O L P, illam magis cum ſubjecta in contactum urgebit; quare particula ſucci facilius adhærebit inter R O L P, quam alia particula cum H. Idem eveniret, ſi alia particula, aut ſe intruderet inter K L, aut inter L M, eadem enim eſt ratio. Poterit tamen etiam cohærere cum H, ſi ita ſit remiſſus ſpirituum impetus, ut minor ſit reſiſtentia cohæſionis illius particulæ cum H, ſi vero ille impetus augeretur, & preſſio fieret, obliqua particula ſucci cohærens cum H deberet ab illa removeri.

XXXVIII. Hinc eſt quod, cum concitatus ſit in Febribus ſpirituum animalium motus, præter quam quod ſuccus ſecernendus in glandulis, aut in vaſis ſanguifluis deperditur, aut vitiatur in textura, ſucci partes præ impetu adhærere non poſſunt, aut vix adhærentes inceſſanter impulſæ a contactu dimoventur, unde conſumtio. Hinc etiam deducitur, cur aut nulla, aut minima in vigiliis fiat nutritio; nam cum hæ requirant perennem, ac ſatis validum ſpirituum motum, nerveæ fibræ indeſinenter contractæ, aut non permittunt exagitati ſucci nervei adhæſionem, aut eam cito tollunt. In ſomno vero, quieſcente ſpiritu, aut minus valide ſeſe exagitante, lente fluens ſuccus nerveus poteſt Fibrarum internis parietibus adhærere, ac per diuturnam quietem firmari, unde uberior nutritio.

XXXIX. Pateret hic ampla dicendorum ſeges, at ſi quælibet nutritionis phænomena vellem explicare, longum nimis, ac forſan inutile foret opus, quare iis reſectis, quæ minoris arbitrantur ponderis, de triplici nutritionis gradu hic pauca exponam. Augmentationis itaque, ſimplicis nutritionis, & decrementi, ratio tum a ſolido, tum a fluido petenda eſt. Duplici de cauſa augentur pueri, tum ratione ſolidi, ſeu nervearum Fibrarum, tum fluidi, ſeu ſucci nervei; ſolidum quippe ad hoc ut extendatur non debet conſtare partibus arctiſſime in contactum nitentibus, & diſtractioni renitentibus, alioquin aut non extenderetur, aut maxima vis requiretur ad ſuperandum niſum, quo in contactum nituntur. Ulterius, ut pars quæ extenſa fuit, extenſa remaneat; requiritur aliquod corpus quod intret inter diviſas partes, ac eas ita a contactu ſejunctas detineat, alioquin deficiente hoc corpore pars diſtracta, ac ſibi relicta, vel quia remiſerit vis diſtrahens, vel quia niſus, quo in contactum partes nituntur ſuperaverit reſiſtentiam, qua a cohæſione, eo quia diſtractæ, arcebantur, iterum in contactum veniet. Duplex hoc, quod neceſſarium eſt pro partis extenſione, ſeu augmentatione, in pueris reperitur: pars ſcilicet ſolida, cujus componentia non magno niſu in contactum veniunt; hoc evincitur a partium mollitie, & flexibilitate, ut in rigidioribus, puta oſſibus, quæ facilius in prima ætate flectuntur, quam fraguntur. Habetur & alterum, nempe corpus inter diſtractas partes apponendum, quod eſt ſucci nervei uberior copia pendens tum a faciliori, ac euchymo alimento, ac a partium nondum vitiata diſpoſitione, ſeu a rite conformatis ſecernendorum ſuccorum cribris, quorum pori nondum a continuo fluidorum fluxu detriti id quod optimum eſt ſecernunt, quare ſuppetit, & copioſior, & laudabilior ſuccus.

XL. Cum igitur in prima ætate ſit hæc partium laxitas, ſeu minor in contactum niſus ſpiritus indeſinenter fluens per nerveas Fibras poterit facillime partes præ impetu extendere, ſeu a contactu dimovere, ſive producere, cum major ſupponatur ſpiritum impetus, quam partium cohærentia; cum vero uberior ſit nerveus ſuccus poteſt ad extenſam partem ſeſe diffundere, ita ut inter quamlibet diſtractam partem intret, & eas a primo contractu arcendo, elongare, quod augmentatio dicitur. Hinc uſus invaluit, prope quos arridet Catulorum nec palmaris extenſio, adhuc tenella eorum corpora frequenter rectificato vini ſpiritu madefaciendi, ad hoc ut factæ rigidiores partes magis renitantur diſtractioni, aut per impetum ſpiritus vini diffiatis tenuioribus partibus, minima ſuperſit ſucci nutritii copia, a qua augmentatio perfici non poſſit.

XLI. In viris vero cum utrumque deſit, quod in pueris adeſt, augmentatio fieri non poteſt. Deeſt vero uberior ſuccus, ut poteſt qui aut præ pororum aliquali incipiente vitio uberior non producitur, aut præ ſpirituum impetu, ſeu motuum violentia, non parva copia diffiatur: deeſt quoque & partium facilis diſtractio, eo quod rigidiores, ac tenuiori parte, quæ a firmiori arcebat contactu, volante, fit eas magis cohærere; quare cum tanta ſit cohærentia, quæ quamvis a valido ſpirituum impetu ſuperari non poſſit, aut cum minor ſuppetat materia, quæ inter poros diſtractarum partium ſeſe intrudere non poſſit, aut non fiet diſtractio, aut facta non diu permanebit, cum partes ſtatim non impeditæ in contractionem veniant, non fiet partium productio, ſeu elongatio, quare non ſuccedit augmentum, cum eadem ſit cauſa conſumens,

ſumens, ac reparans eadem erit reparatio, ac conſumtio. Quamvis enim ratione ſpirituum major debeat eſſe in viris conſumtio, quam in pueris, attamen ratione reſiſtentis materiæ, quæ magis impetui reſiſtit, æqua in pueris reſpective erit conſumtio, in quibus, ſi remiſſus ſit ſpirituum impetus, diafflabilis eſt facillime materia, ſeu ſuccus nutritius.

XLIII. In ſenibus decrementum fit, eo quia in locum conſumptarum partium non cedit alimentum. Conſumuntur quidem partes, cum non deſit, quamvis ſegnior, ſpirituum motus, a quorum impetu minimæ partes dimotæ, ac a contactu ſe junctæ abeunt in auras; cum vero deſit nutritius ſuccus conſumptis partibus apponendus ob ſecretionum vitium a male conformata, ut diximus, in ſecretoriis pororum diſpoſitione dependens; deficiente, inquam, alimento, aut utpote fœculento minus accomodo, nonniſi aliquæ cavitates replentur, reliquis vacuis permanentibus; hinc partes ſucco non turgidæ contrahuntur, ac quandoquidem cum tanta ſit inopia reponendarum partium, partes, quæ erant diſtractæ per alicujus corporis medii intruſionem, avolante hoc medio, nec alio ſuccedente in contactum nituntur, niſi a juxta poſitarum cohærentia detineantur; unde in ſenſibus decurtatio ſuccedit.

XLIII. Supereſt pro complemento nutritionis quicquam dicendum, & de partibus ſanguineis; cum ex diviſione habuerimus ſanguinea ea eſſe, quæ ſecundum magnam ipſorum partem a ſanguifluis vaſis conſtituuntur; cum inſuper oſtenſum fuerit ſanguineas partes, puta muſculos demtis tendineis Fibris nil aliud eſſe, quam ſanguineorum vaſorum acervum. Tunc illæ partes nutritiæ dicentur, non quoad rationem, ſed quoad oculum, cum plurimo ſanguine minima vaſa turgebant. Cum vero hujuſce generis ſint glandulæ, hepar, lien, pulmones, & ſi quæ aliæ ſunt rubræ, partes tunc perfecte nutritiæ dici poterunt, cum ipſorum ſanguinea vaſa multo ſanguine ſcateant, qui adhuc ut ſanguineæ partes nutritæ dicantur, non requiritur, ut ſuccus nerveus vaſorum parietibus adhæreat, quippe qui cum ſint nervei, omnes enim in corpore continentes partes nerveæ ſunt, ſanguine pro legitimo, immediato, ac intrinſeco alimento non indigent; ſed ſufficit, ut per ſanguiflua vaſa pleno flumine, & indefinenter præterfluat, & hic eſt ſanguinearum, ſeu rubrarum partium ad oculum tantum nutritionis modus; nam quamvis nerveus ſuccus minime Fibris adhæreat, adeo ut turgidæ admodum eſſent, ſi in vaſis ſanguifluis deficeret, coinciderent per ablationem ſanguinei laticis partes; & quamvis intime nutritæ eſſent, attamen ad oculum non viderentur, cum corporis requiratur pro idioſyncraſia turgeſcentia. Patet ergo ſolidarum corporis partium unicum alimentum eſſe ſuccum nerveum, quod erat probandum.

XLIV. Una tantum apud nonnullos ſupreſt difficultas, ad hoc ut nerveum ſuccum univerſale corporis alimentum admittant, deficiens ſcilicet ſucci nervei copia; pro qua enodanda duo decerni debent, quanta ſcilicet ſit hujus liquidi, ac quanta fit ſolidarum partium æquali tempore conſumtio. Pro primo determinando, quanta nempe ſit ſecretio nutritii ſucci, videndum & quæ & quot ſint ſecretoria, ac quantum liquidi, qua velocitate, & quale ſecernendum deferatur. Hujus ſucci ſecretoria corticales eſſe cerebri glandulas famigeratiſſimus patefecit *Malpighius*, quæ quot ſint ab earum exiguitate, ac ſtipato nexu circumquaque cerebrum operiente facile eſt elicere; nec hæ deſunt in dorſi ſeu ſpinali medulla, quæ oppoſita ratione diſponuntur, cum hæ non in extima, ſed in intima ſeu centrali medullæ parte lateant; atque per hoc mihi videor poſſe dormientium noctambulorum rationem reddere.

XLV. Quantitas vero fluidi, quod ad glandulas pertingit facile dimetiri poteſt a ferentium vaſorum diametro, quæ ſunt carotides, ac vertebrales arteriæ pro cerebro; pro medulla vero arteriæ ſpinales, quarum miram diſtributionem, quamvis non totæ ſint pro ſecernendo ſucco, ſed potius pro impellendo, ſi cui non ſuppetat cadaverum obtutus, affabre delineatam videbit in ſolertiſſimi *Vuilliſii* anatome de cerebro. Sanguinis igitur quantitas, quæ ad has partes defertur, argui poteſt eam ad reliquam habere proportionem ut 1. ad 7. quæ quidem quantitas dici poteſt a vaſorum diametro; ſed inſuper & ſanguinis per ea vaſa decurrentis velocitate, cum enim duplex arterioſo ſanguini ſit reſiſtentia, vaſorum ſcilicet latera, & ſanguis præcipue venoſus propellendus, cum vero venæ jugulares normales ferme ſint ad cor, aut nullum, aut minimum ſanguis per eas fluens requiret impulſum, ad hoc ut ad cor feratur, illud enim petit ſuæ gravitatis momento, quare ablata, ex hac parte reſiſtentia ſanguis celerius fluet, & a majori celeritate major ejuſdem copia.

XLVI. Nec quicumque promiſcue ſanguis per hæc vaſa aſcendit, nam cum per impreſſum a corde impetum debeat pervadere aſcendentes Aortæ ramos, facilius aſcendet, qui ab impulſu facilius poteſt, quam qui difficilius: cum vero ratione molis tenuior minus reſiſtat tum contractioni arteriæ, tum ſuccedentis ſanguinis motui, facilius tenuior, quam craſſior poterit promoveri, quare cum tenuior facilius promoveatur, quam craſſior; tenuior facilius, qua craſſior ſuperiore Aortæ ramos pervadet, ſeu facilius aſcendet: unde patet non promiſcue ſanguinem per carotides & vertebrales aſcendere; ſed puriorem, ſeu tenuiorem, quod fuit propoſitum.

XLVII. Liquidum vero ſecernendum, cum ſit totius ſanguinis tenuiſſimum, magis activum, ideſt magis liberum; hoc triplici de cauſa, & facile, & ubertim ſecernetur. Primo cum portio ſecernenda ſit tenuiſſima ac magis activa, ſeu ab aliarum partium contactu expedita, facillime poterit ab aliis partibus non irretita in ſecretorios porulos

los ſecedere, ſeu extra ſanguinea vaſa derivari. Secundo cum ſanguis pertingens ad cerebrum ſit reliquo tenuior, & volatilior, majus quam reliquus ſuppeditabit ſecernendorum liquidorum penu; quare copioſa poterit fieri ſecretio. Tertio tandem cum præcipue a tranſverſali ſanguinis motu ſecretio dependeat, hic motus facillime in glandulis cerebri habetur, alterna enim meningum diaſtole ſanguis in glandulis quaquaverſum premitur, a qua preſſione, veluti a torculari, tenuiores partes exprimuntur, ac per ſecretorios porulos in tubulos expreſſæ, alterius ditionis, ſeu cerebri evadunt, quare hiſce de cauſis ex ordine allatis ſat grandis ſpirituum, ac ſucci nervei copia elicitur.

XLVIII. Perſcrutata pro materiæ arduitate cerebri fluidorum copia, quæ in glandulis ſecernitur, ſupereſt videndum, quanta ſit ejuſdem conſumtio, quæ prout ſuperius aliqua innuimus, a ſpirituum motu dependet: hi quippe exagitati, ac quoquoverſum excurrentes inceſſanter in craſſiores ſucci partes impellunt, quas, vel ne cohæreant cum reliquis, impediunt, vel a contactu jam cohærentes dimovent, ac divellunt, quouſque per continuum impellentium impetum ab aliarum conſortio avulſæ una cum impellentibus, ſeu ſpiritibus, ſi pateat exitus, effluunt, quare quo major erit ſpirituum motus, major quoque fiet ſucci nervei conſumptio; cum vero vigilia ſit ſpirituum exercitium, in vigilia magna fiet hujus ſucci conſumtio; e contra autem cum ſomnus ſit eorundem otium, aut maxima quies, in ſomno minus hujus liquidi conſumetur. Loquor hic de operationibus pendentibus a voluntate; ſeu de operationibus liberis; quæ fiunt in cerebro; non vero de operibus pure animalibus ſeu involuntariis, ſcilicet de motu cordis, pulmonum, ac de functionibus viſcerum in abdomine, quæ a cerebello emanant. At cum alterna ſit conſumptio, ſeu tanto tempore vigiliarum; perennis vero ejuſdem geneſis, videtur poſſe quantitas genita conſumtæ quantitati correſpondere.

XLIX. Nec eos hallucinetur ingens adeo perſpiratorum pondus, arguentes ſive ſenſibiliter, ſive inſenſibiliter per corporis peripheriæ meatus excreta a conſumtis partibus excidere. Non enim ex illo fonte tantum profluvium; nam quicquid ſecernitur, hoc cutanearum glandularum eſt opus, quæ tum fuliginoſas, tum ſeroſiores ſanguinis partes cogentes, prout ſenſim, vel affatim illæ exeunt, aut ſudoris, aut inſenſibilis perſpirationis materiam ſuppeditant, quæ ſit tota e ſolidis partibus decideret, non quidem par eſſet ſucci nervei copia pro illorum reparanda conſumtione, at cum tanta ſit illarum partium conſumtio, illa reparationi par erit. Ut vero hoc magis pateat, ſtatuendum quonam tempore major fiat ſolidarum partium conſumptio, quæ proculdubio tunc major fiet, quando conſumentis eſt major vis, aut comſumendi minor reſiſtentia. Conſumens enim motus eſt medio ſpiritu, qui eo fortior erit, quo erit liberior, hoc eſt quo minores erunt alterius ſucci craſſioris partes, a quibus poſſit detineri, ſed aliquandiu remanente jejuno corpore craſſiores ſucci aut avolant, aut adhærent, aut in tenuiores partes vertuntur, quare tunc ob ſpirituum libertatem major erit ſolidorum conſumtio. Ulterius major erit ſolidorum conſumptio, quando major erit illorum motus. Sed in vigilia quam in ſomno magis moventur, magis igitur vigiliarum tempore conſumtio debent eſſe obnoxia. At quanta hæc ſit conſumtio videamus in *aphoriſ. 2. Sect. 3.* præclariſſimi noſtri *Sanctorii*, ubi habetur. Stomachus omnino vacuus, & jejunus licet dormiat non perſpirat ultra 18. uncias circiter. Si corpus jejunum tam parum perſpirat una die, dum ob fluidorum tenuitatem, & libertatem ſolida magis conſumuntur, & inſuper multo minus perſpiraret, ſi vigilaret, cum in ſomno uberior fiat perſpiratio, quamvis in vigilia ſupponatur fieri magis, quam in ſomno ſolidorum conſumtio: & cum hujus perſpirationis octodecim unciarum maxima pars pendeat a ſecretione fluidorum ſanguinis intra cutaneas glandulas, minima vero a conſumtione villorum corporis, ita ut vix uncia, & large agendo a ſolido decidere arguatur; hæc quantitas conſumti ſolidi multo minor eſſet, ſi blandior & placidior fuiſſet ſpirituum impetus; tum per nervos decurrentium, tum in ſanguine vagantium, qui quidem impetus multo minor eſt, ubi copus diutius jejunum non permanſit, ob novum chyli penu; quare minima eſt ſolidarum partium conſumtio; ſed pro minima conſumtione paucus ſuccus ſufficere poteſt, ergo impar ille ſuccus nutritioni non eſt dicendus.

L. Aut ut ad aliquod pondus, & conſumtum & ſecretum reducatur, ſupponatur, ut diximus, ſolidarum partium conſumtionem unciam non excedere. Videndum modo quanta ſit ſecreti copia. Supponatur, ut de facto circumcirciter eſt, cor ter millies contrahi, ſeu tres mille ſanguinis uncias unius horæ ſpatio ad ſingulas partes deferri. Peto, quantane in cerebro erit liquidi ſecretio? jam patet quantus ſit glandularum in cerebro numerus, jam dictum quanta ſanguinis portio cerebrum petat. Mihi videor excedens non cogitare, ſi ſuppoſuero in tot millibus cerebri glandulis qualibet ſyſtole, non ſeorſum, ſed in omnibus ſimul in tota nempe cerebri cortice quinquageſimam tantum grani partem e ſanguine ſecerni, ita ut poſt centum ſyſtoles tot millium arteriolarum, niſi duo tantum liquidi grana fuerint ſecreta. Si ter millies ſingulæ cerebri arteriæ qualibet hora pulſant, qualibet hora ſexaginta grana, ſeu in cerebro qualibet hora una fluidi drachma ſecernetur, quæ octo horis unciam efficiet, hoc eſt 24. horis, ſeu unius diei naturalis curriculo libræ quadrans, ſeu tres unciæ liquidorum in cerebro ſecernentur. Hujus vero ſecreti liquidi medietas ſit animalis ſpiritus, reliqua medietas ſit ſuccus nerveus; quare nutritionis materia erit ſeſquilatera

conſumti ; at illius materiei tertia pars avolet & diſſipetur, poterit nihilominus tantum ſupereſſe, ut nutritioni ſeu reparationi ſufficiat. Hoc vero facilius redditur in noſtra hypotheſi, in qua non hiare in extrema, ſeu extima parte nervorum tubulos ſopponimus, unde minor fluidi nervei conſumtio.

LI. Neque circa nutritionis tempus allata infirmet aſſertio illa clariſſimi noſtri *Sanctorii*. Noſtrum dico, eo quia vivens fuerit Almi Venetorum Collegii, in quo & ego, quamvis immerens, cooptatus ſum, grande decus, & cui denato venerationem teſtatur ſolemnis celebrata panegyris. Nec inquam infirmet ubi hæc habet de ſomno & vigilia. Duplo magis dormiens perſpirat vigilante, cum ſtatuerimus plurimam nutritionem in ſomno perfici, minimam in vigilia, in qua, diximus, aut una, aut maxima habetur conſumtio. Ratio vero hujuſce diſcriminis, nempe cur duplo magis dormiens perſpiret vigilante, a duplici cauſa pendere poteſt ; tum a ſanguinis circulari motu, tum a perſpirabilium apparatu. Quoad perſpirabilium materiem, non hæc ſemper æque ſuppetit, cum depromatur a cibis, cum debeat hæc eſſe tantæ tenuitatis, ut præ ſua parvitate, ut aliquando tetigimus, noſtri intellectus captum excedat ; cum hæc ergo depromatur maxima quidem quantitate ab ingeſtis, & tantæ debeant eſſe tenuitatis, hujus ſatis abundans copia quolibet tempore non habebitur, nam cum quælibet digeſtio, experientia teſte, habeatur in ſomno, facillime tunc ingeſtorum inutilis materia ad illam reduci poterit tenuitatem, quæ pro perſpiratione requiritur; quod vero facilior habeatur digeſtio in ſomno, quam in vigilia etiam ratio ſuadet. Spiritus namque in cerebello reſidens, cum in ſomno devius non agatur ab impulſu cerebri ſpirituum, aut per nares, aut per teſtes, aut cerebelli pedunculos, ut acutiſſimo *Villiſio* placuit, communicato per quamcumque tandem partem fit communicatio, hæc in animi pathematibus evidens eſt ; ſpiritus inquam cerebelli incola non perturbatus uni operi incumbit ; nempe concoctioni, quare tunc temporis vegetationem fieri oportet ; quare tunc cum perfectiores erunt concoctiones, copioſior erit ſecernenda materia, quare in ſomno ratione promtioris materiæ, copioſior fiet perſpiratio. Huic vero doctrinæ ſuffragatur alter ejuſdem doctiſſimi *Sanctorii* aphoriſmus. Stomachus cibo refertus, ſi inter dormiendum abſolvat primam coctionem, illius noctis perſpiratio magna ex parte aſcendit ad quadraginta uncias, ſi non abſolvat ad octodecim circiter, quare ſatis probatum habemus a materiæ promptiori diſpoſitione copioſiorem perſpirationem haberi.

LII. Et altera de cauſa haberi poteſt in ſomno copioſior perſpiratio, nempe ratione motus ſanguinis circularis. Tardiorem eſſe progreſſivum ſanguinis motum in ſomno, quam in vigilia extra dubium eſſe autumo, hoc enim evincitur ab exploratione arteriæ ejuſdem, & eodem modo conſtituti, tum in ſomno, tum in vigilia. Hoc inſuper elicitur a reſpiratione, quæ ſi ſomnus ſit naturalis, ſeu placidus, longe rarior eſt, quam in vigilia, & hæc ſanguinis progreſſivum motum ſubſequitur ; nam in anheloſis, quibus concitatiſſimus eſt ſanguinis motus, vel a valido exhantlato robore, vel a curſu concitata eſt reſpiratio. Si vero inquiramus impulſus cauſas, & ab his habebimus velociorem eſſe ceteris paribus in vigilia, quam in ſomno, cum enim in vigilia habeatur ſpecies momenti majoris, in ſomno momenti minoris, ſeu cum in vigilia concitatiores ſint animales ſpiritus, quam in ſomno, & hoc ratione ſenſuum ferantium, a quorum exercitio habetur tanta ſpirituum agitatio ; quare cum a validiori, vel tardiori ſpiritus in villos cordis influxu habeatur tardior vel velocior ſanguinis motus, cum concitationes ſint ſpiritus in vigilia, quam in ſomno ; concitatior erit in vigilia, quam in ſomno ſanguinis progreſſivus motus.

LIII. Sanguis celerius fluit in vigilia, quam in ſomno, non ſolum ratione primi impellentis, ſed etiam ratione coadjuvantis, nempe ob partes vaſis ſanguiferis circumſtantes vario modo, & diſpoſitas, & agentes. Primo muſculi omnes ab arbitrii imperio pendentes in ſomno feriantur : ſecundo dormientium, præcipue vero ſuper lectum, tertia ferme corporis pars ab altera parte ſuperincumbente premitur, quare vaſa prementi parti ſuppoſita, premuntur atque anguſtantur, quare preſſa & anguſtata majori fluenti liquido reſiſtentiam pariunt, quare duplici de cauſa ſic cubantibus ſegnior fit ſanguinis motus, & quia per muſculorum quietem ulterius non protruditur, & quia ab incumbente corpore aliqualiter detinetur. Contra vero in vigilia, cum ut plurimum, nec talis ſit corporis ſitus, ut tot vaſa premat, & ſemper aliqui muſculi ſint in exercitio, ab eorum inflatione fit, ut ſanguis præcipue invenis tarde fluens per impetum ſeſe extendentis muſculi ulterius promoveatur ; quare primo promoto, cum ſuccedens tantam non habeat reſiſtentiam utpote imminutam a ſanguine prætergreſſo, & a valvula in partibus declivibus fulcito, facilius & celerius ab alio ſuccedente promovetur, quod cum in omnibus corporis partibus ſeſe moventibus contingat, ſanguis celerius fluet, & quidem velocius, quam in ſomno, ut propoſuimus.

LIV. Sanguis igitur cum minus velociter fluat in ſomno, quam in vigilia, cauſa altera erit, cur major in ſomno, quam in vigilia fiat perſpiratio ; nam cum a determinato gradu velocitatis, præter cetera requiſita, pendeat ſecretio, motus enim pro ſecretione proprie non eſt circularis, ſed tranſverſalis ejuſdem partium ſanguinis motus, quæ ad vaſorum latera nitentes facillime porulos ſecretorios ſubeunt, alioquin celeri progreſſivo motu, aut pauciſſime ad latera niterentur, aut ſolum, quæ ſunt extra axim vaſis, ſeu quæ ita ſunt in aliqua ſectione vaſis conici, ut recta progredientes egredi ab illa ſectione non poſſint, quin ad axim

ver-

vergant, vel tandem ſunt in peripheria majori, quam ſit orificium conici vaſis ad verticem. Hoc patet in ſecretione chyli in inteſtinis, qui non agitur celerrimo motu, ſed tantum leni periſtaltico, a quo maſſa e ventriculo decidua circum undique preſſa magis extrorſum premitur, ſeu ad latera adigitur, quam ulterius, ſeu antrorſum promoveatur, non alia de cauſa, niſi ut chylus per lactearum patentia oſcula inteſtinorum parietibus conſita intrudatur, quare patet ſecunda pars, nempe & ratione tardioris motus in ſomno duplo majorem, quam in vigilia perſpirationem fieri. Cum igitur tanta ſecretio pendeat, & a materia per ſomnum concocta, ſeu ad illam tenuitatem redacta, quæ requiritur pro perſpiratione; & a motu ſanguinis circulari minus concitato, patet non infirmari noſtram aſſertionem in vigilia, ſcilicet ſolidas partes multum conſumi, ac multum refici in ſomno.

LV. Ultimo tandem impetere quis poteſt noſtram hypotheſim aſſerendo, aut quamlibet ſolidum partem fibris nerveis non conſtare, aut ſenſu præditam eſſe. Pro quo tamen aliqua dicta ſunt in primo noſtro opuſculo de ſtructura & motu Fibræ, hic tamen nonnulla quoque ſubdemus. Ad hoc ut in cerebro excitetur ſenſus, judicium requiritur, ut extimo organo impreſſa affectio, ſeu motus ad cerebrum uſque communicetur; quare cum talis infixus motus ad cerebrum non pertingat, ſenſus non excitabitur. Duæ ſunt in corpore partes, quæ ſenſu privari deprehenduntur, oſſa ſcilicet, & adeps; cum vero adipoſi ſaculi tenuiſſima conſtent membranula, Fibræ tenuiſſimæ erunt, quare propter ſinus anguſtiam ſpiritus, qui ad cerebrum uſque motum perennare deberent lateribus coerciti, impreſſum ſibi motum imminuunt, ac tandem præ longo itinere omnino dimittunt, quare cerebro non communicatus motus ſenſum excitare non poteſt. Vel dicatur oſſa propter arctam Fibrarum unionem, aut adipem propter tenuiſſima filamenta ita minimum intra ſe ſpirituum manipulum admittere, ut quamvis motum uſque ad cerebrum perennet, tamen cum minima ſit pauciſſimi ſpiritus vis, non poſſit ibi ſenſum excitare; nam ſi minima ſit proportio inter impellens, & impellendum, non fit impulſus, aut fiet tam minimus, ut diſcerni non poſſit: pauciſſimorum enim, ac tardus ſpirituum motus maximam ſpirituum cohortem in cerebro hoſpitantem excitare non valet, adeo ut externi objecti idea clare efficiatur. Inſuper quod de omento extracto, ac præter dolorem ſecto objici ſolet, dici poteſt, quod prius diſſectio non fit, niſi pars ſit mortua, unde nullus dolor: deinde quia tenuiſſimæ illius Fibræ ab ambiente externo ſemper frigidiori, quam ſit internus, preſſæ, ita rigeſcat ut quamcumque cavitatem claudant; unde ſtupor, qui & in aliis maxime refrigeratis partibus percipitur. Et hæc ſint de nutritione ſatis.

OPUSCULUM III.

De Hæmorrhoidibus.

CUi in hæmorrhoidum apertionem inſurgere impune licet? cui utilitatem in dubium revocanti auſcultabitur? Tantum hoc non aliunde, quam ab antiquitatis præjudiciis emanavit. Piaculum arbitrantur emancipanda nunquam quorumdam ingenia duci ſe non committere, nec ducem tutum arguunt, niſi quem una vetuſtas decoravit. Non auctor ſum, ut per inania commenta antiquitati inſultetur, aut nominis ſcabioſa gloriola prave aliorum conſulamus monimentis. Et ſi illis multum obſequii, non tota fides adhibenda eſt, ita ut examini non ſuperſit locus. Pecudum enim non hominum eſt per aliorum veſtigia ad præcipitia ruere, quare quid ab harum fluxu ſperandum, quidve timendum eſt exarare oportet.

II. Quod ut oculis pateat vaſorum hæmorrhoidalium anatomica præmittenda deſcriptio, quæ utpote nitidiſſima fax falſis occupata præjudiciis ingenia ad cognoſcenda, quæ apponentur objecta, prædiſponet. Miſſum itaque quemcumque facio, qui aut nondum rationali initiatus philoſophia, aut nimis veterum oraculis confiſus, aut facultatum nomenclaturis fit reboans, cum his enim rem habere recuſo; quapropter ne verbum quidem de hæmorrhoidum a lienis ſuctione, aut de lienis expulſione, vel tandem de linealibus a ſanguine fœculentis exuviis. A ſanguinis enim detecto in orbem motu, tot motuum anomaliarum figmenta concidere arbitrabar; ſed aut eo quod deeſt demonſtrationibus fides, aut præ exoſo nimis ſtudii labore nova hæc non indagantes, præconceptæ, licet a vero abſonæ, opinioni mirum quam ſuaviter acquieſcunt.

III. Per hæmorrhoidas anatomicis notum eſt vaſa intelligenda, quæ ultimæ inteſtini recti oræ conſita ſunt; vel iſta interna dicantur, quæ ſuperiori in loco ſunt, ſive externa, quæ extimum & infimum ſitum obtinent, non eſt magni momenti diviſio. Notum eſt hæc vaſa ſanguinea eſſe, arterias ſcilicet & venas; ambæ quidem ſatis anguſtæ diametri, & in ſua origine deprehenduntur, quarum duplex ortus, prout duplex eſt inteſtini connexio; nam hoc oſſi ſacro adhæret, quapropter ab arteria ſacra arteriarum ramulos admittit, quæ proximæ ſunt, diviſæ tamen, aortæ propagines, & ad eundem locum venas dimittit prius in ſacram, dein in venam cavam deſinentes. Ut & reliqua inteſtina, rectum meſenterio alligatur, ſeu inferiori ejus parti ſcilicet meſocolo, ideoque ex hac parte meſeraicas recipit arterias, venas vero in eam, quæ portam conſtituit, intrudit. Ex hoc liquet quam fallax ſit, & commentitia aſſertio, tam arctum eſſe inter lienem & hæmorrhoidas nexum, cum nullæ illum attingant. Hinc obſervo tortuoſo admodum ductu per inteſtinum repera

hæc

hæc vasa, & quidem tenuioris amplitudinis, quare nullatenus, ut nonnullis placuit, aut lata diameter, aut cylindri proceritas speranda est.

IV. His leviter delibatis, tam frequentis horum vasorum hiatus ratio pro viribus indaganda est, prius vero, quæ mihi non arrident hypotheses, sicco tamen pede, explodere liceat. Non præ reliquo tartarea, ut ajunt, sanguinis indoles eo loci collecta, inculpanda, eo quod æqua ubique sit distributio, non secretoria depositio. Hoc enim & a circuli lege & a vasorum oculis ubique similibus prohibetur. Neque confugiendum ad fermenta; hæc prius assignanda, quam asserenda sunt, quæ cum reperiri non detur a rationali Philosopho, eliminanda arbitramur. Utpote aniles fabulæ lienis expulsio, & venarum fuctus nobis est omittendus.

V. Hanc ergo sanguinis excretionem & a fluidis, & a solidis petendam duco. A fluidis, a sanguinea scilicet massa, eo quod hæc vel per quantitatem, vel per qualitatem, vel per motum a naturali statu sit aliena. Aliunde sanguini inesse posse labem præter ab hoc triplici fonte non video; si quis vero & quoad substantiam corrumpi posse mihi regerat, hanc sciat a præcitatis me non discriminare.

VI. Per quantitatem ergo vitiosus sanguis a vasis hæmorrhoidalibus erumpere potest: quia dupliciter vero vitiari potest quantitas sanguinis, excessu scilicet & defectu, primo perpendemus, quantitatem naturali statu majorem. Quantitas sanguinis cum sit naturali major non erit continenti accommodata, cum solum talis sit in statu naturali; cum igitur continens non correspondeat contento, ita ut majorem vim patiatur continens a mole contenti, quam sit ipsius resistentia, necesse est, ut præponderante momento contenti super momentum continentis, continens desiliat, quo desiliente en sanguinis fluxus, quod ut clarius pateat sic explico. Data majori sanguinis quantitate, quam in naturali statu requiritur, hæc poterit cerebro majorem spirituum copiam suppeditare, vel si non majorem æqualem ac in statu naturali, vel minorem. Si æqua sit spirituum copia ac in naturali statu, cum semper sit excessus contenti supra continens, necesse est rontinens cedere. Si vero a majori quantitate sanguinis fiat major spirituum copia, his in cordis fibras influentibus, seu validius, quam in naturali statu, cor contrahetur; quare sanguinis impetus communicatus major erit, & sanguinis copia major una cum majori impetus momento superabit resistentiam cohæsionis Fibrarum vasa sanguinis constituentium. Vel minor in cordis villos influet spirituum copia, vel quia hi a sanguinis massa fuere decidui, vel quia a nimia sanguinis copia extensa sunt nimis vasa & pia meninx, a qua tanta fuerit cerebri compressio, ut aliqualiter angustatis nervorum cavitatibus spiritui in cor influo non fuerit sufficiens aditus: hinc segnior cordis motus, & sanguinis musculorum, debilis ac cito evanescens sanguinis impetus, quo in vasis minimis, ut plurimum deficiente, utpote nec quantitati accommodato, nec vasorum resistentiis superandis congruo, sanguis ibi abarcto nimis vase contentus immorari opus habet, cui stanti, & a succedente semper aucto distentis nimis ab anfractu tantæ molis vasis, exitus a tunicarum distractione tandem fit.

VII. Et a sanguinis magis imminuta, quam status naturalis latitudo postulat copia, fluxus fieri potest. Dato enim, quod a minori copia sanguinis minus sit spirituum penu, cordis musculus debilius constringetur & sanguinis musculi non sufficienti spiritu turgidi flaccescent. Hinc minimus sanguinis impetus, & eædem a vasis resistentiæ, quæ quamvis decrescant ratione molis minoris sanguinis, augentur ob Fibrarum laxitatem non parum sanguinis cursum remorantem, ut in primo opusculo vidimus, quare decrescente impetus momento, nec deficientibus resistentiis minuetur motus sanguinis, cui si quid vel leviſſimum obstet, facile est; ut stagnet, quo stagnante moles augetur ob novum advenientem, ab aucta vero mole vasorum distensio, cui non valde contra operante Fibrarum cohæsione ob minorem spirituum refluxum, vas poterit dehiscere, quamvis nec tam facilius, nec tam crebrius, quam in aucta quantitate.

VIII. Et per qualitatem sanguis vitiosus ex hæmorrhoidibus fluere potest. Per qualitatem intelligo quicquid a varia partium sanguinis textura dependet, quæ dupliciter tantum vitiari potest. Cum enim sanguinis minimæ partes ita sunt inter se dispositæ, ac tali nexu copulatæ, ut ab illis quicquid sanum est elici possit, naturalem statum constituunt, & quoties eæ primæ sanguinis partes alio cohærent modo, alia earum sit textura, alius ordo, sanguis in qualitate vitiari dicuntur; cum vero hæc partium sanguinis componentium textura, seu cohæsio alia sit a naturali, hoc erit, vel quia hæc sanguinis componentia validius nitentur in contactum, seu firmius cohærebunt, vel laxato cohæsionis vinculo, debilius in contactum nitentur, quare duplex erit tantum sanguinis vitium in quantitate.

IX. Si primo modo vitiosus fuerit sanguis, ita ut partes nimis arcte cohæreant, non æque facile, ac naturali statu fiet secernendarum partium secretio, cum enim firmior sit illarum partium contactus ac nexus, validior requiretur impetus ad hoc ut partes a firmiori contactu abscedant, qui cum major non sit, cum nulla sit causa, qua motum augeat, quinimo cum decrescat, firmiori enim sanguinis nexu, seu vi cohæsionis minor erit spirituum copia, quæ a partibus non cohærentibus pendet; quare minori in cor influxu, & rarius, & segnius sanguinem impellet, quare cum secretio in hac sanguinis textura fieri non possit per naturalem motum, multo minus fiet, quotiescumque resistentiæ cohæsionis addetur sanguinis imminutus impetus, nulla igitur aut minima facta secretione, tot ac tantis, quæ excerni debent, retentis, puta insensibili perspiratione, urina, bile, sudore, saliva ac reliquis, S. Massa augeri debet, quæ aucta,

quæ

quæ de nimia quantitate diximus, huc revocandum eſt, cum inſuper & alia de cauſa fluxus evenire poſſit; aucta enim partium cohæſione, ſanguis minus compreſſilis eſt, quare & hac de cauſa vim faciet vaſorum Fibris in compreſſionem nitentibus. Vitiato igitur ſanguine ob qualitatem, ſeu ſpecialius ob auctam nimis earumdemmet partium ſanguinis cohæſionem hæmorrhoidum fluxus contingere poterit.

X. Si vero prima ſanguinis componentia non tam arcte inter ſe, ac in ſtatu naturali in contactum nitantur, ſeu minus inter ſe cohæreant, facile unaquæque liberum poterit ſibi ſpatium nanciſci, hinc major calor, a quo ſanguinis turgeſcentia, & partium raritas, pro qua majus requiritur ſpatium, quapropter vaſa diſtendi opus habent, quorum vero ſi major fuerit diſtenſio, quam ſit vis cohæſionis inter vaſorum particulas, vaſa deſilient, ac ſanguis exibit. Inſuper non cohærentibus ſanguinis particulis tam arcte, quam in ſtatu naturali requiritur, erit fluidior ſanguinis maſſa, quæ cum præ partium raritate, ac acutie, & cordi multum ſtimuli, & glandulis cerebri magnam ſpirituum materiam poſſit ſuppeditare, concitatior, crebrior, validiorque erit ſanguinis motus: hinc tanta impetus vi concitatus ſanguis poterit facillime minimas tenuium vaſorum reſiſtentias ſuperare, quorum & minimo facto hiatu, ſanguis præ partium tenuitate ac incohærentia exire poterit.

XI. Poterit inſuper ſanguis tum ob partium cohærentiam, tum ob earum cohærendi modum, inæqualibus, & acutis particulis quas ſalia dicunt, turgere, quæ ſi celeriori cientur motu, ac in debiliora impingant vaſorum latera, continuo in parietes attritu, aliquam particulam ab illis detrahent, quouſque per diuturnum tempus, & validiorem attritum deperditæ nimis quoad ſubſtantiam capillarium vaſorum tunicæ impares ſint ad ſanguinem majori momento nitentem coercendum.

XII. Si vero ſanguis propter motum vitiabitur, & propter motum ex hæmorrhoidibus fluere poterit. Dato enim nimio motu, circularem intelligo, major eſſe poterit ſanguinis impetus, quam vaſorum reſiſtentia, qua deficiente ob minus momentum niſus, quo partes inter ſe uniebantur, ſanguini patefiet exitus, ſi vero ſit ſegnior quam in naturali ſtatu, ſanguis ad quamcumque reſiſtentiam ipſius impetu majorem remorabitur, qui ob ſuccedens auctus continentis capacitatem extendet, quæ a Fibrarum diſtenſione dependet, quæ ſi adeo extendantur, ut minimæ illarum particulæ a contactu abſcedant, & illa præ extenſione vitiatur textura, quæ ad robur elaterii requritur, demta continuatione, ſanguis per tunicarum hiatum exibit. His ex quolibet ſanguinis vitio deſumtis cauſis ac propter minus principales ſanguis e vaſis fluere poterit, quibus ſi alterum addas, nempe ſolidorum diſpoſitiones, eo magis evidens propoſitio habebitur.

XIII. Et organum hujus fluxus concauſa eſſe poteſt, eo quod continuo cæcum fluxu, aut mora, non leviter inteſtinum contrahatur, ac veluti per pungentes cuſpides rigidorum particularum fœcibus inhoſpitantium quicque ſui a ſe veluti abradatur, nec non ita a pertinaci, ſit verbo venia, induratorum ſcibalorum tranſitu patitur ut diffindi prope experiatur. Et alia ſuppetit ratio, nam cum præ excernendarum fœcum duritie validior requiratur niſus, valida quoque & pertinax requiritur circularium inteſtini Fibrarum conſtrictio, per quam compreſſa intermedia vaſa, ſanguis immorari opus habet, quapropter ob longam moram nimius coacervatus per vaſa a rigidioribus particulis velut excoriata, ac divulſa egredi neceſſe habet.

XIV. Hunc excretum cruorem ab arteriis emanantem dico, nam cum pateant, prout ratio ſuadet, extrema vaſorum oſcula, hic fluet ab arteriis, non a venis. Venæ ſiquidem cum ab arteriis, ſanguinem recipiant, quotieſcumque inter harum coalitum, ſi quis vero coalitus eſt, fiet apertio, ſanguis fluet ab arteria, per quam ad venam fertur; non vero a vena, quæ vel nunquam illum accepit vel ſi accepit, vel nullum, vel minimum dimittere poteſt, eo quod ille a valvularum repagulis ne exeat, prohibetur. Quod vero tantum inter extrema vaſorum fiat apertio patet. Dato enim, quod ſanguis illac debeat extra fluere, ubi eſt apertio, & ibi debeat eſſe apertio, ubi minor eſt vaſorum in contactu niſus, & major ſanguinis violentia, cum vero hæc ſint in vaſis capillaribus, nempe in vaſorum extremitatibus, ubi tenuiores vaſorum tunicæ, & major ſanguinis preſſio, eo quod a latiori coni baſi ad anguſtiorem ejus verticem tendat, quod contrarium evenit ſanguini venas ingreſſo, a vertice enim ad baſim coni tendit, ideo tantum inter extrema vaſorum in arteria, quando alia validior non ſuperſit cauſa apertio fiet.

XV. At cum periodicus aliquando hic fluxus obſervetur, non neceſſarium eſt alias ſibi fingere hypotheſes, quibus de hujus periodo ratio reddi poſſit. Quæ ſuperius innuimus, & hic repetita ſufficient; nam cum ſanguis, aut per quantitatem, aut per qualitatem, aut per motum ita fuerit vitioſus, ut major ſit ipſius impetus momentum ſupra vaſorum reſiſtentiam, hoc eſt minor ſit Fibrarum continentium in contactum niſus, quam par ſit ad coercendum ſanguinis impetum, fiet hæmorrhoidum fluxus: ſi vero per datum tempus ſemper ſanguis aliqua de cauſa, puta, aliqua evacuatione aut præcipua, aut aſſueta retenta, aut major cibo indulgentia, aut majori exercitio, aut alia de cauſa tale vitium acquiſierit, per datum quoque tempus fluet, unde ſtata periodus. Si vero ſanguinis vitium minus ſit, quin poſſit ſuperare momento ſuæ activitatis momentum, quo villi vaſorum in contactum nituntur, fluxus non fiet. Sin vero per longius tempus hoc poſſit ſuperare, fluet quidem, ſed non ſtata periodo.

XVI. Cum ab hujus ſanguinis fluxu non leve

quan-

quandoque commodum percipiatur, pro quo explicando rationi non consonat, utpote fictitia cribratio, quare unde hoc pendeat videndum. Tunc aliquod juvamen ab hæmorrhoidum fluxu sperandum, cum per illas excretus quicumque sanguis aliquod ipsiusmet vitium tollere possit. Cum vero triplex illud statuerimus, nempe in quantitate, qualitate, ac motu, quoties his mederi possit, aut ab his progenitis, facile ipsius juvamen statuemus; & primo in dubium revocari non potest per hunc fluxum proficue tolli posse nimiam quantitatem, qua demta mirum est, quantum commodi sperari possit; nam cum secretoria sint determinatæ magnitudinis, cuicumque secernibilium quantitati accommodari non possunt, quare necesse est fluida præ nimia quantitate non cribrari, aut non cribrari quanta debent quantitate, hinc cum tota ferme res œconomiæ animalis a secretionibus pendeat, his vitiatis, necesse est totum hoc animatum automa in operibus vitiari, quapropter per fluxum demto excessu, per quem totus in glandulis sanguis cribrari non poterat, cum minorem habeat rationem reliquus, quam totus, facilius reliquus, quam totus in secretoriis partibus cribrabitur; hinc patet hac de causa, cur possint in nimia sanguinis quantitate hæmorrhoides fluentes prodesse.

XVII. Si vero fluant, ubi minor est, quam in statu naturali requiritur sanguinis copia, ex se patet talis hujus fluxus, incommodum. Augent enim per ablationem defectum sanguinis, quare augent ipsius vitium in quantitate. Poterunt, & hic quidem indirecte prodesse, nempe incommodum, jam naturali statu minoris factæ sanguinis massæ levare, tollendo scilicet illum sanguinem, qui ut superius diximus, in extremis hæmorrhoidalibus vasis stagnat, a cujus mora, & abscessus, & fistulæ oriri possunt; quare tollendo tantum congrumatum sanguinem illorum malorum originem, & atrocium dolorum stimulum aliquo modo indirecte, & secundario prodesse possunt, directe semper incommodum allaturæ.

XVIII. Si sanguis vero vitium fuerit in qualitate, non tam tuto de earum juvamine statuendum est. Dato enim sanguine nimis viscido, seu cujus prima componentia sunt magis inter se stipata, & cohærentia, si per harum fluxum ita illæ partes dimoveantur, ut minor sit illarum partium in contactum, nisus, seu minus inter se cohæreant, juvabunt, eo quod magis hæ partes dimotæ per minorem cohærentiam ad statum naturalem accedent, & quidem facile est, ut per talem fluxum a contactu dimoveantur, & hoc tum ratione sanguinis, tum ratione vasorum. Ratione sanguinis, cum hic decreverit mole ob alicujus partis derivationem extra corpus, intra vasa erit ille minus stipatus, ac coactus, quare ipsiusmet partes per datum majus spatium liberius sese poterunt explicare, quod est ac a contactu recedere. Insuper ratione minoris molis erit magis velox tum tempore fluxus, tum a fluxu. Tempore fluxus velocior erit sanguis, quia cum præcedens sit subsequenti resistens, cum præcedenti minima sit resistentia a vasorum tunicis, per quæ fluit ad locum exitus: sanguis enim qui per emissarium exit, subsequenti non est resistentia, quare subsequens velocius movebitur usque ad emissarium, utpote demta, aut admodum imminuta antecedentis resistentia; hinc cum velocius fluat sanguis per truncum ad emissarium tendentem, major per ipsum copia fluet, quam cum nihil e corpore derivabatur, quare aucta per talem ductum sanguinis quantitate, minuetur proportionaliter in reliquis, quæ ad locum exitus non tendunt, imminuta vero in reliquis copia, & eadem manente, ut semper supponitur, impetus vi, necesse est, ut sanguis, & per reliqua velocius fluat, patet ergo tempore fluxus velocius sanguinem moveri.

XIX. Et a fluxu velocius movetur, non quidem velocius, ac quando sanguis e corpore exibat, sed velocius, ac quando nihil exierat. Sanguine enim imminuto, cum minus in vasis stipatus sit, ac magis sit ipsorum diametro accommodatus, ab illis minorem resistentiam patietur, hinc antecedens minus pressus succedenti minorem restentiam pariet; ac cum antecedentis unda minor sit, quam antea, antequam quicquam exiret, facilius ab eodem impetus momento, quod habet, subsequens impelletur; ideo & a fluxu velocius sanguis movebitur.

XX. Major quoque velocitas erit ratione vasorum; dupliciter enim vasorum villi, & præcipue arteriarum in sanguinem impetu communicant, & vi spirituum influorum, & vi proprii elaterii, seu naturalis contractionis. Vi spiritus in villos decidui; hic quippe cum habeat idem impetus momentum, nec eandem inveniat impellendi, utpote imminuti resistentiam, majori impetus vi sanguinem impellet, seu in velociorem motum aget. Vi vero proprii elaterii magis sanguinem urgebunt, eo quod cum minus sit stipatus, minus contractilium villorum momento resistet, quare sanguis, & ab elaterio vasorum magis in impetum actus velocius movebitur; a sanguinis vero majori velocitate ejus rarescentia, seu ejus discontinuatio oriri potest, quia facilius rarescit sanguis ab aucta velocitate; quam quod in majorem nisum nitatur: potest quidem utrumque contingere, ut mox ostendam, prius tamen facillime evenit.

XXI. Potest ergo sanguis per velocitatem magis rarescere, effervere, seu possunt ipsius componentia a mutuo contactu divelli. Data enim majori velocitate datur majus impetus momentum, quod si superabit nisum partium, quo inter se cohærent, illas a mutuo contactu necesse est divelli, & recedere, quod ulterius probatur. Quo sanguis velocius movetur crebrius in resistentias, licet minores, ac quando imminutus non erat, impingit, crebriori illisu in vasorum parietes multiplicatur per repetitionem momen-

momentum, quod potest repetito impetu partes a partibus dimovere, ac sanguinem rarescentem facere; quod erat propositum.

XXII. Potest quidem, quod secundo erat probandum, sanguis per majorem velocitatem magis stipari, seu illius partes possunt in majorem venire contactum; dato enim per majorem motum posse ipsius liberiores partes insensibiliter avolare, ita ut destituant crassiores, seu magis stipatas, quoties per avolatum partium tenuiorum crassiores a contactu non prohibentur, hæ poterunt amota parte, quæ inter illas media erat, & arcebat a contactu, ad se invicem accedere, & toto cohæsionis nisu associari, hinc partis magis stipatæ, seu magis cohærentes magis stipatum, ac coactum sanguinem efficient, quod alterum erat.

XXIII. Contrario vero modo vitiato sanguine, cujus nempe primæ particulæ minus cohæreant, seu magis a contactu recedant, seu sanguis sit calidior, ac majorem humiditatem absumat, dico hunc posse per hæmorrhoidum fluxum minus calidum fieri, & minus humiditatis absumere. Cum enim calor in motu quidem sit, & sine motu esse non possit, non tamen quicumque ad eum eliciendum motus sufficit, sed determinatus impetus motus requiritur. Hinc in sanguine calidiori, & minus a vasis compresso si per derivationem a corpore ex hæmorrhoidibus minuatur massa, minor calor succedit, & primo quia imminuto sanguine imminuitur materia caloris, secundo, ac specialius, cum requiratur ad hoc, ut sanguis calescat, ut ejus minimæ partes non solum divellantur, sed ab ipsis fiat attritus ad partes, quæ possint ipsas in motum caloris ciere, cum sanguis ille, ut supposuimus, minus fuerit in vasis pressus, & adhuc minus ab ejus imminuta mole, patet illarum partium debiliorem esse attritum ad parum comprimentia vasa, hinc cum non sit determinatus impetus gradus, calor non fiet: quamvis autem crebrior sit allisus ad parietes valorum ratione majoris velocitatis, eadem quoq; ratione brevi cessat impetus, utpote non a vasis adeo a contento distensis, quapropter prementibus emanans. Minori ergo calore minus humiditatis diffluet, cujus difflatio opus caloris est; patet ergo in sanguine minus compresso, seu magis rarescente, aut dicam calido, & humiditatis consumtivo, hæmorroidum fluxum contrarium posse effectum producere, seu minus calidum efficere.

XXIV. Hinc cum præclarissimo recentissimorum antesignano *Laurentio Bellino* Italiæ decore, ac rei medicæ theoricæ juxta normam rationalis philosophiæ instrauratori, aut verius innovatori, ac mihi in ratiocinando de re medica duce, cum hoc inquam statuo: Tutum non esse determinare, in quibus corporibus, ac morbis facilius sit massam sanguinis per ejus molis imminutionem incalescere. Firmiori quidem possumus judicio decernere, ibi potius excitari posse calorem, ubi per exactum pulsus criterium habemus sanguinem pressum nimis, ac compactum esse, quapropter demtis impedimentis calorem de se insurgere posse, præcipue si sit in corpore rariori, morbo calido, vegetiori ætate, &c. si vero contraria adsint signa, per quæ arguatur minus esse cohærentes sanguinis partes, ac per pulsum debiliorem minorem sanguinis copiam, puta in hecticis, calor per imminutionem sanguinis non augebitur, quia cum minor sit spirituum materies minor, ac debilior e it cordis contractio, minor impetus in sanguinem; minor velocitas, & per consequens minor calor. Insuper per evacuatum sanguinem minor erit partium ad parietes allisus, unde minor caloris genesis, ab eadem quoque causa minus extensa vasa cerebrum minus premunt, quare a minori pressione cerebri minor spirituum in cordis villos influxus, qui cumduplici de causa minor sit, nempe & a minori compressione, & a minori spirituum copia, patet minorem quoque calorem excitari; quæ quidem posterior doctrina, qua ostendimus in hecticis præcipuæ provectioribus, seu diuturno tempore confirmatis, per sanguinis imminutionem calorem minui, videtur facilem statuere per ablationem caloris, a quo habituali facto ulterior hecticę gradus dependet, curationem. At si ulterius perpendatur, imminutionem quidem caloris arguit, at febris ablationem non promittit. Potest quidem minui calor, at simul minuitur valorum pressio in cerebro: unde minor spirituum confluxus ad cor, tum ad reliquas corporis partes: per imminutam molem minuitur quidem calor, sed minuitur sanguinis ad latera pressio, sau transversus ejus motus, a quo non ultima secretionis ratio; quare deficientibus, spiritibus, ac fluidis reliquis secernendis, aut saltem admodum imminutis tota œconomia animalis ruere debet; quare simpliciter per imminutionem caloris, ut hic fit, febris non tolletur.

XXV. Superest ergo examinata tum quantitate, tum qualitate morbosa, ut videamus quid in sanguinis vitiato motu ab hæmorrhoidum fluxu sperari possit: quæ tamen hucusque dicta sunt, dicenda minuent. Supponatur ergo prius motus vitium in excessu, qui quidem cum multiplici de causa oriri possit, multipliciter est perpendendus, & primo quoad fontes, a quibus potest emanare, qui duplices sunt vasa scilicet, & sanguis, at mutuo agentes ordine, cum sanguis in pluribus a vasis dependeat, & vasa a sanguine; deinde cum sanguinis motus pendeat ab ejus musculis, nempe, & a corde, & ab arteriis, & cordis, & arteriarum impetus momentum minus quidem sit a contractione naturali, seu a vi elastica, majus vero a spirituum in villos confluxu, & hic vel a majori spirituum proventu a sanguine, vel a majori in cerebro pressione a valorum diametro; si minus sanguinis motus pendeat a majori spirituum proventu, imminuto sanguine minuetur quidem spirituum materies.

XXVI. Si vero per sanguinis imminutionem fiet, ut ille magis rarescat, & in calorem solvatur, hac

de cauſa per ſanguinis imminutionem non ſolum non minuetur ſanguinis motus, ſed inſuper augebitur; ſi vero a maiori meningum preſſione velocius moveatur ſanguis, & ipſius detractione magis rareſcat, & magis vaſa extendat, a quibus extenſis major ſit cerebri preſſio, ac ſpirituum influxus in cordis villos, qui major erit, quando tanta non ſit preſſio, ut nervorum oſcula occludantur, velocius ſanguis movebitur, ac hæmorrhoidum fluxus nocebit. At ſi celerior ſit ſanguinis motus a minoribus reſiſtentiis, imminuto per hæmorrhohoides ſanguine, minuentur reſiſtentiæ, quare hac de cauſa ſuppoſito eodem impetus momento, motus velocior fiet.

XXVII. At ſi ſegnior ſit ſanguinis motus, vel hic talis erit primo ob defectum materiæ pro ſpirituum generatione; at tunc ablata per fluxum hæmorrhoidum illorum materia, nempe ſanguine, ſpiritus deficient, quare & motus, qui a ſpiritibus eſt, unde augebitur morbus. Si vero deficiant ſpiritus ob impeditam ſecretionem a ſanguine, & impedimentum pendeat a nimia quantitate, imminutio proderit, ſi a materiæ, ſeu particularum ſanguinis cohæſione, & hæc per imminutionem maſſæ Sanguinis augeatur, nocebit; ſi minuatur, proderit.

XXVIII. Eodem pacto ſi ſpiritus non influant in cor, vel quia non preſſi, vel quia nimis preſſi; ſi nimis preſſi vaſorum extenſione a quantitate, pro hac cauſa præciſe proderit imminutio, cum ab hac imminutione minus vaſa premant; quapropter nimia preſſione non occluſi nervi poterunt ſpiritibus influis viam ſternere; contra ſi a minima preſſione, & hæc a ſanguine nimis coacto, ſi per imminutionem rareſcat, commodum; ſi vero craſſeſcat, incommodum fluxus ille pariet. At ſi præcipè a vaſorum reſiſtentiis ſanguis minus fluat, imminuto ſanguine, ipſi minuetur reſiſtentiæ, quare velocius movebitur; hinc pro cauſarum diſcrimine, & effectuum eventu arguenda eſt hæmorrhoidum utilitas.

XXIX. Data inſuper non ſolum ſanguinis motus minori velocitate, ſed illius alicujus partis in vaſis capillaribus mora, ac ſtagnatione, videndum quid prodeſſe poſſit hæmorrhoidum fluxus. Pluribus de cauſis ſanguis ille in extremis vaſorum concretus per ſanguinis imminutionem poterit amoveri. Imminuto enim ſanguine, majus eſt impetus momentum ſupra reliquum, quam ſupra totum, quare ſi per majorem impetus vim reliquus ſanguis removeatur, ita ut major ſit ſanguis impetus ad ſanguinem in vaſis ſtagnantem, quam ipſius in contactum niſus, neceſſe eſt hunc cedere, abripi, & cum reliquo miſceri; ſi vero nullum ſit ſupra reliquum ſanguinem majus momentum quam ſupra totum, hoc non obſtante, ſanguis imminuta mole velocior fiet, non quidem ratione impellentis, ſed ratione imminutarum reſiſtentiarum a vaſis ſcilicet minus prementibus.

XXX. Alio adhuc jure ſanguis ille poterit illinc dimoveri, & hoc ratione vaſorum; hæc quippe ob imminutum ſanguinem minus preſſa, ſeu a minori mole minus diſtenta, magis ſeſe poſſunt contrahere, quare per majorem contractionem mutata interna ſuperficie cogent ſanguinem, ut contactum mutet ob mutatum continens, quare mutando contactum dimovetur, ac dimotus ab illa prima cohærentia facile poteſt, & a loco dimoveri, & fluxilis reddi, atq; velociori ſuccedente ſanguine ulterius promoveri.

XXXI. Tantum vero commodum non ubicumque ſit ſanguis ille ſtagnans ab imminuto ſanguine ſperandum; nam cum illud totum pendeat, & a ſanguinis major velocitate, & a ſanguine hærente a vaſis dimoto, ſi ſanguis ille ſtagnans ſit in vaſis procedentibus a trunco, unde ſanguis fluit, tale commodum non percipietur, & ratio eſt, quia cum, ut ſuperius vidimus, ſanguis velocius, & majori quantitate fluat per truncum, a quo ſanguis extra corpus derivatur, quam per truncum oppoſitum, a quo nullius eſt extra fluxus, velocius quoque, & in majori quantitate ſanguis fluet, per illa vaſa a trunco emiſſarii pendentia, quare erit quidem major velocitas, quæ pro dimotione ſanguinis requiretur, ſed deficiet mutatio contactus partium hærentium, nam cum minor quantitas ante fluxum tranſire non poſſit, metuendum quoque, neque majorem ob majus reſiſtentiæ momentum poſſe præterfluere, hinc major infarctus, major preſſio, ac major ſtagnantis ſanguinis copia.

XXXII. ſed ſi vaſa obſtructa procedant a trunco, qui oppoſitus ſit trunco, a quo ſanguis hæmmorrhoidalis fluit, plurimum commodi ſperandum. Detur igitur ſanguinis mora in liene, & hæmorrhoides fluant, dico talem fluxum plurimum prodeſſe poſſe; facto enim celeriori ſanguinis motu tum per arteriam meſſentericam, tum per arteriam ſacram ob emiſſarium, aut emiſſaria intima inteſtini recti parte, ſanguis quoque per illas copioſior fluet, quo iſtac copioſius fluente, parcius, ſeu in minori quantitate, ſed majori reſpective velocitate per cœliacam, a qua lienaris arteria, excurret; quare velocius fluente, ſed parcius habebitur quicquid requiritur ab illum ſanguinem ſtagnantem dimovendum, nempe major velocitas, & hærentium partium mutatus contactus niſus a mutata vaſorum interna ſuperficie, quæ ideo mutata fuit, quia minus a minori ſanguine præterfluente preſſa erant; quare ad ſanguinem ſtagnantem dimovendum per hæmorroidum fluxum, ubicumque ille ſtagnet perinde non eſt.

XXXIII. Cum inſuper, ut ſuperius oſtendimus, ſanguis ſponte exiens ab arteriis, non a venis hæmorrhoidalibus fluat, fluit majori velocitate ab arteriis, quam a venis, quare dato tempore fluxus, ſanguis per arteriam copioſior fluet, quam per æque amplam venam, dummodo ſint ejuſdem emiſſarii, unde celerius poteſt prodeſſe ratione majoris velocitatis, ac quantitatis ſanguis ab hæmorrhoidibus ſponte fluens, quam per artefactum emiſſarium in vena, aut in qualibet alia

par-

parte æque morbo accomodata. At si non una sit arteria hæmorrhoidalis fluens, sed simul plures fluant; citius plures simus fluentes juvabunt, quam si sola flueret, dummodo omnes æque, ac illa, sint æqualis diametri, ac emissarii; si vero una tantum fluat, sed majoris amplitudinis, ac emissarii, citius proderit, quam minor fluens; si vero minores fluant, sed cum majori habeant reciprocam proportionem, & quoad pressiones, & quoad emissarium, seu exitus locum, æque dato tempore hæ minores, ac illa major proderunt. Hoc igitur est aut commodum, aut incommodum, quod ab hæmorrhoidibus fluentibus sperari potest prout majus, aut minus erit sanguinis vitium in quantitate, qualitate ac motu, quæ vitia plurimam habent latitudinem, a cujus gradibus tot varia morborum genera insurgunt. Illud insuper commodum, aut incommodum dimetiendum a sanguinis quantitate fluente, morbo, ætate, idiosyncrasia, regione &c. cum utrumque a singulis augeri, aut minui possit.

XXXIV. Potest quidem aliquando tantum sanguinis per hæmorroidum apertionem evacuari, quantum pro indigentia opus erit, non quidem naturæ necessarii conscia providentia, sed mechanica tantum partium dispositione hoc continget. Cum supra ostensum fuerit sanguinem, aliis omissis causis, fluere ex hæmorrhoidalibus posse vel quia ob nimiam quantitatem nimis vasa sanguifua premat, ita ut major sit sanguinis pressio, quam momentum, quo vasorum villi in contactum nituntur; quoties evacuatur tanta sanguinis quantitas, ut major non sit sanguis in vasorum latera nisus, quam vis, qua vasa in contactum nituntur vasorum sejuncti villi superatis pressionis resistentiis in contactum venient, quare, evacuata quantitate, quæ nimia erat, vasa de se absque ulla providentia occludentur; idem poterit contingere, nisi in omnibus, saltem in aliquibus, & motus, & qualitatis vitiis.

XXXV. Non idem in omnibus fiet, in vasorum enim erosione, quamvis remota sit causa, cum ablata aliqua vasorum substantia, illa per puram privationem oriri non poterit, unde frequens stillicidium, a quo ulcera, & fistulæ. Hinc quoque patet maximum incommodum, cum talis fluxus arte supprimitur, perseverante interea, & ejus causa, & indigentia. Illud quidem oriri non potest, eo quod retentus sanguis præ reliquo aliquem malignitatis characterem præseferat, sed quia retentus potest toti massæ S. aut quantitatis, aut qualitatis, aut motus vitium communicare, circa quod triplex vitium tota quanta est in fluxis morborum cohors versatur, (& solida renum copias suppeditant, aut nimia, aut minori, quam par est, contractione) cum per hæc clarius pateant alkali, & acidi inordinati concursus, & fermentationes, varia salinarum partium actio, lucta, sublimatio, præcipitatio, coagulatio dissolutio, amalgamatio, & sexcenta alia nomina. Per hæc vitia ad sensum demonstratur quicquid sulphuri, quicquid mercurio, quicquid aquæ, terræ, ac reliquis chymicorum suppositis principiis tribuitur, nihil recedendo a materia, motu, figura, &c. inconcussis mixtorum principiis, ac genuinis elementis. Non eo tamen inficias, & per composita corporis, nonnullis præcipue in rebus specialioribus explicandis, progredi non posse.

XXXVI. Juxta explicata, patet ratio *Hippocratis* Senis sapientissimi aphorismi 11. Libri 6. in quo ait: *Atra bile vexatis, & renum passionibus hæmorroides supervenientes bonum*. Quicquid per atram bilem volueris, sive quod sanguis siccior sit, ac rarescens, quare ab eo geniti spiritus animales sint vividioris nimis impetus ita ut irregulariter per cerebrum expatientur, utpote sufficienti fluido destituti, per quos maniacus fit patiens, bonum est hæmorrhoides fluere, eo quod, & spirituum minuetur materies, quare minor impetus, & quia imminuto sanguine, utpote a vasis minus compressis, minor erit illius ad vasorum latera allisus, quare minori existente impetus momento, minus in calorem solvetur, & minorem humiditatem consumet, unde minus siccus evadet, ex quo bonum, nam spiritus minus effrænes generabuntur, quia a fluido ab humidiori massa sanguinea deciduo irretiti.

XXXVII. Si vero per atram bilem oppositum intelligat, nempe quod sanguinis massa sit viscidior, seu ejus partes sint inter se firmiter cohærentes, hæmorrhoides supervenientes, bonum; nam imminuto sanguine, quod, minus stipatum, ac coactum est, in vasis continebitur, quare poterit rarescere, & partes a contactu discedere, quod atræ bili contrarium est, unde remedium; nam si a stipatiori sanguine minor fuerat spirituum secretio, a quorum inopia melencholicorum tetra fantasmata, a rariori, ac minus stipato sanguine major erit spirituum proventus, ergo hæmorrhoidum fluxus bonus est.

XXXVIII. Et renum passionibus hæmorrhoides prosunt. A pari vero si per renum passiones vel intelligatur calculus, vel diabetes vel urinæ suppressio in omnibus bonum est hæmorrhoides fluere, & primo in calculo: hic namque cum oriatur a sanguinis primis componentibus sese in contactum urgentibus, seu a partibus habentibus majorem cohæsionis vim, quotiescumque hæmorrhoidalis fluxus superveniat, alterabitur sanguinis motus, a quo determinata vi pressionis transversalis in renum tubulos, seu glandulas, quare alterato tali determinato motu, nulla amplius fiet intrusio illarum particularum in renes, e quibus succrescebat calculus; præterea evacuato sanguine, non eadem erit pressio particularum ejusdem sanguinis, quare mutata pressione, aut præ majori aut præ minori motu non idem erit in contactum nisus, quare non illæ secernentur determinati nisus particulæ, a quibus lapis exordium, & incrementum sumit, ergo in calculo affectis bonum hæmorrhoides fluere.

XXXIX. Vel renum passio dicatur diabetes, pro-

derunt hæmorrhoides, vel ut signum, vel ut causa. Ut signum, quia cum ostenderimus hæmorrhoides fluere posse a sanguine concreto in vasis hæmorrhoidalibus, si sanguis concretus erit, arguetur mox cessaturam diabetem, utpote quæ procedit non a crassiori, & stagnante, sed a fluidiori sanguine. Proderunt quoque hæmorrhoides, & ut causa, quia evacuato per illas sanguine, reliquus vel ob minorem pressionem, minorem habebit ad partes allisum, quare minus solvetur, seu partes minus per debiliorem, ac breviorem ad latera vasorum moram ab aliis partibus abscedent, vel eo quia determinatus alteratur motus pro tali secretione necessarius; alteratur quidem, vel ratione fluidorum imminutorum, vel majoris impulsus, vel minoris vasorum resistentiæ; poterunt ergo diabeticis hæmorrhoides prodesse.

XL. Patet denique illarum utilitas, si urinæ suppressioni superveniant, & hoc dupliciter. Vel urinę suppressio, ut evenire potest, procedat a nimia primorum sanguinis componentium inter se cohærentia, ita ut per minus transversalis motus momentum superari non possit nisus, quo illæ partes in contactum urgentur, dico nullam superari urinam; vel hæc contingat ob arteriolas ad renum glandulas ducentes sanguinem obstructas, dico hæmorrhoides in utroque casu prodesse posse, quod ita patefit, si ideo non cribratur in renibus sanguis, ita ut urina ab illo secedat, quia partes sanguinis nimis se in contactum urgeant fluentibus hæmorrhoidibus fluidior fit sanguinis massa, seu velocius circulatur, quare per velociorem circulationem ob frequentem resistentiarum incursum partes possunt a partibus divelli, quare quæ stipatæ detinebant urinæ secretionem, avulsæ, ac divisæ illam possunt promovere; alia quoque de causa possunt hæ partes dividi, nam imminuta mole reliquus non adeo a duplici vasorum pressione in contactum urgetur, quare ad rarescendum facilior urinam quoque promovere potest.

XLI. Vel tandem suppressio fiat a sanguine in renalibus arteriolis stagnante, possunt prodesse tum ratione quantitatis imminutæ, a qua potest pendere vasorum infarctus, tum ratione celerioris motus, ac denique ratione derivationis, ut superius fusius ostendimus, quare patet quod propositum fuit; atra scilicet bile vexatis, & renum passionibus hæmorrhoides supervenientes, bonum esse.

XLII. Hinc quoque patet tumentium hæmorrhoidum dolorem sedari per apertionem, evacuato enim sanguine, a cujus mora, & stagnatione tumor, partis distensio, nimia Fibrarum nervearum pressio, concitatus nimis spiritibus nervorum incolis motus, unde dolor; quare e converso nullo stagnante sanguine nulla distentio, nulla vasorum pressio, nullus spiritibus stimulus, ac nullus dolor succedit.

XLIII. Hucusque de moderata hæmorrhoidum excretione, quæ si modum excandat, ita ut nimia sit excretio, quot morborum funebres apparatus, quantum cruciatum armamentarium fit. Hinc, & hydropes, & cachexiæ, & labes, & fistulæ, & ulcera; at cum Pathologiam instituere mihi non proposuerim, & hæc, & reliqua omittam utpote ab instituto nimis aliena. At ne quis miretur, me nihil de remediis solicitum, quod præcipuum est tantum morbum indigitasse; sciant isti, quorum doctrinæ elegantia tota est in cudendis plus quam pedalibus præscriptionibus, quibus non prius satisfactum est, nisi postquam tusque deque tota pyxidum pharmacopæorum turba fuit exagitata, sciant inquam non minimam partem curationis esse morbum novisse, illa tamen cognitione, quæ causas, & proximiores causas inconcusse rimatur. Quid prodest fasces remediorum scire, cum nescias quibus illa prosint, aut obsint? Non uno ab hæmorrhoidibus habentur homines modo, sique uno, non eadem, erit idiosyncrasia, non eadem & unius effectus causa. Præscribe, si placet, eadem eodem morbo remedia, & quæ uni profutura alteri inimica experieris. Si morbum noveris, scies quo tolli possit, & quo ingenio abditam morbi causam eruisti, nusquam non obvia remedia, eodem quoque, & scrutaberis & reperies. Non est igitur quod decachinnentur, utpote leviores, theorici, qui quidem si fuerint, quod non adeo planum (Non enim theorici sunt, aut qui memoriæ traditas quasdam callent morborum definitiones, aut nonnullorum effata, aut suppositas hypotheses jactitant) coram antiqua clinice non trepidabunt. Brevibus, nosce totum morbum, noveris, si fuerint, remedia,

XLIV. Hisce usque modo exaratis, nonnulla de hæmorrhoidum per hirudines apertione veluti corolarium adiiciam. Impudicum dicam remedium, ac disperationis prodromon; tentatis enim omnibus, sed irrite, huic tandem tota quanta spes est, committitur, ac præcipue in cephalicis affectibus mirum quantum portenditur. Tantæ spei tota ratio hisce annititur principiis, aut fæculentiorem sanguinem in iis vasis contineri aut per hirudinum suctum deteriorem eligi, quod utrumque evidenti falsitate laborat. De primo nil dicam, cum per antedicta clarius pateat ubicumque vasorum eumdem prorsus sanguinem esse. Ad secundum vero dico nullam selectionem contingere neque ob hirudinum ingenium, neque ob modum suctus, si quis vero per suctum sanguis seligitur, purior, ac defęcatior potius seligitur, seu mavis, exit. Quod ut firmo stet talo, evacuationis modus est perpendendus.

XLV. Hirudinum tricuspidem, seu triangularem aculeum utpote & ceterorum animalium insontem non reor, quia ab illo in vulnus quidpiam succi a nostrorum indole alieni extillari potest, a quo scilicet nostrorum succorum nexus, aut tolli, aut augeri possit, quorum alteruter effectus venenis omnibus si exedentia excipias, unice competit. Neque fictitius est hic succus, madent quippe omnium animalium analoga nostræ quadam saliva, quæ aut aculeo, aut dentibus illita, ac nostro

cor-

corpori infixa, liet mirum quid pariat, mirum non eſt. Ulterius, & hoc ſuppetit; ſuctu exire cruorem. Hic vero non dicam; quod forſan ab aliis prolatum per ſuctum nempe eligere hirudines, aut puriorem, aut deteriorem ſanguinem; & ego profiteor puriorem egredi, ſed electionem non admitto. Per ſelectiorem ſanguinem illam partem intelligo, quæ vel in alimentum partium, vel in ſpirituum materia cedere poteſt; cum accomodatior nulla hiſce operibus ſanguinis lympha ſeu gelatinoſa particula judicetur, ex hac enim per chymicam analyſim, & utiliora & efficaciora principia eruuntur, ſalia nempe volatilia, ſpiritus, & olea; nec vero exigua quantitate, ſed tanta, ut ad hanc minimam fermentationem habeat ejuſdem ſanguinis rubicunda pars.

XLVI. Sanguinis purpura non ejuſdem flos eſt, ut inſcio oculo, apparet, ſed veluti ſanguinis amurca, & terra damnata. Rubræ namque ſanguinis particulæ ſi ſolitariæ ſumantur, & a reliquis divortium paſſæ perpendantur, non valde differunt a capite mortuo vitrioli, ſeu a colcothare, illæ namque, & diuturno vehementique igne expoſitæ rubedine non ſpoliantur, nec quicquam ſuppeditare valent præter terram inſipidam, & ſal marinum; nec rationem huic adverſari, quinimo favere puto. Non enim rubedo pro conſtitutione ſanguinis apprime requiritur, ſed ejuſdem elaborationi neceſſarium eſt conſequtivum. Nam præter rationem, ſuppetit illud Nobiliſſimi *Boylei* experimentum pro pulli carnis concoctione. Injecta enim caro in acidulum menſtruum, elapſo non multo temporis, in quamdam gelatinam migravit, quæ dein, noctis ſcilicet ſpatio, coccineam rubedinem acquiſivit. Hoc vero non aliunde emanavit quam a diuturniori illarum partium motu: prius enim ſemi-ſolutæ albugineo ſuffundebantur colore, dein vero in concitatiorem motum actæ tum ab eodem menſtruo, tum a liberioribus carnis particulis, albedine exutæ ruborem nanciſcebantur, quod paſſim præcipue in mineralium nonnullorum calcinatione intuetur; nam vehementiori ignis gradu incenſa ſubobſcuram rubedinem paulatim acquirunt. Hoc pariter in ſanguine evenire puto; nam perenni motu percitus nonnullas magiſque fixiores particulas aliis intime non permixtas ita ſolvit tum per calorem, tum magis per frequentem ad ſolidas partes alliſum, ut dein ita ſolutæ, & reliquis permixtæ rubedinem concilient. Hoc quoque confirmari poteſt autopſia in animalium ſanguine. Quibus namque vegetior eſt ſpiritus, ſeu efficacior motus, iis magis ſanguis rubet; contra vero, ubi ille ſegnior eſt, ut in cachecticis, ſeu cophlegmaticis, atque anaſarcis ſumme pallet. Variæ quoq; animantum ſpecies iſtud comprobant. In adultis enim bovibus in vaſis nigricans ſanguis fluit; in viculis vividior emicat, ſolum quidem ob motuum diſcrimina. In oſtreis, limacibus, lumbricibus, &c. in quibus ſegnior motus, ac quorum animalium vita vix a plantis diſcriminatur, adeo parum movetur ſanguinis, ſeu ſanguini anagolus ſuccus, & hæret ferme, & pallet, nec minima indutus rubedine. Hæc pauca currenti calamo de ſanguinis purpura, ſive de globulis adeo notis *Leuvenoheshio*.

XLVII. Quod per hirudinum ſuctum exit, pars eſt gelatinoſa, ſeu lymphatica; exit namq; fluidum quodam pallidiori coccineo imbutum, ſatis evidens argumentum defæcatiorem ſanguinis partem exire; cum deterior ſit pars rubicunda, & parum illa lympha ſit rubore ſaturata, ac minus quocumque ſanguine, qui e quolibet loco phlebotomo mittatur. Notum quid arbitror exeuntem hunc ſanguinem attractione extra corpus non derivari, ſuctus enim media preſſione perficitur. Nam inflicto ab hirudinibus in vaſe ſanguineo vulnere indiſcriminatim, ſive in vena, ſive in arteria, ſanguis educitur non attrahendo, ſed pulmones dilatando, quibus extenſis, applicito vulneri ore illæ ſuperincumbenti aeri reſiſtentiam imminuunt, qua ablata, aut imminuta per majorem interni aeris dilatationem, exterior, & ſuperior aer vi ſuæ gravitatis premit; premit vero quicquid ſubjacet, at ſubjacet, ubi minor reſiſtentia eſt ſanguis, qui proximus eſt dilatato aeri per apertionem pulmonum, qua propter ſanguis, & ab aere ſuperincumbente preſſus, & a vi motiva ſubſequentis ſanguinis, & vaſorum conſtrictione compulſus illuc petit, ubi minimum reſiſtentiarum invenit; invenit vero prope apertionem ab aculeo, eo quod aer dilatatus minus reſiſtit, quam antecedens ſanguis premit, ideo illac fluit. Sed cum promtior exitui ſit ſeroſa portio, promtior enim eſt motui pars illa, quæ minus habet materiæ, & minoris eſt molis, habito, & ad impellens, & ad reſiſtentias reſpectu, quod cum lymphæ competat, per anguſtiora aculeorum foramina hanc facilius & copioſius egredi dicendum eſt.

XLVIII. Quod enim de hirudinum ſuctione, idem de quacumque alia ratiocinandum. Et oueri eadem ratione lac e mammis eliciunt, per ſuctum enim demto æquilibrio, quod ineſſe debet inter externum & internum aera, ad hoc ut alterum nec magis premat nec prematur: demto igitur æquilibrio, eo quod internus aer magis extenſus fuerit quam externus, non poteſt internus æque premere lac, ac externus; quare magis premente externo aeris cylindro ſuprà mammam, quam poſſit præ ſua raritate internus contraniti, opus eſt externo prævalente lac preſſum exilire, ac os infantis ubi minor eſt reſiſtentia ingredi. Hoc eodem fit pacto, ac quando manu lac emulgetur. Premente enim manu, ac urgente lac, hoc debet qua data porta egredi, quare cum retrocedere non poſſit ratione diſpoſitionis vaſorum, neceſſe eſt progredi, ac per papillam non æque premente aere externo, ac manu egredi.

XLIX. Si igitur per hirudinum ſuctum, aut purior ſanguinis portio egreditur, aut ſaltem quicumque promiſcue egreditur nulla habita ſelectione, quid a tali ſanguinis miſſione ſperandum cuique perpendere licet. Hoc tantum juvaminis ſperari poteſt, quod ſcilicet per horum vaſorum apertionem facilius obtinendam ſponte a ſolo ſanguinis impulſu, eo quod debiliora ſint vaſa a prima eorum artificiali apertione, tractu temporis inſtitui poſſit naturalis excretio majoris equidem commodi: at hoc non ad curativam, ſed ad prophylaticam pertinet. Hinc conſtare puto ampuloſum hoc eſſe remedii genus ceteris ni deterius, non equidem majus; ſed aut enormis præjudicii ſignum, ſive ut diximus deſperatæ ſalutis, aut exhauſtæ medicinæ prodromon. Nec mihi experimentorum myriades pro hujus ſaluberrimo uſu reponant. Sit experimentis fides: at ſit cautum alioquin difficillimum experimentorum judicium.

OPUSCULUM IV.

De Catameniis.

ALtas ſpecus latebras ingredior, quare ceſpitanti parcendum eſt. Adeo me circum undique ſtipant tenebræ, ut quo greſſus dirigam, hæream. Si me deſtituat oculorum ſenſus, cum reliquis fœdus inibo, quorum opere niſi profecero, rationem ſequar. Catamenia igitur flores audiunt. Floribus namque cum arbores luxuriantes intuemur, fœcundas credimus. Ita menſtrua veluti flores fœcundum, e quo eructantur, ſolum ſatis tuto præmonſtrant: tunc enim mulieres viripotentes, niſi a viro arceantur, matres evadunt.

II. Solius mulieris inter animalium cœtum ſtata menſtrua periodo eſt ſanguinem excernere, aut niſi ſoli mulieri hoc proprium, paucis tamen aliis competere conſtant; cetera namque aut a ſemeſtri, aut ab anno, niſi aut concipiant, aut coeant, ſanguinem excernere ſolent. Cercopithecus tamen, ſive ſimia, cum ab hominum moribus non diſtet admodum, nec menſtrua ſanguinis excretione a muliere recedit. Conſtans quippe apud me obſervatio evincit ſtata menſtrua, aut mutata parum periodo ejus prurientia nimis genitalia per hanc excretionem fœdari. Hoc inſuper teſtatum habemus a doctiſſimo, & Famigeratiſſimo *Gaſſendo*, ſimias nempe in Guinea non ſecus ac mulieres menſtrui ſanguinis fluxu laborare. Nec canes excipiam, quæ ſi arceantur a venereo congreſſu, dum præ æſtu libidinis pudenda tument, mox ſtatim eructant non admodum coccineum ſanguinem cunno ſubſidentes. Hæc tamen eruptio an regularis ſit aſſerere non audeo; fateri tamen poſſum in nonnullis crebram quidem eſſe; non adeo tamen, u mulieris & cercopitheci eruptiones, utpote quod his minus tentigine hac voluptuoſa illæ afficiantur.

III. Non eſt ut hic inquiram, unde *hic* ſanguis fluat, an ab uteri vagina, an ab ipſomet utero. Pro utraque ſententia diglandiantur plurimi. Crebriores tamen obſervationes pro uteri vagina ſtare videntur; nec ratio ab hoc removebit quempiam. Adeo enim, in virginibus præcipue, anguſtum eſt uteri orificium, ac tam exigua ipſius uteri cavitas, ut rationi conſonum non videatur ab eo ſanguinem erumpere; nam erumpit in gravidis, in quibus os uteri impervium eſt. Et huic opitulatur aſſerto tot per vaginam vaſorum diſtributio, quæ quidem non unice huic ſcopo, ſed tamen præcipue inſervit, quandoquidem vero, ut in uxoribus, ſeu matribus, & ab utero fluere poſſe non inficior.

IV Neque hic eſt, ut decernam, an ſanguis hic effluat ab arteriis, aut a venis. Jam ubi de hæmorrhoidibus mihi videor probaſſe ſanguinem, dum per anaſtomoſim fluit, ſemper ab arteriis emanare: hic vero & idem ſtatuo arterias fontes eſſe, unde ſanguis erumpit, nihil in hoc obſtante *Cl. Bohnii* argumento, quo evincere nititur neceſſarium fore, ſi ab arteria ſanguis effluereet, ut perciperetur ejuſdem effluentis impetus, & coccineus ejus color: quibus repono in capillaribus diffractum eſſe admodum ſanguinis impetum, qui & ſi integer, & a modo eruptionis, ut inferius videbimus, & a depreſſis vaginæ lateribus retundi poſſet. Ad alterum vero dico coccineum ſanguinem in ſanis ſæpe apparere, quo neque apparente, hoc jure tribuendum & alicui ipſius moræ, & liquaminum intra vaginam hærentium admixtioni.

V. Antequam ulterius progrediar, hypogaſtricorum vaſorum diſpoſitio, quæ non ut in ceteris partibus ſeſe habet, exactius limanda eſt, ab ea quippe magna pars noſtræ hypotheſis dependet. Vaſa igitur uteri, & vaginæ mirum eſt quam crebra, ac potenti unianur anaſtomoſi, quæ ſi cui per anatomicam praxim non pateat, adeat & ſolertiſſimum *Graafium*, & *Suvamerdamium*, apud quos perbelle deſcriptum, quod innuimus, reperiet. Inſuper & perpendendum quanta ſit horum vaſorum extenſilitas, quam in gravidis experimur, & *Cl. Caſpar Bartholinus* in ſua anatome teſtatur.

VI. Præterea cui non notum mulierum ſeminis geneſim, non in teſtibus, ſed in vaginæ glandulis, ſeu proſtatis perfici, quod magno ſatis affluxu in coitu excernitur? & quanta ſit hujus pſeudo ſeminalis materiæ efficacia quis tam rudis, qui eam non noverit? virgines enim præcipue vaginæ, aut habitus tenuioris, ſed vividioris, & viro maturæ, cujus copula, ſi diu careant & clorosi, & cachexia, & uterina, ut ajunt, præfocatione, & melancholia, & nonnunquam uterino furore, aut mania afficiuntur, quæ quidem primo a ſemine diverſimode, ſed prave ſe habente, tum in nerveum ſyſtema, tum in ſanguineum, ac cetera corporis, vel mediate,

te, vel immediate fluida, ac solida agente dependere dicenda sunt.

VII. His velut loco lemmatum præmissis, meam nunc de catameniis propositionem, seu hypothesim exarabo. Sanguis menstruus non ut deleterius, aut aliqua corporis mechanismo improportionata qualitate impurus, aut legitima plethora onerosus secernitur, neque qui ejicitur per secretionem aliquam e corpore amandatur; sed talis fluxus, dum regulariter, ac secundum naturalem ordinem procedit, non ab unica pendet causa, sed a pluribus simul agentibus puta 1. a sanguinis plethora, aut legitima, aut legimæ anagola, a partium nempe sanguinis expansione, seu rarefactione, 2. vasorum & per uterum, & per vaginam mira distributione, ac tandem 3. a seminalis materiæ impetu, & per totam spirituum systasim diffuso, & in vaginæ partibus præcipue satis valide agente.

VIII. Quibus jactis meum nunc est hujus excretionis modum exponere, singulas scilicet propositionis partes, & explicando, & probando, & a difficultatibus, quibus aggredi posset, meam hypotesim vindicando. Cum libidinosa prurigo in brutorum fœmellis nonnisi seminis stimulantis sit effectus, & cum bruta dum hoc æstro turgent, tantum hac excretione fœdentur, nisi, ut dictum superius, aut coeant, aut concipiant, mihi fas erit seminis energetico motui quoad partem hoc tribuere, veluti partialem ejus provinciam. Præterea tunc solum, aut solum ferme (hujus vero exceptionis ratio inferius reddetur) erumpunt menstrua, cum puellarum genitalia illucusque ignoto stimulo afficiuntur; at tunc in vetulis erumpere desinunt, cum præ seminis inertia hoc æstro destituuntur, quod ulterius si supersit, hoc potius petulcum imaginationis opus, quam titillatarum partium effectum nuncupandum. Cum vero hoc pendeat a varia tum seminis actione, tum spirituum motu, ac præcipue a nervearum Fibrarum contractione, hic aliquid est repetendum, quod alibi de structura, & motu Fibræ expositum fuit.

IX. Liquidum seminale semper in motu consistere duplici fundamento evincitur; primo namque; cum fluidum sit, stare nescit, a motu enim fluidorum natura pendet; secundo, cum fluidum sit non constans ex quibuslibet partibus, sed tenuioribus, seu minimæ molis, a qua cumque vel levissima agitatione, quæ semper in vivente corpore viget, potest agitari & moveri, quare & ipsum potest in proximas partes impetere.

X. Liquidum igitur seminale, & qua fluidum, & qua spirituosum, potest in circumstantes Fibras agere, non semper vero eadem vi, & eodem affectu. Tota seminis in Fibras, quibus ejusdem receptacula constant, actio alia non est, quam stimuli, seu ita potest in Fibras agere, ut influentem spiritum in refluxum cogat. Non vero quælibet portio seminis potest liquidum nervorum in refluxum agere, nec quælibet pars potest liquidum in quecumque refluxum agere. Pro prima propositionis parte si in seminalibus vesiculis sit tantum aliqua seminis portio inclusa, hæc non poterit liquidum Fibrarum in refluxum agere, nam cum refluxus debeat fieri a tanta in Fibræ particulas pressione, ut facultas composita ex nisu proprio particularum, ac potentia externe premente sit major momento, quo liquidum Fibrarum detinet Fibras in distractione, quoties utraque potentia minor sit liquidi momento non fiet refluxus. Actio vero inclusi seminis pendet ab angustia loci, & a quantitate materiæ. A quantitate materiæ; partes enim plures simul collectæ invicem in se agunt, & mutata actione virtutem augent, ut conspicitur in igne pro flamma excitanda; tum vero a loci angustia, nam cum virtus aliqua, puta seminalis aura, se possit diffundere, nec ab angustia loci prematur, moderate tamen, vires non auget, sed minuit; quare cum minima, aut non magna portio seminis neque a partium pressione, neque a mutua ejusdem partium copia virtute augeatur, non poterit in laxas vesicularum Fibras ita agere, seu tam valide illas premere, ut contenti liquidi refluxus fiat.

XI. Pro altera vero parte, quod nempe quicumque refluxus a quecumque seminis quantitate excitari non possit clare patet, nam cum effectus debeat suæ causæ correspondere, debet esse determinata causa, ut sit determinatus effectus, hoc est, debet esse non qualiscumque, sed determinata seminalis materiæ pressio, ad hoc ut in cerebro fiat determinatus refluxus, quare ubi major erit seminis virtus, major erit liquidi refluxus, ubi minor seminis facultas, minor quoque refluxus excitabitur.

XII. Hic vero refluxus potest diversimode variare, seu pluribus causis, & augeri & minui. Nam pro determinando refluxu ad plura debet oculus intendi: primo ad semen, quod potest dupliciter agere, & quoad activitatem, seu partium tenuitatem (viscidius namque non eadem vi agit ac tenuius) & quoad quantitatem; copiosius enim validius, quam parcius aget. Ipsa quoque Fibra consideranda, nam, ut dictum est, cum majori facilitate mutetur Fibræ figura, seu facilius Fibra prematur, in qua sint pauciores particularum series, quam ubi plures sint, si detur corpus in quo crassint sit Fibræ paries, quam in altero, in hoc facilius, quam in altero fieri poterit validior refluxus. Attendendum est & ad ipsum liquidum, quod agi in refluxum debet, quo enim illud est copiosius, major requiritur vis ad adigendum in refluxum, quo parcius, minor. Ulterius quo illud est tenuius, facilius movetur, quo crassius seu partium magis cohærentium, difficilius: demum, & i-

ſamet cerebri preſſio eſt obſervanda, quæ ſi debilis ſit, minor niſus requiritur, ſi valida, major conatus neceſſarius eſt ut ſuperetur.

XIII. His habitis tunc ſemen erit partialis menſtruæ excretionis cauſa, cum ita aget in Fibras, ut ab illius actione, ſeu in Fibras preſſione talis fiat refluxus, ſeu tanta contingat in Fibris uteri contractio, quæ poſſit diſpoſitum ſanguinem ad excretionem excitare. Cum vero non ſemper fieri poſſit hæc preſſio in Fibras, & hæc Fibrarum contractio non ſemper, ſed determinato tempore, materia hæc ſeminalis erit tantæ virtutis, quæ pro hac excretione ſufficiat.

XIV. Pro quo ſpecialius explicando ſupponatur puella, cui modo tantum aut ob partium requiſitam tenſionem, aut ob ſanguinis copioſiorem copiam, vel ob largius ſpirituum penu incipiat in vaginæ glandulis ſeminalis materiæ ſecretio. Hæc ſecreta materia tanta vi non aget principio ſuæ ſecretionis, ac puta elapſo menſe, tum quia in dies copioſior evadet, unde major activitas, & a majori copia major loci anguſtia ſeu major preſſio, unde major, ut vidimus, conatus, quare quę debilis menſis principio facultas vix poterat Fibras premere, menſe evaſuro poterit eaſdem ita premere, ut contentum liquidum in refluxum agat, ſeu, ut moveantur adeo crebri ſpiritus, ut fiat in quamlibet Fibram major influxus, & majori influxu validiori niſu liquida quoque moveantur; inſuper cum fiat in veſicularum ſeminalium, ſeu proſtatarum Fibris major ſtimulus, unde major refluxus, in confluentibus major liquidi copia influet, quare major fiet contractio, quæ vel tanta erit, ut poſſit ſanguis motum accelerare, vel ut poſſit retinere ſeu imminuere in illis partibus.

XV. Sanguis alterutro ex his motibus percitus, ſive aucto, ſive imminuto varie in uteri partibus, ac alibi ob vaſorum diſpoſitionem ſeſe habet. Hic namque arterias laterales ingreſſus, & harum diviſiones ſubiens, hinc inde, prout arteriarum anaſtomoſes ferunt, ſibi occurrunt: quare alteratis motuum directionibus, ipſemet contrario ſibi curſus, curſui obſtat, eo modo quo, ſi duo rivi contrario aquarum curſu ſibi mutuo æquis viribus occurrant, eorum intertur. batur iter, ac interrupto curſu varie ad invicem permiſcentur remorantes aquæ, quæ dein ſi per unicum alveum excurrere debeant lentiori paſſu progrediuntur. Non ſecus evenit in ſanguine, dum ad anaſtomoſes arteriarum pervenit, ob enim contrarium motum interturbatur ejus fluxus, ac diuturniorem ob imminutum ſequentis impetum in illis moram trahit, quæ eo magis augetur, quia hæ ſerpentino, ac tortuoſo admodum ductu procedentes, reſiſtentias curſui augent, & veluti reticulariter compreſſæ ſibi invicem motus turbant; Diu quam par eſt immorante hic ſanguine, extenduntur nimis vaſa, quæcum facillime cum in venas enutrire non poſſint, nam & in venis ob meandros, & reticularem diſpoſitionem, & ſtrangulantem Fibrarum contractionem lente procedere opus habet, adeo extenduntur, ut præ nimia infarcientis ſanguinis extenſione demto partium vaſa conſtituentium contactu, fit eorumdem apertio, unde ſanguinis exitus, & menſtrua excretio procedit.

XVI. Alterutro ex illis motibus dictum fuit poſſe ſanguinem ad excretionem diſponi. Aucto enim motu poteſt ita in vaſorum latera impetere, ut compoſita potentia ex majori ſanguinis copia, & validiori impetu major ſit facultate, qua vaſorum Fibræ adeo expanſæ in contactum nitentur, ſive vero fiat curſus inæqualitas, hoc eſt celerrime fluens ſanguis per reliquum corpus ob fluidum, & copioſius, & validius in Fibras influens, in uteri poſtea vaſis ob majorem in confluentibus Fibris influxum motum remittat, & tardior evadat ob contractas nimis circumſtringentes Fibras vaſa pleniori gurgite infarcta, cum non poſſint antecedentis ſanguinis influxum remorari ob vehementem ſatis impetum, neque poſſint promovere, eo quod major ſit illius reſiſtentia, quam vaſorum niſus, debet vaſa magis diſtendere, quæ ſi præfixos extenſionis terminos excedant ſuperata partium componentium cohæſione, diviſæ partes reſiliunt; ubi major eſt earum niſus, & fit vaſorum disjunctio, & ſanguinis per novum lumen celerior motus.

XVII. Cum igitur pro hac menſtrua excretione hæc tria requirantur nempe ſeminis in Fibras impetus, ſanguinis turgeſcentia, vaſorum diſpoſitio, quoties unum ex his deficiet, ni aliud excedens ſuppleat, hæc excretio non continget. Hæc quidem poſſunt diverſimode deficere. Primo ſemen quando tantæ non ſit quantitatis, aut tanti impetus, ut poſſit liquidum Fibrarum in refluxum agere, vel quamvis ſit & debitæ quantitatis, & validi impetus, attamen aut propter Fibræ reſiſtentiam, aut propter liquidorum cerebri idioſyncraſiam refluxus excitari non poſſit. Secundo ratione ſanguinis, qui vel eo quod copioſior in majorem motum, tantum quidem, quantus pro excretione requiritur, urgeri non poſſit, vel quia, tantæ ſint illius componentia cohæſionis, ut illa tolli ab impetu ſpirituum cerebri non poſſit, vel demum tantæ ſit minimæ molis, ut in vaſis uteri remorari non valeat, unde impediatur vaſorum apertio. Tertio tandem vaſa uteri vel ita patula eſſe poſſunt, ſeu tantæ diametri, ut & copioſiori ſanguini facile pateant, vel tantæ craſſitiei, ſeu reſiſtentiæ, ut earum partium contactus, ſeu ad divulſionem reſiſtentia major ſit quocumque impetu, qui poſſit a turgenti ſanguine proficiſci: una tantum ex adductis cauſis poteſt catameniorum fluxus impediri.

XVIII. Non ſatis poſitæ hypotheſis aut veritas,

tas, aut vero similitudo apparebit, nisi prius occurrentes mihi difficultates diluam: quare pro prima sit; cur statuto mensis termine hujusce secretionis vectigal mulieres solvere teneantur, hoc tamen discrimine, quod

Luna vetus vetulas, Juvenes nova Luna repurgat.

Hoc levis Poetæ dicterium, ut oraculum habetur, adeo magnum veritatis impedimentum præjudicia sunt. Nitimur sæpissime falso supposito, quod rectissimam regulam arbitrantes, tamquam & recti, & obliqui normam adhibemus; si vero, & ratione, & sensibus testantibus fallax judicium deprehendamus, non in obliquum inquirimus, sed rationi & sensui adversi, ubi error non est, inquiritur; ubi patet, non quæritur. Puto jam versiculum illum a Sophorum mente explosum fuisse. Si quis vero adhuc adhæreat, unam consulat observationem, qua testatum habebitur, quam male congruat veritati; non quidem eo quod nulla sit lunæ vis, sed quia illa vis in mulierum corpora tot de causis, ac tam sæpe variabilia determinate agere non potest. Agit quidem in sublunaria proximior ille planeta, sed varie ac vulgo creditur. Præcipua illius vis a pressione pendet, quæ varia est prout majori, aut minori illuminata parte nos respicit, ut perbelle, atque erudite demonstratum fuit in tractatu de æstu maris ab amico nostro humanissimo *Bernardino Zendrinio*, cui præter requisitas Medico scientias, omnium accessit mathematicarum solidum ornamentum. Quantus hic pateret dicendi campus, nisi ab instituto digrederer, aut nimis stridentem ad nonnullorum aures fidem pulsarem! attamen non possum, quin mecum conquerar, quia in medendo tot abusus, nec levis momenti, aut foveantur assentatione, aut evellantur, nec tam diuturna inquisitione. Quid solum de lunæ influxibus dicam? quæ si fuerit in quadrato luminis aspectu, aut erga nos lumine orba, quæ cautio in pharmacis præcipue catharticis propinandis, aut non adhibetur, aut adhiberi non jactatur? Phlebotomia differtur, nec sapientissimo Coo Seni præcipitem occasionem prædicanti auscultatur. Qui influxus finguntur, quæ non planetarum variabilis potestas evulgatur! ac si planetæ, ceteraque cœli lumina aliter agerent, quam lumine, & motu. At quicumque horum pertinax sectator est, at in astrologia, mendacii rea, Famigeratissimum, ac Candidissimum *Giminianum Montanarium*. Unum hoc totum non est; sed alias forsan appellabitur clinices.

XIX. Ad alterum vero, nempe ad statutum mensis terminum pro illo vectigale solvendo dico hoc asserentem aut falli, aut fallere; nam inconstantissimum hoc tempus est; nonnullæ enim mulieres mense elapso, nonnullæ ante mensis terminum; aliquæ nec parum post mensem; ac tandem non desunt, quæ bis in mense tali fœdentur excretione: quare patet terminum illum neque in sanis religiose servari; argumentum quidem satis validum, prout varie se habet fluidorum impetus, & copia, hanc quoque fieri excretionem. Ratio vero hujus excretionis non aliunde inquiri debet, quam ab ipso tempore, quo aut apparet, aut apparere desinit. Cum autem & appareat tempore pubertatis, quo scilicet tempore puellæ conceptui aptæ existunt; desinat vero cum conceptio jam facta est, scilicet cum mulier est prægnans, & post partum, cum lacte fœtum in lucem editum nutrit, aut cum senescens conceptui prorsus inepta evadit; dicendum est excernendum illum sanguinem uni tantum conceptioni, seu fœtus augmentationi inservire: quare quantitas illa sanguinis a mulieribus decidua, non utpote quid deleterium, sed ut quid superfluum, credenda est. Nam si pro formatione fœtus in utero, aut pro nutritione jam editi quicquam a sanguine matris secedere debet, aut sanguis, qui uni tantum matri sufficerat, neutri tempore graviditatis sufficiet, aut si fœtui, ut constat, sufficit, materno corpori impar erit; nam cui tantum totum sufficit, pars non sufficiet.

XX. Cur vero, reponet aliquis, in mulieribus pro fœtu formando colligitur hic sanguis, cum & in brutis vigeat eadem necessitas, nec tamen hæc sanguinis secernendi copia congeratur? Totum hoc excretionis discrimen pendet a determinata dispositione, qua mulieres semper possint post pubertatis annos, & ante senectutis ingressum, quocumque tempore concipere. Bruta vero statuta habent conceptionis tempora, quare necesse non est tantum sanguinem colligere, quanto opus esse non possit; nam ideo debet congeri in mulieribus, quia illo semper opus esse potest, cum semper possint concipere, in brutis vero, cum semper conceptio fieri non possit, semper sanguis colligendus non erat. Ratio vero hujus discriminis non potest nisi a varia partium dispositione elici. Nec quis miretur me asserentem variam in brutis organorum structuram, variam liquidorum crasim, ac in hominibus; quis namque inficiabitur diversam ab homine narium canis organizationem, varium ejusdem ventriculi solvens; nonne plura bruta bipartitum ipsum uterum habent?

XXI. Hujus varietatis fluidorum, & organorum, seu solidorum argumentum ab ipso eruitur veneris œstro, quod non semper brutorum fœmellas, sed statutis temporibus afficit, quod cum pendeat, & a seminis copia, & stimulante impetu, quoties stimulus hic non vigebit, dicendum est tantam illius quantitatem collectam non esse, quæ possit, aut glandularum, aut prostatarum fibras adeo premere, ut fiat talis liquidi in cerebrum refluxus, qui possit venereum

reum œſtrum concitare; quod vero talis ſucci ſecretio tanta non fiat, pendet vel a fluidis, quæ ſecernibilibus partibus non turgent, vel ab ipſamet glandula, quæ adeo anguſta ſit, ut paulatim ſolum, & poſt plurimum temporis tantum ſemen collegerit, quod pro libidinis œſtro ſufficiat. Patet ergo variam eſſe brutorum, ac mulierum genitalium diſpoſitionem. Cum igitur varient genitalium partes, ita ut in brutis minus ſeminis, quam in mulieribus ſecernatur, cur quoque admitti non poteſt, & in ceteris partibus talis diſpoſitio, a qua vel fiat in mulieribus major ſanguinis copia, quam in brutis, quare illi poſſit ſingulis menſibus abſque ullo ſanitatis detrimento fieri talis excretio, quæ in brutis tuto non contingat?

XXII. At dicam. Cum tunc fiat ſanguinis ſecretio, cum conceptio fruſtratur, ideo in brutis hæc excretio non fiet, quam cum tempus eſt conceptionis, hoc eſt, cum æſtro turgent, quod per genitalium tumorem petefit, cum mare coeunt; quare ſi concipiunt, neceſſarium eſt illum ſanguinem non excerni, qui utilis eſſe poteſt pro fœtus formatione; ſi vero non concipiant, poſſunt quidem illum non excernere ea de cauſa, qua non concipiunt; puta vel ob depravatam partium uteri ſtructuram, vel vitioſam fluidorum craſim; plura vero bruta, ut catulæ, ſimiæ, &c. quæ a congreſſu arceri poſſunt pro ſui corporis mole, ſanguinem excernunt, quare patet problematis ſolutio.

XXIII. Ulterius id poſſum aſſerere, quin habebatur partium varia diſpoſitio, quia ſcilicet mulieres copioſiorem ſanguinem congerant, bruta vero parciorem, hoc pendere ab ipſa ſeminis copia, videlicet, quia in mulieribus ſit major ſeminis copia, quam in brutorum fœmellis, in illis major, quam in iſtis ſit copia ſanguinis. Nec admodum improbabile eſt argumentum, nam ſpadones pingueſcunt admodum, molles & effaminati evadunt. Dum in pubertate ſemen advenit, quanta in viris mutatio? In fœminis quidem dum cojere, vox fit gravior, quibus vero ſi menſtrua non fiat excretio, ut plurimum ſuboritur barba, ſatis inſigne argumentum ab hoc fluido nonnihil poſſe animalem œconomiam alterari; quare improbabile non eſt ſuppetente fortiori, & uberiori ſeminali ſpiritu, vividiores fieri poſſe ciborum concoctiones, unde magis ſanguis ſuccreſcat, cum igitur deficiat hæc liquidi copia in nonnullis brutis, neceſſum eſt etiam uberiorem ſanguinem deficere, unde non contingat niſi admodum rara excretio.

XXIV. Alia, qua impeti poteſt ſanguinis turgeſcentia, ſeu uberior copia, difficultas eſt. Cur ſcilicet ferme emaciatis, ac gracilibus, quibus ſi conjecturæ locus eſt, nihil ſanguinis corporis reparationi ſuperabunbat, ſanguinem menſtruum veluti ſuperfluum datum eſt excernere. Cui primum ſit pro reſponſo, non a corporis gracilitate, ſed a venarum turgeſcentia dimetiendam eſſe ſanguinis quantitatem. Cum vero ut plurimum in graciliori habitu turgeant vaſa dici poteſt, inibi non hanc, quam ſuſpicamur ſanguinis inopiam, adeſſe; dein etiam cum cracilia corpora ob partium in ſolidis majorem cohæſionem, non multum deperdant nec multo pro reparatione indigent alimento, quare ſanguis ille, qui reſpectu ad craſſius corpus, & majori indigens reparatione, vix ſufficeret; hic ubi paucus ſufficit, ſuperabunt. Tandem aſſerui aliqualem pro menſtrua ſecretione plethoram requiri, hanc tamen duplicem ſtatui, legitimam ſcilicet, & rarefactivam, deficiente enim prima, altera ſatis eſſe poteſt; quæ ob partium tenuitatem in gracilibus, aut ipſarum concitatiorem motum admitti facile poteſt; hinc coadjuvante ſeminalis materiæ impetu tam augeri poteſt, ut pertingens ad vaſorum uteri meandros rareſcens ſanguis, tandem excerni ſed catameniorum forma debeat.

XXV. Pro aſſerti confirmatione, a ſanguinis ſcilicet rarefactione, & irritante ſtimulo hanc excretionem, præter vaſorum diſpoſitionem, pendere, mulierem viſum fuit, nuptam quidem, ac gracilem matrem vividioris ſpiritus, non adeo tamen viridis ætatis huc adducere, quæ, & leviſſimo propinato cathartico ſtatim catameniorum fluxum, quamvis non plenum experitur, quod mihi ſuadet non unicam ſanguinis plethoram, aut rarefactionem pro hac excretione ſufficere, verum & alicujus irritantis materiæ opem requiri, pro quo explicando phænomeno non diu in cauſarum inquiſitione evagari debemus, ſed ſtatuendum eſt hoc modo fluxum contingere. Nullum & leviſſimum catharticum abſque ſtimulo agere poteſt, quare ſi illud occurrat Fibris adeo tenuis texturæ, & liquido facillime in refluxum agendo fieri poteſt, dum fit in Fibris inteſtinorum refluxus, in ceteris confluentibus tanta influxus augmentatio, ut poſſit ſanguini celeriorem motum communicare, qui impetuoſius motus non poteſt non rareſcere; ſi vero, & in inteſtino recto cathartici ſtimulus agat, ut agere & poteſt & debet, fiet illarum Fibrarum contractio, quæ cum adhæreant utero, neceſſe eſt, & in illo contractionem ob vicinarum ſtimulum fieri, quare rareſcens ſanguis in vaſis compreſſus, ut ſuperius oſtendimus, debet in diſtractionem vaſorum niti, quæ ſi fiat, catamenia fluunt.

XXVI. Cum hujus excretionis ſtimulus ſeminali liquori tribuatur, cur pellices, quæ tam crebro per venereos congreſſus ſeminali hoc ſtimulo deonerantur, adhuc tamen ſingulis vectigal menſibus ſolvunt? Hæ quidem effrænes mulieres per crebriorem concubitum magnam ſeminalis liquoris copiam inſumunt, ac ſufficienti ſtimulo non deſtituuntur; nam ſecretio quorumdam ſuccorum non ſolum pendet a fluidis,

dis, à cribro, verum etiam aliquatenus a succi secreti copia, hoc est ab illius fluidi extra corpus derivatione. Hoc vero manifeste patet; nam si quis cœlebs vivat, quamvis plenioris habitus, non nisi paucum semen secernere dicendum est; nam paucum in ejus receptaculis seu vesiculis seminalibus, & parastratis continetur. Si quis vero ejusdem habitus sit uxoratus, nec tam raro debitum solvat, certum est pro excreti mensura majorem in hujus testibus copiam secerni, quod ab alio non pendet, quam a glandulis pressis, turgentibus enim prostatis necesse est aliqualiter comprimi testium vasa, eaque facilius comprimuntur, quæ angustioris sunt diametri; nullum vero angustius vas est ductu glandularum excretorio, quare illo non compresso secretio peragi non potest. Si vero exinaniantur vesiculæ seminales, & ipsæ parastratæ exinaniuntur, quare exinanitæ minus excretorios tubulos testium comprimunt, nec secretionem seminis impediunt; unde successive largior copia secerni potest, quare ad rem redeuntes dicimus, excerni in concubitu quidem satis grandem seminis copiam, sed & æqualem, dummodo in fluidis partes secernibiles sint, secerni posse, hinc semper & in istis viget sufficiens stimulus, dummodo, & reliqua adsint pro tali excretione requisita. Insuper vero, quamvis tanta liquoris copia deficeret, impetus tamen quantitatem supplere potest, nam in coitu agitatæ partes, & libertate potitæ per impetuosiorem turgescentiam possunt adeo Fibras premere, ut sufficiens habeatur motus pro hac excretione excitanda: nec tamen inferant quolibet hoc tempore fieri posse: falsum enim est; nam præter stimulum, etiam secernenda materia requiritur, quæ aut quantitate, aut impetu fluxum perficiat. Ulterius vero sicuti in brutis non quælibet seminis affectio seu stimulus potest illa in venerem excitare, sed tanta & determinata requiritur actio, ita de seminis stimulo pari modo dicendum; si vero nec stimulus desit, nec sanguinis, aut copia, aut expansio deficiat, fiet quidem quocumque tempore excretio, nam, ut diximus, quibusdam bis in mense, & satis abunde præcipue in junioribus, & in pellicibus quibusdam menstrua contingunt.

XXVII. In virginibus contra potest quidem magna seminis copia colligi, nec sanguis deficere, attamen catamenia aliquando non fluent aliqua ex illis causis recensitis n. XVII. Per diuturnam enim seminis moram, & per tantam illius copiam, ut vix minimæ partes adeo pressæ possint suo motu moveri, possunt eædem seminis particulæ paulatim ab alio motu non impeditæ sensibiliter alterari, singulis ob specificam gravitatem situm sibi proprium acquirentibus, quare a varia partium fluidi dispositione mutatur fluidi activitas, ita ut quod prius stimuli vim habebat, illam amiserit, & cum in Fibras impetus, seu pressio non fiat, refluxus fieri non potest, neque Fibrarum contractio, unde secernendo sanguini stimulus deficiet, nec menstrua continget excretio.

XXVIII. Quod vero in lactantibus, & gravidis catamenia non fluant, difficile non est explicare; nam cum illa excretio requirat talem sanguinis copiam, quæ corporis reparationi, aut cuicumque alteri usui sit superflua, quoties illa non supersit, vel quia sanguis uberius solito in augmentatione fœtus consumatur, aut quia illa materies, quæ in sanguinem migrare debebat, ad ubera delata pro fœtus nutricatu inservit, non est quod supersit; quare non est, quod sub menstruorum forma excernatur; potest quidem non deficere seminalis materia, & utpote quæ non est tota causa hujus excretionis, sed tantum stimulans, determinativa, aut clarius, occasionalis, non evertitur hypothesis, si illa tantum præsente excretio deficiat; in aliquibus tamen, quibus præter sanguinem insumendum, aut pro fœtu, aut pro conceptu, quicquam superabundat hæc menstrua solutio apparet.

XXIX. Si vero inventæ sint mulieres, quibus aut paucis mensibus ab ortu, seu infantulæ tenerrimæ adhuc ætatis, & ante pubertatis annos, aut aliis ingravescente senecta, quinimo decrepitate, prout habetur in medicis historiis, fluxerint menstrua, nescio cujusnam hypothesis tanta sit, ut hoc phenomenon clare exponere valeat, attamen neque hoc nostram evertit sententiam, nam asseruimus non sufficere sanguinis quamcumque copiam, sed tantam, seu determinatam requiri, & præter ipsam etiam vasorum dispositionem, & determinantem stimulum. Si in illis individuis aut tanta fuerit sanguinis copia, quæ in quacumque ætate & sexu potest contingere ut foret corpori inutilis, & talis vasorum uteri dispositio ut minimo turgidioris sanguinis impetu illa vasa aperiri deberent, potuerit illa excretio contingere absque seminis stimulo, eo quod stimuli vices supplere potuit singularis vasorum dispositio, & structura. In sembus vero minus mirum est, nam in illis, cum toties aperta fuerint a menstrua excretione florente ætate illa vasa, & minimo impulsu absque seminis impetu, præ tenui illorum cohæsione poterant aperiri, unde fieret superflui liquidi extra corpus derivatio.

XXX. Si vero oppositum regerant, nempe plures extitisse matres, quæ catameniis caruere, quid hoc contra nostram hypothesim? Potest ne inficiari, aut debiliorem fuisse seminis stimulum, ut ad excretionem vasa non proritaret, vel eorumdem vasorum adeo firmam structuram, ut etiam efficacioris seminis stimulum eluderent? At possunt urgere: sanguis ne superabundabat, an non? si non superabundabat, non poterat fieri, aut perfici conceptio; si vero superabundabat, quid de illo? Potest asseri illum superabundare,

dare, non ita tamen, ut illius exceſſus nulla fieret conſumtio. Quot enim patent conſumtionis viæ! Quid alvus, quid renes, quid tota denique corporis peripheria? Dato enim quod minus requireretur momentum, ut fieret illius excedentis ſanguinis per illa prædicta loca conſumtio, quam ad hoc, ut vaſorum uteri contactus ſuperaretur, facilius fieret, non per uterum, ſed per illa excretoria excedentis fluidi derivatio; ſi poſtea vero contingeret conceptio, & adhuc colligeretur illa nimia ſanguinis copia, quæ tempore non conceptionis alio ferri deberet, ſi minus requireretur momentum, ad hoc ut in fœtus augmentum abiret, quam quod alia via inſumeretur, ad fœtum tunc ſe conferret, aliis derivationis locis relictis, quare neque hoc hypotheſim deſtruit.

XXXI. Ne verbum quidem de ſanguinis menſtrui prava affectione locutus ſum, nam ſi deleteria ſanguinis pars tantum excerneretur, hujus excretionis organum foret aſſignandum, quod cum nunquam viderim aut ſcriptum legerim, exploſum habeo. Mira vero, quæ de hoc ſanguine prædicantur, autumo potius eſſe, aut vetularum nugas, aut circulatorum figmenta; ſi quid vero deleterii illi ineſſe poſſet, hoc non aliunde excepiſſe arguo, quam & a mora, & a varia liquidorum turba, qua illæ partes, vagina ſcilicet ſcatet, quare circa hoc nimis.

XXXII. Tandem dictis colophon imponatur exponendo, quomodo eliminata hac ſanguinis quantitate ſiſtatur fluxus. Cum hic igitur, & a ſanguinis, aut rarefactione, aut copia, omiſſa vaſorum uteri peculiari ſtructura, & a ſeminali liquore in uteri Fibras determinato niſu premente dependeat, fluente ſanguine, aut turgeſcentia minuitur, cujus ſignum eſt, aut excretionis tempore, aut tempore inſtante lumborum gravitas, capitis pondus, tenſio, aut totum corpus tumidius; aut ceſſat quæcumque illa plethora, quare ab ejus mole non amplius diſtenta vaſa ab invicem non ſecedunt, unde fluxui finis: quinimo fluente ſanguine per concitatiorem in toto corpore motum, tenuiores avolant partes, unde ceſſat univerſalis irritatio; exeunte vero ſanguine per vaginam, & illius latera abluendo, ſi quid ſeminis in tubulis, aut lacunis ineſt, foras eliminat, quare imminuta irritatione, & copia, ceſſat excretio. Hinc pro methodo medendi eſſe poteſt, non unam ſat eſſe intentionem, quæ ſcilicet pletoram reſpiciat, ſed inſuper requiri & ſeminis ſtimulum, & vaſorum ſeu ſolidorum diſpoſitionem, ne vaſa ſcilicet ab aliquo compactiori corpore ſint obſtructa, aut ipſorum Fibræ nimis contractæ, unde vaſorum ſtrangulatio, &c. quę niſi omnia bene diſpoſita ſimul adſint, menſtrua excretio non obtinebitur, quæ ſingulorum omnium eſt partialis effectus. Hic, Lector, tuæ ſit incolumitatis principium, augmentumve, ubi noſtrorum eſt opuſculorum

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM
QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

A

ABortui Convulsio superveniens, fere semper lethalis est. *pag.* 58
Abscessus mesenterii, per intestinorum viam sanantur. 33
Abscessus rupti, & per intermedios abdominis musculos exonerati, indicia. *ibid.*
Abscessus superne tendunt, cum morbus magno fertur impetu. 40 in partibus inferis oriuntur, cum morbus lente procedit. 40 ii sunt boni, qui fiunt inferne, & longissime a morbo. 41 junioribus fiunt magis quam senibus. *ibid.*
Abscessus boni moris conditiones. 45
Abscessus ad aures & pedes vomicam sanat. 74 in periculosis pulmoniis ad crura erumpentes, boni. 97 hæpatis latentes, manifestantur cruris aut suræ doloribus intolerabilibus. 60 cruralis, in pulmonum morbis, quomodo sub indicatur? 190 triplici modo fiunt. 192
Abscessuum ischiadicorum successio esse solet in tryteophiis. 190 bonorum conditiones. 40 supra & infra tendentium, signa. *ibid.*
Absorbentia in statu morboso quomodo nocere intelligantur? 199
Absynthium, in formam cataplasmatis, infantum umbilico appositum vermes enecat. 123
Acida, inimica esse sanguinis, constat experimento. 238
Acidum purgantibus non cedit, nisi prius corrigatur. 226 ubi regnat bilis inest penuria. *ibid.* ructanti, vino interdicito. 70 quasi morborum omnium causam accusare inep tum est. 7
Acrimoniam humorum denotantia signa recensentur. 24
Acutæ non sunt febres, quæ ineuntes, a purgatione veluti suffocantur. 69
Acuti morbi, diebus imparibus salutariter desinunt. 4. per dies impares semper moventur. 34 quomodo moveantur. *ibid.*
Acutis morbis emulsiones, potio debita, anodyna, & emollientia. 313
Acutis ineuntibus, cave a purgantibus. 69
Acutis in morbis, virium prostratio, unde oriatur. 40 in his ut & in aliis, inflatio abdominis supervenies, lethalis. 74
Acutorum curationi quatuor requiruntur. 34 judicium, diebus quatuor decim, citius aut serius absolvitur. 19 initiis, diaphoretica, volatilia, &c. fugito. *ibid.* sedem in fluidis quærito. 84 curatio, sagacitatem, & judicium, in medico postulat. 85 curationem, ne temere promittito. 129
Acutos & inflammatorios morbos remediorum copia profligare velle, errare est. 116
Ægroti, de vocabulis minime, plurimum autem de restituenda valetudine laborent. 1
Ægyptus, cur terræmotibus non sit obnoxia? 213
Æquilibrii nomine, quid *Baglivus* intelligat? 153
Æquilibrium inter solida & liquida, & transpirationis negotium, si recte noveris, recte medeberis. 242
Aer non est positive levis. 228 flant Borea, & Cœlo sereno, cur gravior quam flante austro? 129 quos effectus in hydrargirum, eosdem, & majores edit in corpora. 232 gravis & crassus, obæsis hominibus quandoque potior, quam qui tenuis. 235 si gravis sit & elasticus, quanto magis & aqua gravior erit & elastica? 258
Aerem ingredi posse, & egredi pulmone, immoto Thorace, patet historia. 231 gravitate, primus omnium detexit *Galilæus*. dein & *Toricellius* demonstravit. 238
Aeri gravitatem, etiam syderibus quibusque superaddi, verosimile est. 229. & quidem determinatam inesse, aquæ, & hydrargiri ascensus probant. 228 *& seq.* duæ sunt præcipuæ affectiones, gravitas, & vis elastica. *ibid.*
Aeris mutationes gravissimæ, variis morborum generibus præbent originem. 270 *& seq.* Romani, qualis est natura. 80 beneficio, circulus fluidorum in plantis perpetuatur. 235 *& seq.* externi æquipollens pressio, omnino est necessaria. 233 quanta, sit gravitas & dilatatio, determinare facile non est. 230 vis elastica, pendet ab ejus gravitate & compressione. *ibid.* quale est pondus tales sunt & humorum motus. *ibid.* innatæ gravitati, aer etiam super additur a super incumbente luna. 219 gravitas, plurimis probatur argumentis. 228 pondus gravius est in montium radicibus, quam in eorum jugis. *ibid.* compressi sola ope, fit respiratio. 228 mutatio, longos & difficiles morbos sanat frequentissime. 198 constitutiones omni cura observandæ. 193 *&* 83
Afflictionum quæ fiunt per sympathiam, nulla est quæ primi genia mala exolvat. 191
Alberti magni, D. Augustini, & Augurelli sententia circa generationem lapidum. 257
Alterationem solidum inter & liquidum, omni ope atque opera Medicus inquirat. 246
Alvi fluxus, capitis morbis superveniens, semper bonus. 132
Alvi styptcitatem, butyrum & balnea curavere. Historia 172

Alvi affectiones, diarrhœæ, colicæ, &c. in cutis affectiones migrant. 177
Alvi fluxus in alios morbos mutati, varia sunt & quidem pessima accidentia. 190
Alvus & cutis mutuas habent inter se vicissitudines. 243
Alvus & vesica, mutuas habent commutationes. *ibid.*
Analogiarum qualis est usus. 250. *& seq.*
Analogice differere de morbo uno ad alium, nihil vetat. 250 a morbo alicujus partis ad morbum alterius, rationi omnino consonum. 164
Anasarcam sine febre, sanant sudatoria in lecto. 75
Anasarcarum universalium & particularium fons & origo. 170
Anatomicos & Chimicos objurgat *Cardilucius*. 11
Aneurisma quomodo fiat? 74
Aneurismata interna, natura interdum sanat. 194
Aneurismate laborantis mulieris historia. 206
interno laborantes, vel derepente, vel sputo sanguinis moriuntur. 74
Aneurismatis indicia, cum ab organica causa dependet, aut a materia fluida. 109 interni signa diagnostica, de quo hist. 206 in dextra auricula, vel in dextro cordis ventriculo latentis, signum. 315
Angina detento, Tumor in pectore superveniens, bonum. 190
Anginæ vere inflammatoriæ, & repetitæ phlebotomiæ non cedenti; cucurbitulæ scapulis, scarificatæ. 74 obnoxios sanat cauterium in brachio. *ibid.* in Peripneumoniam mutatæ signum. *ibid.*
Anginam sæpe efficit mensium aut hæmorrhoidum suppressio. *ibid.*
Ani dolores in longis morbis, pessimi. 48 relaxationi vapor Therebintinæ exceptus, singularis est utilitatis. 55
Animi motus, perspirationi lædendæ esse idoneos, ex aphorismis *Sanctorii*, constat. 241
Antiquos nimium admirari, nostram hanc ætatem non decet. 12
Antiquos aspernari, turpe & indecorum. *ibid.*
Aphonia colicæ succedens; eam a bile generari testatur. 110 in acutis, semper mortifera *ibid.*
Aphoniam a magnis doloribus, spasmus & convulsio lethalis sequuntur. *ibid.*
Aphorismorum vocabulo, quid intelligatur? 89
Apoplectici, quibus pulsus ex parvo fit magnus sensimque crescit, brevi moriuntur. 57
Apoplecticis quibus spuma circa os, non est medendum. *ibid.* enematum injiciendorum ratio. *ibid.*
Apoplectico, cui, secta vena respiratio fit liberior, cum pulsu bono, salutem prædicito. *ibid.* injectus clyster, si intra unius horæ spatium non reddatur, pessimum. *ibid.*
Apoplexia liberati, posteaque levi de causa lacrymantes, recidivam patientur. 39 epilepsiæ superveniens, certo mortem accersit. *ibid.* suppressionem hæmorrhoidum sequitur. 175 cui lenta febris supervenit, lethifera. 190. eo fortior, quo difficilior respiratio. 57
Apoplexia correptus, si fiat vertiginosus, recidivam expectet. *ibid.*
Apoplexiæ obnoxii, cur flatibus, & inflationibus ventris molestentur? *ibid.* gravissimæ & confirmatæ, vesicantia quandoque noxia, *ibid.* præsertim pituitosæ febris raro solet accedere. *ibid.* pituitosæ, Emetica. *ibid.* sanguineæ, Phlebotomia. *ibid.* gutta serena superveniens, vel mortem, vel morbi vehementiam annunciat. 71 pituitosæ signa. 110 pituitosæ, & apoplexiæ sanguineæ varia causa, varia & curatio. *ibid.*
Apoplexiæ gravissimisque soporibus, vesicantia supra tota capitis peripheriam, 332
Apoplexiam, si excipiat membrorum omnium resolutio: brevi est pereundum. 57 sæpe præcavet vomitorium, singulis haustum mensibus. *ibid.*
Apoplexiarum fere epidemicarum origo, ab aeris constitutione petenda. 340
Apparatus in primis viis indicia. 196
Appetitus in acutis & chronicis prostratus postea derepente excitatus; mortem citam portendit. 38 & 74 in omnibus morbis semper vigens; bonum. 38
Apuliæ ejusque incolarum descriptio. 305 *& seq.*
Aqua marina, duplicem in se continet salem. 261
Aquæ gelidæ, aut liquorum gelidorum usus, apoplexiarum origo. 202
Aquæ potus frequens in ardentibus, quo in casu utilis? 213 pernicioſus est in febribus ortis a cruditatibus primarum viarum. *ibid.*
Aquarum maris, per terræ viscera circulus, fere ad evidentiam probatur. 300 *& seq.*
Arabes, Medicinam, in speculativam & observantem distinxerunt. 64 primi omnium, vesicantium usum in medium protulere. 328
Arabum Doctrinam circa medicinam, everterunt *Fuchsius & Fernelius*. 61 Doctrina circa medicinam, ab undecimo sæculo, adusque decimum quintum viguit. *ibid. & seq.*
Aretæi præcepta utilia sunt, ac pene aurea. 129
Argenterius in sanandis ægris fuit infelicissimus. 14
Argumentatio a simili indebite instituta, fallaces deducit conclusiones. 9
Arthriticis, dicta sex rerum non naturalium, sit pro unico remedio. 99
Arthritidem quandoque solvit urina copiosissima, & crassissima. 60 paralysis & quidem insanabilis excipit. 250
Arthritidi vagæ omnia ex pino conveniunt. 60
Arthritis mutatur interdum in colicam. 98 in hydropem & anasarcam abire solet. *ibid.*
Arti medicæ perficiendæ, multa & quidem necessaria desiderantur. 99
Articularis morbi sæpe ansam præbet hæmorragia cohibita. 176
Articulorum doloribus supervenientes varices; optimum. 98 morbos accersit vehemens post

cibum exercitium. *ibid.* doloris ope, ſenes a magnis morbis liberantur. *ibid.* dolores, quomodo in ſenibus producantur? 212
Aſcitis, alio morbo ſuperveniente evaneſcentis hiſtoria. 170
Aſthma convulſivum, idem quod hydrops ſiccus pulmonum. 193 ſanatur ſuperveniente febre. *ibid.* convulſivum, a convulſione muſculorum thoracis pendet. 103 quoſnam præcipue invadat? 53. puerperarum, ſi morbus eſt valde acutus; lethale. 55. ſiccum, quomodo curetur? *ibid.* convulſivum, a diaphragmate, non a pulmonibus. *ibid.*
Aſthmata deſinunt in morbos ſcroti & viarum urinæ. 176 dyſuriæ, & arthritides, mutantur ad invicem. 55 ſolvuntur, ope morborum ad crura & pudenda. 53
Aſthmati flatulento, quomodo proſit Phlebotomia? 158 convulſivo, æſtas minus nocet quam hyems. 55 hydrops ſuccedere ſolet. *ibid.* humorali & ſtomachico, remedium expertum. 54 vomitoria optima. *ibid.* ex ſcabie retro-pulſa, quomodo medendum? *ibid.* cum tuſſi humida conjuncto, ſi ſputum ſubito deſierit; lethale. pituitoſo & humorali, ſperma ceti mira præſtat. *ibid.* vehementiſſimo, phlebotomia, nec non ſperma ceti *ibid.* facile in pulmonis inflammationem tranſeunti, volatilia caute preſcribenda. *ibid.*
Aſthmaticas mulieres curant pectoralia cum uterinis mixta. 54
Aſthmaticis, equitatio & aer a glebis recens ruptis exhalans, præſtantiſſimus: hiſtoria. 55 ſalubrior eſt tumefactio pedum, quam eorumdem ſiccitas. 295 cauteria in cruribus utiliſſima. 53 ſi Pleuritis aut peripneumonia ſupervenierint; lethale. *ibid.* dyſuria; bonum. *ibid.*
Aſthmatico etiam hydropico, ſi difficulter ſpiraverit, vena tundenda. *ibid.* hypocondriaci hiſtoria & curatio. 108. & *ſeq.*
Aſthmatis curatio ope anti-hiſtericorum, in quadam muliere. 103 cauſa potius corrigenda, quam frequenti phlebotomia demulcenda. 55 humoralis curandi ratio. 54 paroxiſmum, ſperma ceti cum aqua hyſſopi ſolvit. *ibid.*
Aſtronomia, cur ſtabilis ſit ſcientia? 68
Atonia & laxitas morboſa, definit in tabem viſcerum. 164 & 246 partium quid ſit? 210 doloribus periodicis & tumoribus præbet originem. 215 & *ſeq.* fibrarum ventriculi, flatus poſt paſtum producit, & borborygmos. 164
Atoniæ curandæ, uſus remediorum aqueorum & oleoſorum, ſit moderatus. *ibid.*
Atrophiæ in cachexiam, facilis eſt tranſitus. 191
Aures, ſi obſurdeſcant in ardentibus, & in acutis, febriſque non ſolvatur; delirium imminens prædicito. 36
Auris dolor acutus cum acuta febre, horrendus. 35
Aurium dolores & inflammationes, funeſtæ. 36 bombilus, & echo in acutis, peſſimus. *ibid.* dolores acutiſſimi, jugulant poſt biduum. *ibid.*
Authores magni nominis quomodo legendi, dein minoris pretii, denique infimæ notæ? 13
Axioma, ut ſtabile ſit, quid requirat? 89
Axiomatum veritati ſtabiliendæ, conducit ſymptomatum ut ut minimorum deſcriptio. 90

B

Baglivi epiſtola ad D. *Hecquet* totum ſuum de Fibra motrice ſyſtema, exponit. 149 & *ſeq.*
Baglivus, primus omnium, de ſolidorum morbis, integre diſſeruit. 130 in ſocietatem Regiam Londinenſem aggregatur an. 1697. 28
Balnea ex ligno cedrino Baglivo multum arrident. 213
Balneorum, lotionum &c. uſus, cætera longe antecellit remedia. 212
Bezoardicum joviale, licet optimum, nervis tamen & cerebro noxium eſt. 89
Bilem acidam quomodo retundere oporteat? 226
Bilis eſt inopia, ubi regnat acidum. 225 chylum a putrefactione præſervat. 223 ſanguini rubedine tingendo inſervit. *ibid.* ſi forte deficiat, vicem gerit Rhabarbarum. 220. vi ſua balſamica, chylum crudum, & veluti caſeoſum perficit. *ibid.* in gratiam chyli videtur facta. *ibid.* viriditas in infantum fæcibus, gravia mala præ ſe non fert. *ibid.* ineunte morbo ſi viridis appareat, eum vel diuturnum, vel lethalem prognoſticato. *ibid.* viridis, aciditatem indicat. *ibid.* ſi colorem mutaverit in excrementis, acidum in ea redundare dicito. *ibid.* principia, quibuſdam experimentis deteguntur. *ibid.* corporis balſamum quatuor gaudet principiis. 219 ſecretio, quomodo fiat in jecore. 181. falſo creditur cauſa intermittentium. 177 nigræ, nigrum veluti ſanguinem referentis, per alvum dejectio poſt morbos acutos, lethale. 75 acris & tenuis indicia. 43 viſcidæ ſigna. *ibid.* ubi notabiliter, quovis in morbo dominatur; vena non ſecetur. 23
Borelli & *Bellini* doctiſſimæ lucubrationes laudantur. 10
Bubones, quo citius erumpunt in peſte, eo melius. 72

C

Cachexia laborantibus, ſi facies derepente plumbea evadat, mors in propinquo. 71
Cachochiliæ apparatus, purgationem, etiam initio exigit. 37
Cadaverum ſectio, quomodo poſſit eſſe utiliſſima? 94
Cæcitas imminet Cephalalgiæ fixæ, quam lippitudo vel ante-ivit vel eſt ſecuta. 190

Celii Aureliani, sectæ methodicæ facile principis, encomium. 100
Celius Aurelianus, de morbis a solido scripsit. 186
Caffe, stomacho debili, mirum in modum prodest. 39 capitis dolorem post meridianum solvit. *ibid.* potus nimius, capitis morbos, vigiliam, tremorem &c. inducit. *ibid.*
Calculi origo. 59 signa certissima. *ibid.* in vesica latentis indicia. 160 signum omnium certissimum a cathetere deducitur. *ibid.* renum, signum infallibile. *ibid.* vesicæ, signa ex urinis petita. 177 signum pathognomonicum. 178 in renibus existentis, historia notatu digna. 215 doloribus, clysteres ex jusculo carnis, & oleo amygdalarum dulcium. historia 351 sub larva aliorum morborum ludentis historia 195 *& seq.*
Calculo præcavendo, *Zecchii* secretum. 59 frangendo, mille pedes optimi. *ibid.* raro corripiuntur, qui vomitui, & diarrhœis obnoxii. 60 aqua persicariæ, singularis est efficaciæ. *ibid.* renum pereuntes, convulsi aut delirantes pereunt. 42 obnoxii, icterici facile evadunt, & vicissim. 222 laborantes, quomodo se habeant? *ibid.*
Calculosi gravius divexantur, silente luna. 230
Calculosis The & Caffe. 60 clysterum & purgantium usus valde salubris: historia. *ibid.* presentaneum remedium. 59
Calculum mentiuntur, hæmorrhoidum internarum dolores. 60 vesicæ non semper testatur urinæ suppressio. *ibid.* mentitur scyrrhus vesicæ. 74 nonnulli gerunt in renibus, sine ullo doloris sensu. hist. 60 duo componunt. 222 gignit quandoque, vini & lactis nimius usus. *ibid.*
Calculus cum existit in renibus, & fæces atque urinæ sistuntur, quid agendum? 184 in vesicula fellis cogitur facillime. 222
Camillus Leonardus libri de Gemmis author est genuinus non *Ludovicus Dulce.* 264
Camomilla, mesentericis & intermittentibus febribus optima. 199
Cantharides per os sumptæ, pessima solent excitare symptomata. 327
Cantharidum infusi a Bartholino maxime laudati descriptio. 330 pravi effectus, lactis ope sistuntur. 327 dosis difficilis, in eaque facile erratur. *ibid.* usum nimium, sequitur satyriasis. *ibid.* natura, vis & effectus deteguntur variis experimentis. 324 *& seq.*
Cantum & vociferationem, pluribus morbis debelandis conducere testatur experientia. 187
Capite vulneratis, lethargi avertendi causa, vesicantia pessima. 131
Capiti præ dolore vehementer oscillanti, pedum balneatio, purgatio ad alvum. 169
Capitis dolores graves & continui cum febre, suspecti admodum. 38 dolor in febribus, ultra vigesimum productus, aut hæmorragiam, aut abscessum portendit. *ibid.* cum febre incipiens, & quotidie crescens; malum. 39 dolores Comathosi, convulsionem minuuntur & parotides. *ibid.* cum alvi profluvio rubro; lethales. *ibid.* morbos solvunt urinæ rubedine saturatæ. *ibid.* morbis pediluvia; quæ & ipsi *Baglivo* multum profuere. *ibid.* dolore desperatos sanat arteriotomia. *ibid.* morbos leniunt hirudines ano applicatæ *ibid.* dolorum ex affecto stomacho ortorum, signum. 58. ex utero proceuntium indicium. *ibid.* doloris pertinacissimo, etiamque ad maniam accedenti: pulvis de Gut. teta. *ibid.* doloribus, balneatio pedum & radix betæ. *ibid.* affectibus, pulvis cornachini. *ibid.* malorum signa ex urinis petita. 72 doloribus, magnam partem a stomacho ortis, stomachica & clysteres. 73 morbis alvi fluxus optimus, ratione signi & causæ 132 morbi usu salium volatilium spirituum cephalicorum redduntur incurabiles. *ibid.* dolor eique supervenientia symptomata, quomodo curantur? *ibid.* dolore sæviente pulsus semper est parvus, ac pene tactum fugiens. 144 vulneri licet sanato, cur coryza & catharrus aliquando supersint? historia. 147 exiguitas, Coryzæ Catharro, surditati, &c. sæpe sæpius aniam præbet. Historia 255 magnitudo vel exiguitas, non a vultus magnitudine colligitur. *ibid.* varia magnitudo, variam in hominibus capacitatem portendit, *ibid.* morbi ab indebita liquidi ad solidum proportione nascuntur. 157 affectus omnes a varia piæ matris affectione producuntur. 22 & 167 dolori supervenientem morbum non curabis, nisi prius capiti medearis. 169 morbis Purgantia. 176. 177. dolori a fibrarum ariditate narcotica. 184 doloribus nulli cedentibus remedio, Emeticus pulvis aliquando profuit. 185
Capitis, & stomachi dolores, a bile quandoque repetendi. 219 *& seq.* vulnera in plenilunio magis quam in novi-lunio, periculosa observantur. 230 morbis purgantia levia, frequenter imperentur. 328
Caput vehementer percussum, impotentiam, ad venerem secum adducit, 176
Cardanus, anatomen *Mundini* laudavit, & quidem immerito. 15
Cartheſianorum, de febribus sententia exponitur. 66
Catharri & apoplexiæ discrimen. 47 causam antiqui non recte agnoverunt. *ibid.* suffocativi curatio *ibid.* & coryzæ origo, quomodo possit explicari? 154. *& seq.* quibus limpha acris & tenuis dedit originem noctu præcipue affligunt. 171 quomodo senibus oriantur? 212
Catharris obnoxii sunt, qui fibras magis sensibiles obtinuere. 184
Catharro curando lignum sassafras. 171 suffocativo remedium efficacissimum. 54
Catharros efficit lympha acris, aut viscida, aut copiosa. 170
Catharrorum æstate sævientium, prima origo. 241
Catharrum febris solvit. 192

Catharrus ferinus, ſæpe morbus eſt inſanabilis. 191 ſolvitur a tertiana. 190 in quo differat ab aſthmate. 47 ſuffocativus, unde oriatur, illiuſque ſigna. *ibid.*
Cauſa προηγουμενη quid ſit? 105
Cauſæ procatharcticæ, in omnibus morbis, ſedulo inveſtigandæ. 104 occaſionalis cognitio nihil non conducit, ad ſanguinis ſtatum cognoſcendum. 105 morborum primo primæ, quomodo dignoſci poſſint? 106 proximæ indolem, ſanguis venæ ſectione eductus aperit. 107 morborum proximæ, a juvantibus & ledentibus, poſſunt detegi. *ibid.* proximæ naturam ſub-indicat mutatio morbi unius in alterum. 109 natura dignoſcitur a ſymptomatis, morbos vel comitantibus, vel præeuntibus. 100
Cauſam proximam vel antecedentem, manifeſtat læſio partium. 109 morborum primo-primam anquirere difficillimum, forſanque inutile. 106
Cauſas morborum primo-primas, ignotas prorſus eſſe fateantur medici modeſti. *ibid.*
Cephalalgia, pluribus ſolvitur modis. 38 veternoſa, aliquid oſtentat convulſivi, *ibid.*
Cephalalgiæ, coma & ſurditas ſi acceſſerint, ad aures aliquid expecta. *ibid.* fixæ, quam lippitudo vel anteivit, vel eſt conſecuta, cæcitas imminet. 190
Cephaleæ pulvis de Gutteta. 58
Cerata caput roborant, fluxioneſque ſiſtunt. hiſtoria. 147
Cerebri, meningum & nervorum, quale ſit proprium munus? 146 mala, cum ſtomacho conſentiunt. 191 aliarumque partium ab eo pendentium chordæ, bifariam moventur. 222
Cerebro convulſionibus affecto, venter mollis obedire debet. 195 concuſſo aphoniam, cæcitatem, ſurditatem, expectato. 189
Cerebrum & cor, partium omnium ſunt motores. 140 in partes membranoſas habet poteſtatem. 140 ſenum, literatorum &c. durum atque aridum eſt; otioſorum contra laxum. 158 ſauciatum ſequuntur febris, bilis vomitus, mors. 186 juxta nonnullos, partium omnium eſt origo. 211 quid ſit? 212
Cervicis dolor in delirantibus, peſtiferus. 48
Chalybis uſus, in hydropem aliquando conjecit. hiſtoria. 115
Chimicorum portentoſa vocabula explicantur. 65 commenta, circa chyli elaborationem. 67 error, in explicanda catharri origine. 10
Chloroſeos cauſa, eique adjuncta ſymptomata. 206
Chloroſi laborantes, eadem curantur methodo, qua Tarantati. 310 matrimonium. 76
Chloroſim curant medicamenta roborantia, non purgantia & ſaccharata. 310
Chronici morbi, derepente necant. 129 remediorum copia evadunt incurabiles. *ibid.*
Chronicis febribus, auſtero-amara de genere adſtringentium, optima. 108
Chronicis, ſpirituoſa, volatilia, impetum ſacientia proſunt: acutis nocent. 115
Chronicis morbis, alkalia & volatilia apta ſunt & idonea. 214 chalybs ſummopere confert. 215 mirum in modum proſunt ſalia plantarum fixa. 225 morbis liberati, in prodagram proclives. 98 ex infarctu meſenterii, ſi urinas violentis diureticis moveas, male cum ægrotis conſules. 244 in morbis, organi læſio fere ſemper adeſt. 247 ſtomachoſemper proſpiciendum. 34 morbis ab obſtructione, chalybs & Rhabarbarum. 75 equitatio in aere ruſticano. *ibid.*
Chronicorum ſedes, in ſolidis. 84 curatio ab energia remediorum pendet. 85 indicativæ curationes, a juvantibus & lædentibus petendæ. 113
Chronicos nunquam curabis, niſi ſolidorum & liquidorum naturam, ad ordinem reduxeris. 243 viſcerum effectus ſanari non videbis, niſi lingua ad ſtatum naturalem redierit. 218 fere nullos videas, abſque affecto loco. 192
Cibis ingurgitati, ſi dormientes bene tranſpiraverint, non ita facile ægrotabunt. 243
Ciborum oportuno delectu, quamplurimi curantur morbi. 196
Cibus nimius, æque noxius, ac extrema diæta. 243
Circulationis doctrinam ignoravit *Sanctorius*. 241
Climati cuique ſuus peculiaris morbus, ſua etiam remedia. 83 vario, varia quoque medendi methodus. 80
Climatis natura ſemper præ oculis habenda, in præſcribendis remediis. 24
Clyſteres, quandoque per urinarum vias non per alvum rejiciuntur. 246
Coagulatio, quomodo fiat? 318 humorum, cauſa eſt febrium (vulgo) malignarum. 9
Coagulationes incipientes, quovis anni tempore, & qualibet ætate, ſolvuntur a veſicantibus. 326 & 328
Coagulationis ſigna diagnoſtica. 318
Cocolata, maſſæ ſanguinis roborandæ ſuccoque nutritio reſtituendo, deſtinatur. *ibid.*
Cocolatæ abuſus, in graviſſima mala deducit. 39
Coctio in morbis acutis & chronicis, in quo conſiſtat? 246
Coctio humorum, in quo ſita ſit? 245
Coctionis nomine, quid intelligitur? 182
Colica, quandoque mutatur in arthritidem. 98 infantum, non raro a vermibus. 31 convulſiva fit ab irritatione nervorum menſenterii. 103 mutatur in paralyſim. 230
Colica aut diarrhœa ſolvuntur dolores arthritici 52
Colica in qua inæqualis eſt diſtenſio aut adſtrictio ventris nervos potius afficit quam inteſtina. 51
Colicæ biliioſæ, non raro ſuccedit aphonia & vox rauca. *ibid.* pertinaci, ſi ſudor univerſalis ſupervenerit, paralyſim expectato. *ibid.* opiata copioſe exhibita noxia propter ſudorem. *ibid.* antidotum

Camomilla. *ibid.* curandæ, opiatis adde Caſtoreum. *ibid.* ex viſciditate, remedia expertiſſima. *ibid* nephriticæ remedium. *ibid.* convulſivæ & ſpaſmodicis doloribus ventris, venæ ſectio & camomilla. *ibid.* futuram curationem ſigna promittentia. 52 cum vomitu, & ſudore frigido tinctura ſuccini egregia. *ibid.* habituali & endemicæ, ſudorifera, diaſcordium confectio de hyacinto. *ibid.* aliquando prodeſt pulvis cornachini. *ibid.* convulſivæ, venæ ſectio in pede, aut venarum hæmorrhoidalium apertio. Hiſtoria. 298 in adoleſcente quodam curatæ, hiſtoria. 247 pertinaci, equitatio mirum in modum confert. 187 convulſivæ deſcriptio ejuſque curandæ methodus. 296 *& ſeq.* phlebotomia & anodina remedia. 108 partui laborioſo ſupervenientis, origo. 173 vehementis a frigore ortæ, hiſtoria & curatio. 163 convulſivæ utpote a membranis ortæ, periodicæ ſunt. 184 aphonia ſuccedens, eam a bili oriri demonſtrat. 110

Colicam curant diaphoretica cum opiatis mixta. 52 humoralem inter & convulſivam, maximum eſt diſcrimen. *ibid.* ſi curandam ſuſceperis, enema ſemper præcedat opiato. *ibid.* a frigore, calor pedum ſolvit. *ibid.*

Colici, non raro evadunt arthritici. 190

Collico dolori, ſemicupia 52 Paraliſis ſuperveniens, unde oriatur? 170

Colicus dolor cum fixus eſt febriſque adeſt: in abſceſſum deſinit. 52 ſi remittat, fœcibus vel flatibus emiſſis, bonum, licet redeat affectus. *ibid.* quandoque in hydropem tranſit. *ibid.* in arthriticum mutatur. *ibid*

Columnæ Antoninæ, anno 1703. repertæ hiſtoria. 287 *&* 289

Coma placidum, licet diuturnum, arcet majora mala 39 & lethargus, juxta mechanices regula: explicantur. 155

Comatoſis in affectibus febrium quæ ad ardentes inclinant cave a veſicantibus. 326

Comatoſos affectus in fine pulmoniarum, non raro deprehendes. 190

Conchylia, piſces & alia corpora marina, quomodo ad juga montium pervenire potuerint? 264

Conjecturæ circa corpora per aera vagantia. 230

Conſenſus articulos inter & inteſtina, admirandus. 98 partium e directio in morbis, quotidie obſervatur. 177 inter glandulas cutis, & glandulas inteſtinorum. 97 pectus inter & tibias. *ibid.* pectus inter & pudenda. *ibid.* ab inteſtinis ad urinam. *ibid.* ab inteſtinis ad ambitum corporis. *ibid.*

Conſtantia, præ cæteris virtutibus deſideranda. 78

Contagionis vitandæ ratio. 217

Contagioſos morbos, ope ſalivæ, momento temporis inquinatæ communicari, credibile eſt. *ibid.*

Continuas & acutas febres, quomodo aggrediatur *Baglivus*? 119

Convulſio conſectaria inſaniæ, peſſima epigeneſi. 192 ad febrem, mala. 190 ſuperveniente febre ſanatur. *ibid.* abortui ſuccedens, fere ſemper lethalis eſt. 58

Convulſionem urina coloris aquei ſemper præcedit. 107

Convulſionis ubi erit ſuſpicio, aut jam erit facta, veſicantium uſum fugito. 326

Convulſiones, lotionibus, fotibus, & anodynis ſanantur. 214 infantum, ſponte ſanantur. 186 ſorti hiſtoriæ frequenter ſupervenire videas. 173 ab indebita liquidi ad ſolidum proportione oriuntur. 157 hæmorragiis profuſis quomodo ſuperveniant explicatur. 155 ſalium volatilium & ſpirituum cephalicorum uſu curari poſſe, ne credito? 132 futuras, aliquando urinæ prænunciant. 72

Convulſionibus quæ vulneribus ſuccedunt, balſamum *Paracelſi*. 58 infantum medetur infuſum rhabarbari. *ibid.* ſi cerebrum afficiatur, ventrem obedire neceſſe eſt; ſecus, mors. 295

Convulſionum in acutis ſigna. 46 muſculos abdominis divexantium, curatio. 102 infantilium origo inveſtigatur. 173

Convulſivis in morbis, urina craſſa & turbida, bonum. 58 morbis, viola ſpecifica. *ibid.* infantum morbis, decoctio ex muſco arboreo. 59

Cor, in partes ſanguineas atque carnoſas, habet poteſtatem. 140 affecta meninge, cur in conſenſum trahatur? 144 exiguum membrum, quomodo ſanguinem ad omnes partes poſſit impellere. 159 fluidorum motus excitat & dirigit, fibræ partium eoſdem adjuvant & promovent. *ibid.* a fibrarum ſuarum elatere, non a fluido nerveo moveri, teſtatur experientia. 160 aliquando pilis veſtiri, probat hiſtoria. 212

Cordis motus, quanta ſit vis? 210 quomodo fiat? 205 vulnera, quonam ſenſu lethalia dicantur? 143

Cornachini pulvis utiliſſimus ſoporoſis morbis, modo ſopor non oriatur a capitis vulnere 326 quibuſnam præcipue conveniat? 129 quibus utilis, quibus noxius? 171

Corporis ſingulæ partes, a quibus producantur? 136 humani, quoad actiones naturales definitio. 65

Corporum reſiſtentia a ſtructura minimorum componentium; exoritur. 165

Corpus humanum nihil eſt aliud quam infallibilis partium inter ſe conſenſus. 109 mollitie, laxitate, & flexibilitate præditum, in longam vitam protrahitur. 212

Coryza, pulmoniæ ſi acceſſerit, æger in vitæ diſcrimen adducitur. 190

Cranio contuſo, gravis ophtalmia 7. aut 11. die ſuperveniens, lethalis. 127

Criſes variæ ſunt, prout varia affectionum ſedes. 192. vere atque æſtate perfectius abſolvuntur, quam ulla alia tempeſtate. 119 ſi ex votis non ſuccedant, quid agendum? *ibid.* raro perfectæ ſunt in locis frigidis, paludoſis &c. *ibid.* variæ prout variæ medendi methodi,

thodi, variaque ſunt anni tempora. *ibid.* ſi perfecte non ſuccedunt, medicus, non morbus accuſandus. 118 relligioſe expectabant Græci. *ibid.* dieſque critici, chimeram non ſapiunt. 80 perfectus cedunt in aere puro, quam in paludoſo. *ibid.* duæ eodem tempore, in acutis; lethales. 35 humoris Pauci, mali ſunt ominis *ibid.* ſinceri, peſſimæ. *ibid.* ſive in acutis ſive in chronicis relligioſe obſervandæ. 34
Criſim, cum natura molitur, fuge remediorum copiam. 129
Criſis; ut bona ſit, quid requiritur. 34 non debet eſſe pauca. 41 quid ſit? 118
Criſpaturæ vocabulo, quid intelligendum? 181
Criſpatura fibrarum, idem quod contractio. 205
Critica, ne ſtatim appareant? 34
Critici dies plurium acutorum morborum, modo rite tractentur ſunt 7. aut 14. 33
Criticis diebus inſtantibus, cave moveas ſine cauſa. 34 imminentibus, ab uſu opiatorum abſtinendum. *ibid.*
Criticorum dierum poteſtati, non febres ſolum, ſed & morbi omnes obnoxii. 33 indices ſunt quaternarii; iſque obſervandi. 34
Cruditatis ſtatus, in quo conſiſtat? 70
Crurum morbi, ad pulmones facile tranſeunt. 191
Cruſta alba, ſanguini venæ ſectione extracto apparens in pleuritide, quid ſit? 107
Curativa indicatio in acutis, non certius deducitur, quam a ſymptomatis gravioribus. 113
Curativæ indicationes in morbis, undenam hauriendæ? 112 Cutis & alvi mutuæ ſunt viciſſitudines. 177. & 243

D

DEcubitum quæ ſpectant multa notatu digna. 40
Decubitus peſſimus eſt, cum ad pedes æger delabitur. *ibid.* in pulmonicis & in acutis exitioſus, cum erecti ſedere velint. *ibid.* in acutis ille eſt bonus, in quo æger facile in lecto convertitur. *ibid.* horizontalis, ad ſomnum eſt omnino neceſſarius. 227
Delirantibus cum febre acuta; diluentia emollientia, refrigerantia, venæ ſectio in fronte, optima. 326 cum febre acuta, & lingua arida, veſicantia mortem inferunt. *ibid.* mulieribus veſicantia optima non item hominibus. 329
Deliri ab inflammatoria irritatione, curatio delineata. 131 imminentis ſigna 19. 33. 52 & 131 ſolvendi ratio. 52
Deliriis, quali methodo ſuccurritur? 214
Delirio imminente, ſalvatella ſecanda, dein emulſiones præſcribendæ. 25 alvi fluxus, morbo ad coctionem tendente optimus. *ibid.* quomodo occurrat. *Baglivus*, illique jam facto medeatur? 319
Delirium ſæpe augetur uſu veſicantium. 161 ſedant formenta aquæ tepidæ. *ibid.* juxta leges mechanicas explicatur. 155. delirii accidentia, ex meningum inflammatione oriri, ſat ſuperque probatur. 132 imminentes, urinæ iquando prænunciant. 72 portendit in acutis lingua nigra. 52 ſolvit, ſanguinis e naribus; eruptio vel alvus biliosa. 36
Dentes qui habent ſordidos, plurimis ſunt morbis obnoxii. 242 inquinantur animi paſſionibus, curis, ſtudiis poſt paſtum. &c. *ibid.*
Dentis elephantis in tophi lapicædina reperti hiſtoria, 253
Dentibus quidam lentores orti in febribus, febrium acutiem deſignant. 90
Dentitionem infantum, genuum intumeſcentia ſequitur. 183
Dentium ſtupor a muto limæ aut ferræ, quomodo explicatur? 321 dolorem ſine cauſa obortum, perſpirationi cohibitæ tribuito. 242 nitorem & elegantiam negligere, inurbani hominis eſt. *ibid.* laxitate afficiuntur, qui calidis dulcibuſque nimium utuntur. *ibid.* nitor, chylum laudabilem futurum annunciat. *ibid.* curam habeto ut bene digeras, diuque vivas. *ibid.* dolor, juxta mechanicen enucleatur. 215 morbi, in morbos oculorum mutantur 192 eruptioni in pueris ſymptomata accedentia explicantur. 173
Deſtillatio ferina, raro duas partes & pariter & ſimiliter exercet. 192
Diabetis, in mercatore quodam curatio præſtantiſſima. 353 veri cauſa & curatio. 186
Diæta & exercitium, Pharmacopolarum remediis longe præſtant. 77 extrema, magis, noxia, quam cibus nimius. 243
Dialectica plane inutilis, ad hiſtoriam & curationem morborum peragendam. 86. errores confirmat, non evellit. *ibid.*
Diarrhæa, quæ phtiſico, uſu purgantis remedii ſupervenit; letalis evadit. 190 quandoque non nocet in principio variolarum. 169. quæ ex mœrore oritur, plane eſt inſanabilis. 55 in morbis pectoris perniciosa. *ibid.* infantibus febre maligna correptis, infeſtiſſima. 56 iræ ſuperveniens, bonum. *ibid.* bilis crocea aut lateris rubri ſimilis ſuperveniens, mortiferum. *ibid.* per adſtringentia ſtatim cohibitæ, hydrops ſuccedit. *ibid.* a ventriculi cruditate, lac noxium. 114 æſtate vagantis, origo genuina. 241
Diarrhæam ſiſtit vomitus. 190 ſudor cohibet. 56
Diarrhæarum qualis ſit trons præcipuus. 171
Diarrhæas ſanat cinnamom uſu. 55 ſiſtit veneris uſus. *ibid.* auget carnium eſus. 56
Diarrhæis inveteratis, vapor therebintinæ. *ibid.* diuturnis diaphoretica. 52
Digeſtio, ſi prava ſit, prava quoque erit & tranſpiratio. 243
Digeſtionis primæ errata, non corriguntur a ſecunda & tertia. *ibid.*
Digeſtionum læſarum ſigna. 196
Diſſolutio humorum, fons febrium (ut putatur) magnarum. 9
Diuretica, quæ maximæ ſunt pectoris amica, enumerantur. 329 in morbis quorum ſed in ſan-

guine, juvare poſſunt. 243 morbis pectoris optima ſunt. 4
Divini illius quod in morbis ineſſe dicit *Hippocrates*, explanatio. 230
Dolor non ſemper ibi, ubi morbi ſedes eſt hiſtoriæ. 174
Dolore continuo, tonus partium relaxatur. v. g in podagra. 186
Dolore alicui loco conſiſtente, neque remediis cedente, locum inurito. 57
Dolorem ſparmodicum, urinæ tenues & copioſæ fere ſemper ſequuntur. 58
Dolores, qui neque purgationi, neque phlebotomiæ cedunt, in ſuppurationem deſinunt. 250 periodici & tumores, oriuntur ab atonia partium. 216 in quibus apparet urina coloris lateritii, febrem ſapiunt intermittentem. 92 ſi nulla viſcerum culpa fiunt, facies ægrorum bona eſſe ſolet. 34 nulli remediorum generi cedentes, ad ſuppurationem vertuntur. 57 qui ſine ſignis levantur, lethales. *ibid.*
Dolori alicui firmo cum tumore rigor ſuperveniens, phlegmonem indicat. *ibid.*
Dolori capitis pertinaciſſimo, pulvis de Gutteta. 58
Doloribus internis & externis, pilulæ Matthæi. 52 a lue venerea ortis, methodus Bagliviana. *ibid.* demulcendis bezoardicum joviale præſtantiſſimum. 58 & 89 podagricis, venereis, & ſimilibus, bezoard. joviale noxium. 57 periodice recurrentibus & exacerbatis, quomodo medendum? 58 externis cauſtica, optima. *ibid.* uſtio quando optima? *ibid.* externis, ſpirituoſa cum unctuoſis mixta, egregia. *ibid.* periodice exacerbatis, purgantia. 110 poſt partum; ſuccinum. 114 alicubi vigentibus, volatilia nunquam medebuntur. 167 vehementibus inflammationes ſupervenientes explicantur. 183 ante & poſt partum, quænam remediorum genera? 184
Doloris proprie dicti, cauſa & effectus. 182
Dolorum circa centrum umbilici & colicam mentientium, curatio. 33
Dolorum capitis ex affectione ſtomachi prodeuntium, ſignum. 58
Dorſi cum dolore, morbi ineuntes, difficiles. 48
Dura-mater univerſum membranarum ſyſtema ad oſcillationem ſyſtalticam impellit. 293. & 294 tribus diverſis fibrarum ordinibus, componitur. 141 cor cerebri, & quidem jure poteſt appellari, *ibid.* motus ſuos mediante textura ſibi peculiari, peragit. *ibid.*
Dura aut pia meninge affecta, cor in conſenſum trahatur neceſſe eſt. 144
Dura-matre & quidem forti præditos, plura comitantur comoda. 155
Dura-mater, ratione diaſtoles, & ſyſtoles cor cerebri nominari poteſt. 141
Duræ matris robur, prout eſt varium, varie quoque fluidorum curſum dirigit, hiſtoria. 146 cum fit diaſtoles, &c. num cæteræ partes eodem tempore diaſtolyzant; &c. *ibid.* elater ſolidus vel debilis, temperamenta conſtituit ſolida vel debilia. *ibid.* & cordis ſimilitudo. *ibid.* motus, ad quem ſit finem ordinatus? *ibid.* motus explanatio veriſimillima. 145 ſtructura. *ibid.* elater & impetus major eſt quam cordis. 144, affectiones, ſolidi magis quam fluidi vitio fiunt. 143 puncturam ſymptomata comitantia. 142
Duræ meningis motiones alternas & manifeſtas, primus omnium animadvertit *Reald. Columbus*. 294
Duritatis nomine quid ſibi vult *Hippocrates*. 44
Dyſenteria intempeſtive cohibita, malorum ilias. 190 non raro in ulcera pedum & manuum mutatur. *ibid.* a magnis morbis liberat. 189 male curata, in tertianas alioſque morbos convertitur. *ibid.* letalis ventriculum trahit in conſenſum. 56 in quo diſcrepet a fluxu hæmorrhoidali? *ibid.* ſi afficiat jejunum inteſtinum, lethalis. *ibid.* lienoſis, bona, quæ ſi longa, in hydropem tranſit; & lienteriam *ibid.*
Dyſenteriæ cum nauſea incipientes, & in vomitus deſinentes, pene omnes ſunt lethales. *ibid.* momentaneum remedium, epar ſerpentum. *ibid.* pauci cibi, pauca remedia, pauci clyſteres. *ibid.* ſingultus, lethalis. *ibid.* therebintina. 55 in quartanam fit mutatio. 190 ineunti, vomitus bilioſus accedens, eſt ejus amplificatio. 191
Diſenteriam lienteria ſequitur. 189 imprudenter cohibitam comitantia incommoda. 190 in puerperis cave ſtringas. 51
Dyſenterias ſine febre, aqua tetuciana ſanat infallibiliter. 56
Diſenterici qui flatus pedendo emittunt, brevi ſanabuntur. *ib.* & 90 ſæpe ſæpius fiunt artritici. 190 pereuntes, ſphacelo inteſtinorum pereunt. 55
Dyſentericis, vomitus bilioſus in principio, malus 56 angina ſuperveniens, lethalis. *ibid.* adſtringentia *Crato* non præſcribit ante ſeptimum. *ibid.* fluxibus, hypecacuanhæ radix optimum remedium. *ibid.*
Dyſentericus, cui poſt opiatorum uſum color oculorum altero mane eſt mutatus, morietur. *ibid.*

E

EBrius repente aphonus, repente moritur, niſi febris ſuperveniat. 190
Echo, quomodo explicatur? 117
Elater, quomodocumque fortis intelligatur, nil agit niſi comprimatur. 230
Elateris nomine quid intelligendum? 164
Emeticus pulvis, non raro ſanavit dolores ſtomachi vel capitis, nulli cedentes remediis. 185
Empyema pectoris licet occultum, quomodo dignoſci poſſit? 45. decoctum precavens, in pleuritide difficulter expurgata 55
Empyemata partium, a rigoribus, & febre de novo ſuperveniente manifeſtantur. 45
Empyematico ſi purgans temere dederis, diarrhœam inſanabilem expectato. 169
Empiricam rationalem inter & empiricam literatam, diſcrimen. 85

Empiricorum secta, in quo versetur; 64 in quo peccet? *Herophili & Celsi* commenta ventilantur. 104
Enematum copiosus usus sputum supprimit in pleuritide. 18
Epiala febris periculosa. 30
Epialam febrim syncopes comitantes unde oriantur? *ibid.* curare si volueris, ventriculo statim consulito; *ibid.* non curat kina. *ibid*
Epidemicos morbos mediante saliva communicari, vero-est simile. 217
Epigenesis, quid sit? 192
Epilepsia non fit per vapores ascendentes. 177 partui difficili non raro succedit. 173 histeriæ frequenter comes est. *ibid.*
Epilepsia raro corripiuntur infantes quibus crustæ scabiosæ in capite oriuntur. 58
Epilepsia iis imminet quibus sanguis erumpi solitus, loco consueto non erumpit. 45 infantum recens natorum, ab ictero provenit. 43
Epilepsia apoplexia super-veniens, lethifera. 39 puerorum, sal vitrioli singularis est efficaciæ. 54 infantum noxius est spiritus salis armoniaci. 58. gutta serena supervenies, vel mortem, vel morbi vehementiam portendit. 71
Epilepsiam quartana solvit 190 infantum spectans utilis observatio. 58
Epilepticis morbis tria præstantissima. *ibid.*
Epiphoræ conferunt stringentia vulneraria. 186
Epistola *Matthæi Pallilii* de vanitate obtrectatorum *Hipp.* & *Gal.* ad *Baglivum*. 361 *Thomaso Quarta* D. M. ad *Bagl.* italico sermone. 360 altera *Tomaso Quarta*, ad *Bagl.* italico sermone. *ibid.* *Israelis Conigliani* Medici Constantinop. ad *Aldrovandum* Præsulem. 359 *Joann. Fantoni*, anatomes Professoris Taurini, ad *Bagliv.* 358 *Nicolai Angelin* ad *Baglivum*. 357 *Dianeliis Le Clerc.* D. M. Genevensis. ad *Baglivum*. *ibid.* *Petri Hotton.* M. in Academia Lug. Batav. Professoris, ad *Baglivum*. 356 *Guillelmi Cole* Medici Angl. ad *Baglivum* 355 *Joann. Dominici Putignani* S. J ad *Baglivum*. 354 *Baglivi* ad D. *Harris*. 353 D. *Harris* ad *Bagl.* de rara diabetis curatione. 351 & *seq.* *Osterchampii*, de admiranda vi solidorum 349 & 350 1. D. *Andry* ad *Bagl.* 341 & *seq.* 2. D. *Andry*, ad *Bagl.* de purgatione in principio febrium. 345 & *seq.* responsoria *Bagl.* ad D. *Andry* de purgatione in principio febrium. 346 *Bagl.* ad D. *Andry*. de Lumbricis latis, eorumque generatione. 342 & *seq.*
Errores, in morborum curatione, unde oriantur? 5 in medendo, nonnisi a neglecto fonte diagnostico oriuntur. 101
Erisipelate faciei laborantibus statim purgans medicamentum. 73
Etmulleri Laus insignis. 50
Eugenii Principis elogium. 46
Eunuchi, neque podagrici, neque calvi fiunt. 98
Evacuatio una suppressa, copiosiori fluxu alterius compensetur necesse est. 245 per insensibilem transpirationem, alias omnes longe superat. 35
Exanthematum in infantibus, indicium. 31
Excretorum & retentorum nomina, quid significent? 106
Exercitatio corporis nimium vehemens, multum nocet. 187
Experientia ratione destituta, fallax ut plurimum. 3
Experientiam cum ratione semper conjungito. 2
Experimenta varia super vivis animantibus facta, recensentur. 143. 144 & 336 338 quædam, facta super vermes. 344 circa sanguinem. 237. & 238 varia circa bilem facta, enarrantur. 223. & 225 plurima, ad febrium cognitionem illustrandam. 27
Experimentis, imo & casui multa deberi, quis ibit inficias; 85

F

FAcie rubicundi, alvo dura esse solent. 40 rubicunda præditi, periculosissimis morbis obnoxii 38
Faciei & faucium morbis, cauteria in tibiis perquam utilia. 39 rubedines morbosas, cauterio cruribus affixo sanabis. 72 morbos a Purgantibus, sanari, testatur *Hippocrates*. *ib d.* erysipelates laborantes brevi sanat purgans medicamentum. 73 morbis pedi-luvia & purgantia levia frequenter imperentur. 282 vesicantia cervici applicata, miræ sunt utilitatis. 329 pallidula, rubicunda melior. 38 in acutis bona, bonum: mala malum indicat. 40 a naturali statu si recesserit, nihilque mutationis in pejus ansam dederit, mors ostia pulsat. *ibid.* nimium colorata, & præter rationem rubra, suspecta admodum. *ibid.* cum erit vultuosa fronsque contrahetur, phrænitidem prædicito. *ibid.* pulchra succi-plena in febribus eademque semper remanens, diuturnitatem indicat. *ibid.* naturalis & boni coloris, obstructionum absentiam testatur. *ibid.* in gravibus morbis optimum: in parvis pessima, pessimum. *ibid.*
Farnesii Alexandri Præconium. 9
Fatui, & stolidæ mentis homines, cur morbis gravibus frequenter laborent? 155
Febre superveniente, secretiones omnes cessare videas. 169 vigente, si sudor somnium conciliaverit, bona crisis est. 191 correptis, quare minus inest virium? 209 ad statum vergente, si refrigerantibus utaris, crisim impedies. 73 maligna correptis, respiratio difficilis ingensque anxietas, aliquam eruptionem indicat. 72 manus tremulæ periculum portendunt. *ibid.* aliqua intermittenti pereuntes, fere semper ineunte paroxismo moriuntur. 70
Febrem hecticam Lue venerea laborantium, solvit mercurius. 72
Febres dantur vere malignæ, sed admodum raræ sunt 9 omnes venæ sectionem non postulant. 10 ex coagulatione, phlebotomiam nullo modo admittunt. 25 non ideo malignæ, quod gravissimis stipentur symptomatibus. 26 malignæ dictæ, causam habent manifestam. 27 (vulgo) malignæ exacerbantur spirituosis, alexi-farmacis, volatilibus &c. *ibid.*

meſentericæ quomodo curantur? *ibid.* continuæ tertio quoque die exacerbatæ, tryteophiæ ſunt, aut hæmitritæi. 28 de doloribus præcordiorum malignæ. *Hip.* 33 æſtivales ab impedita tranſpiratione oriuntur. 35 ſanguineas ſolvunt ſudores. *ibid.* ſenum ardentes ſanat dyſenteria 44 a bile ortas indicat vox rauca toto morbi decurſu durans. 51 quibus accidit tuſſis non perfecte curabis, ſi tuſſis adhuc perſeveret. 59 cum vertigine incipientes non curantur, niſi mediante vomitorio. 73 cum anxietudine multa & inquietudine ineuntes, vomitorio veluti ſuffocantur. *ibid.* in quibus circa dentes, lentores quidam obſervantur, ſortes eſſe ſolent. 90 nonnullæ nunquam cedent, niſi poſt tempus a natura præfixum, 118 ſunt quædam, quibus nulla expectata coctione, purgantia ſtatim data conferunt. *ibid.* inflammatorias & acutas, quomodo curare oporteat? 348 nonniſi per leges coctionum & criſium curantur. 199

Febri intermittenti aut remmittenti ſi accedat catochus, quomodo ſe gerere oporteat? 57

Febri mali moris parotis ſuperveniens, ferro candenti uratur? 74

Febribus inflammatoriis & colligatis, acida optima. 175 ardentibus frequens aquæ potus utiliſſimus. 213 a cruditatibus primarum viarum ortis, aquæ potus frequens, peſſimus. *ibid.* ardentibus & continuis, fuge veſicantia. 326. ardentiſſimis ſopor accedens vel ſponte, finiente paroxiſmo vel emulſionibus ſolvitur. *ibid.* colliquativis, ſive ex diſſolutione, veſicantia mortifera. 327 acuti & inflammatoriis ineuntibus, purgantia vehementer noxia. 348 ardentibus conferunt emulſiones, &c. 213 ſal prunellæ, ſpecificum. 75 ſincopalibus ineuntibus, vomitorium. 73 malignis venæ ſectio in pede confert, eaque Romæ. 72 acutis ineuntibus, celebretur venæ ſectio *ibid.* icterus ſuperveniens ſemper monſtri quid alit. *ibid.* meſentericis cortex peruvianus noxius, niſi corpus ſit repurgatum. 27 dant originem non acida modo, ſed potius alkalia varie alterata. 26. in acutis & nimiam fuge remediorum copiam & eorum uſum intempeſtivum; 25 continuis, phlebotomia etiam ante ſeptimum; ſi ſanguis magno feratur impetu. *ibid.* acutis & inflammatoriis, neque purgantia, neque diaphoretica ante ſeptimum *ibid.* ex diſſolutione acida temperata emulſiones, gelatinæ &c. 9 malignis ex coagulatione, cardiaca, ſpirituoſa. *ibid.* intermittentibus, nulli cedentibus remedio, venæ ſectio in ſalvatella. 4

Febricitantes, quamdiu ſputant, & in continuis, & in intermittentibus vacant periculo. 71

Febricitanti tumor magnus in perineo, iſchuriam vel alvi ſuppreſſionem producens, lethalis. 74

Febricitantibus, qui perpetuo ſunt alvo liquida, fac ut pedes calidi ſemper remaneant. 48

Febricitantium cur humores omnes indebite ſecernantur? 209

Febrili horrori quomodo medeatur oleum caryophillorum? 178

Febris ab interna viſcerum inflammatione, ſymptomata, & curatio adumbrata. 167 ſanat convulſionem 190 & 193 ex indomita ſcholera, cur peſſima. 192 malignæ ex coagulatione, ſymptomata. 310 maligna ex coagulatione ſæpe ludit ſub perſona veneni tarantulini. *ibid.* ſemi-tertiana, Romæ fere perpetuo graſſatur 26 lymphaticæ, ſigna genuina. 26 ſpecies non determinanda in infantibus, niſi 2. aut 3. diebus elapſis. 32 ſi die impari non remittat, redit. 35 ut erit principium, ita erunt augmentum, ſtatus, declinatio. 70 quælibet, qui urina intenſe rubra ſedimentum lateritium deponit, eſt de genere intermittentium. *ibid.* ſimplicis in malignam brevi mutandæ, ſigna. 71 ardentis, purgante medicamento in hæcticam tranſeuntis, hiſtoria. 115

Febrium ſyncopalium, vertiginoſarum, ſingultuoſarum cauſa, & curatio delineata. 172 quas vulgus dicit malignas ſymptomata 343 cauſa & ſigna propria. 26 lymphaticarum ſymptomata earumque curandarum methodus. 217 acutarum, cum ſtercorum fœtore, & comatoſis affectibus cauſa & curatio. 176 recidiviam, ſi purgationem omiſeris, expectato. 349 omnium in curatione, quod nam iter eſt tenendum? 129 curatio in eo eſt poſita, ut ſanguis neque plus æquo gliſcat, neque nimium torpeat. 113 a cognitione ſtatus ſanguinis omnino pendet. 107 circa initia, refrigerantibus liberalius indulgendum 73 ſingultuoſarum curatio, a vomitoriis incipiat? *ibid.* curatione, ſaccharata minime profunt. 72 conſtitutio & cauſa, plane incognita. 71 intermittentium ad finem vergentium ſignum certiſſimum. 70 initiis vomitum indicatum & non procuratum, diarrhææ graviſſimæ ſequuntur. *ibid.* ut & in aliorum morborum curatione, idem imparem notabis. 35. meſentericarum cauſam, non periodum reſpicito. 28 curationem aggredienti, patientia neceſſaria. *ibid.* curationi nil inſerviunt dies critici. 27

Fibra membranea ad contractionem ſemper nititur. 165 & *ſeq.* quomodo conſtruatur? 204

Fibra quo magis exercetur, eo majorem elaterem concipit. 168

Fibra carnea ex infinitis fibrillis in faſciculum ctis, componitur. 204

Fibra quomodo moveatur ex *Baglivo*? 205

varie

varie affecta varios producit morbos. 212
Fibræ membranæ undenam oriantur? 136 leonum solidæ admodum sunt. 138 quamdam veluti peculiarem consuetudinem, ac dessuetudinem acquirunt. 180 carneæ rubor a quo procedat? 204 structura juxta *LoWerum* 205 eædem ex *Stenone*. *ibid.*
Fibrarum carnearum origo. 135
Fibrarum usus in eo est ut sint veluti parvi vectes multiplicati. 163 motus cuidam velut assuetudinini vel dessuetudini inserviunt. 168 genus, calidis æque ac frigidis insuetis, fortiter crispatur. 169 laxitas nimia morbos parit. 210 tensio nimia plurimorum morborum ansam præbet. *ibid.* effectus & actio, contractio est. *ibid.* ad contractionem perpetuus nisus ad vitam est omnino necessarius. *ibid.* tonus quando & quomodo perficiatur? *ibid.* crispatura nonnisi oleosis & anodinis curatur. 125 elateris potentissimi, argumentum inconcussum. 297. Historia. 284
Flatus pedendo a dysentericis emissi; bonum 85
Fluida in situ horizontali, commodius & celerius currunt. 227 inter & solida discrimen. 182 ad nutritionem, solida ad motiones in fluidis excitandas destinantur. 160
Fluido nerveo utpote ignoto, vim ingentem impertire non decet. 159
Fluidorum tonum amissum facile restitues, solidorum difficulter vel raro. 157
Flumina ab aquis pluvialibus, & solutis nivibus non oriuntur. 260
Fluorem album, a Gonorrhæa virulenta, distinguendi ratio certissima. 100
Fluxum porraceum a viridem in acutis ubi videris, vel mortem, vel diuturnitatem prognosticato. 75
Fluxus sanguinis nigri, quandoque salutaris. 157
Fœtum in utero mortuum, indicat tenesmus. 72
Fœtus in utero mortui, alia signa. 100
Fœtus quomodo formetur? 135
Forestus a *Baglivo*, summis extollitur laudibus. 175
Frictiones sæpe sæpius producunt humorum vicissitudines. 193
Frigori universam cutim convellenti, quomodo prosit oleum caryophillorum? 178
Fuligines corde exeuntes meræ sunt chimeræ. 235

G

GAlenicam in praxim debacchari turpe & indecorum, eam plane rejicere, periculosum. 7
Galenicorum somnium circa febrium calorem. 10 Praxis, recentiorum Praxi longe præstantior. 63 opinio ridicula, circa febris originem & curationem. 66
Galenistarum error circa usum vesicantium. 327 commenta circa indicationes. 111
Galenum ejusque assectarum maximam partem deprimere, nil iniquius. 6
Gangræna incipiente ustionem candenti ferramento fugito. 322
Gassendi sententia circa originem terræ motuum. 265
Gemmæ atque omnes lapides in aquam simplicem artificialiter reduci possunt. 262
Gemmæ, quomodo tinguntur? 256 quomodo generantur? 254
Gemmarum diversi calores, a vario principio metallice oriuntur. 263
Glandularum morborum curatio. 50
Gonorrhæis veris, salsæ decoctum utrum semper conveniat inquiritur. 197
Gonorrhæas cum tractaveris, ad alvum semper ducito. *ibid.*
Gonorrhææ cum muliere etiam non infecta correptæ, curatio. *ibid.*
Græcorum quanta fuit olim in medendo prudentia, quanta & sagacitas. 80
Gravedini capitis pulvis de Gutteta. 58
Gravidæ, cur Hemorrohidibus & varicibus obnoxiæ. 175
Gravitas totius corporis pestifera in acutis. 40
Guttas Rosaceas, cauterium cruribus affixum sanat. 72
Gutturis asperitates indusit constitutio temporis aquilonia. 59

H

HÆmorragia e latere dolente procedens bona, sin contra, mala. 44 primis periodis producta, phlegmonem nobilium viscerum sæpe solvit. *ibid.* larga a magnis morbis liberat. *ibid.* febres ardentes juvenum solvit. *ibid.*
Hæmorragia venire solita si loco non venerit, epilepsiam prædicito. 45
Hæmorragia quæ non juvat, pestifera omnino. *ibid.* ut bona sit, rigori succedat necesse est. 37 quæ rigorem antecedit, pessima est. *ibid.* narium quomodo sistatur? 178. 179
Hæmorragiæ quarto die in acutis apparentes mali ominis. 44 rigor superveniens, malum. *ibid.* ab improportionata sanguinis & liquidorum quantitate, oriuntur. 174 futuræ signum. 175
Hæmorragiam dant in supernis hypocondria dura & dolorosa. 44 die critico fore copiosam indicant urinæ coctæ eodem die stil licidii. *ibid.*
Hæmorragiarum ope juvenes a pluribus malis liberantur. 170
Hæmmorragias nimias sequitur languor stomachi. 44
Hæmorragiis profusis, quomodo fit ut convulsiones succedant? 155

Hæmorrhagiis, dyſenteriis &c. obnoxii ſunt quibus brachium vel crus caſu aliquo reſcinditur. 170
Hæmorrhoidalis fluxus commoda. 74
Hæmorrhoides, in proportionatæ ſanguinis & liquidorum quantitati debent originem. 171
Hæmorrhoidibus cur gravidæ obnoxiæ? 175
Hemorrhoidum ſuppreſſioni ſupervenit apoplexia. 175 fluxus, & dyſenteriæ differentia. 56 imminentium ſigna. 32
Hectici moriuntur qui pertinaci raucedine laborant. 73
Helmontii ventilatur ſophiſma illud quo phlebotomiam in febribus diſſuadet. 10 commentum, a ſpina digito hærente mutuatum. *ibid.* error circa febrem. 66
Helmontinarum vanæ ridentur hypotheſes. 20
Hemicrania ſuccedit nephritidi, qua parte eſt calculus. 174
Hemitritæus idem ſonat ac ſemitertiana. 28
Hemiplegiæ, cum linguæ palalyſi, curatio. 109
Hepatis abſceſſus manifeſtantur cruris aut ſuræ doloribus intolerabilibus. 110 vulnera lethalia ſunt. 45 inflammatio in parte Gibba ſymptomata dat pleuritica, in cava, ſtomachicha. *ibid.*
Hepatitidi purgantia pernicioſa. *ibid.* nitrata ſunt optima. *ibid.* urina copioſa ſuperveniens, bonum. *ibid.* ſingultus, lethalis. *ibid.*
Hepatitidis Pleuritidem mentientis, ſigna propria. *ibid.* in curatione, ſanguinis miſſio purgationem præcedat. 46
Herpeti, ſanato mortem ſuperveniſſe vidit *Bagl.* 98
Hiſteria & hypocondriacus morbus, analogice inter ſe procedunt. 259 ludere ſolet ſub larva alterius morbi longe diverſi. 61 & 102
Hiſteriæ forti convulſiones non raro ſuperveniunt. 173 quænam conveniant remedia? 148 imminentis prædicendæ ratio, ope urinarum. 170 ſub perſona aſthmatis Hiſtoria, & curatio. 103 ſigna diagnoſtica. 61. & 73
Hiſteriam epilepſia quandoque ſequitur. 173 ſola currus geſtatione curavit *Baglivus*. 169
Hiſtericæ affectionis cauſa & adumbrata curatio. 68
Hiſtericarum vertigines & dolores unde duxerint originem? 173
Hiſtericis affectibus, bezoardicum joviale preſtantiſſimum. 58
Hippocratem qui bene callet, is & bene curare novit. 93
Hipocrates medicorum Romulus omni laudum genere cumulatur. 1
Hippocratis aſſeclæ pleno ore laudantur. 63
Hippocrates primus obſervator. 64 aliquid de poteſtate ſolidorum videtur attigiſſe. 130
Hipocratis opera nunquam ſatis ſunt legenda. 128 Lectio quantam ſecum utilitatem afferat? *ibid.* Textus qui memoriæ mandabit, quam bene diſcet & curare. *ibid.* præcepta ſi quando que ſint dubia, id & a climatis varietate, & victus ratione pendet. 83 nobile Genus & ſapientia, ſcholæque Coæ excellentia celebrantur. 87
Hiſtoria cujuſdam cui venter & pedes intumuere propter polypum in nare. 234. Cadaveris, cui plures partes, & quidem (ut videtur) neceſſariæ, deerant. 203
Hiſtoriis variis confirmatur, vias eſſe in corpore ſoli naturæ cognitas. 73
Humeri dolores in lumbaginem mutantur & contra. 250
Humores juvenum verſus ſuperiora, ſenum, verſus in feriora ducuntur. autumno fuerint acres, pectoris morbos, ſcabiem, ophtalmias, hieme expectato. 244 cortigere eoſque foris nunquam eliminare errare eſt in medendo. 245 a veſicatorio excreti undenam hauriantur? 333
Humoribus redundantibus in primis viis, purgationem ſine mora inſtituito. 347
Humorum apparatum in primis viis ſigna indicantia 348 cum videris magnum apparatum, ſemper time. 245 dantur revulſiones & derivationes in curatione morborum. 160
Hydatidum nomine quid intelligendum? 74
Hydrocele diſcuſſa hydrops pectoris imminet. 4
Hydrocephalorum in infantibus cauſa. 186
Hydrope pectoris laborantibus ſi facies derepente in plumbeam mutetur, mors in propinquo. 71 laborantibus tuſſis ſuperveniens; malum. 59 Thoracis laborantes laterum doloribus ſunt obnoxii 22
Hydropem parit lumborum anadrome ut & magni lienes. 191 ſiccum augent repetita purgantia. 158 prædicito in morbis pectoris ſi parce fluat urina. 53 ſiccum facciunt glandulæ meſenterii aridæ & tabefactæ. 42 ſiccum ſolvit phlebotomia. *ibid.*
Hydropes & tumores aquoſi undenam ducant originem? 170
Hydrophobiam in homine abſque prævio canis morſu, vidit *Borellus*. 305
Hydropi a jecore morboſo pendenti, tuſſis vehemens ſed inanis eſt conjuncta, ſicco 60 viam ſternunt dolores fortes & tormina circa umbilicum 42 quinam ſunt magis obnoxii? 184 balnea & humectantia. 42
Hidropico aſcitico facies derepente plubea, lethale. 40
Hidropis ſicci deſcriptio, ſymptomata, eumque curandi methodus. 42 ſigna ſtic caracterica & curatio 42 juxta leges mechanices, formario. 159 ab uſu chalibis, hiſtoria. 115 pectoris ſigna. 53 inter abdominis muſculos incipientis, cognitio difficillima. 33
Hydrops ſiccus ſive mola uteri convulſiva, & aſtma ſiccum, eodem modo tractanda. 250 & icteriæ convulſivæ, ad invicem mutantur. 193 ventris & pulmonum, idem eſt quod aſthma convulſivum. *ibid.* morbus difficilimus citoque interimit. 41 a quo ducat originem. *ibid.*
Hydrops quartanæ vetuſtiſſimæ ſuccedens graviſſimus. 191 ab hydatidibus lymphaticorum hepatis non raro oritur. 198
Hypocondria dolorifica cum alvo profuſa, peſſima.

sint peſſima? 32 qualia eſſe debeant in acutis, ut dicantur bona? *ibid.*
Hipocondriacis doloribus hinc inde vagantibus quomodo occurrendum. 157 ſaccharata noxia. 72
Hipocondriaco morbo laborantes ſanguinem habent crudum, & acidum. 206
Hipocondriacum morbum ſola equitatio in aere ruſticano ſanavit 169
Hypocondrii tenſio, horrenda, cum nulla vel hæmorragiæ, vel abſceſſus ad ſtrura, ſpes eſt. 33
Hypocondriorum morbi non ſunt incurabiles. 76 mala ex acrimonia, levant hirudines ano admotæ. 39 tentio in acutis ſeu meteoriſmus, nil habet ſecuritatis. 33 pulſatio, ſignum magnæ inflammationis. *ibid.* tumori duranti noxia remediorum furrago. *ib.* tumor diu durans a quo ducat originem? *ibid.* cum dolore, ſi nimium protrahatur morbus, abſceſſus fient ad inferiora. *ibid.* dolor unaque morbus ſi diu producantur, abſceſſus ad aures, ſi non venerit hæmorrhagia. *ibid.* tumores ultra 60 diem producti ſuppurantur. *ibid.* tumoribus in ſiniſtro, ſanguis e naribus erumpens juvat, *ibid.* tumores in ſiniſtro poſiti, periculoſiſſimi. *ibid.* duri & dolentes, lethales. *ibid.* morbis ſtomachus præbet originem. *ibid.* ſtatum qui recte novit & bene curare. 32
Hypotheſeos & ratiociniorum veritas ſtabilitur, cum curatio bene ſuccedit. 69 quale ſit munus 68
Hypotheſes in medicina non omnino rejicit *Bagl.* 67 nihil afferunt adjumenti Medicinæ practicæ. 2 erroribus maliſque innumeris viam aperuere. *ibid.*
Hypotheſi eo uſque in horrendum quo naturæ veſtigiis reſpondeat. 69
Hypotheſibus excogitandis occaſionem præbuere gloriola & imaginatio. 67 quid incertius? 2
Hypotheſim certam & ſtabilem faciunt diuturnæ obſervationes. 68
Hypotheſis quales habitura ſit conditiones? 67

I

Icteri a bile viſcida, amurcoſa & inerti, curatio. 221 ab uſu nimio olei amygdalarum dulcium, curatio. 214 flavi multæ ſunt cauſæ. 44 ſexto die ſuperveniens & curati, hiſtoria *ibid.* ab amurcoſa bilis qualitate & viſciditate curatio. 43 recidivantes curationem non admittunt. 42 boni & critici Characteres. *ibid.* Critici poſt ſeptimum, boni: 34
Icteriæ convulſivæ & hydrops ſiccus mutantur ad invicem. 193
Ictérici ſæpe derepente moriuntur. 42 multum ſœdati pereunt. *ibid.*
Ictericis nulla ſalutis ſpes, cum vel ſcyrrho vel heparis inflammatione ita colorantur. *ibid.*
Ictero flavo ſpiritus ſalis armeniaci acidus. 114 ſuperveniens alba ſtercorum dejectio, difficilis. 44 pertinaci remedium certiſſimum. 43 facile laborant qui intermittente divexati ſunt. 42 purgantia non imperat *Hippocrates*. *ib.*
Icterum ſanantia remedia recenſentur. *ib.* non curabis niſi bilis qualitatem prius agnoveris. *ibid.*
Icterus ſæpe circa finem intermittentium ſupervenit. 222 ſi pertinaciter redierit, eum a calculo veſicæ fellis oriri prædicito, de quo hiſtoria. 42 222 a copia, tenuitate, & acrimonia bilis productus, qua curatur arte? 221 mutatur frequentiſſime in Tympanitidem. 193 febribus ſuperveniens ſemper aliquid mali præ ſe fert. 72 in febribus etiam poſt ſeptimum, periculoſus. 44 bilem circa jecur congeſtam ſemper ſupponit. *ib.* die ſeptimo apparens bonus, modo hypocondria, indurata non ſint. *ibid.* in febribus ante ſeptimum, malo ominis. *ibid.* a tenui, acri, & inflammabili bile, quomodo tractandus? *ib.* facile ſupervenit hiſtericis, colicis, calculoſis. 42 febri circa quartum ſuperveniens, malus eſt & ſymptomaticus. 43 in ardentibus, ſi quinto die cum ſingultu venerit, lethalis. 42 in febre biliosa ante ſeptimum cum rigore accedens, bonum. *ib.*
Ignem dari ſubterraneum, ſive (ut aiunt) Centralem, montes igni vomi ſatis declarant. 266
Ignis veneni coagulantis effectum præ cæteris impedit. 212
Ignis ſubterranei Terræ-motuum anſam præbentis, fomes eſt ſulphur & bitumen. 268
Ilei lethalis ſigna. 72
Ileoſi ſunt ſtrangurioſi & contra. 191
Ileus ſtranguriæ ſuperveniens ſeptimo die occidit, niſi febris urinas moveat. *ibid.*
Iliacæ affectioni pernicioſi clyſteres acres & remediorum copia. 184 paſſioni nocent forti purgantia, juvant emollientia. 71 ſi ſpontaneus alvi fluxus vel acuta febris, mors prædominabus. *ibid.*
Iliaco peſſime ſe habenti, flatus multi & fœtidi emiſſi, mortem annunciant. 90 tumor ventris & flatus copioſi lethales. 65 gravi ſi ſupervenerit alvi fluxus, mors in propinquo. *ib.*
Imaginatio morboſa cruditates & exinde morbos parit. 76
Inappetentia diuturna gravibus morbis viam ſternit. 38
Curatis morbis remanens, recidivam minatur. *ib.* in morbo, vel diuturnum, vel gravem fore ſignificat. 129
Incertitudo, ſi qua ſit in medicina, a medicis, non ab arte præſtantiſſima oritur. 8
Indicatio curativa ex levi quolibet ſigno a morbo prodeunte arripienda. 194
Indicationes, prima praxeos ſunt fundamenta. 111 Curativas, a minimis quibuſque circumſtantiis debet aucupari Medicus, 104
Infantes macie, lenta febre, & inappetentia veluti conſumptos, quomodo curare conveniat? 210
Infanticidium qua arte detegatur? 228
Infantibus & pueris convulſione affectis ſi venter nimium intendatur, mors pulſat oſtia. 295

Inflammationibus anodina & diluentia 249 ſerum lactis mirum in modum prodeſt. 45
Inflammatis partibus membranoſis, pulſus fiunt parvi. 29
Inflammatoriis morbis noxia admodum Catharctica. 69 in affectibus, quomodo laxitas procuranda? 160
Inſaniæ bona criſis eſt timor melancolicus; non phrænitis. 191
Inſpirationis & expirationis vices quomodo peragantur? 233
Intemperantes cur citius ſeneſcant? 212
Intermittentes, a purgantibus inter initia exhibitis duplicantur & exacerbantur. 111
Intermittentibus optimam eſſe camomillam expertus eſt *Baglivus*. 199
Intermittentium circa finem, icterum non raro videas ſupervenire. 222 cauſa nihil eſt quod bili tribuatur. 177 naturam induunt febres in quibus urinæ, colore lateritio tinguntur. 92
Interpretem bonum non decet opiniones Authoribus adſcribere, quaſne ipſi ſomniarunt. 16
Interpretes, cur Authores interpretandos ſummis extollant laudibus? 15
Interpretibus quænam ſint neceſſaria? *ibid.*
Inteſtina tenuia in dyſenteria lædi, quomodo dignoſcitur? 56
Inteſtinis inflammatis, ſi dolore repente remiſſo, febris augeatur, mortem annunciato. 70
Ira vehemens podagricum paroxiſmum efficit, graviorem. 98
Irritatio quomodo fiat juxta regulas mechanices? 152
Iſchiade correptos ſanandi ratio certiſſima. 70
Iſchiadis a lue venerea productæ, curatio 105
Iſchiadici dolores ad ultimos uſque digitos protenduntur. 178
Iſchiadicus dolor & ſurditas ad invicem mutantur. 191
Iſchias iis ſolet accidere, quibus recte valentibus, hyeme frigus eſt circa lumbos. 48
Iſchuria quomodo curetur? 186 quandoque bona eſt. 175 dyſuria & ſtranguria, ſunt veſicæ, quod cerebro ſunt lethargus, delirium. &c. 164
Iſchuriæ venæ ſectio. 176

J

Jecoris doloris perniciosiſſimi, deſcriptio & curatio. 45 affecti aliquot indicia. 177
Jecur, cum ſcyrrho obſtruitur, cur ſudor difficile erumpat? 183
Judiciorum nomine quid intelligi debeat in medicina? 119
Judicium Authoris de Medicis Arabis & Galenicis. 2 circa morborum curationes deſumptum a legibus diſciplinæ qua delectamur; ſemper pravum. 11
Juvantia & lædentia conducunt cognitioni cauſarum proximarum. 108
Juvantium & lædentium ope, occultum quid in morbis vigens agnoſcitur. 104
Juvenes juvat alvus liquida. 71

K

Kina, Romæ noxium eſt remedium: 27 per clyſteres injecta, febres aliquando ſolvit. 75 teſtaceorum uſui ſuccedens in meſentericis perniciosiſſima. 198 non ſemper felicem omnibus in locis edit effectum. 199
Kinæ præſcribendæ ratio & methodus. *ibid.*
Kinam in fine tantum morbi præſcribito. *ibid.* impuro adhuc exiſtente corpore præſcribere minime tum in intermittentibus ſine cautione præſcriptum, ſequitur malorum copia. 88

L

Lac noxium eſt diarrhæe ex ventriculi cruditate. 114 peſſimum, laborantibus nervorum aut capitis affectionibus. *ibid.* pectori familiare. *ibid.* infimo ventri flatuoſum. *ibid.* aſſumptum ſi aceſcat, quid agendum? *ibid.*
Lactis uſum quænam cautiones præcedere & ſequi debeant? *ibid.*
Lactis uſum plurima quandoque ſecuta ſunt mala. Hiſtoria. *ibid.*
Lapideam & marmoream duritiem corporibus, tria communicant. 255
Lapides non perpetuo nutriuntur. 264 creſcere quomodo intelligitur? 263 a Lapicidinis nondum exciſos nutriri ac vegetare, extra dubium eſt. 257 mediante ſale indureſcere, certo eſt. 256 aeris vi indureſcunt. 255
Lapidis indici vulgo (ſerpentini) virtutes. 317 *& ſeq.* cujuſdam deſcriptio qui ſoli expoſitus, iridis colores refert. 253
Lapidum vegetationem demonſtrant lapicidinæ olim vacuæ nunc ſolo æquatæ. 252 circa Romam vegetantium, variæ ſpecies recenſentur. 252 & 253 compoſitionem duo ingrediuntur. 255 non fit concretio, ubi calor regionis ſubterraneus nimium urens eſt. 256 in quatuor genera diviſio. 257 generatio quomodo abſolvatur? 261 materiam mollem eſſe primum, eorumque poros, in ſuis matricibus eſſe permeabiles, conſtat. 261 & 264
Lapis aquilinus, quid ſit? 253
Lateralis doloris a bile ventriculum obſidente, deſcriptio. 23
Lateri dolenti in pleuritide cucurbitula ſcarificata multum ſæpe confert. 297
Lateris dolor ab ulcere in tibiis evaneſcente, lechalis. 97 dolores vage infeſtantes ſedat purgatio, non venæ ſectio. 21 dolores perpetuos de nocte urgentes, ſanat litus mercurii. *ib.* dolor evaneſcens ſemper tibi ſit ſuſpectus. 12 dolorem ſecta

secta vena evanescente, excipit peripneumonia *ibid.* non semper comitatur inflammatio. 22 dolor etiam mammas attingens, sæpe sæpius a cachochimia. 21 dolore usui fomentorum non cedente a fotibus abstinendum. 19

Laterum dolori obnoxiis, latus dolet præsente febre, qua absente abest & dolore. 22 dolores a fluxionibus, irritantur purgantibus medicamentis *ibid.* a partibus infernis in mesenterio, solvuntur ope purgantium *ibid.* parit aquæ frigidæ potus cum cubitum discceditur. *ibid.* dolorem non solvit repetita venæ sectio, cum corpora firma sunt & solida. *ibid.* doloribus etiam augentibus venæ sectionem & quidem repetitam imperare, plane stultum est. *ibid.*

Latus cum doluerit, animadverte utrum febris essentialis sit, necne? 22

Laxitas partium morbis innumeris viam sternit. 186 in inflammatoriorum affectuum curatione, qua sit arte procuranda? 160

Lectio in eo sita ut addiscatur quid hic vel ille author senserit, abit in pyrrhonismum. 11

Librorum multiplex parum affert utilitatis. 118

Lectioni indulgentibus præcepta perquam utilia 13 & 12

Lepræ ad humorum acrimonia ortæ, curatio. 298

Lethales morbi diebus paribus desinunt. 4

Lethargi instantis certissima indicia. 52 inflammatoriis quibusdam morbis supervenientis, explicatio mechanica. 161

Lethargici quibus pulsus ex parvo fit magnus sensimque crescit, cito moriuntur. 57 si evaserint, pectore suppurati fiunt. 192

Lethargicorum qui evaserunt suppuratio, non multum tuta. *ibid.*

Lethargo, peripneumonia & vomica pulmonum solent succedere. 190

Lethargum solvit phrænitis. 193

Lethargus si mutetur in phrænitidem, non omnino malum. 52 delirium &c. sunt Cerebro, quod sunt vesicæ, stranguria, & dysuria. 164 in pulmoniam transit. 192

Liber omnium doctissimus, est æger ipsemet. 13

Libri medici interpretatio ab ipsa praxeos exercitatione petenda. 15

Librorum nimia lectio, errorum origo, nisi maximæ adhibeantur cautiones. 1 lectio præposterа tumultuaria & inconsiderata, mentem hebetat. 11 ingens est copia, observationum magna penuria. 13 ingentem copiam *Seneca* vituperat, 14

Liene scyrrho laborante, cur difficile sudor erumpat? 183

Lienes tumidi quos sanguinis eruptio non sanat, desinunt in ulcera. 190

Lienis magni cum jecore Lympathia. 190

Lienteriæ in aquam inter cutem fit transitus. 189

Lienteriam parit interdum pylori laxitas. 186 ructus acidus sanat. 193

Lingua, sanguinis statum certius aliis signis indicat. 70

Linguæ saporem, ubi mutatum videris, futuram affectionem prognosticato. 217 Paralyseos, cum hemiplegia conjunctæ, curatio. 109 sapor, rectam vel pravam digestionem indicat. 201

Linguam semper inspicito, si de Lymphæ & sanguinis statu, certior fieri velis. 218
in acutis si frigidam deprehenderis, mortem annunciato. 74

Linum & cannabis, licet ubique macerata, non eundem ubique edunt effectum. 301

Liquida laxare & eodem tempore solida irritare in apoplexiis, catharris &c. plane est insulsum. 243 varie currere, pro vario qui viget in solidis stimulo, probatur historia. 170 in vasis contenta centrum gravitatis habent. 209

Liquidi motu aliqua in parte intercepto, intercipitur vicini; soluto, solvitur. 181

Liquidorum secretionis, brevis sed egregia notitia. *ibid.*

Liquorum varie conditorum frigiditas multis morbis viam parat. 217 cur varia observetur elevatio pro varia aeris temperie? 228 & *seq.*

Literati cur ventriculi dolore primum divexentur? 76

Livores in acutis, pejores sunt quam nigredines. 192

Lochiis suppressis cave ab aperientibus. 184

Lochiorum suppressioni diuretica & aperientia nullo modo prodesse possunt. 158

Lue venerea laborantibus & valde emaciatis, decretio & diæta præstantissima atque utilissima. 51 laborantes si vulnerantur, difficulter sanantur. 50 partium tonus debilitatur. *ibid.* cum febre lenta divexatis, remedium optimum. 49 laborantibus, utrum lac dari possit necne, quæritur. *ibid.*

Luem veneream latentem denotat dolor fixus in medio pectoris, diu perseverans. *ibid.* suspicari licet, ubi debitis remediis morbus non cedit. *ibid.* debellantia remedia varianda, pro varietate complexionum. 51 suspicari nihil vetat, ubi morbi sunt pertinaces & anomali. 31

Lues venerea pluribus modis communicatur. 51 struma & elephas, aliquid habent cognati *ibid.* lateris dolores aliquando parit. *ibid.* variis in locis, pro varietate conditionum, sedem figit. 50 sub specie aliorum morborum, semper reviviscit. 49

Lui venereæ bardanæ radix. 50

Luis venereæ alexiterium, mercurius. *ibid.* vitio si membrum fiat paralyticum, mercurium adhibe. 50 character ad 30. & plures annos, sanguini inhæret. 311

Lumborum dolorifica mala, sanguiflua. 48 anadrome facit hydropem, ut magni lienes. *ibid.* & 191 rheumatismo seviente, si dolor exteriora loca occupat, abscessum exterius expecta

59 rheumaticos dolores demulcens remedium. *ibid.*
Dolor rheumaticus in quo differat a nephritico? *ibid.*
Pinguedinis cauſa. 49 mala dolorifica facile tranſeunt in nephritica, & contra. *ibid.*
Morbos mentitur meſenterium affectum. *ibid.*
Dolor fit ut plurimum vitio meſenterii. *ibid.*
Cauſa carens manifeſta, hæmorrhoidum indicium *ibid.*
Doloris calculum mentientis cauſa & curatio. *ibid.*
Dolores in acutis, terrifici. *ibid.*
Doloribus facile ſuccedunt hæmorrhoides. 48
Dolores in iſchiadem non raro tranſeunt. *ibid.*
Hinc inde oberrantes cum & ſine febre in iſchium deſinunt. *ibid.*
Dolor ad caput non tranſiens, ſed viſcera aduncis velut unguibus circumplectens „ icterum parit. *ibid.*
Et lateris dolor una ſuperveniens abſque cauſa, icterum annunciat. *ibid.*
Dolor cum comate anxio, peſtiferus. *ibid.*
Sine cauſa manifeſta revertens, morbum gravem portendit. *ibid.*
Diuturni dolores ad hypocondria prorepentes cum febre, ſi caput petierint, necant. *ibid.*
Dolori ſuperveniens anatome ad caput, mentem perturbat. *ibid.*
Dolore acerbiſſimo accidæ hæmorragiæ, largæ ſunt. *ibid.*
Lumbrici in Cavitatibus inteſtini Colon latitantes, difficile enecantur. 31 latentes in ſubitum vitæ diſcrimem ſæpe adducunt. 31 lati ſigna Pathognomonica. 344 & *ſeq.* origo ab ovo ſui generis. 343
Lumbricis valde obnoxii, pituitoſi infantes. 31
Lumbricorum latentium in infantibus, indicia. *ibid.* ovula a putreſcente ſucco non oriuntur. 343
Lumbricos enecans remedium. 31 ſpectantia aliquot experimenta. *ibid.* in quovis infantum morbo ſuſpicari, experientiæ conſonum. *ibid.*
Lumbricum quidam ejecit, triginta pedes longum. 343 latum an ab utero adferant infantes, aut in illis poſtea generetur? 343 & 344
Lunæ Periodorum Immutabilium ope, Periodi quoque regulares in diebus criticis obſervatæ, explicantur. 230 quam gravis ſit influxus teſtatur hiſtoria & quidem notatu digniſſima. *ibid.*
Lunam, fluxus & refluxus maris eſſe cauſam, omnibus fere eſt in confeſſo. 229. 258 & *ſeq.*
Lympha acris, aut acida, aut copioſa, catharris viam ſternit. 170 Cur in mortuis copioſa appareat. *ibid.*
Lymphæ ſedes in membranis. *ibid.*
Morbi male tractatæ brevi enecant. *ibid.*
Status, a gengivis & dentibus deducitur. 215
Lympharum morbi quare curatu difficillimi? 50
Lymphaticæ febres male tractatæ, in hecticas, meſentericas &c. tranſeunt. 217. 218
Lymphaticarum febrium ſymptomata, earumque curandarum ratio. *ibid.*
Lymphatici morbi brevi jugulant. 218
Lymphaticis in febribus Kina intempeſtive data, lethalibus ſymptomatis dat originem. 158
Lypiria, ſuperveniente Cholera utrum ſolvi poſſit, dubitatur. 29
Lypiriæ ſanandæ ratio ex *Baglivo*. 30 focus in ventriculo; unde inquietudines. &c. 29 ineunti neque venæ ſectio, neque purgatio. *ibid.* febris ſedes & ſigna. *ibid.*
Lypiriam ſolvit cholera. *ibid.* cum tractaveris, cautus eſto in Diaphoreticis & diureticis præſcribendis, *ibid.*

M

MAli gravis ad grave malum acceſſio, lethalis. 192
Malignæ febres undenam oriantur? 246
Malignitatis commentitia vox, quantis erroribus in medendo viam apperuerit? 9
Malpighii hiſtoria, necnon illius ultimi morbi, & ſectionis ejus cadaveris Enarratio. 339 & *ſeq.*
Mammæ & uterus mutuo ſe afficiunt & in bonis & in malis. 192
Maniam inter & melancoliam magna eſt affinitas. 72 & dementiam curavit in aquam immerſio. 53 & 305
Manus ægrorum, quando elevatæ a medico ſtatim ſponte concidunt, malum in acutis. 39
Tremulæ in febre maligna, peſſimi ominis. 72
Manuſcriptorum ſeu Collectionum uſus, optimus. 13
Mare quatuor habet motus. 301 fluminibus, fontibus lacubus originem, præſtare vero, eſt ſimile. 259
Admiranda in ſubterraneis parere phænomena, credibile eſt. 258
Marini Gherardi Ragusini Encomium. 8

Maris motus generalis, eſt ab oriente ad occidentem. 258 fluxus & refluxus quid ſit? *ibid.*
Marmorum color a quo pendeat? 255
Materiei peccantis converſiones diligenter obſervato. 190
Medendi vera diſciplina fructus parit uberrimos. 2 methodus quid ſit. 113
Præſtantiſſima methodus ex *Hippocrate* deſumitur. 119
Medica ſecreta etiam mulierculis propalari, dolet *Baglivus. ib.* ars ex obſervatione & ratiocinatione coaleſcit. 127
Medicamenta, eodem modo quo linguam, ſic & internas partes afficiunt. 180
Madicamentum acre quandoque facit morborum viciſſitudines. 193
Medici vetere laude ſane digni. 6 literatiſſimi, raro in curandis morbis feliciſſimi hiſtoria. 14
Quale ſit officium in dirigendo ægroto paſſionibus animi laborante? 79 non eſt morbos omnes ſanare, ipſius autem eſt, morbos intercipere & obſcurare. 128
Cura omnis in eo ſit, ut apparatum morborum inveſtiget. 196 intemperate viventes, cur tamen ſani vivant? 241 cur morbis, præcæteris vacui? 243
Medicina Temporis filia. 2 ſapientia dicenda eſt. *ibid.*
Fundamentis certis multorumque uſu confirmatis, innititur. 3 nec non cęteræ artes, barbarorum impetu conciderunt. 61 ſecunda quid complectatur? 84
Medicinæ quanta ſit vanitas, cum aſtrologiam & magiam, tanquam ducem ſequitur? 86
Primæ vocabulis, quid intelligat *Baglivius*? 84
Infirmitatem, in naturæ calumniam vertere, iniquum. 69 diſtinctio in ſpeculativam & practicam, Græcis incognita. 64
Inventio Græcis accepta referenda eſt. 61 duo præcipui cardines, ratio & obſervatio. 3 genuina definitio. 2
Medicinam perfecit experientia, eamque ratio illuſtravit 3 ſecundam perficiunt botanica, chimica, anatome &c. 8 a Grecis acceptam poſt Barbarorum clades, Arabes primi omnium, falſis interpretationibus corruperunt. 15. 61
Retardavit obſervationum & experientiarum penuria. 86
Medicis author delineat quid agendum, ad medicæ praxeos augmentum. 90 veteribus, novi medici perpetuo ſunt jungendi fędere. 14
Medico calido, bilioſo, feroci ſpirituoſa & purgantia vehementia arrident. 5 morborum curationem aggredienti neceſſaria, recenſcentur. 8 obſervanti, judicium acre omnino eſt neceſſarium. 80 fortaſſe ſatis eſſet, ſi unius tantum morbi cognitione ſtudium & operam collocaret. 92 quid agendum cum ægros primum adoritur. 100 ſatis eſt ut ſciat unde malum immediate oritur, ejuſque ſymptomata alia ab aliis diſtinguat. 105
Medicorum ægrorumque fiti mpatientia, ut morbi ſæpe numero evadant incurabiles. 196 Italorum, Gallorum, Anglorum &c. elogium. 62 Recentiorum Theoria, Galenicorum Theoria multo certior. 63
Medicos veteres Philoſophis recte conferes. 62 retardat novas fingendi voces effuſa libido. 1 primi omnium *Helmontius* & *Paracelſus* irriſere. 10 ridere virum non decet ſinceræ mentis. 6 inanibus, & curioſis rebus indulgentes morborum hiſtoria neglecta objurgat *Baglivus*. 64
Inter & Pharmacopolarum ſervile genus, diſcrimen. 111
Medicum non facit eruditionis pompa neque ſermonis fucus & elegantia. 146 quænam informare valeant optimum? 127 non decet ægrotum tanquam incurabilem deſerere. 79 facit non ars Philoſophiæ contentioſa, ſed aſſidua ægrorum obſervatio. 63
Medicus naturæ miniſter eſt, huic obtemperet, non imperet. 1. nil contemnat, nil negligat. 4. natura timidus, a remediis ſpirituoſis abhorret. 5 Xenodochia publica frequenter adeat. 8 ille eſt qui obſervat, non qui ſectas affectat condere. *ibid.*
Apum exemplum ſequatur. 67 perplexus in ambiguis ſemper erit, niſi certas conſtanteſque regulas ſtabilierit. 69 quomodo ſe gerere debeat in hiſtoria cujuſlibet regionis inſtituenda? 83 ſcientiis a medicina prorſus alienis nunquam diſtrahatur. 30 ſi non proſit, ſaltem non noceat. 194
Mel Roſaceum egregium eſt ulceribus a veſicantibus. 329 *& ſeq.* omnibus ulceribus cujuſcumque ſint ſpeciei optimum. *ibid.*
Melancolia curationem admittit. 74 in epilepſiam mutatur, & contra. 189
Melancoliam inter & Maniam nihil ferme diſcriminis. 72
Melancolici, cum ſero lactis ſuccis herbarum &c. demulcendi. 250
Melanconicos doloribus hinc inde vagantibus divexatos, quomodo curare oporteat? 157
Membranarum origo, uſus, proprietates. 148 morbi magna ex parte periodici ſunt. *ibid.*
Memoria, non ratione utentium in legendo, quale ſit ingenium? 12
Memoriæ in ſenibus pereuntis, ratio mechanica. 212
Meninges ſenum, literatorum &c. duræ ſunt & ſiccæ, otioſorum contra, laxæ. 158

Me-

Meningum poteſtas in ſolida & fluida, demonſtratur eorum exemplo qui ſine cerebro vixerunt. 147
Meninx dura maximus eſt humani corporis elater. 148
Menſes ubi inſtant, vena brachii ſecetur, & fluent. 175
Menſium ſupreſſioni, diuretica & aperientia acria, pernicioſa ſunt. 158 & 184. ſuppreſſiones curantur ut plurimum balneationum ope & emollientium &c. 213 ſuppreſſionem non curant amara nec venæ ſectio, ſed emollientia &c. 247
Menſtruis in utero collectis febris ſuperveniens, nihil affert levaminis. 192
Mente ſi egeris ſupra vires corporis, animo tandem ægrotabis. 241
Mercurio uncti, febre per longum tempus non corripiuntur. 50
Mercurium ſine preparatione imperatum mala innumera ſequuntur. *ibid.*
Meſentericarum febrium ſigna & curatio, juxta *Baglivum*. 348 & *ſeq.* cauſa. 179 curandarum ratio. 199
Meſentericis febribus kina intempeſtive data, quantis malis præbeat originem? 158 febribus, teſtacea, anti-acida, oleoſa &c. noxia. 199 kina damnabilis. *ibid.* camomilla preſtantiſſima. *ibid.*
Meſenterii abſceſſus per inteſtinorum viam ſanantur. 33
Metaſtaſeos nomine quid intelligendum? 192
Metaſtaſis quomodo fiat ex legibus mechanices? 175 humorum quæ liberam non habet exclusionem, morbum facit ubi ſubſiſtit. 191 a pulmonibus ad mammas, facilis eſt. 192
Methodicorum Secta longe cæteris præſtantior. 100
Methodus incongrua medendi plurima & quidem prava parit ſymptomata. 3 digeſtionis in colligendo, quid ſibi vindicet. 88
Mœror, diarrhœas incurabiles, febres malignas &c. parit. 77
Morbi Chronici a mœrore &c. equitatione in aere ruſticano ſanantur. 71 timor morbum ſæpiſſime peperit. 76 remediis rite præſcriptis ſi non ceſſerint, occultas animi paſſiones licet ſuſpicari. 79 graviſſimi ab exigua cauſa producti, abunde teſtantur morbos omnes non oriri alkali & acidi vitio. 112 aliquando ſanantur remediis ommino contrariis (ut putamus) 115 plerique a ſoli potius quam a fluidi vitio oriuntur, hiſtoria 131 partium nervearum & membranoſarum, graves & periculoſi. 140 partium in ſubſtantia & compage ſimilium, ad invicem mutantur. 158 ſtatus mechanice explicatus, in quo conſiſtat. 171 aliorum ſucceſſione orti, prioribus ſunt moleſtiores. 290 partium nobilium, vel celeriter redeuntes, vel aliis ſupervenientes, plerumque enecant. 193
Incurabiles dicti vel cognitu difficiles, remediorum copiam reſpuunt. 194 quomodo orianturque eorumque imminentium ſigna. 196 quomodo Chronici evadant? 206 ſi a ſanguine duxerint originem, urinæ a ſtatu naturali recedunt. 218 epidemici a terræ motu, iiſdem curantur remediis quibus peſtis ipſamet 275 quo laborabat Cardinalis *Noriſius*, hiſtoria. 290 & *ſeq.*
Morbillis ſi diarrhœa ſuperveniat, non ſemper eſt cur timeas. 287
Morbis vel lethalibus vel chronicis obnoxii ſunt, quibus difficilis perſpiratio. 245 quam plurimis dant originem tenſio nimia, nimia & laxitas in fibris. 210 longis & difficilibus, aeris mutatio. 198 Chronicis, equitatio quomodo prodeſſe poſſit? 71 divinum quid ineſſe, cum *Hippocrate* aſſerendum. 14 inflamatoriis cur citius pereant exercitata corpora, quam otioſa? 160 ut & fructibus ſuæ ſunt leges, ſuus & ordo. 33 84 Morbo curationem admittenti pauca remedia, ſi nullam, nulla adhibenda. 129 cuique ſua periodus definita & conſtans. 3 Morborum enumeratio, quibus prodeſſe poſſunt veſicantia. 333 variæ mutationes pendent ex variis vaporum exalationibus a terræ ſuperficie. 301 ſeries qui poſt Romanos Terræ motus regnavere. 286 difficillimorum naturam reſerat ſtatices & ſolidorum atque fluidorum doctrina. 25 Curatio & ſanitatis conſervatio, per eaſdem regulas diriguntur. 241 cauſas tono & elateri ſolidorum vitiato tribuere nil vetat. 210 occaſiones inquirere oportunius eſt quam cauſas primoprimas. 195 cauſæ primo-primæ, pene omnino nobis ignotæ ſunt. 194 quorum alter alteri ſuccedit converſio, ſolet eſſe mortifera. 191 qui tenet ſucceſſiones, is docti medici nomine inſigniendus. 190 curationem non abſolvunt dogmata vel excogitata vel e libris petita. 7 motus licet ſub-obſcuri diligenter obſervandi. 4 infelicem eventum, medicinæ nunquam, medicis non ſemper adſcribito. 3 imperfecta cognitio, ab effrænata ſpeculandi & diſputandi licentia. 1 de repente obortorum cauſa. 173 omnium ſedem in meningibus quærito. 184 quam-plurimorum qualis ſit cauſa genuina? 111 cauſas ab alkali aut acidi vertigine deducere, parum eſt tutum *ibid.* primo-primas cognoſcendi ratio ope ſtercorum. 106 hiſtoria prima, ſigna cujuſque morbi characteriſtica, medendi methodus cuilibet opportuna, adhuc deſiderantur, 182 curandorum caput, eſt eorumdem recta cognitio. 100 hiſtoriographus, in eorumdem ſymptomatis & phænomenis, tutus debet inhærere. 91 hiſtoriæ vel minima quidem addere, aut detrahere, periculoſum. 88 hiſtoriam novis & elegantibus vocabulis exornare, neceſſe non eſt. *ibid.* hiſtoriographo quænam ſint neceſſaria? 87 hiſtoria nuda ſit & exacta. 86

Morbos omnes a repletione deducere minus consonum. 75 ab animi pathemate quomodo debellare oporteat? 76 diuturnos, patientia & animi tranquillitas sæpe sæpius curavere. 78 æquabilem in periodis servare constantiam, tertiana demonstrat. 92 ab iisdem causis semper esse productos arbitrari, errare est. 101 parit minimum quoddam, intelligentiam omnino fugiens. 129 a lympha prodeuntes, symptomata concomitantia. 218 a lympha ortos, urinæ, fere naturales comitantur. *ibid.* æstate debacchantes, fructuum esui semper tribuere imperitum est. 241 cum aggredieris curandos, rationem solidorum æque ac liquidorum habeto. Historia, 298 *& seq.*
Morbus in fibrarum laxitate vel tensione nimia consistit. 213
Mors ab ariditate solidorum & rapiditate liquorum, venit. 243
Motus leges juxta Baglivianum systema explanantur. 232. principium in medio musculi incipit, & in tendines desinit. 165 sensusque ratio, a mutua cordis cum cerebro consensione pendet. 154
Motus a meningibus ad partes & a partibus ad meninges quomodo possit explicari? 184
Mulieres omnes mensium suppressione laborantes eadem curare methodo stultum est. 213
Mulierum quanta sit malitia cum se tarantatas simulent? 311
Mulierum plures morbi ab utero inverso pendent quomodo illud *Hippocratis* explicatur. 163
Mulierum laudes celebrantur. 211
Muscularis motus explanatio. 204
Musculi quomodo moveantur ex *Stenone*? 205 productiones sunt tendinum. 236
Musculorum motui requiruntur determinata quantitas & velocitas sanguinis. 209 inservit sanguinis ingens copia circa fibras existentis. 206 vis & potentia in ipsis residet musculis. 205 fabricam tria ingrediuntur. 204 rubor a quo pendeat ex *Aqua pendente*? *ibid.* 9
Musculus fibrarum carnearum est fasciculus *ib.*
Musica vim magnam obtinet in sanandis ægris. 80 saltatio, navigatio, venatio &c. pleno ore laudantur, in curandis morbis 199 & choreæ modo tempestive adhibeantur, paroxismum arcent tarantatis. 311 & saltatio, antidotum veneni Tarantulini. 313 *& seq.* quomodo agat in Tarantatos? 331 *& seq.*
Musices dissonantia, Tarantatis maxime noxia. 313 effectus exponuntur. 321 *& seq.*

N

NAres rubras habentes lubrici sunt corpore 90
Narium pinnæ arcuatæ & velut elevatæ cum facie mala, lethale quid portendunt. 75 rubores pulmonem aut jecur laborare, designant 40 signa sunt ventris facile lubrici. *ibid*
Natura morborum medicatrix. 111 ut in plantis semper immutabilis, ita & in morbis eadem se semper gerit ratione. 93 longius latiusque patet vanis hypothesibus. 2
Naturæ legibus qui nescit obtemperare, hominibus nescit opitulari. *ibid.* motus per observationem investigandi. 5 nomine quid intelligendum? 85
Naturam in acutis & inflammatoriis observare, satis est. 129 multas habere vias quæ captum nostrum fugiant, patet historia mulieris scolopeto vulneratæ. 73 quiescere melius est quam aliquid frustra moliri. 35
Nephritici doloris in paroxismo, emollientia & anodyna. 60
Nephritico dolori quomodo occurrendum. 185
Nephriticum dolorem a dolore lumborum rheumatico distinguere quomodo oporteat? 60
Nephritidi succedit hemi-crania, qua parte est calculus. 173
Nephritidis calculosæ signa. 178
Nerveum fluidum, quomodo ad motum conferre intelligatur? 208
Nervorum affectibus pulvis cornachini. 58 morbis cum febre ad ardentem inclinante pessima sunt vesicantia. 326 affectiones ab indebita liquidi ad solidum proportione ducunt originem. 158
Nervosis morbis viola specifica. 58
Nitrum aeris per pulmones filtratum fere est commentum. 235
Norisii Cardinalis viri doctissimi imago adumbrata. 288 *& 290*
Nutritio plantarum & Animalium, a nutritione lapidum discrepat. 263
Nutritionis vocabulo quid intelligi oporteat? *ibid.*

O

OBservationes exemplo *Hippocratis* diligenter instituendæ. 3 in praxi naturam dicunt. 62 colligi & disponi quomodo oporteat? quatuor aut quinque rei alicujus veritati stabiliendæ, sufficiunt. 89 utiles circa lunæ periodos. 230 notatu dignæ circa stimulorum, vesicantium &c. applicationem. 332
Observationibus & quidem diuturnis, curandorum hominum ratio acquiritur. 1 fugantur ratiocinia. 5 repetitis & fideliter descriptis conflatur medicina prima. 7
Obstructione viscerum laborantes curari possunt, si non multum a statu naturali facies recesserit. 120
Oculi in acutis si robusti non sint, mors in propinquo. 39 audaces & fixi in acutis delirium indicant. *ibid.* cum bene se habent, ita & homi-

minis ene res eunt, *ibid.* cerebri affectionem denotant. *ibid.*
Oculis lucem fugientibus aut involuntarie lacrymantibus in acutis, malum. *ibid.*
Oculorum si alba portio tantum apparuerit in acutis, lethale. *ibid.* rubor in febre natus, diuturnam ventris molestiam designat. *ib.* ruborem quædam spectantia. *ibid.* caligo in pectoris morbis acutis, lethalis. *ibid.* morbi in morbos dentium commutantur. 193
Oculos in acutis & inflammatoriis mutatos si videas, time semper. 40
Oculus cujusdam cum ruber erat, ab ulcerosa excoriatione digitorum pedis liber erat. 170
Odor quem spirant ægri, diuturnitatem, vel brevitatem morbi sæpe portendit. 129 in ægris cadaverosus mortem imminentem annunciat. *ibid* halitus oris ægrotantium, indicationibus curativis desumendis, inservit 217
Oedemati diuturno ex erysipelate, fomentationes vulnerariæ. 162
Olei, seri lactis, atque oculorum cancrorum usus sæpe ad morbos incurabiles disponit. historia. 214
Oleosa & diluentia stomacho inimica. 202
Omentum si exciderit, putrefiat necesse est. 189
Ophtalmia, si 7. aut. 11. die a cranio contuso supervenerit, lethalis. 178
Ophtalmiæ alvi fluxu sanantur. 290 inveteratæ a lue venerea pendentis, curatio. 101
Ophtalmiam diuturnam in lienteriam, tenesmum &c. mutatam vidit *Hippocrates*. 190 siccam & ardentem topicis cohibere, pessimum. 289
Os in corde cervi repertum, quid sit? 136
Oscillatio idem sonat quod irritatio. 183
Oscillationem dolorosam a centro oscillationis loci dolentis ad remotas partes communicari constat. 173
Oscillationi morbosæ, contraria oscillatio procuranda a medico. 169
Oscillationum celeritas in fibris quomodo arguatur? 173
Ossa ex variis fibrarum stratis composita, quomodo marmoream duritiem acquirant. 136 mollia quandoque evadunt & flexibilia. *ibid.* absceſſu corripiuntur, & suppuramtur, historiæ. *ibid.*
Ossificationis in dextra auricula vel in dextro cordis ventriculo latentis signum. 315

P

PAlindrome quid sonat? 191
Palpitationem cordis faciunt plura impedimenta. 109
Panaritium index est pruritus cutis, & futuræ scabiei? 193
Paracelsi & Helmontii systema delineatum. 62
Paralixeos corporis medietatem occupantis causa mechanica. 177 linguæ cum hemiplegia conjunctæ curatio. 109
Paralysi generali obnoxii, cur flatibus & inflationibus ventris divexantur. 107
Paralytico ipsimet brachio venam tundere forsan est opportunius. 339
Parotidem vix ortam, crudo etiam existente morbo, candenti ferro utito. 36
Parotides ubi alvus non fluit, semper periculosæ. *ibid.*
Parotidibus quid requiratur, ut sint bonæ. *ibid.* prodest gargarismus ex vino malvatico. *ibid.*
Parotidum imminentium signa. *ib.*
Parotis in ardenti ad suppurationem non veniens, lethalis. *ib.* superveniens, febri periculosæ & mali moris, statim uratur. 74
Partes quæ fiunt a fibra carnea, & quæ ex membranea fiunt, enumerantur. 139 & *seq.*
Partui difficili epilepsia non raro supervenit. 173 prodest vene sectio. 175
Passio animi quamdiu durabit, tamdiu & morbus durabit, historia. 76
Passiones animi agunt primo in ventriculum. *ib.* agere in corpus testantur. *ib.* Maximæ morborum parti prebent originem. *ib.*
Passionum animi vehementium effectus pene sunt incredibiles. 179
Pectori quæ prosunt, prosunt etiam & renibus. 192
Pectoris morbis noxius usus balsami sulphuris. 328
Dolor ab ulcere in tibiis evanescente, lethalis. 97
Hydropis signa. 100
Et pudendorum consensio. 4
Morbis, fluxus alvi pernicioſus. 18
Quænam prosint, quænam obsint remedia. 53 in morbis, ad vias urinæ ducendum. *ibid.*
Gravibus morbis cauteria in tibiis. 54
Morbis purgantia generaliter noxia. 91
In morbis, respiratio bona vel mala, vitæ vel mortis indicium. 17
Morbis spasmodicis & inflammatoriis vesicantia pernicioſa 326
Diuretica semper optima. 91. 177. 329
Pectus inter & tibias consensus observatur. 4
Pedum calli, usu calidorum, acrium &, aromaticorum exacerbantur. 242 frigus colicam producit, 47 tu-

47 tumorum origo juxta mechanices regulas. 259
Percuſſionum quales ſint vires? 294
perineumoniam, in febrem ardentem mutari nunquam videbis. 189
Peripneumonicos, ſi tuſſis, febris, &c. quinto die divexaverint, ſeptimo moriuntur. 70
Perſpirationem turbant animi motus. 241
Petechiæ, ineunte morbo apparentes, peſſimæ. 70 circa morbi ſtatum erumpentem, bonæ. *ib.*
Petechis apparentibus, ab ipſiſmet clyſteribus abſtinendum. *ib.* Ad cutim apparentibus, venæ ſectio in actu efflorescentiæ, perniciosa. 169
Accedens ſanguinis hæmorragia, nunquam fuit ſalutaris. 72
Phlebotomia pluribus in caſibus, locum habent. 10
Depurationi materiæ peccantis peragendæ, inſervit. *ib.*
Inconſiderate inſtituta, quandoque diſponit Ad coagulationes. *ib.*
Chronicis noxia. 20
Intermittentibus pernicioſa. *ib.*
Non raro pleuritidem accerſit. 22
Morbis ſolidorum ab acrimonia fluidorum ortis egregia. 184
Plebotomiam pleuriticis ne imperato, niſi prius alvi fluxus ſedaveris. 19
Ineuntibus quibuſdam morbis omiſſam, quot mala ſequantur. 330
Phrænitieis veſicantia, in aere Romano, pernicioſa. 52
Mulieribus non æque nocent ac viris, in aere Romano veſicantia. *ibid.*
Phrænitide in lethargum mutata, malum. *ibidem.*
Phrænitidem ſi convulſio ſequatur, lethalis. 58
Phrænitidis blandiora acida, pulveres cinnabarini, emulſiones. 53
Phrænitis non bene mutatur in lethargum. 193 ſolvit lethargum. *ib.* pleuritidi ſuperveniens, cur pernicioſa? 191 in peripneumoniam mutatur. 189
Phtyſeos quæ nervoſa dicitur, origo & curatio. 185
Phtyſici morbiſque chronicis laborantes, in ejiciendis actu fecibus, fere ſemper moriuntur. 56
Phtyſicis undenam oriatur ſudor? 18
Pthyſico, diarrhæa mediante medicamentopurgante ſuperveniens, lethalis eſt. 190 6
Phtyſis noxius eſt uſus balſami ſulphuris. 329 ob noxii qui literis dediti. 46
Phtyſim ab uno ut ajebant fonte ortam, una & eadem methodo aggrediebantur Galenici. 102
Unius ſpeciei ab alia rite diſtinguere, maximi eſt momenti. *ibid.*
Phtyſis innumeras propemodum cauſas agnoſcit. *ibid.*
Quomodo incipiant. 46
Phymatis interni purulenti, ſigna. 44
Pinguedinis qualis ſit uſus? 208
Plantas reſpirare, & omnia animalia naſci ab ovo, abunde probavit *Malpighius*. 251
Pleura inflammata ſi dolor ſubito remiſerit, febriſque cum pulſu intermittenti augeatur, mortiferum. 70
Pleuræ inflammatæ & in apoſtema deſinentis ſignum certiſſimum. 18 dolorifica inflammatio quomodo ſolvi poſſit? 297
Pleuritici ſolo ſcreatu ſanantur. 18
Pleuriticis confert venæ ſectio, in locis perflatis ab aquilonibus. 23 ſputum ſuppreſsum ſi redierit ſitque flavo rubeſcens, fuge phlebotomiam. 19 difficulter ſcreantibus, veſicantia tibiis admovenda. *ibid.* & 328. abſceſsus ad aures, boni 70 cur ſputa, urinæ ſudores, parce fluant? 183. in interiora auris dolor, & exinde ſuppuratio, bonum. 4 & 18 facit fluant urinæ. *ibid.* quibus dolor lateris ceſsat, febris vero perſeverat cum pulſu parvo &c. male res eunt. *ibid.*
Pleuritico dolori claviculam attingenti, venæ ſectio, 23.
Sub ſepto tranſverſo & ad hypocondria, purgatio. *ibid.*
Pleuriticorum pernicioſa diarrhæa, quomodo ſiſtatur? 19
Pulſus depreſsus obſervatur ex parte lateris affecti. 173
Pleuriticos lædit venæ ſectio, in locis quæ obverſantur auſtris. 23 enecant potus frigidi. 91
Pleuritide qui frequenter laboraverit, phtyſicus morietur. 168
Pleuritidem inter & dolorem lateris maximum eſt diſcrimen. 21 mentiuntur dolores pectoris & lateris. *ibid.* exquiſitam incipientem, comitantur ſputa pauca, pulſus durus ac frequens. 19.
Malignam ſi vis curare, venæ ſectionem omitto. 91
Pleuritides ut plurimum oriuntur a lympha 24 pertinaciſſimas ſolvunt, venæ ſectio, & decocta pectoralis. 91
Pleuritidi ſpuriæ venæ ſectio non prodeſt. 19
Curandæ, oleum ſeminum lini egregium eſt remedium. 20 ſpuriæ quæ conveniunt remedia, ea & veræ proſunt, ſed circa morbi ſtatum. *ibid.*
Supernas partes dorſumque attingenti, phlebotomia. 20
Coſtas mendoſas parteſque inferiores occupanti, purgatio. *ib.*

ſpuriæ, venæ ſectio quomodo evadat utilis? 22 pharmacia proſunt. *ibid.* a fluxione acri a capite, phlebotomiam nunquam imperato. 23 ſiccæ prodeſt phlebotomia. *ibid.* origo, ſigna & curatio. *ib.* vere inflammatoriæ ſtatim ſanguinis miſſio. 24 purgantia pernicioſa. 91 328 ab humorum acrimonia, quinam ſunt obnoxii? 25 ineunti purgantia, ſputum ſupprimunt. 19 ab humorum apparatu, purgatio etiam in principio juvat. 348 pulmonia ſuperveniens, cur mala? 191 fluxus alvi peſſimus. 91 a coagulatione vel epidemicæ, Camphora. &c. 18

Pleuritidis veræ proprium eſt incipere a rigore. 19 ſpuriæ ſeu nothæ curandæ ratio. 20 & 24 coctio in quo ſita ſit? 22 ab acrimonia & humorum fuſione, curatio. 24 initio, a fortibus diaphoreticis caveto; delirium enim producunt. 19 lethalis ſignum. *ibid.* mox ſanandæ, indicium. *ibid.* curatio in eo eſt ut partis inflammatæ & fluidorum laxitas procuretur. 249 mortem ſecum afferentis, ſigna. 74 dies critici. 34 vel recrudeſcentis, vel mox ſuppurantis ſignum. 17 latentis & indolentis manifeſtandæ ratio. 18

Pleuritidum & dolorum lateris major pars purgationem poſtulat. 21 a fluxione acri a capta productarum, deſcriptio. 23 tres ſpecies rariſſimas deſcribit *Hippocrates*, *ibid.*

Pleuritis ſpuria ea dicitur quæ a rigore non incipit. 19 vere inflammatoria purgationem in principio reſpuit. 20 & 348 quæ & ipſa erysipelatodes, omnium exitioſiſſima. 22 ut bene ſolvatur, quænam requiruntur? 19 non bene commutatur in pulmoniam. 193 ſanat pulmoniam. *ibid.* in febrem ardentem mutatur. 189 tenuiſſimam diætam poſtulat. 74 recidivam patiens fere ſemper lethalis. 19

Podagra in aſthma plurimis migravit 193 in hydropem multis conceſſit. *ibid.* fere ſemper incipit a pedis pollice. 60 non occidit, ſed fluxus materiæ podagricæ prohibitus, enecat 98 non invadit ante uſum veneris. *ibid.*

Podagra rarò corripiuntur qui pane hordeaceo veſcuntur, *ibid.* raro laborant fœminæ, pueri & eunuchi. 95

Podagra, ſi a pedibus ad cubitos, manus & genua irrepſerit, erratum fuiſſe in medendo, argumentum eſt. 96 particulares habet paroxiſmos. 95 ſenes non ita graviter affligit, quam juvenes. *ibid.* interdum juvenes crapulæ debitos exercet. *ibid.* ſenes præ cæteris invadit. *ibid.*

Podagræ fons & origo. 59 in diſenteriam fit tranſitus. 189 rariſſime obnoxii qui ſæpe calcant uvas. 98 in ipſiſmet doloribus, abſtinendum ab anodino emollientibus. 98 derepente evaneſcenti, rhabarbarum. 97 jam adultæ, loco doloris, alia ſuperveniunt mala. *ibid.* regulariter & irregulariter procedentis periodus. 96 in digitos & genua ſævientis, delineatio. *ibid.* proceſſus regularis quandoque pervertitur. *ibid.*

Podagram arcent ſumpta remedia circa æquinoctia & ſolſtitia. 99 ſequuntur hæmorroides, laſſitudines membrorum. &c. 96 efficiens materies aliquando ad interiora viſcera remigrat. *ibid.*

Podagricæ invaſionis tempora. 95

Podagrici paroxiſmi ſigna. 89 dolores vel Stoicorum patientiam ſuperant. 96 paroxiſmi inſtantis & deſinentis, deſcriptio abſolutiſſima. 95 imminentis ſigna generalia, *ibid.*

Podagricis cautiones obſervandæ ante remediorum uſum. 59 maxime confert melo-peponum comeſtio. *ibid.* uſus The & Caffe utiliſſimus 60 clyſterum & purgantium uſus, optimus eſt. hiſtoria. *ibid.* loquela alta voce facta, & cantus, quomodo proſint? 320 vigiliæ noxiæ 99 quibuſdam profuere fonticuli. *ibid.* unicum remedium eſt diæta rerum ſex non naturalium. *ibid.* calculus, iſchuria, dyſuria &c. ad malorum cumulum accedunt. 97

Podagricorum urina, qualis ſit? 148 exercitatio in quo verſetur? 60

Podagricum cui ventriculus debilis eſt non curabis, niſi ſtomacho proſpexeris. 99

Polypi ſigna cum ab organica cauſa pendet, aut a materia fluida. 109 in dextra auricula vel in dextro cordis ventriculo latentis, ſignum. 315

Practices ſcientiam ex *Hipocrate*, *Dureto* &c. hauritо. 247

Praxeos prima fundamenta in indicationibus verſantur 111 perfecta notitia artis medicæ caput. 2 medicæ cognitioni quid inſerviunt, vel Rethorica, vel Dialectica? 7 uſus & exercitatio, curationi morborum magis confert quam Theoria, 65

Praxim medicam theoriæ regulis accommodare, recentiorum eſt error. 64

Praxis a quadam mixtione rationis & experientiæ, aſſurgit. 68 in medicina quid ſibi vindicet 64 medica in obſervando, theoria, in ſecando, valet. 63 Bagliviana circa febres acutas & inflammatorias. 25 & 114 Romanorum Medicorum in curanda pleuritide. 18 per praxim ipſam promovenda. 112

Prognoſticum in affectionibus ex frigore pedum ortis, inſtituendum. 178

Pueri & pituitoſi quare ad ſomnum proclives. 222

Puerperarum morbi, vel a frigore vel ab animi paſſionibus, vel a victu copioſo & frigido. 75

Puerperis fugienda purgantia *ibid.* febre continua correptis dyſpnœa ſuperveniens, mali eſt ominis, 72

Pulmone inflammato, ſi ſanguini extracto cruſta alba non appareat, a venæ ſectione abſtinendum. 19

Pulmones ab apparatu ſummo viſciditatum liberans

rans fœliciſſimum remedium. 55
Pulmonia ab angina, intra ſeptimum diem vel enecat vel ſuppuratur. 193 in lethargum mutatur & contra. 192 lethargica quomodo tractanda? 47
Pulmonibus humores impactos & deſperatæ vi ſciditatis, ſolvit julepus tabaci. 54
Pulmonicis accedens coryza periculoſiſſima. 190
Pulmonicorum morbus ſæpe conſiſtit in minimo. 47
Pulmoniæ lethargicæ fons & cauſa. *ibid.* dies critici. 34 exquiſitæ ſignum characteriſticum. 23
Pulmonis tuberculo laborantes derepente moriuntur. 101 morborum difficillima curatio necnon & prognoſis. 129
Pulmonum morbos cognoſcere, de iis præſagire, eoſque curare difficillimum. 18 tuberculi latentes quomodo manifeſtentur? *ibid.*
Pulmonum in morbis ſi cruſta alba in ſuperficie ſanguinis extracti non appareat, malum. 19 tuberculum vel incipiens vel jam factum, plurima indicia manifeſtant. 101 inflammationibus, phlebotomia. 20 morborum curatio. *ibid.* morbi in ſoporoſos deſinunt affectus. 47 eryſipelatis ſigna genuina. *ibid.* morbis exitioſis, ſi lethargum & oculorum caliginem circa finem videris, mors in propinquo. 73 morbi ad crura facile tranſeunt. 191 & pleuræ dolorificam criſpaturam ſolvendi ratio. 297
Pulſatio in cephalalgiis, ab arteriis non oritur. 148
Pulſum in acutis ſi tetigeris, ægerque manum quaſi tremulam retrahat, peſſimum. 38 habent exiguum qui ſtomacho ſunt debiles. *ibid.* cum exploraveris, obſerva an manus ægrotantis ſit tremula, ſi talis erit, non evadet. 75
Pulſus eſt mutabilis in ſtomachi affectionibus. 38 in pueris vermibus laborantibus, varius animadvertitur. *ibid.* in ſenibus varius ſemper eſt. *ibid.* exiguus in ſtatu ſano, potior eſt quam magnus & vehemens. *ibid.* intermittens in una pulſationem, mortem citam in acutis annunciat. 37. & 73 parvus & frequens in acutis, mortiferus. 38 mollis pulmonum morbos, excepta pleuritide, comitatur. 74 durus indi vulſus comes veræ & exquiſitæ pleuritidis. *ibid.* celer, debilis, vacillans. in febribus, lethalis: ut ut bona ſint alia ſymptomata. 71 in febribus robuſtus & æqualis, bene ſperare ſemper jubet. *ibid.* inæqualis, morbi pulmonum familliaris eſt. 53 in pleuritide durus, parvus, creberrimus, lethalis. 19 in pleuriticis jam jam morituris cur bonus appareat? 18 intermittens in pleuritide, a venæ ſectione non te deterreat. *ibid.* pleuriticorum depreſſus obſervatur ex parte lateris affecti. 173 in acutis cur parvus appareat? 155 pleuriticorum ſæpiſſime deprehenditur exiguus, in brachio e latere partis affectæ poſito. 144 parvitas, in doloribus capitis aliiſque doloribus vehementiſſimis non te terreat. *ibid.* ferrinus ac durus, vitium in partibus membranoſis ſemper indicat. *ibid.* durities, veræ pleuritidis ſignum infallibile. 17
Purgans medicamentum febris ardentis initio præſcribere, rude & ignarum. hiſtoria. 115 ineunti colibet morbo propinare, Arabum eſt commentum. 7 maturius datum niſi materia turgeat, plane noxium. *ibid.* ineunte acuto propinatum, quot ſequuntur mala? 70
Purgantia intermittentibus ineuntibus propinata, febrem exaſperant. 111 dolores periodice exacerbatos mirum in modum mitigant. 110 morbis ineuntibus imperare an ſit oportunum, quæritur. 218
Purgantia in principio, ne quidem in caſu cruditatum in primis viis, proſunt. *ibid.* pectoris morbis, generaliter noxia. 4 in pleuritide inflammatoria, peſſima. 91 alioſque ſtimulos imperare vaſis prius non depletis, peſſime agere eſt. 330
Purgantium abuſu, hydrops ſiccus abit in deterius. 158
Purgatio ut plurimum oportunior quam phlebotomia. 21
Purgationes leves, tranſpirationem in valetudinariis hyeme cohibitam, ſupplent. 244
Pus per urinas & ſeceſſum effluens in morbis, eſt ſuccus nutritius puris formam referens 33 ab hepate vomicoſo in crura tranſmiſſum, crurum dolores parit intolerabiles. 45
Puteorum ſalſugo, circuitum aquarum maris abunde comprobat. 260 & *ſeq.* qualis poſſit eſſe origo. *ibid.*
Pythagoreorum diæta in quo conſiſtat? 150

Q

QUartana mutatur in Rheumatiſmum, ſcabiem & ulcera. 192 & 193 ſolvit epilepſiam. 196
Quartanæ ſcabies ſuperveniens, bonum. 109
Quartanæ, neque morbi qui per alvi egeſtionem ſanantur, ſolvuntur hæmorragia. 44
Quartanas, ut plurimum ex abſceſſu aliorum morborum oriri videas. 190

R

RAtionales medici quid ſenſerint? 85
Rationalis ſectæ in empiricam odium, medicinam potiſſimum retardavit. *ibid.*
Rationalium primus parens *Galenus*. 64
Rationem ab experientia ſejungere inſulſum. 2
Rationi nimium, experientiæ nihil tribuere, erroneum. 3
Rationis nomine quid ſibi vult *Baglivus*? 2
Rhabarbarum cito præſcribito cui podagra derepente evanuit. 97 bilis vicem gerit, cum illa deficit. 220
Raucedine pertinaci laborantes hectici moriuntur anno vix elapſo. 72

Raucedini ſyrups de eryſimo egregium eſt remedium. 59
Raucitas cum tuſſi prava eſt metaſtaſis. 191
Remedia contra terræ motum, (ſi qua tamen ſint) 282 ex mineralibus petita non modo non tuta, ſed & venefica. 275 inutilia ſunt ubi animus animi morbo reſiſtere non aſſuevit. 195 quomodo agant detegere, difficillimum. 117 omnia quaſi graduatim & velut in orbem repetere, ſtultum omnino. 116 non ſemper accuſanda, ſed quandoque medicus culpandus. 115
Remediorum uſus plures occidit quam vis & impetus morbi. 34 a pharmacopolis adinventorum quanta ſit vanitas? 77 ope ſanantur ægri. 114 indulgere farragini ut nullum ſit (ut ajunt) intentatum, prorſus ſtupidum eſt. 116 formulæ variandæ pro varietate temperamentorum &c. *ib.* abſtinentia ægros ſæpiſſime ſanari, probat experientia. 117 genera *Hippocrati* familiaria recenſentur. 130 vis & poteſtas in quo reſideant? 243 copia plures enecat quam ſanat. 71
Remedium idem morbo cuique debellando par eſſe, autumare ridiculum. 6
Renibus quæ poſſunt quoque & pectori. 192
Renis abſceſſus, datis de ſe ſignis ferro aperiatur. 49
Renum doloris plurimæ ſunt cauſæ. 59
Rerum ſex non naturalium uſus debitus a *Seneca* & quidem eleganter celebratur. 200 ſex non naturalium legitimus uſus, plures curat morbos quam pharmacopolarum remedia. 187
Reſpiratio in acutis bona, bonum. 46 parva & frequens in acutis, ſignum certum internæ inflammationis. *ibid.* in acutis magna & rara, delirii aut convulſionis indicium. *ibid.* parva & rara in acutis, mortem præ ſe fert. *ibid.*
Reſpirationis motum mechanicum, cur hactenus medici explicare non potuerunt? 226 aliquot effectus ſecundarii enumerantur. *ibid.* actio in ſimplici aeris mechaniſmo, poſita eſt. 231 *& ſeq.* mechanicæ actio, dilucide exponitur. 232 *& ſeq.* leſio undenam oriatur? 233 in eo eſt munus ut ſanguinem languidum & circulationi ineptum, urgeat & propel at. 234 *& ſeq.* alterum muus, in quo ſitum ſit? 235
Rheumatiſmi inflammatorii ſive dolorum univerſaliter vagantium curatio præſtantiſſima. 251
Reumatiſmo ſupervenientes urinæ ſubjugales, optimæ. 72
Rheumatiſmus in paralyſes incurabiles deſinit. 250
Rigor triplex eſt. 41 a lumbis ſemper incipit. *ib.* aliunde quam a lumbis, abſceſſum latentem deſignat. *ibid.* urinæ ſuppreſſionem antecedens, bonum; eidem ſuccedens, lethale. *ibid.* in continuis bene tractatis apparere incipiens, bonum. *ibid.* crebro incidens, febre etiamnum perſeverante, lethalis. *ibid.* frequens in ſanis, ſignum cruditatis, &c. *ibid.* in febribus, ſuppurationis indicium. *ibid.* & multus ſudor, diuturnum morbum annunciant. *ibid.*
Rigorem ſymptomaticum multa ſequuntur accidentia. *ibid.*
Rigores frequentes in continuis, non ab abſceſſu, ſed a cachochimia. *ibid.*
Rigoris boni quænam ſunt conditiones? *ibid.* peſſimi argumenta. *ibid.*
Romani, quibus morbis obnoxii? 71 242
Romanis quædam remedia familiaria recenſentur. 82
Romanorum vivendi genus parciſſimum. 81 morbos quomodo curare oporteat? 82
Rubor faciei quid deſignat? 40
Ructanti acidum vino interdicito: 70

S

SAl armoniacum Kinæ adjunctum, frebrifugum eſt & quidem expertum. 199 fixum unum eſſe ex principiis indurativis lapidum, multis confirmatur obſervationibus. 507
Salia diverſi generis diverſis morbis originem præſtare, plura teſtantur experimenta. 216
Saliva, primarium eſt chilificationis menſtruum. 201 morboſis particulis imbuta, malorum pene innumerabilium eſt author. 217
Salivæ præcipuæ dotes. 218
Salivam pro inutili habentes excremento, turpiter errant *ibid.* in ſe continere ſal nitroſalinum, plurimis confirmatur experimentis. 219 pene dixeris animam ſtomachi & digeſtionum. 242
Sanguinem ad omnes partes cordis ope poſſe impelli, quomodo intelligatur? 159
Sanguini extracto in acutis ſi apparuerit cruſta alba, bonum: malum, ſi rubicundus extrahatur. 72 requiritur determinatus motus ut rite fiant ſecretiones. 169
Sanguinis ſtillicidia in acutis peſſima, niſi copioſam die critico hæmorragiam indicent. 44 ſtillicidia morbis diuturnis ſupervenientia, lethalia. *ibid.* ſtillæ quarto die peſſimæ, niſi quinto veniat hæmorragia. *ibid.* ſtillicidia undecimo die, difficilia. *ibid.* ſtillicidium ſurditati & torpori ſuperveniens, aliquid mali præ ſe fert. *ibid.* ſub ſtillum laterali morbo laborantibus, grave malum. *ibid.* ex hypocondriis & jecore provenientis ſigna. *ibid.* vomitui ex jecore, adſtringentia non proſunt. 45 ſputo ne ſtatim adſtringentia præſcribito. *ibid.* ſputum temere cohibitum, phtyſi viam aperit. *ibid.* circulatio in rana, ope microſcopii detecta. 338 *&* 340 fluxus cohibendi methodus. 250 modo hypocondria mollia ſint, criticus eſt. *ibid.* mictum criticum ſtringere, nefas. *ibid.* mictum ab aliis morbis ſæpe ſæpius liberat. *ibid.* inimica eſſe acida teſtatur experimentum. 238 prout erit velocitas vel tarditas, remedia quoque varia præſcribito. 281 e naribus mox erupturi, in-

dicia plurima. 176 vomitui cur ſplenitici obnoxii? *ibid.* miſtus periodicus ac menſtruus incaute ſuppreſſus, fit lethalis. 175 redundantis ſuppreſſionem inflammatio ſequitur. *ibid.* nigri per ſeceſſum excretio quandoque ſanat meſentericos. 157 nigri fluxus aliquando profuit *ib.* conſiſtentia patefacit quæ in eo ſuper abundant principia. 112. ſtatum lingua præ cæteris ſub indicat. 107 conſtitutio deprehenditur ex uſu & abuſu rerum ſex non naturalium. 105 ſputum ab ulcere tibiarum ſanato. 97 ſputo diæta tenuiſſima. 74 circulationem Ceſalpinus primus omnium detexit. 66 circulationem a Ceſalpino detectam *Harvæus* complevit. 67

Sanguis niger & prorſus per ſputa rejectus, pulmonem ſphacælo laborare deſignat. 45 vomitu rejectus a mulieribus ſæpe venit a ſuppreſſione menſium. 44 non ſemper venit a pulmonibus. *ibid.* veluti quadruplicem habent motum. 301 per alvum excernendus, ſi non evacuetur, mortem accerſit repentinam. 250 medjante bile, rubro colore tingitur. 222 ad inſtar ſcythalarum circa fibras movetur, iiſque ſuum impulſum communicat. 206 *& ſeq.* ſolidi vicem gerit in motu muſculorum. *ibid.* caſte viventium, magnum robur acquiritur. 197 peccans ſuperfluus non ſiſtendus, ſed ſinendus ut fluat. 174 niger fœtidus per alvum excretus, ſi dextrum hypocondrium ſit durum, lethale. 157 iiſdem legibus cruditatis, ebullitionis & depurationis ſubjicitur, quibus cæteri liquores. 117 in pleuritide miſſus, ſi præcraſſitia exire non queat, æger tuſſiat fortiter. 75

Sanitas in quo ſita ſit? 166 in debito fibrarum tenſionis & laxitatis gradu, conſiſtit. 213 ab æquilibrio inter cor impellens & fluidum impulſum pendet. 153

Sanitatis ſtatus juxta rationes mechanicas explanatur. 171 conſervatio & morborum curatio per eaſdem regulas diriguntur. 241

Santorii ſtaticem ignoraverunt, quid licet ſobrii, derepente e medio tolluntur. *ibid.*

Scabeii quænam ſit cauſa primoprima? 109

Scabiem futuram & cutis pruritum, panaritium portendit. 193

Scabies quartanam ſolvit, 109 retro pulſa plurimorum morborum origo. *ibid.*

Scientiis adipiſcendis obeſt præpoſtera preceptorum inſtitutio. 5

Scorbutici apparatus ſigna genuina. 196

Scorbuticorum ſanguis evadit vappidus. 206

Sereta ſententia de febrium origine. 66

Secretio liquidorum breviter, & nitide explicatur. 181

Semi-tertiana febris quaſnam partes lædat præcipue? 25 longus ſolet eſſe morbus. 28 præcipue lædit ventriculum. 29 pereunt qui longis laborant morbis. *ibid.*

Semi-tertiana rara eſt extra Italiam. *ibid.*

Semi-tertianæ quinam ſint obnoxii? 28 fons & origo. *ibid.* typus, ſymptomata &c. 26 & 28

Semi-tertianam comitantia ſymptomata. *ibid.*

Semi-tertianarum acceſſiones longæ. *ibid.*

Senecæ præcepta perquam utilia ad medelam animorum. 71

Senibus alvus adſtricta, bonum. 72 lareris dolore oborti, ut plurimum lethales. 91 quo modo fiant catharri, articulorum dolores &c. 212

Senum memoria quomodo pereat? *ibid.*

Series rerum notabilium durantibus terræ motibus obſervatarum. 560

Signorum ſeries quæ terræ motus futuros præſagiebant. 284

Signum præcipuum terræ motus futuri, ab aquis puteorum mutatis deducitur. 275

Similitudines a chimia petitæ, pernicioſorum errorum anſam præbuere. 10

Similitudines ſeu analogiæ non ſunt rejiciendæ. 11

Similitudo verſari debet inter res ſub eodem genere poſitas. 9.

Singultum non raro accerſit ſtibii diaphoretici nimius uſus. 77

Solida ad motum fluidorum conferre, hiſtoria probatur. 157 ad motiones in fluidis excitandas, fluida ad nutritionem deſtinantur. 160 inter & fluida diſcrimen. 152 irritare & eodem tempore liquida laxare in apoplexiis, catharris, ſcyrrhis &c. inſanire eſt. 243 nimium relaxata & flaccida, morborum quoque anſam præbent. 185 *& ſeq.*

Solidi meningæi præter naturaliter oſcillantis, hiſtoria. 164

Solidorum morbi curatu difficiles. 183 motus a fluidis impreſſus, in ingens augetur, & multiplicatur. 180 vim prebant ſymptomata veneno aſſumpto ſupervenientia. 172 ſupra fluida reſiſtentiam teſtantur pulveris cornachini effectus. 171 vitio morbos quoſdam fieri, ipſemet *Hippocrates* detexiſſe videtur. 167 oſcillationis continuæ qualis ſit uſus? *ibid.* elatere & oſcillatione continua poſitis, cætera evaneſcunt ſyſtemata. *ibid.* ad contractionem niſus, a quo pendeat? *ibid.* morbi a fluidis producti non ſanantur, niſi ſanato prius fluido; & contra. 264 ſupra fluida poteſtas incredibilis, hiſtoria probatur. 161 reſiſtentia & vis ſupra fluida ab effectibus demonſtratur. 162 conſideratio quantum ſit in praxi neceſſaria, hiſtoria cujuſdam juvenis oſtenditur. *ibid.* vis ſupra fluida, bajulorum & ruſticorum exemplo clare deducitur. 160 membranoſorum reſiſtentia, longe ſuperat reſiſtentiam ſolidorum carnoſorum. 155 vis liquidorum poteſtatem non excludit. 298 ſupra fluida poteſtatem teſtatur calculus in renibus latens. 295 vis in producendis morbis, fere eſt incredibilis. 194 varia oſcillantium notitia, ad doctrinam ſtatices confert. 241 tonum amiſſum amara reſtituunt. 213 ſtatum ſi neglexeris, quantis erroribus viam aperies? *ibid.* ratione habuit *Hippocrates* in curandis morbis.

morbis. *ibid.* tono & elateri vitiato morborum cauſas tribuere, rationi prorſus conſonum. 210 ſupra fluida, quanta ſit vis & poteſtas? 239 poteſtatem ſatis probant capitis vulnera. hiſtoria. 131
Solidum ubi ſuperat reſiſtentiam fluidi, remedia vehementia fugito. 158 currens alterationem, medicus omni arte detegat. 247
Somni cauſa non in cererebro tantum quantum in ſolidis & fluidis querenda. 227 effectus cur potiſſimum in cerebro obſerventur? *ibid.*
Somnus nimius æque noxius ac labor excedens. *ibid.* juxta leges mechanices explicatur. 226 & *ſeq.*
Sopor ardentiſsimis febribus ſuperveniens, vel ſponte deſinit vel finiente paroxiſmo, vel emulſionibus ſolvitur. 326
Soporibus graviſſimis veſicantia ſupra totam capitis peripheriam. 333
Soporoſis morbis veſicantium uſus egregius. 327 utiliſſimus pulvis cornachini, modo ſopor non oriatur a capitis vulnere. 325
Soporoſorum affectuum indicia ab urinis decerpta. 72
Spirandi cur frequens neceſſitas in citato curſu? 225
Spleniticis cur ſanguinis vomitus familiaris? 175
Sputa ut bona ſint in pleuritide, ante quartum appareant. 19
Sputatores nimii ſtomacho ſunt debiles. 219
Sputorum in pleuriticis omnimoda ſupreſſio; peſſima. 19 ſalſuginoſorum & tuſſis ceſſationem, exanthemata & mors excipiunt. 190
Statice ſanctoriana fugat commenta de alkali, de archæis &c. 243
Staticen corpus inter & mentem qui invenerit, rite mederi, rite & vivere noverit. 241 motionum animi ad ſtaticen motuum corporis accommodato. *ibid.*
Statices doctrinæ, figmenta vulgi delirantis tandem concedant neceſſe eſt. 244 doctrina & circulationis ſcientia, ſunt duo medicinæ poli. 241 doctrinæ necnon & medicinæ ſolidorum peritus, quam bene medebitur! 245
Stenonis ſententia circa montium exiſtentiam. 269
Sternutamenta præire & ſubſequi in morbis pulmonum, malum. 4
Sternutatio pro regulis mechanices elucidatur. 174
Stibii diaphoretici uſus nimius ſingultum ſæpe excitat. 129
Stimulantia varios edunt effectus, prout fibræ tenſæ ſunt aut laxæ. 184
Stimulantium nomine quid intelligendum? *ibid.*
Stimulorum, alii ſimplices, alii cum fermento, quomodo utrique agant? 183. 332 & *ſeq.*
Stiptici fiunt qui ſtudiis & curis domeſticis nimium indulgent. 55
Stomachi languoribus cum dyſenteria, medetur cinnamomi maſticatio. *ibid.* languor pallorem in vultu inducens, qua curetur arte? 186 doloribus, irritis aliis remediis, emeticum quandoque profuit. 185 oſcillans inter & liquidum remedia proponuntur. 72
Stomacho nocent oleoſa & diluentia. 202 ſunt debiles qui ſordidos habent dentes atque viſcidos. 242 debiles plurimis vexantur malis. 240 debilibus, ſomnus & quidem longus concedendus. 242 plurimum confert uſus The, Caffe, Cocolatæ. 33 & 242
Stranguria iis accidit quibus recte valentibus, hyeme frigus eſt circa lumbos. 48
Stranguriæ ileus ſuperveniens, ſeptimo die occidit niſi febris urinas moveat. 191
Sudare æſtate & auram captare frigidam, peſtis eſt; hinc febres, catharri, eryſipelata, &c. 244
Sudatiuncula initio febrium, diuturnitatem illarum indicat. 35
Sudor multus inter dormiendum ſine ulla cauſa corpus copioſiore uti alimento, indicat. 90 multus parce viventi inter dormiendum obortus, corpus vacuandum ſignificat. *ibid.* nocturnus & copioſus, repletionis indicium. 35
Sudores boni, qui morbo progrediente fiunt. *ibid.* ſymptomatici quinam ſint. *ibid.* frigidi in acutis, internas viſcerum inflammationes indicant. *ibid.* erumpentes pleno corpore, faciunt ad caput metaſtaſim. *ibid.* frigidi cum acuta febre, lethales. *ib.* cum febre mitiori, diuturnitatis argumenta. *ibid.*
Sudori valde neceſſario nullaque arte erumpenti; venæ ſectio. 108
Sudoris eliciendi ratio. 178
Suffuſioni, & fluxionibus ad oculos irruentibus veſicantia optima. 329
Super-purgationi periculoſæ, medetur theriaca. 55 & 75
Surditas & dolor iſchiadicus mutantur ad invicem. 191 in acutis poſt ſeptimum; optima. 56 & critica & ſymptomatica eſſe ſolet. *ib.* alvum ſiſtit. *ib.*
Surditatem ſolvit ſanguis e naribus. *ib.* ſolvit alvi profluvium. *ib.* nimiam in acutis ſequitur quædam ſoliditas. *ib.*
Sydenhamii laudes celebrantur. 330 & *ſeq.*
Sydenhamius, febrium medicus, & jure, appellatur. 67
Silvii & *Bontekoei* ſententia, circa febrem. 66
Sympathica mala, priora non exolvunt. 191
Symptomata funeſta quæ morbo ſuccedunt, non morbo, ſed medico ut plurimum tribuenda. 86
Symptomaticum quid ſonat? 74
Synochum ſimplicem dicito eam febrem, in qua pruritus eſt narium & lenis mador cutis. 73
Syſtema Baglivianum circa muſculorum & fibrarum motum. 206
Syſtema ut certum evadat, experientiæ viribusdebet accommodari. 65

Systolis & diastolis inest motus subobscurus in partibus carneis & membraneis. 208

T

TAbes dorsalis a nimio coitu. 49
Tabidis dolor lateris vehemens derepente obortus; lethalis. 101. lateris dolor supervenies, unde oriatur? *ibid.*
Tarantati, plurimis malis obnoxii si Chorea tempestive non instituatur. 313 pro varia tarantulæ specie, variis sonorum generibus, delectantur, excitantur. 314
Tarantatis, musices dissonantia gravia infert symptomata. 313. cor & ventriculus præcipue afficiuntur. 316
Tarantatorum dicta & facta sub ipso chorearum tempore. 314 symptomata pene incredibilia. 309 aliquot historiæ quibus probatur Tarantatos, non nisi ope musices sanari. 317
Tarantula, de genere araneorum, animalculum est veneniferum. 305 est de genere araneorum *ibid.* venenifera non est nisi æstivo tempore. 313
Tarantula utrum demorsæ fuerint mulieres nec ne, dignoscendi ratio. 314 demorsorum variæ narrantur historiæ. 315 & *seq.*
Tarantulæ venenum semel impressum, nunquam deletur. 305 inter se ostiles. 306 captandæ ratio. *ibid.* anatome & descriptio. *ibidem & seq* ovum & generatio exponuntur. 307. 308 morsum consequentia symptomata describuntur. 309 & *seq.* quomodo curare oporteat? 312 & *seq.* prout variæ sunt, varia quoque producunt symptomata. 309 venenum singulis annis infallibiliter recrudescit. 312
Tarantulam in exteras regiones translatam non esse veneni feram, probatur historia. 317 venenum mitius est quam venenum viperarum. 319 humores ad coagulum disponit. 312
Tarantularum veneni vis, a quo pendeat; 313 & 319
Tarantulini veneni effectus præcipui sunt densatio, coagulatio, & spirituum oppressio. 319 & *seq.* sedem in liquido nervorum figi, credibile est. 310
Temperamenti mutatio singulis septem annis manifestatur. 211
Temperamentorum vis & debilitas a duræ matris elatere solido, vel debili, oritur. 146
Temperamentum cuilibet nostrum innatum, in errores sæpissime compellit. 5
Temperaturæ distinctio in calidam, frigidam, siccam &c. plane obsolevit. 105
Tendines sunt ossium productiones. 136
Tenesmi in dissenteriam fit mutatio. 139
Tenesmo therebintina prodest. 45
Terra omni sale spoliata, nunquam indurescit. 256
Terræ-motus Neapolitani historia, ad *Hottonem* Medicum Leidensem & *seq.* 286 imminentis signa in aquis manifestantur. 274 futuri alia signa. 215 Romani, prænuncii quidam & effectus. 273 & *seq.* Historia elegantissime narratur. 270 & *seq.*
Terræ-motuum innumera sequuntur incommoda. 272 & *seq.*
Terræ-motibus succedunt pestilentiæ & morbi epidemici. 268 varii effectus in Globo Terraqueo gignuntur. 269
Terræ motuum diversæ species recensentur. 268 quos a Christonato Roma perpessa est enumeratio. 274 & *seq.*
Terroris panici qui Romanorum invasit animos, elegans descriptio. 275 & *seq.*
Terriana exquisita sibi permissa quatuordecim dierum spatio definit. 93 solvit catharrum. 190
Tertianæ duplicis solis deobstruentibus, & quidem simplicissimis curatæ, historia. 116
Tertianarum curandarum ratio. 93
Tertianas male tractatas ultra diem 14. progredi, nil mirum. *ibid.* febrifugorum usu quasi jugulatas, malorum sequitur seges. *ibid.*
Testium tumorem tussis diuturna solvit. 58
Testudinem, sine aere, per viginti & plures dies vixisse constat. 236
Testudinis anatome. *ibid.*
Thales autumavit aquam esse rerum omnium principium. 261
The capitis morbos sublevat. 39
The & Cocolata stomacho minus prosunt quam Caffe. *ibid.*
Theoria recentiorum utpote legibus mechanices fundata, Galenicorum theoria certior. 68
Theoriæ doctrinam in *Sanctorio* & *Harveo* quærito. 247 in medicina, quodnam sit munus? 64
Theoriam, nondum vero perfectam praxeos notitiam peperit experimentalis Philosophia. 1
Theriacam *Galenus* primus omnium Romæ confecit. 15
Timor & motus agunt in fluida & solida corporis nostri. 77
Tonus partis quid sonat? 209
Transpiratio insensibilis, excrementum est tertiæ coctionis. 243 libera, salubritatem, difficilis, ad morbos proclivitatem parit. 247
Transpirationem impediunt frigus & alia bene multa. 246 in valetudinariis hyeme cohibitam, purgationes leves supplent. 244
Tremorem producit aquæ vitæ usus, de quo historia. 49
Tryteophiæ febres, & graves & periculosæ. 28 cur sic appellatæ? *ibid.* diuturnæ sunt. *ibid.*
Tryteophiæ febris curatio. *ibid.*
Tryteophiis abscessus ischiadici solent supervenire. 190
Tuberculorum pulmonis in apostema transeuntium, indicium. 18
Tumores, bifariam produci credendum est. 216
Tumori ante vel post podagram supervenienti adhibere remedia, periculosum. 98

Tumorum partibus ſupervenientium, cauſa mechanica. 183 frigidiorum & indolentium cauſa atque curatio. 215
Tuſſes ſiccas accerſit conſtitutio temporis aquilonia. 59. ubi primum invaſerint, plurimo potu pulmo humectetur. 23 vehementiſſimas mitigat ſpiritus cornu cervi. 56. catharrales demulcens remedium. *ibid.* moleſtæ, in morbos ſeroti & viarum urinæ deſinunt. 176. 117
Tuſſiſcum ſputo craſſo & copioſo, veſicatorium utiliſſimum. 160 *& ſeq.* convulſivæ infantum, decoctio ex muſco arboreo. 59 ſtomachalis purgantia concedi poſſunt. *ibid.* pectorali ex aeris inclementia, nocent purgantia. *ibid.* pectorali medicamenta vulgaria compoſitis ſane potiora. *ib.* ſiccæ ex humorum tenuitate, lac cum jure carnium, optimum. *ib.* remedium expertiſſimum. *ibid.*
Tuſſim aliis morbis ſupervenientem non niſi priorem morbum debellaveris. *ib.* diuturnam teſtium tumor ſolvit. 4 & 58
Tuſſis æſtate vexantis cauſa proſſima. 241 ex indignatione, & abuſus tuſſiendi, phyſim facile accerſit. 78 violentia, multa ſecum affert mala. 59 *& ſeq.* pertinax cum febre, in tabem migrat. *ibid.* infantum, fere ſemper a ſtomacho *ibid.* ſicca quomodo ſolvatur? 4
Tympanitidem a punctura vulneris, vidit *Williſius*. 290. parit icterus, & quidem frequentiſſime. 192 non raro annunciat dolor torminoſus circa umbilicum. 290 excipit aſcites. *ibid.* facile parit uſus calidorum & exſiccantium. *ibid.*
Tympanitidis ſigna diagnoſtica. 290
Tympanitidis non a flatibus ſed ab intento & exſiccato ſolido. 291
Typhode in morbo fuge purgantia. 30
Typhodem ſi aggredieris, cautus ſis in prognoſticando. *ibid.*
Typhodi clyſteres proſunt & fomenta. *Ibid.* omnia ex nitro, præſtantiſſima. *ibid.* conjuncta accidentia. *ibid.*
Typhos ſanguinis miſſionem repetitam exigit. *ib.* valde accedit ad ſcorbutum. 29 febris non curatur niſi lactis uſus continuato. *ibid.*

U

Ulcera tibiarum intempeſtive curata, in pectoris morbos deſinunt. 4 imprudenter clauſa mille mala pariunt. 175 veſiantibus excitata nonnumquam in gangrænam deſinunt. 325
Ulcera & vulnera, in quibuſdam anni conſtitutionibus, gangræna facile corripiuntur. 326
Ulceri pedum & tibiarum ſanato ſuccedit ſanguinis ſputum. 98
Ulceribus a veſicantibus & quaſi gangrænam minantibus, mel roſaceum. 329 omnibus ad corruptionem vergentibus, mel roſaceum. *ibid.* veſiccantium difficulter cicatrizantibus, pulvis thuris in alkool &c. *ibid.*
Ulcerum ſolidorum incipientium uſtio candenti ferramento, mala intulit graviſſima. 312
Ulceris lati, doloroſi, inflammatorii, & nigra cruſta obducti, curatio. 329
Ulcerum cum ſuſpicione malignitatis curandorum, præclara methodus. 312
Ulcus ſanatum, pleuritidem lethiferam ſæpe accerſivit. 98
Urbium & Oppidorum terræmotibus dirutorum, enumeratio. 278 *&* 283
Urina quonam ſale præcipue luxuriatur? 106 ſubjugalis, mala in acutis. 72 in cujus fundo plurimus apparet humor, apta eſt calculo generando. 60 copioſa hepatitidi ſuperveniens, bonum. 46 ſæpiſſime eſt alba in viſcerum inflammatione. 33
Urina in acutis poſt rigorem ſuppreſſa, lethale. *ibid.* ante rigorem ſuppreſſa; bonum. *ibid.*
Urinæ a ſtatu naturali recedere obſervantur cum morbus oritur a ſanguine. 218 fere naturales ſunt in morbis quorum ſedes eſt in lympha *ibid.* nigræ, fœtidæ, ac pene ſanguineæ, aliquando criticæ. 157 coloris aquei, convulſionem ſemper præcedunt. 107 ſuppreſſionem mortiferam, ſymptomata comitantia. 106
Podagricorum, quales ſint? 95 lateritium colorem referentes, intermittentium ſignum ſunt diagnoſticum. 39 ſi omnino ſupprimantur in calculoſis & nephriticis, quid agendum? 59 ardore ſenes divexantur, qui juvenes, gonorrhæa laboraverunt. 49 ſuppreſſioni ſuccedens rigor, pravum. 44 ſuppreſſis in acutis poſt frigus, peſtifera. 37 variæ in acutis, diuturnum fore morbum teſtantur. *ibid.* in acutis derepente coſtæ malum aliquod annunciant. *ibid.* tenues purgationem non admittunt. *ibid.* diuturnæ & magno humorum apparatu, abſceſſum ad inferiora denotant. *ibid.* turbidæ jumentorum ſimiles, capitis mala ſemper minantur. *ibid.* cum extiterint rubræ, Kinam præſcribere periculoſiſſimum. 36 rubedine ſaturatæ, quid annuncient? *ibid.* nimium rubræ, vel acutiei, vel longitudinis indicia. *ibid.*
Urinam ſuppreſſam ex obſtructione in primis viis, non educunt diuretica. 37
Urinarum incontinentia, nervinorum & antiparaſyticorum ope, curatur. 186 ope, iſteria imminens poteſt annunciari. 113 color bonus cum cita coctione, bonum. 37
Urinas in chronicis quomodo movere conveniat? 244 movere velle diureticis violentis, peſſime agere eſt. *ibid.* in acutis vel intermitten-

centibus si rubras videris, coctionem expecta- to. 36
Urinis turbidis, si sopor & capitis gravitas cum pulsu parvo accesserit, letargum annunciato. 37 vigiliæ, sitis, dolor capitis, si conjungantur, delirium prædicito. *ibid.* etiam rubris apparentibus, venæ sectio quandoque necessaria. 36 nimium rubris existentibus cautus esto in venæ sectione imperanda. *ibid.* alexipharmaca fuge & diaphoretica. *ibid.*
Uteri cancro divexatis genæ perpetuo roseæ sunt. 70 doloribus dilaniatæ, & tamen curatæ virginis, historia. 168
Uterus & mammæ mutuo se afficiunt, & in bonis, & in malis. 192

V

Vapores a lino & cannabe exhalantes cum aqua macerantur, pestiferi. 203 *& seq.*
Vaporum nomen quid sonat? 183
Varices doloribus articulorum supervenientes, citam liberationem sperare jubent. 98
Varix quid sit? 74
Variolæ post insultum epilepticum infanti supervenientes, boni sunt moris. 32 imperite tractatæ, in gravissima mala degenerant. *ibid.*
Variolarum imminentium in pueris, signum. 31 *&* 58 curatio juxta methodum *Baglivianam*. 31 copiosarum & periculosarum, signum certum. *ibid.* foveas delens remedium. 32
Variolas ubi exsiccaverit alvus nimium soluta. diarrhæam colliquativam prædicito. 169
Variolis incuntibus purgantia fugito & diaphoretica. 31 erumpentibus naturæ ejusque motibus parendum. 32 diaphoretica post quartum. *ibid.* laborantes si multum spuerint, effugiunt. *ibid.* imperite tractati adultiores, moriuntur phrænitici. *ibid.* laborantes ubi bene respiraverint, semper bene sperandum. 46 accedens spirandi difficultas, semper mala. 169 *&* 287
Varioloſi pueri historia qui spirandi difficultate laborans, tamen fuit curatus. *ibid.*
Varioloſorum difficilis respiratio pulmonum inflammationem annunciat. 46 sanguis cum ruit ad caput, hypocondriaque sunt tensa, quid agendum? 31
Varioloſos diarrhæa sanat ut plurimum, pueros præsertim. 46
Venæ sectionis commoda. 108 sectio plurimorum morborum curationem præcedat. 109
Veneni corrodentis effectus, coagulatio est in fluidis, in solidis erosio. 270
Venenorum natura in quo consistat? *ib.* vis, in spiritibus & humoribus, ad extremum exaltationis gradum perductio, sita est. *ibid.* horrendis symptomatibus, quomodo occurratur? 172
Venenum caninum ad triginta quandoque annos, massæ sanguineæ inhæsit. 311 *& seq.*
Venerem exercentibus, sanguis vappidus atque debilis evadit. 197 potenter exercent, qui forti præditi sunt imaginatione. 49 potenter stimulat lac humanum. *ibid.*
Venereum acidum, sæpe in tacta massa sanguinea lympham inquinat, unde curatio difficilior. *ibid.*
Veneris impotentia a quo ut plurimum pendeat? *ibid.* impotentiam parit abusus vini & liquorum. *ibid.* impotentiæ causa altera. *ibid.*
Ventre crudiliter dolente cur urinæ suppriman- tur? 183
Ventri ab usu adstringentium inflato, quomodo medendum? 56
Ventriculi morbis omnibus utilissimum oleum menthæ. 71
Ventriculo sunt debili qui nimium spuunt. 219
Ventris torminosa desinunt in dolorifica articulorum. 243 dolor torminosus circa umbilicum, tympanitidis prænuncius. 290 intumescentiam mentitur flatulentia hypocondriorum. 32 intumescentia in acutis, cum aliis pravis signis, lethalis. *ibid.*
Venus immoderata corpus enervat, moderata, exhilarat. 51
Veritatis amor fecit, ut *Baglivus* opus suum in lucem ederet. 2 inquisitionem retardant falsa animis imbuta præjudicia. 2
Vermem vivum viginti pedes longum, puer duorum annorum excrevit. 344
Vermes aliquando testantur stillæ sanguinis in continuis erumpentes. 31
Vermibus cur infantes obnoxii? 223
Vermium historiæ quædam. 344 *& seq.* ubi minima suspicio, remedia sine mora imperato. 31 latentium signum. *ibid.*
Vertiginem explicare ope vaporum ascendentium. ridiculum est. 178
Vertigini pulvis de Gutteta. 58
Vertiginis curationem reddit impossibilem, usus volatilium & cephalicorum. 132
Vesica inflammata, si dolor repente remiserit, febris vero augeatur, lethale. 70
Vesicæ calculum mentitur scyrrhus vesicæ. 74 fibrarum laxitas in pueris, vesicæ calculum producit. 186
Vesicæ & alvi mutua est commutatio. 243
Vesicam duram esse & dolorificam in acutis, pessimum. 37
Vesicantia delirium sæpe augent & exacerbant. 161 capite vulneratis, lethargi avertendi causa, noxia. 131 viris cur obsint magis quam mulieribus? *ibid.* pessima iis qui capite graviter vulnerati fuerunt. 326 adhibita cuidam torminibus spasmodicis infimi ventris laboranti, mortem intulere. *ibid.* ne prescribito ubi suspicio convulsionum est, aut jam factæ sunt. *ibid.* cum cautione præscribito in sanguinis coagulationibus. *ibid.* imprudenter applicata, gangræ-

nam, mictus sanguineos, ardores urinæ &c. accersunt. 327 caute usurpanda in corporibus macilentis & gracilibus. *ibid.* hominibus temperamenti adusti & bilioſi omnino sunt noxia. *ibid.* bilioſis cum imperaveris, diluentium usum copioſum, simul præscribito. *ibid.* in constitutione acri sanguinis & colliquativa, obsunt. 328 in diathesi sanguinis crassa & viscida, prosunt. *ibid.* febribus cum exiliſſimo pulsu extremitatibus frigidis, anxietate &c. egregiæ sunt virtutis. *ibid.* tibiis admota in pleuritide, summopere utilia. *ibid.* oculorum & faciei morbis, præ cæteris remediis, egregia. 329 delirantibus mulieribus prosunt, non item hominibus. *ibid.* nunquam imperato, nisi prius vasa sanguinis missione depleantur. 330 *& seq.*

Vesicantibus admotis, alvi fluxus sistitur & pulsus antea elatus, obscuratur. 327 orta ulcera non raro in gangrænam abeunt. 326 orta ulcera facile corrumpuntur in lue venerea laborantibus. *ib.* excitata ulcera, facile gangrænescunt in hydropicis atromelancolicis. *ibid.*

Vesicantium incommoda tribus proponuntur historiis. 325 *& seq.* applicationi accedit fere semper sitis, & linguæ ariditas. *ibid.* usus magnas exigit cautiones. 326 Arabibus omnino debetur. 328 commoda in pleuritide. *ibid.* in iis pleuriticis non observantur, qui ineunte pleuritide fuerunt purgati. *ibid.* ulceribus difficulter cicatrizantibus, pulvis thuris in alkool. 329 natura, ex mechanica stimulorum doctrina demonstratur. 331. 332 præcipuus effectus. *ibid.*

Vesicatorium mirum in modum confert tussi, cum sputo crasso & copioso. 330 *&* 331

Vinum quandoque vermium est antidotum. 330

Viperæ aliquid inesse veneni, alii dicunt, alii negant. 344

Virgines, post quinquagesimum annum, hæmorrhidibus loco menstruorum, subjacent. 174

Vita, qua possit arte in longum salubriter protrai & produci? 195

Viri laus præstantissima. 211

Vivendi rationem cum statice Sanctorii, si recte accommodaveris, raro ægrotabis. 243

Vomicam sanant abscessus ad aures & pedes. 74 *&* 45

Vomicæ in pectore latentis, indicia; licet rariſſima. *ibid.* pulmonis nulla propemodum sunt signa. 45

Vomitoria septemtrionalibus bene cedunt, non ita, Romæ. 25

Vomitui mero singultus, mortiferus, 41

Vomitus niger lethalis. *ibid.* bilioſus dysenteri. cis ineunte morbo, peſſimus. 56

Vomitus bilioſi in intermittentibus, causa genuina. 177

Vomitus diarrhæam sistit. 191 bilioſus dysenteriæ ineunti accedens, est ejus amplificatio. *ibid.* si transpirationem cohibeat, quanto magis & oscillatio inflammatoria viscerum? 246

Vulneris ad pulmonem usque penetrantis; curatio. 117

FINIS.